image
not
available



ORIGINES
GVELFICAE

QVIBVS

TVM VETERVM ALTDORFII COMITVM

ET EX IIS ORTORVM

BVRGVNDIAE TRANSIVRANAE REGVM,

TVM GVELFORVM RECENTIORVM

AB AZONE, ITALO MARCHIONE,

SATORVM

BAVARIAE ET SAXONIAE DVCVM

VITAE, PROPAGINES ET RES PRAECLARE GESTAE,

EX AVCTORIBVS COAEVIS, CHARTIS ITEM ET DIPLOMATIBVS EXPLICANTVR,
ATQVE MVLTIS IN MEDIVM PROLATIS NVMISMATIBVS, SIGILLIS, ALIISQVE
MONVMENTIS AERI INCISIS ILLVSTRANTVR.

EX SCHEDIS MANVSCRIPTIS

SVMMORVM VIRORVM GODOFREDI GVILIELMI LEIBNITII,
IOH. GEORGII ECCARDI ET IOH. DANIELIS GRVBERI

EDIDIT ET PRAEFATVS EST

CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHEIDIVS, I. C.

SERENISSIMAE FAMILIAE GVELFICAE A SCRIBENDA HISTORIA.

TOMVS II.



HANOVERAE

SVMPTIBVS ORPHANOTROPHEI MORINGENSIS

EXCVDEBAT HENRICVS ERNESTVS CHRISTOPHORVS SCHLVTERVS.

MDCCLI.



J. J. Preisler delin. Müller Effig. pinxit Graveur Royale de l'academie

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DOMINO

CAROLO

DEI GRATIA DVCI BRVNSVICENSI
AC LVNEBVRGICO &c. &c. &c.

PRINCIPI
AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

VITAM, GLORIAM, PERPETVITATEM
PRECOR.

SERENISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME

MVLTOS nobis tum veteris, tum recentioris aeui egregios Principes hiſtoria narrat, PRINCEPS & DOMINE CLEMENTISSIME, qui nullis ſumtibus, immo ne ſuo quidem labori interdum parcentes, ſummam dederunt operam, vt fidelis ac locuples gentis ſuae atque familiae, ſuorumque ac ſuperiorum temporum hiſtoria ſcriberetur. Ita enim non ditiones tantum & opes, ſed & conſilia & virtutes, tamquam pretioſiſſimum theſaurum, poſteris relinquere ſe poſſe rectiſſime iudicarunt. Et vt nunc exempla alia mittam, Henricus Leo, iam aetate grauis, antiqua ſcripta Chronicorum colligi, & conſcribi & coram recitari praecepit, eorumque praelectione ita animum paſcere conſueuit, vt, teſte Gerhardo Praepoſito Stederburgenſi, in hac occupatione ſaepe totam noctem duxerit inſomnem. Quod quidem rem curate perpendentibus mirum videri nequit. Sicuti enim naturali quodam ſtimulo mortales omnes ad gloriam, ad laudem, ad nominis celebritatem ducuntur; ita fieri non poteſt aliter, quam vt rerum praeteritarum memo-

memoria mirifice delectentur ii, qui hos ipsos Heroës, quos in orbis theatrum praeclarissimis facinoribus nomen suum cum immortali laude protulisse historia commemorat, generis sui auctores propagatoresque sciunt, seque longo horum maiorum ac praedecessorum sanguine ac serie censeri rite aestimant. Quo quidem in fortunae munere an vlla gens Guelficam, qua TV, PRINCEPS SERENISSIME, satus es, superet, hactenus me ignorare profiteor. Neque enim in eam, vt in aliis etiam illustribus familiis fieri solet, eximiae atque vetustae dignitatis gloria ex vna solum parte influxit; sed quicquid prisca Germaniae nobilitas sublime, splendidum, illustre habet, id ad Guelfici generis decus augendum omne robur suum & virtutes atque partas domi forisque laureas contulisse videtur. In eius sane vel progenitoribus, vel propinquis & affinibus omnis fere Carolini stemmatis gloria legitur; Witikindeam familiam continuatam nouimus; Ottonum Imperatorum stirpem illustrari cernimus. Vnde illud etiam antequam inuidia Imperatorum ex gente Hohenstaufica immanem istam rerum catastrophen sensisset, tantum opibus, prouinciarum multitudine & potentia auctum fuit, vt in vniuersa Germania par sibi vel aequale non habuerit. Huius Origines, fata atque vicissitudines a Praedecessoribus meis ex annalibus & memoriis factorum ad tempora vsque Ottonis, primi Brunsuicensium & Luneburgensium Ducis,

 fideliter

ſideliter dilucideque expoſitas nuper in lucem publicam emittere coepi; cumque nunc in eo ſum, vt partem operis ſecundam prelo liberatam orbi erudito offeram, poterat quidem tum mos publicus & conſuetudo, tum argumenti fiducia me adducere, vt NOMEN TVVM CELSISSIMVM ei inſcriberem, niſi in SERENITATIS TVAE bonitate atque clementia alia quaedam ſubfuiſſet cauſſa, quae iſtius officii religionem mihi praecipue iniunxiſſet. Etenim TVA etiam liberalitate, SERENISSIME PRINCEPS, ad ſcribendum excitatus, ſi annui, quo me dignaris, ſtipendii fructus aliquos ad pedes TVOS deponere iuſtum eſſe non agnoſcerem, nae ſummae id foret imprudentiae. Nec ingratum, vt arbitror, erit SERENISSIMAE CELSITVDINI TVAE opus hoc, in quo iam legis, quomodo veteres Guelfi, ab Ethiconis aeuo, pari animorum moderatione ac magnitudine, acceptam a maioribus nobilitatem clariorem amplioremque reddiderint; quot Reges Reginasque Orbi Chriſtiano dederint; qua ratione diuina prouidentia eos ampliſſimis terris, ditionibus atque prouinciis locupletauerit; vtque non ſolum Burgundiae Transiuranae Regum progenitores ſtirpem ſuam ad ſummum fortunae apicem prouexerint, verum praecipue in Azonis poſteris innumera pietatis, iuſtitiae, clementiae, fortitudinis, prudentiae, induſtriae, vno verbo omnium illarum virtutum, quae imperare imperantes docent,

exempla


exempla dederint. Et has quidem dotes praestantissimas cum in aliis, quorum nomina promeruerunt, vt per gentium annales fastosque euoluantur, nos admirari atque iustis laudibus celebrare cernis, SERENISSIME PRINCEPS, facile intelliges, quanti TE facere debeamus. Qui enim SERENISSIMAM TVAM CELSITVDINEM intuentur publico mortalium bono & ornamento natam, omnes Maiorum TVORVM virtutes ita in TE eminere fatentur, vt quicquid anteacta aetas in iis coluit, suspexit, venerata est, vnum TE exemplo felicissimo possidere sine adulatione dicant. Argumento est ille TVVS excelsus & felicitatis suae intelligens animus, cui, cum a prima pueritia in meditationibus armorum, sudore, sole & puluere exercitatus sis, & intrepidae mentis atque singularis virtutis militaris exempla plurima dederis, ab eo tamen tempore, quo regimen auitarum Prouinciarum suscepisti, haec sola & maxima cura infixa videtur, vt in SERENITATIS TVAE terris gloria Dei promoueatur, bonae artes & studia liberalia crescant, iustitia cum pietate habitet, & securitas atque pax se mutuo osculentur. Comprobat hoc, vt ex innumeris exemplis vnum commemorem, illa perpetua cura atque solicitudo, qua non modo Iuliam Academiam a TVO NOMINE SERENISSIMO Iulio-Carolinam merito hodie nominatam admirabili & TE digna munificentia foues; verum etiam

in

in vetustissima Brunsuicensi vrbe officinam erexisti non profligandae modo barbariei & iuuandis studiis liberalibus omnibus destinatam, verum in eo reliquis scholis praestantiorem, quod homines excelso loco nati & negotiis gerendis rebusque publicis administrandis destinati mature ibidem discere possunt, quibus artibus ciuitates conseruari, regi atque amplificari debeant. Prudens abstineo a laudibus, quas SERENISSIMA TVA CELSITVDO cum a nemine, tum longe minus ab Historiographo fide TIBI atque sacramento addicto ferre consueuit; DEVM autem O. M. qui istam TIBI exaggeratae mentis altitudinem inseuit, atque hactenus TIBI applaudente vniuerso bonorum omnium coetu res cunctas cum salute populi TVI coniunctas felicissime succedere iussit, submisse precor, vt TVAM SERENITATEM totamque CELSISSIMAM TVAM DOMVM sospitet, atque ad Sanctissimi sui nominis gloriam & bonum terrarum TIBI subiectarum omni felicitatis genere largissime cumulet & diutissime custodiat. Scribebam Hanouerae d. V. Iduum Februarii A. R. S. MDCCLI.

SERENISSIMAE TVAE CELSITVDINI

OMNI FIDE, RELIGIONE ATQVE OBSEQVIO
DEVOTISSIMVS SERVVS
CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHEIDIVS.



GENVS IMMORTALE MANET, MVLTOSQVE PER ANNOS
STAT FORTVNA DOMVS ET AVI NVMERANTVR AVORVM. Virgil.

Q. D. B. V.

LECTORI HVMANISSIMO

S. P. D.

CHRISTIANVS LVDOVICVS SCHEIDIVS.



DECVRSIS remotissimarum Originum ILLVSTRISSIMAE GENTIS GVELFICAE salebris, accedimus haut inuiti ad tempora propiora, in quibus vti multum certior apparet rerum gestarum facies, sic iucundior etiam instituitur narratio praeclarissimorum facinorum, quibus Heroës ex hac gente quam plurimi virtutes suas atque nomina illustrarunt. Larga vere messis, & campus gloriae plenus, quem cum saeculo post Christum natum IX. *Guelforum historia* Scriptoribus pandit, dum virtutum auitaeque nobilitatis semina, quae in se recondita habuit *Welfus*, vir inter Bauaros Alemannosque vt maiorum gloria sic opibus & potentia princeps, his ipsis temporibus in liberis eius eruperunt in flores, omnemque, qua late patuit Francicam Monarchiam sua admiratione impleuerunt, ac demum Orbi Christiano natis ex iisdem Imperatoribus, Regibus, Principibus plurimis praestantissimisque, fructus vberrimos protulerunt. Posteaquam enim Ludouicus Pius Imperator *Iudithbam*, vt corporis pulchritudine sic maximis animi dotibus incomparabilem foeminam, Welfi huius filiam, thori sociam elegerat, diuinaque prouidentia, quae semper pias atque sibi deuotas animas aduersitatibus quasi cote acuit, eius virtutes & amoris in maritum constantiam nullo non malorum & calamitatum genere rite subegerat exercueratque, magno Dei praepotentis beneficio accidit, vt non solum ex hac ipsa sanctissima innocentissimaque Heroina numerosa Regum Reginarumque consurrexerit soboles; (a) verum fratris eius *Conradi*, qui in omni-

Ratio & scopus praesentis scriptionis.

a) Forte non abs re erit, Iudithae huius, multorum Regum & Imperatorum fontis, liberos ac nepotes, quotquot eorum intra duorum vel trium saeculorum decursum imperiali vel regio dia-

omnibus sororis calamitatibus magnos suos spiritus & iustum animi robur frangi atque opprimi passus non est, posteritas, vt praesenti Libro IV. vberius docetur, *Burgundici Regni* diademate redimita per duo fere saecula floruerit, immo nisi me omnia fallunt, adhuc hodie *in Galliae Regibus* non interrupta generationum serie felicissime continuetur. Nec obscurior mansit vel ignobilior alterius Iudithae fratris *Ethiconis* sors, qui licet non statim inter posteros suos Reges atque Imperatores numerauerit, auitam tamen nobilitatem in filiis & nepotibus felicissime continuauit, donec tandem prognata ex eius stemmate *Cunigundis*, *Azonis Itali Marchionis vxor*, nouam illam *Guelforum stirpem* dedit, quae iam olim, vt OTTO FRISINGENSIS ait, (b) *magnos Duces producere solita* in tam immensum splendorem creuit, vt

diademate fuere redimiti, tabella subdita, ad perpetuam memoriam, augendumque Familiae Augustae decus, statim in limine huius operis complecti.

Iuditha, Ludouici Pii Imperatoris coniux secunda.

Carolus Caluus Imperator, Ermentrudis atque Richildis maritus. | Gisela, Euerhardi Ducis Foroiuliensis vxor.

Carolus Rex Aquitaniae, iterum eiectus A. 856. | *Ludouicus Balbus Rex*, Ansgardis, ac exinde Adelheidis maritus. | *Iuditha* (1.) *Ethelwolfi Angliae Regis* (2.) *Ethelboldi Regis*, priuigni, (3.) Balduini Comitis Flandriae vxor. | *Berengarius Imperator*, Bertillae maritus. | Heilwig siue Hadwigis, Ottonis Saxoniae Ducis vxor.

Adelhais, Ranulfi Aquitaniae Ducis vxor, proauia *Adelheidis Hugonis Capeti vxoris*. | *Ludouicus Rex*. | *Carolomannus Rex*, desponsatus cum filia Bosonis Regis Burgundiae. | *Carolus simplex Rex*, Frederinae atque Otgiuae maritus. | Gisela, Adelberti Eporediae Marchionis vxor. | *Henricus Auceps, Rex Germaniae*, Hatheburgis, postea Mathildis maritus.

Ludouicus Transmarinus Rex, Gerbergae maritus. | *Berengarius II. Rex Italiae*, Willae maritus. | *Otto M. Imperator*, Edgidae, postea Adelheidis maritus. | *Gerberga*, Giselberti Lotharingiae Ducis, postea *Ludouici Transmarini Regis vxor*. | Henricus rixosus, Dux Bauariae. *Henrici II. Imperatoris vulgo S. dicti* auus. | Hathwigis, Hugonis M. Comitis Parisiensis vxor.

Lotharius Rex, Emmae maritus. | *Mathildis, Conradi Burgundiae Regis vxor.* | *Adelbertus Rex Italiae*, Gerbergae maritus. | Dodo Marchio Eporediae. | *Otto II. Imperator*, Theophaniae maritus. | *Hugo Capetus, Rex Galliae*, Adelheidis maritus. Sator Regum Galliae omnium.

Ludouicus, vltimus *Rex Franciae* Carolingicus. | *Rudolfus III. Rex Burgundiae Transiuranae*, vltimus ex Guelfico stemmate. | Gerberga vel Guepa, Hermanni Sueuiae Ducis vxor, mater *Giselae Conradi II. Imperatoris coniugis*. | *Arduinus Rex Italiae*. | *Otto III. Imperator*. | Mathildis, Ezonis Comitis Palatini vxor, *Lotharii Saxonis Imperatoris* proauia.

b) Verba OTTONIS FRISINGENSIS *L. II. c. 2. p. 447. ap.* VRSTISIVM notiora quidem sunt, quam vt exscribi deberent, nisi castigatione aliqua & animaduersione indigerent: quoniam si vmquam, hic certe OTTO noster historicus aliquid sanguini dedisse, atque nonnihil humani passus esse videtur. Ita autem ille rationem exponens, quare in Fridericum Barbarossam in Imperatorem eligendum tam facile consenserit Germanorum Principum vniuersitas: *duae*, inquit, *in Romano orbe apud Galliae Germaniaeue fines* famosae Familiae *hactenus fuere; vna* Henricorum

vt in Romano orbe apud Galliae Germaniaeque fines cum illa Gibellingica pro nobilissima habita fuerit; & hodienum rebus Christianis salutaris in GEORGIO II. atque CA-

ricorum de Gueibilinga, alia Guelforum de Altorfio: *altera Imperatores,* altera magnos Duces producere solita. *Istae vt inter viros magnos, gloriaeque auidos solet fieri, frequenter se inuicem aemulantes reipublicae quietem multoties perturbarunt. Nutu vero Dei, vt creditur, paci populi sui inposterum prouidentis, sub Henrico V. factum est, vt Fridericus Dux, pater huius, qui de altera, id est Regum familia, descenderat, de altera, Henrici scilicet Noricorum Ducis, filiam in vxorem acciperet, ex eaque Fridericum, qui inpraesentiarum est & regnat, generaret.* Licet enim in hac comparatione OTTO non tam *Hohenstaufios*, ex quibus genus paternum repetiit Fridericus Imperator, respiciat; (*Hohenstaufii* enim adhuc nullum Imperatorem, sed vnum tantum Regem, *Conradum* scilicet *tertium*, protulerant, & auus Friderici Imperatoris, is, qui Henrici IV. Imperatoris filiam Agnetem duxit, homo priuatus erat, cuius origines ignorantur;) quam quidem ad *Henricos Imperatores*, qui inde a *Conradi Salici seu Waiblingensis* temporibus in Germania regnarunt, & quibus Fridericus ob auiam Agnetem accenseri poterat, digitum intendat; tamen ista comparatio circa antiquitatem & nobilitatem vtriusque Familiae claudicat. Nam non solum quae certae sunt nullisque coniecturis indigent *Guelficae origines*, vsque ad Caroli M. aetatem ascendunt; verum etiam vbi nobilitatis per foeminas in hanc Familiam illatae rationem habere volumus, omnis fere Ottonum, Saxonicorum Imperatorum, gloria, & maxima stemmatis Carolingici dignitas, ceu suo loco videbimus, eodem iure nostro Henrico Leoni vindicaretur, quo quidem Friderico Imperatori adscribitur parta a Familia Augusta Franconica gloria. Immo si ex iis, quae hodie certa habemus atque explorata, temporum illorum, quibus OTTO scripsit, cognitionem historicam metiri volumus, longe altius in originibus Guelficis ascendere nobis licet, quam quidem in originibus Conradi Salici, vtpote cuius patrem *Hezilonem* siue *Henricum* Ducem Wormatiensem, auum *Ottonem* Marchionem Veronensem & Ducem Carentorum, proauum *Conradum* Wormatiensem, Ducem Lotharingiorum, abauum denique *Werinherum* seu *Wernerum* nouimus, qui circa A. 918. floruit, neque vel ex dignitate aliqua, vel ex aliis rebus gestis memoriam suam in posteros propagauit; vltra hunc Wernerum ascendere hactenus non licet. Nisi malis dicere, eum cum illo Werinhero Comite, cuius mentio occurrit in TOLNERI *Codice diplomat. Palatino p. 4.* eumdem esse. Cum enim ibidem narretur, *Werinherum Comitem praedia sua in Bibistoz seu Bibles & Wattenheim in pago Rhenano sita, super fluuium Wisgoz, & villam Zulestein, in ripa Rheni, quae* a Ludouico II. cognato Germaniae Rege, *& praedium in Winenheim, (hodie Weinheim) quod ab eiusdem Ludouici Regis filio, Ludouico III. Rege Germaniae, dono acceperat, in Monasterium Laureshaimense, vbi etiam sepultus fuit, transmisisse;* inferre iam liceret, non modo Comitis dignitate gauisum esse Wernerum, Conradi Salici abauum; verum etiam Regiam Ludouici Germanici Familiam sanguinis proximitate attigisse. Immo si rectum vidisset TOLNERVS, quando *l. c.* subiungit, *huius Werinheri fratrem & ex parte successorem fuisse Conradum I. Ducem Franconiae, postea Germaniae Regem;* sciremus adhuc atauum Conradi Salici, quippe qui *Chuonradus Senior* Wederauiae Comes, Glismuotae Comitissae maritus fuisset; atque sic haberemus connexionem illam stirpium, ad quam digitum intendit CHRONOGRAPHVS FRANCICVS LAMBECIANVS his verbis: *Conradus Dux, qui fuit ex progenie Conradi Regis praedicti, accepit filiam Ottonis,* quam ipsam cohaesionem post multam a se adhibitam curam inuestigari non potuisse, conqueritur Illustris KOEHLERVS, magnum vt Georgiae Augustae, sic Germaniae vniuersae decus, *in Praefatione ad dissertationem de Familia Augusta Franconica.* Etenim hoc iam emergeret schema, quod etiam *in promulside Commentarii Historici de rebus saeculi XI. per seriem Imperatorum Germanicorum ordinandis p. 7.* exhibuit IOH. CHRISTIAN. NEV Tubingensis Professor.

Chuonradus Senior
Comes Wederauiae,
occisus in praelio A. 905.
vx. Glismuota Comitissa.

Conradus I. Rex Germaniae. | Werinherius Comes.

Chuonradus Dux
Lotharingiorum.
vx. Luidgarda Ottonis I.
Imperatoris filia.

Otto Carentorum Dux & Veronensium Marchio † 982.
vx. Irta.

Henricus siue Hezilo
Dux Francorum.
vx. Adelheis.

Conradus Salicus Imperator.

Ast quae hic nobis sese offerunt dubia, multa sunt atque grauia, vt iudicium nostrum suspendere malimus, quam temere in sententiam TOLNERI ire. Arrisit interim hoc ipsum schema Illustrissimo in toga Heroi, HENRICO COMITI DE BVNAV *in specimine Historiae Germanicae,* quo *vitam Friderici I. Imperatoris* explicat, *p. 338.* neque tamen pro sagacissimo suo ingenio id, quod in quaestione hac praecipuum est, nimirum *Conradum I. Regem* & *Werinherium Comitem* eodem patre, *Conrado* scilicet *Seniore, Wederauiae Comite,* natos esse pro certo affirmare voluit. Confidentius longe Illustris IOH. DANIEL OLENSCHLAGER, in disquisitione *de vera origine Ducis Athici ab Erchinoaldo Ma-*

CAROLO; illo Magnae Britanniae Rege Augusto, Pio, felici, hoc Brunsuicensium & Luneburgensium Duce optimo maximo, Christianae religionis decora atque orbis cultioris delicias tulit. Vt vero praestituto a nobis superiori praefatione ordini ac dispositioni insistamus, quaedam argumenta hic tractanda atque discutienda sunt, de quibus nobis vel non accurate satis, vel non satis copiose Dn. ECCARDVS egisse videtur. Quod quidem dum facimus, nihil inuidiae, nihil odio damus. Suam profecto laudem meretur vir vtique eruditissimus & ab omnibus, qui Historiam Germanicam colunt, etiam post vltima funera laudandus. At quemadmodum in eruderanda antiquitate raro aliquis ita felix exstitit, vt assecutus sit omnia, sic mirum non erit, si quidem & is aliis explicanda, illustranda & supplenda quaedam reliquerit. Quamuis in hoc ipso negotio non adeo copiosos nos esse passa sit Illustris Dn. GRVBERI sagacitas atque industria, quippe cuius notae & animaduersiones vti in praesenti volumine copiosiores & frequentiores esse incipiunt, ita vix locum quemquam notabiliorem praetermiserunt, quem non vel correxerint, vel melioribus probationibus instruxerint; vt, quod post limatissimam huiusmodi censuram addi possit, vel nihil, vel parum videatur. Magnum sibi in hac re gloriae monumentum struxit Vir Beatus, illustrius adhuc sine dubio futurum, si quidem vltimam manum Operi tam egregio ipsemet addere, illudque viuus prelo liberatum erudito orbi offerre potuisset. Cernimus enim hic quantus in historia medii aeui fuerit, vtque veteres aliisque vix visos auctores sedula manu voluerit reuolueritque; suspicimus egregiam scribendi facilitatem & stili nitorem aeuo Ciceroniano dignum; ac quod caput rei est, acre in momentis rerum indagandis discutiendisque iudicium miramur. Sed hic quidem locus non est, vbi Illustri Dn. GRVBERO quod promeruit immortalitatis monumentum ponamus, cum aliam forte exspectare liceat occasionem, qua commodius laudes Viri Summi explicare queamus. Nunc enim institutum nostrum prosequimur.

§. 2.

De Henbardo & Warino Guelficae gentis conditoribus.

Et de nomine quidem *Guelforum* post ea, quae in Praefatione ad T. I. diximus, non multum prolixi erimus. Deducant illud ab *Vnolfo*, Odoacri Regis fratre, vel ab alio quodam *Hunnò Velipho* siue *Veliphone*, qui velint; alii, quibus magis placet Romanae nobilitatis gloria, prouocent ad cognationem cum *Catilina* gente; iterum alii ad vetustissimum decus *Familiae Agilolfingicae*, (c) ex qua sola siue Francicorum Regum auctoritate, siue populi comitiis, nam vtriusque instituti ratio habita in legibus, Boioariae Duces lecti, ascendant, *Guelfosque* inde *corrupte dictos* esse magno nisu contendant; immo etiam ad mysticum nominis significatum, si lubet, confugiant; vel a duodecim gemellis vno partu editis & catulorum instar iussu matris rei nouitate confusae abiectis appellationem hanc repetant, multumque in exemplis conquirendis, quibus rei tam prodigiosae veritatem stabiliant, fatigentur; (d) id omne enim

iore domus, quam *Diario coronationis* AVGVSTISSIMI IMPERATORIS FRANCISCI I. loco praefationis praemisit, connexionem hanc stemmatis vtriusque Conradi suam fecit; sed cum nouas nullas Vir doctissimus pro sententia sua rationes nobis dederit, qua is auctoritate motus eam adoptauerit hactenus ignoramus. Caeterum quae Dn. ECCARDO de vtriusque Conradi Germaniae Regis cognatione sederit opinio, ex eius *Originibus Habsburgo Austriacis p. 74.* patet. Verum scripsit is etiam peculiarem dissertationem *de stemmate Gibelino*, quam licet maiori Annalium Occidentalis Imperii Operi reseruandam censuerit Illustris GRVBERVS, non inuiti tamen in his Originum Guelficarum Commentariis legent historiae Germanicae studiosi. Nos profecto eam tanto maiore cum voluptate emancipamus, & appendicem Operis huius esse iubemus, quoniam creberrima Gibellinae gentis in his Commentariis fit mentio.

c) Fecerunt hoc non sine aliqua specie veritatis, magni nominis Viri IOH. ADELZREITERVS in amplissimo Commentario *de Boicae gentis Annalib. P. I. L. 16. §. 14. p. 407.* & ANDREAS BRVNNERVS *P. III. Annal. virtutis & fortunae Boior. p. 13.* Sed quod pace tanti viri dixerim, nullius est momenti eiusdem ADELZREVTERI coniectura, *dict. P. I. L. IX. §. 24. p. 215.* existimantis Agilolfingicam gentem Thassilonis & Theodonis exitio patrio dominatu exutam Altorfii in Sueuia, adeoque peregrino solo, stirpem siue domum propagasse.

d) Credulus vt fuit BVCELINVS, sic omni studio etiam id egisse videtur, vt remoueret a se suspicionem omnem, quasi de veritate rei huius dubitaret. Atque hinc *Chronologia Constantiensi*

enim iam non curabimus, qui suo hic sensu abundare quemlibet lubentissime patimur. De eo laboramus vnice, vt quibus maioribus natus fuerit *Welfus*, *Altdorffii Comes*, (e) *Iudithae Imperatricis pater*, *& communis Guelforum Sator*, si quo pacto fieri poterit, indagemus. Temerarium quidem videri posset hoc institutum nostrum, quod iam sua aetate MONACHVS WEINGARTENSIS, cuius *vetustam de Principibus Guelficis Genealogiam* CANISIVS & LEIBNITIVS imprimi curarunt, conquestus est, se *generationes Principum nostrorum summa diligentia inuestigasse, ac multum in diuersis Chronicis, historiis & antiquis priuilegiis quaerendo laborasse,*

tiensi p. 135. etiam solicite tempus annotauit, quo partus hic memorabilis Irmentrudae contigerit; referens scilicet eum ad A. 775. Immo in amplissimo, quod de Familiis Germanicis consarcinauit, opere *T. I. P. III. p. 34.* non solum allegauit exempla Mezae Hohenbergensis Comitissae, quae HELMERO teste, vno partu nouem liberos edidit, & Mechtildis Hennebergicae, quae itidem vno partu prolem enixa dicitur numero tantum, quantum dierum in anno numeramus; verum *T. II. p. 363.* ex ARISTOTELE, PLINIO, GELLIO, aliisque nescio quibus non Scriptoribus probare satagit, huiusmodi multorum gemellorum partus quod a veri similitudine abhorreat prorsus habere nihil. Equidem, quatenus possibile sit, vt foemina vno partu tot gemellos effundat, Medicis discutiendum relinquimus, memores omnino, nos in solo argumento Historico versari. Id tamen monemus, vehementer errare BVCELINVM, quando *l. c. p. 365. ante omnes huc vsque recensitas historias,* inquit, *& allata in medium gemellorum exempla numero & masculo quidem simillimum Guelforum duodecim*, *quod* IOHANNES DE TAMBACO, *Ordinis Praedicatorum SS. Theologiae Professor, refert L. XI. de consolatione Theologica C. XVIII. de vxore cuiusdam militis*, „*quae simul & semel* „*duodecim pueros masculos peperit*, (verba Au„ctoris afferimus) *quos propter paupertatem non* „*sperabat posse enutrire*, *timensque ob hoc odium* „*& commotionem viri sui commisit ancillae suae,* „*vt mox illos infantulos in quadam riparica sub*„*mergeret. Illa itaque ancilla hac de caussa se* „*cum illis infantulis ad ripariam conferente, &* „*circa factum sibi commissum an perficeret, haesi*„*tante, accidit, quod Archi Episcopus Coloniensis* „*cum patre puerorum de quodam loco equitans* „*superuenit. Qui videns a remotis dictam ancil*„*lam circa littus fluuii occupatam, vni de comi*„*tiua mandauit, vt illuc equitaret, & quid ibi* „*ageretur aduerteret; quo reuerso & dicente se* „*tot similiter infantulos inuenisse, ipse ad fluuium* „*illum celeriter Episcopus equitauit, & videns* „*duodecim pueros, ac cognito toto facto, sciensque* „*patris & matris inopiam, dixit se velle esse pa*„*trem eorum & nutritium, & assumsit eos in suam* „*curam, & processu temporis ad scholas posuit,* „*qui omnes tandem in noua Canonia propter eos in* „*ciuitate Coloniensi instituta, & iuxta duodena*„*rium eorum numerum ad Apostolos nominata,* „*volente Altissimo in Canonicos profecerunt.*„ Et iam subiungit: *Ecce celeberrimum Augustali & vere Regia trium Sanctorum Regum Coloniensi in vrbe duodecim geminorum monimentum, celeberrimam Collegiatam Sanctorum duodecim Apostolorum Basilicam, vt nulla sit caussa, cur in dubium reuoces duodecim vno partu gemellorum Guelphorum historiam.* Etenim licet AEGIDIVS GELENIVS posteaquam hanc ipsam historiolam Lib. III. *de magnitudine Coloniae Syntagm. VI. §. 1. p. 296.* retulerat, addat: *se, quod ad narrationem hanc attinet, non habere cur veram, neque cur falsam arbitretur, nisi viri narrantis auctoritatem; sapere eam alioquin similitudinem quandam cum Collegio XII. Arualium fratrum apud* AVLVM GELLIVM *in noctibus Attic. L. VI. c. 7.* GELENIO tamen, nisi credulitatem lectorum alere, quam sanare maluisset, falsitatem huius fabulae ostendere res fuisset facillima. Non prolixi erimus in confutandis his naeniis; vt tamen eas apertius in luce ponamus, vnum modo notamus, scilicet erectionem Collegii Canonicorum a XII. Apostolis nominati vulgo quidem ad B. Heribertum referri, atque hinc ad annum circiter 1021. pertinere fabellam hanc a IOHANNE DE TAMBACO relatam; At enim Basilicam SS. Apostolorum iam tempore B. Brunonis i. e. saeculo X. Coloniae extitisse nemo ignorat, nisi qui Germaniae mediae historicos numquam legit. Teste enim ROTGERO *in vita Brunonis c. 46.* quem ipse GELENIVS paullo ante excitauerat, Praesulis huius funus ex Galliis allatum A. 965. depositum in eadem fuit. Quo pacto igitur a IOHANNE DE TAMBACO dici potuerit, duodenarium horum fratrum numerum occasionem dedisse, vt noua Canonia, in qua post centum & quod superat annos ipsi omnes in Canonicos profecerunt, ad Apostolos nominata fuerit, quilibet aequus Lector facile iudicabit.

e) Quod iis familiare esse solet, qui nimio contradicendi studio facile abripi se patiuntur, vt veritatem praeconceptis opinionibus capti cernere nolint, id etiam BLONDELLO euenit, qui *plenior. Assertion. Genealog. Franc. p. 25. & 29.* negare non erubuit, *Welfum*, Iudithae Imperatricis patrem, *Comitem Altorfii fuisse.* Etenim si vnum euoluisset WEINGARTENSEM MONACHVM famae suae facile consuluisset, nec tam strenue nugatus esset. Consentiunt cum Weingartensibus monumentis veteres auctores quam plurimi. Solum nominabimus AVCTOR. ANONYM. *Vitae S. Conradi Constantiensis Episcopi*, quem postea LEIBNITIVS edidit, qui *p. 4.* disertis verbis dixit *parentes eius* (S. Conradi) *in loco qui dicitur* vetusta villa, (quod, si Germanice reddideris, Altorf significat,) *summa dignitate floruisse.* At enim quis dubitabit, eodem sanguine natum fuisse S. Conradum, quo Iuditha Imperatrix, eiusque fratres, Conradus & Rudolfus, in Gallia summis honoribus nobilitati?

rasse, sed nullum nominatim ante Guelfonem Comitem, qui tempore Caroli M. fuerat, inuenire potuisse; adeoque necessitate coactum narrationis suae seriem ab eodem incepisse. Ast sit ita, faciamus periculum, an non altius ascendere, & Welfi huius, temporibus Caroli M. celebris, Progenitores indagare liceat. Et primo quidem obligatio soluendi census ad sepulchrum S. Othmari, quae aliquamdiu in Familia Guelfica perdurauit, ceu vberius *L. V. c. 7. §. 2.* relatum legimus, dubitare nos non patitur, fuisse inter Progenitores Welfi huius illos ipsos Principes, a quibus S. Othmarum persecutionem passum esse nouimus, *Warinum* scilicet & *Ruthardum.* Non iam exscribamus testimonium, quod in hanc rem profert EKKEHARDVS IVNIOR *de casibus S. Galli ap.* GOLDASTVM, quippe quod late recitauit Dn. ECCARDVS *l. c.* Sufficiat nobis eius auctoritate didicisse, quomodo *Rudolfus* Comes, eiusque filii, *Wolffhardus* & *Henricus*, (indubia Guelficae gentis soboles, ceu ibidem vberius docetur,) singulis annis, **more maiorum**, censum ad sepulchrum S. Othmari pro expiando delicto a Progenitore suo commisso detulerint. Licet enim aliter haec omnia interpretatus sit Dn. ECCARDVS, qui a Ruthardo Comite, altero S. Othmari persecutore, genus Guelficum deducit, hunc ipsum autem Warini nostri fratrem fuisse negat; nescio tamen an non rectius longe inhaereamus veteri traditioni, quae Warino propagatae stirpis honorem constanter tribuit. Hoc vnum enim si concesseris nobis, (concesseris autem quam facillime, si CONRADVM VRSPERGENSEM legeris, cuius testimonium infra vberius exponam,) habebis, vnde & commode explices censum ad S. Othmari sepulchrum a Guelfis aliquandiu offerri solitum, & simul perspicias, quam non temeraria prorsus sit illa ipsa, ad quam modo prouocauimus, traditio, quam & olim & hodie, qui de hac Illustrissima Familia scripserunt, pro vera adoptarunt Viri eruditi quam plurimi. Etenim hi omnes Welfum, Iudithae Imperatricis patrem, *Isenbardo* natum dicunt, qualem filium Warinum habuisse NOTKERVS BALBVLVS, siue quisquis ille fuerit S. Galli Monachus, qui *de gestis Caroli M.* Libros II. ad Carolum Crassum Imperatorem scripsit, disertis verbis testatur. (f) Deinde consentit quam exactissime temporis ratio. Warinus regnante Pipino Othmarum vexasse legitur, cumque exilio mulctauit, in quo A. 759. hominem exuit. Cleri bonis terrestribus magis, quam diuinae gloriae inhiantis odium, vt semper fuit implacabile, postea filius Isenbardus expertus est, quem bonis omnibus spoliatum fuisse idem NOTKERVS BALBVLVS refert; forte quod metuebatur, ne, vt est in equis & iuuencis patrum virtus, sic is etiam ad exemplum paternum mores componeret, & Ecclesiis atque religiosis viris grauis esse pergeret. Accidisse haec videntur post mortem patris, quam in A. 774. *Annales Nazariani* apud FREHERVM *T. I. p. 80.* referunt. Iam igitur ab vltima, in quam redactus erat, paupertate liberatus & in possessiones auitas restitutus vxorem duxisse videtur, (g) & ex ea suscepisse filium Welfum Altdorffii Comitem, qui, si temporis rationem inire volumus, nec iuuenis nimium, nec nimium senex erit, vt Iudithae Imperatricis genitor dici possit. Cumque in CHRONICO FONTANELLENSI *ad A. 849. apud* DVCHESNIVM *T. II. p. 388.* mentio fiat *Isenbardi* alicuius *Warini filii*, per dolum pacis fictae a Wilhelmo vrbis

f) Ita enim NOTKERVS BALBVLVS *L. II. c. VII.* apud HAHNIVM (in editione a DVCHESNIO adornata est *caput XI.*) narrat, quomodo heroico prorsus facinore Carolum M. a praesentissimo vitae periculo in venatione liberarit Isenbardus, atque hoc modo restitutionem bonorum sibi ablatorum promeruerit: *Carolus*, inquit, *ad venatum Bisontium vel Vrorum in nemus ire & Persarum nuncios secum parat educere. - - - - vni eorum extracta spata ceruicem eius abscindere conabatur, sed frustrato ictu galliculam regis & fasciolam ferus immanissimus disrumpens, tibiamque illius summo licet cornu perstringens paulo tardiorem reddidit, & in conuallem - - aufugit. Cumque ad obsequium domini cuncti hostas suas vellent extrahere, ille prohibuit, dicens: sic affectus ad Hildigardam venire debeo. Consecutus autem feram* Isambardus filius Warini, persecutoris patroni vestri Othmari *cum propius non fuisset ausus accedere, librata lancea inter armum & guttur cor eius penetrauit, & Imperatori palpitantem consignauit*, & postea narrans quomodo precibus Imperatricis restitutus fuerit, ait: *Haec cum audisset* (Imperatrix) *quod tunc* odibilis & cunctis honoribus exspoliatus Isambardo *Imperatorem de tali aduersario vindicasset, eius pedibus aduoluta impetrauit ei omnia, quaecumque illi fuerant ablata, sed & ipsa eidem est munera largita.*

g) Haec ipsa vero eius vxor, quam Irmentrudam nominant, an Hildegardis Imperatricis soror fuerit, vti quidem vulgo etiam traditur, alii dispiciant. Ignoramus quidem Hildegardis genus, si tamen aliquid veri vidit BLONDELLVS, pertinet ipsa ad Carolingicos. Hanc enim eius

vrbis inuafore capti, qui idem cum noftro effe nequit; quoniam cum Hildegardis, quae pro Ifenbardo reftitutionem bonorum impetrauit, iam A. 783. mortua eft, neceffe foret, eum fere centenarium fuiffe, fi tunc vbi Carolum M. ex periculo illo liberauit, maiorennem modo, quod vel minimum effe debuit, dixeris; multum eo inclino, vt praeter Ifenbardum, noftro adhuc alium filium tribuam *Warinum*, a patre & auo ita nominatum, ex quo demum natus *Ifenbardus* ille, cuius Chronicon Fontanellenfe meminit. Hic, vt AVCTOR ANONYMVS *vitae Ludouici Pii p. 291. fq.* notat, adhuc iuuenis, A. 806. & 808. Ludouicum Pium in Hifpaniam fecutus eft, & fub eius vexillis egregiam virtutis in bello laudem meruit; atque is ipfus effe poteft, quem inter Miffos & Comites Caroli Calui in Capitulari huius Imperatoris apud Siluacum A. 853. ap. DVCHESNE *T. II. p. 421.* iterum offendimus.

§. 3.

Habemus igitur *Warinum*, ad quem non omni probabilitate deftitutus *origines generis Guelfici* referas. Hunc RATPERTVS, Monachus S. Galli, *L. I. c. 2.* Principis nomine infigniuit, (h) & vitae S. Othmari auctor, WALAFRIDVS STRABO, *c. 4.* tantae potentiae dixit, vt *totius Alamanniae curam cum Ruthardo adminiftrauerit.* (i) Neque hic fubfiftunt, qui in Genealogicis difcuffionibus facem nobis

In Warini huius parentibus detegendis non fatis felix fuit BVCELINVS, qui eos a vetuftis Maioribus Domus Regum Franciae deriuauit.

eius genealogiam *in Praefat. Apologet. XXXV.*1.* deprehendimus.

Pippinus Heriftallius Alpaidis maritus.

Carolus Martellus Rotrudis maritus.	Childebrandus Dux Immae maritus.
Pippinus Rex Berthae maritus.	Hildegardis Caroli M. vxor.
Carolus M. Imperator Hildegardis maritus.	

Vt igitur fi Irmentrudam Hildegardis fororem nominare liceret, noua iam ex affinitate cum Carolo M. & vetuftiffima generis Childebrandi Ducis nobilitate Guelficae genti accederet dignitas. Sed quae ipfe ait BLONDELLVS, noftra hic facimus: *nihil vltra coniecturam damus.* Praecipue quod CHIFLET. *in Lumin. Geneal. ad Vindic. Hifpanic. p. 205.* aliunde prorfus ftemma Hildegardis repetendum duxerit, eamque non tam Pippini Heriftallii, quam quidem Nebi Sueuiae Ducis neptem dixerit. Interim tamen cum iam pridem auctorum teftimoniis *l. c.* euicerit CHIFLETIVS, *Iuditbam confanguineam Ludouici Pii fuiffe;* neque fine omni probabilitatis ratione oftenderit, confanguinitatem hanc ex parte matris Ludouici Pii, quae *Hildegardis* erat, veniffe, vtcumque iam eius proauos locaueris, non fine fimilitudine veri vetuftae traditioni, quae *Irmentrudam Hildegardis fororem* facit, inhaeremus. Si quid enim intelligimus, fine idoneo fundamento BLONDELLVS *plenior. Affert. Geneal. Franc. p. 215.* cognationem aliquam inter Ludouicum Pium & Iuditham interceffiffe negauit.

h) STVMPFIVS eum *Hegouiae Comitem* facit, BVCELINVS *T. II. Germ. facrae & profanae p. 362. Principem Alemanniae & Comitem Haidgouiae, demum Comitem Palatii Matifconenfis & Cabilonenfis,* VADIANVS vero *Ducem Alemanniae,* GOLDASTVS denique *in notis ad Ratpertum p. 175. Camerae nuncium* appellat, cum quo etiam optime conuenit EKKEHARDI narratio.

i) Patet fimul ex hoc loco fubfuiffe Warinum & Ruthardum imperio Pipini Regis, quoniam apud Pipinum per S. Othmarum de vi fibi illata accufati, ab eo fub feuera comminatione ab iniuria & vlteriore laefione prohibiti fuerunt: *Warinus*, inquit STRABO, *& Ruadhardus, qui tunc temporis totius Alamanniae curam adminiftrabant, diabolo fuadente immaniffimo auaritiae morbo praeuenti res Ecclefiarum fub fua poteftate fitarum magna ex parte in proprietatis fuae dominium per vim contraxerant. Qui cum fibi de poffeffionibus B. Galli perplura eodem violentiae aufu vindicaffent, Vir Dei Othmarus non poffeffionibus terrenis inhians, fed coenobialis vitae in eodem loco rerum ingruente penuria defectum praemetuens Pipinum Regem adiit, ipfique tyrannicam eorum praefumtionem expofuit, pariter proteftatus graue eum crimen incurfurum, fi eorum actibus confentiendo faueret. Qua pro cauffa beneuolus Princeps vtrumque conueniens interminatus eft eis, gratia fua illos omnimodis carituros, fi non Ecclefiae Dei, quae iniufte abftulerant, abfque recraftinatione reftituerent. At illi patriam repetentes vitio rapacitatis infecti & beftiali faeuitia efferati iuffionem Regiam neglexerunt.* Poft obitum Pipini filio Carolomanno adhaefit Warinus nofter, eoque A. 771. defuncto Carolum Regem cum caeteris Primatibus agnouit in conuentu habito in Carbonaco Arduennae villa. Ita enim Annales Laurisheimenfes ad A. 771. *Carolus Carbonacum villam venit; Ibi Wilbarium Epifcopum Sedunenfem, & Folradum Presbyterum & alios plures Sacerdotes, Comites etiam atque Primates fratris fui, inter quos vel praecipui fuere* Warinus *& Adelbardus ad fe venientes fufcepit.* Confentiunt Annales Metenfes ad d. a. *Et venerunt ad eum* (Carolum M.) *Folcarius & Folradus, Capellani, cum aliis Epifcopis & Sacerdotibus,* Warinus *& Adelbardus Comites, cum aliis Primatibus.*

Pro-

nobis praeferre voluerunt. Etenim COSMVS DELLA RENA *in Serie Ducum & Marchionum Tusciae p. 139.* eum ex prosapia Regali S. Godulfi fatum dicit; quod vnde

Protulit Dn. ECCARDVS infra *L. V.* Chartam cuiusdam Scalcomanni relatam apud GOLDASTVM *T. II. Rer. Alemannic. N. 45.* quae data legitur *in Anno primo Carlomanni Regis sub* Roadharto *Comite.* Nos ad exemplum eius alias proferamus *ibidem* occurrentes, quibus Warini nostri nomen inscriptum est. Sic enim *N. 42.* recitatur donatio Rothpaldi *Anno tertio regnante Domno nostro Pippino Rege sub* Warino Comite i. e. A. 755. facta, huius tenoris: „Domino Sancto in Christo venerabili viro patri „Otmaro Abbati Durgauginsi seu de monasterio „S. Galloni. Ego Rothpaldus donamus ad mona„sterium vestrum pro mercede animae meae fa„cultaticulam meam, recipere deberetis post „discessum meum. Dono vobis donatumque in „perpetuum vt permaneat esse volo, hoc est in „pago Duregauginsi in villa qui dicitur Richin„bach, & in Vuila & in Zibranesuuanga, & in „Vuangas & in Tuzzinuuang, & in Sclatte, & „in Puzzinberch, & in Vuanzincouo, quicquid „in istas villas visus sum habere, pecuniis, man„cipiis, casis, casalis, campis, pratis, siluis, aquis, „aquarumque decursibus, ad integrum a die „praesente trado vobis, & seruum meum nomine „Nhideng & vxorem eius Bruna, & cum oba „sua, & cum omnia quo vestiti sunt: & alium „seruum meum nomine Vuolfharium cum vxore „sua Atane, cum oba sua & cum omnia quo ve„stitus est. Et pro istas res proseruire volo „annis singulis, hoc est XXX. seglas ceruesae, „XL. panis, frischengam tremessem valientem, „& XXX. Mannas, & arare duos iochos in anno, „& recollegere, & intus ducere, & angaria vbi „opus est. Et si infans meus simul proseruire „voluerit, faciat sicut superius: & si proseruire „noluerit, nullam habeat potestatem, ipsam fa„cultatulam meam trado vobis ad monasterium „vestrum post discessum meum atque transfundo „dominationi, vt quidquid exinde pars mona„sterii facere voluerit, liberam ac firmissimam in „Dei nomine in omnibus habeat potestatem. Si „quis, ego aut heredes mei, aut vlla opposita „persona, qui contra hanc donationem istam „venire temptauerit, tunc inferat parti custo„dienti dublam repetitionem, & fisco auri libe„ras II. & argenti pondera III. & nihilominus „presens donatio istaec omni tempore firma & „stabilis permaneat stipulatione subnexa. Actum „in villa Aninauua publice, Sign. Rothaldi qui „hanc donationem istam fieri rogauit. Sign. „Sicharii testis. ✠ Bertcauzi test. ✠ Puopo „test. ✠ Vuodolgarii test. ✠ Aribaldi test. „✠ Rathcauzi testis. Ego Liutfretus presby„ter scripsi & subscripsi. Notaui diem Martis, „VIII. Id. Augustas, anno III. regnante Domno „nostro Pippino Rege, sub *VVARINO Comite.*„ N. 67. recitatur Constitutio census A. 762. a Monasterio S. Galli facta, quae idem Warini Comitis nomen legendum exhibet: & quam subiungimus his verbis conceptam: „In Christo „fratri Erinperto & Amalperto nos fratres vel „Monachi S. Galluni Confessoris, qui ad cellam „suam sub vsu feculari deseruimus, Marcus & „Stephanus & Vuolframnus Praepositus. Cogni„tum est villam S. Galluni noncupantem Zozin„uilare sitam in pago Durgauia, quicquid ibi„dem tu ipsic & frater tuus per cartam traditio„nis ad monasterium S. Galluni fecistis ipsas res „sub vsufructuario tibi praestauimus. Praeterea „sic nobis complacuit vt annis singolis de festi„uitate in festiuitatem natalis Domini, quod est „in mense Decembri, censum ad ipsam ecclesiam „S. Galloni vel Rectores eius exsoluere debeas, „id est triginta siclas ceruisa & quaranta panis, „friscincam tremissalem, & pullos duos in quis„quasitione saigatam vnam ares & hoc metas & „intus ducas & iurno secare facias & alic colias „& intus ducas, sicut superius diximus, absque „vlla contradictione ad ecclesiam S. Galloni vel „Rectores eius annis singolis dare facias, quam„diu ipsas res habere voles, & quamdiu hoc fe„ceris, & nostra fuerit voluntas absque Praeiu„dicio S. Galluni ipsam villam tenere & vsare fa„cias, & nullum pontificium habeas de ipsa villa „nec vendere, nec donare, nec alienare, nec „minuare, sed in quo possumus semper meliorare „faciamus. Et si de ipso censo negligentes fue„rit, tunc potestatem habeamus & successores„que nostri de ipsa villa eiiciendi & partibus S. „Galloni reuocandi. Facta precaria sub die Lu„nis V. Id. Maias, anno X. regnante Domno no„stro Pippiho Rege Francorum, sub *VVARINO „Comite.* Hii sunt Monachi quod praesentes fue„runt. Sig. Vualderamni Monachi. Sig. Vua„colfi Monachi. Sig. Ratonis Monachi. Sig. Tassi„lonis Monachi. Sig. Cunderamni Monachi. Ego „*Vuaringisus* scripsi.„ Ex eodem Anno N. 43. haec donationis Winiberti Charta occurrit, cui idem Warini nomen subiunctum est: „Sacro „sancta ecclesia S. Galluni, qui est constructa in „pago Durgauia. vbi ipsus in corpore requie„scit, & Iohannes Abbas ad praesens Rector ec„clesiae esse videtur. Ego in Dei nomine Vuini„bertus cogitans Dei vt aliquid rei meae ad „ipsum sacrum locum pro remedio animi mei „condonare deberem: quod & ita feci. hoc est „in pago Durgauia, in loco qui dicitur Parma„cunauia, quicquid ibidem visus sum habere, „mancipiis, pecuniis, casis, casalis, campis, pra„tis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, omnia „ex integro de meo iure ad ipsum monasterium „S. Galluni post obitum meum trado atque „transfundo, vt quicquid exinde Rector mona„sterii vel monachi ibidem deseruientes facere „voluerint, liberam ac firmissimam habeant in „Dei nomine in omnibus potestatem. Si quis „ego aut heredes mei aut vlla opposita persona, „qui contra hanc traditionem istam venire tem„ptauerit aut agere praesumpserit, inferat parti „custodienti dublam repetitionem, & fisco auri „vncias V. & argenti pondoras II. & nihilo mi„nus praesens traditio isthaec firma & stabilis „permaneat stipulatione subnexa. Actum in villa „Vuila publice, praesentibus quorum hic signa„cula contenuntur. ✠ Sig. Vuiniberti auctoris qui

vnde hauserit vir caeterum in rebus Genealogicis non mediocriter diligens, hactenus ignoramus, neque etiam facile probari posse confidimus. (k) *Vniuersale* quod Lipsiae

„qui hanc traditionem istam fieri rogauit. ✠ Sig. „Vuanzo test. ✠ Sig. Ascharii. ✠ Sig. Si„ckeri. ✠ Sig. Teutbold test. ✠ Sig. Rihger „test. ✠ Sig. Rihperat test. &c. Ego *Vua„rinkis* rogatus scripsi & subscripsi. Notaui die „Dominico. VI. Id. Octupris, anno X. regnante „Domno Pippino Rege Francorum, sub *VVA„RINO Comite*." Denique anno quidem incerto, forte tamen eodem, quo duae proxime praecedentes Chartae, scripta est donatio Theodae ibidem N. 44. relata; in qua vti idem est Notarius Waringus, & inter testes occurrit Wanzo, qui etiam in superiori Charta nomen suum professus est; sic iterum formula *data sub Warino Comite* legitur, quamuis etiam & Warinus Comes & Waringisius Cancellarius, & Wanzo testis adhuc occurrant in alia Charta emtionis & venditionis A. 772. facta, & ibid. N. 29. relata. Vtramque recitabimus. Prior ita se habet: „Sacrosancta ecclesia in honore S. Galli Confes„soris constructa, vbi ipse in corpore requiescit, „& praesenti tempore Iohannes Episcopus esse „videtur Monachorum. Ego in Dei nomine „Theoda, sumpsi mihi consilium vt aliquid de „re mea ad ipsum monasterium condonare debe„rem, quod & ita feci. Hoc est in pago Dur„gauia, in vico qui dicitur Ailihecauge, quic„quid ibidem visa sum habere, & mihi in here„ditate contingit, mancipiis, pecuniis, casas, „casales, campis, pratis, siluis, aquis, aquarum„que decursibus ad integrum post decessum „meum ad ipsum monasterium trado atque trans„fundo dominationi, vt quicquid exinde fratres „ipsius monasterii facere voluerint, liberam ac „firmissimam habeant in Dei nomine in omni„bus potestatem. Et si quis ego aut heredes „mei aut vlla opposita persona, qui contra tra„ditionem istam venire temptauerit aut cogitare „praesumpserit, tunc inferat parti custodienti „duplam redibitionem, & fisco auri vnzias II. & „argenti pondera V. & nihilominus praesens tra„ditio ista omni tempore firma & stabilis perma„neat, stipulatione subnexa. Actum in villa „Ailihecaugia publice. ✠ Sig. Teodanae au„ctricis quae traditionem istam fieri rogauit. „✠ Sig. Wanzonis. ✠ Fridnini. ✠ Puasonis. „✠ Erimberti Presbyteri. Ego itaque *Vuaringis* „scripsi & subscripsi. Notaui diem Dominicum, „V. Non. Maias, regnante Domno nostro Pip„pino Rege Francorum sub *WARINO Co„mite*." Posterior autem sic concepta est: „Dominis in Christo fratribus congregationis S. „Galli, vbi Iohannes Episcopus vel Abbas prae„esse videtur, cum Hartrico Degano & Bili„frido Praeposito, & aliis quamuis plurimis. „Ego itaque Rihbertus filius Cozberti venditor: „constat me vobis vindidisse, hoc est in pago „Durgauinse in villa, quae dicitur Bettinouua, „quicquid ego ab Adalsuinda cum eo pretio ad„quesiui, hoc est iurnales XXV. cum omnia „quicquid ad ipsam terram conspicit vel conti„net, hoc est campis, siluis, pratis, pascuis, „viis, aquis, aquarumque decursibus cum omni „adiacentia vel appendicia a die praesenti de meo „iure in vestram trado dominationem, habendi, „commutandi, vindendi, vel quicquid exinde „facere volueritis liberam ac firmissimam habea„tis potestatem faciendi. Et accipio a vobis „seruum nomine Rhadoinum ad taxatum pretium „coram testibus, quorum hic nomina conti„nentur. Sig. Rihbertus venditor. Sig. „Vuanzo. Sig. Iso test. Sig. Erchanbert test. „Sig. Theotbaldo test. Sig. Haribaldo test. „Sig. Rehinbert test. Sig. Wolfram notarius. „Ego enim *Vuaringisus* Cancellarius rogitus & „petitus a Rihberto scripsi & subscripsi anno IIII. „regnante Carolo gloriosissimo Rege. Notaui „sub die quod feci, mense Iunio die octauo, „sub *WARINO Comite*." Haec ad illustrandam Warini memoriam ex GOLDASTO depromsimus. Aliam adhuc, cui nomen eius subscriptum legitur, Chartam ostendimus in perraro MARQVARDI FREHERI libello *de Lupoduno antiquissimo Alemanniae oppido*. Ibi enim *p. 20.* occurrit donatio Sigwini in Hantschusheim data, vt FREHERVS vult A. 762. cui subiunctum *Signum Warini Comitis*. En igitur & illam: „Ego in Dei nomine Sigewinus &c. pro animae „meae remedio, seu & pro aeterna retributione, „per hanc cartam testamenti dono ad Ecclesiam „peculiaris patroni mei S. Nazarii martyris, qui „requiescit in corpore in pago Rinensi, in mo„nasterio quod vocatur Laurisheim, sito super „fluuio Wiscoz, vbi Dominus & pater meus vir „apostolicus Rutgangus, Abbas esse videtur; „id est, vineam meam in pago Lobodonense, in „villa Hantschuhesheim, super fluuium Neckar; „in ea conditione, vt hac die ipsius monasterii „monachi habeant, teneant, atque possideant, „vel quicquid exinde facere voluerint, liberam „& firmissimam in omnibus habeant potestatem. „Si quis vero, quod futurum esse minime cre„do, si ego ipse, quod absit, aut vllus de here„dibus meis vel proheredibus, vel quislibet, vel „extranea persona, qui contra hanc donationem „venire conatus fuerit, aut inrumpere voluerit: „iram Dei omnipotentis incurrat: insuper etiam „inferat ipsius monasterii sacratissimis fratribus „auri libram I. argenti pondera II. & hoc quod „repetit, euendicare non valeat; sed haec prae„sens donatio firma & stabilis omni tempore „permaneat, stipulatione subnixa. Actum in „Lobodone Castro, coram testibus. XI. Kal. Au„gusti. Signum Sigewini, qui hoc testamen„tum fieri & firmari rogauit. Sign. *WARI„NI Comitis*, Woldolfi; Ascricho, Agrimo, „Ruthtan, Waningo, Nandingo, Hariberto, „Harirado. Donadus scripsit." Prolixiora haec sunt; sed id facile nobis Lectores aequi ignoscent, quia ob paucitatem Scriptorum, quae in tam remotis temporibus memoriam inclytorum virorum conseruarunt, etiam ea momenta auro nobis cariora esse debent, quibus solum eorum nomen atque dignitas ad nostram vsque aetatem peruenit.

k) Neque tamen plus tribuendum esse existimo coniecturae Summi LEIBNITII, qui olim a *Gun-*

Lipsiae in vernacula edi coepit *Chronicon P. IV. p. 433. pp.* Warini patrem *Eberhardum Alsatiae Ducem*, seu rectius *Comitem* nominat; BVCELINVS vero altius longe ascendit *in Genealogica Germaniae notitia*, quae in amplissimo *Germaniae sacrae & profanae* Opere Tomi I. Partem III. conficit. (l) Ibidem enim *p. 15. & 31.* omnium vero copiosissime *T. II.* huius operis *p. 348.* Eberhardi huius Alsatiae Comitis pater nominatur *Adelbertus* Alsatiae Dux, qui filius fuisse dicitur *Ethici* siue *Athici* vel *Adelrici*, cui ab affine Rege Theoderico Alemanniae & Alsatiae Ducatus creditus erat, & a quo ipso post VIGNERIVM Dn. ECCARDVS atque Maxime Reuerendus P. HERGOTTVS, *stemma Austriacum* deduxerunt, & Reuerendissimus Abbas CALMETVS Lotharingicum genus repetiit. Neque hic contentus fuit BVCELINVS, sed Ethiconem *Leudisii* Maioris Domus sub Rege Theoderico III. ab Ebroino A. 680. occisi filium; *Erkembaldi* siue *Archinoaldi* Maioris Domus sub Rege Clodouaeo II. celebris, & A. 661. mortui nepotem; pronepotem denique *Egae*, *Egonis* siue *Egani* Maioris Domus & Tutoris Regis Clodouaei II. facit. At enim vero licet valde mihi probabilis sit *origo Welfi a Warino*, tamen rationem sufficientem nondum video, cur *Warinum Eberhardi* huius *filium* fuisse credam. Nam neque Dn. ECCARDVS, neque Maxime Reuerendus Pater HERGOTTVS, neque VIGNERIVS in Tabulis suis Genealogicis Eberhardo filium Warinum adscribere ausi sunt. Immo potius Dn. ECCARDVS non sine ratione *l. c. p. 22.* contendit, Principem, qui tot bona in Murbacense Monasterium transfudit videri sibi liberis caruisse; idque etiam exinde probat, quod in dotatione Monasterii Murbacensis, quam integram exhibet MABILLONIVS *T. II. Annal. Ordin. S. Benedicti in Appendice p. 701.* nullam liberorum mentionem fecit, quam profecto pro more sui saeculi, vbi in omnibus piis donationibus sedula posterorum ratio habita est, facere non omisisset, si quidem eos habuisset: Accedit denique Chronici Nouientensis testimonium, quo disertis verbis dicitur, *Eberhardum caecitate percussum sine vxore, & sine haeredibus obiisse.* (m)

§. 4

Fuit autem Pater eius Warinus Alemanniae Dux, & auus Wegenlenzo.

Equidem, ne quid dissimulem, fuit aliquando, vbi idem mihi licitum putaui, quod saepius & multoties a Dn. ECCARDO factum animaduerti; nimirum vt ad coniecturas confugere, & ex iis probare voluerim, quae claris Scriptorum verbis hactenus probare non poteram. Et hic quidem patrocinari mihi videbatur *Ethiconis nomen*, quod in Familia Guelfica non insolitum fuisse vel illud Iudithae Imperatricis fratris exemplum (de aliis enim vetustioribus iam non dicam) prodit; Accedebat deinde fauor peculiaris atque summa gratia, qua WARMANNO teste (n) S. Pir-

Guntzone Alemanniae Duce stirpem Guelficam plantatam existimauit in libello *de suprematu* sub ficto CAESARINI FVRSTENERII nomine edito *c. 14. p. m. 60.* cuius filius vel nepos Thobaldus Dux ibidem *c. 15. p. 64.* fuisse perhibetur. Sed his forte, si viueret, ipse LEIBNITIVS hodie spongiam induceret.

l) Qua in re praeeuntem habuit HIERONYMVM VIGNERIVM in *stemmate Austriaco*, quod edidit & suis notis illustrauit IOH. IACOB. CHIFLETIVS; succinerunt postea BVCELINO quoad stemma Guelficum, vt de hoc solo dicam, HVBNERVS *in Tabulis Genealogicis T. I. p. 124.* iuncta *p. 175.* & CASPAR ABEL in der Preussisch- und Brandenburgischen Reichs und Staats Historie *p. 9. sqq.* Ab eodem Erchembaldo etiam Guelfos deduxit IACOBVS ANDERSONIVS *in tabulis Genealogicis* Londini 1736. splendido habitu vulgatis, *tabula CCXLII.* Verum enim vero in maioribus Ethiconis vel Athici erratum esse a BVCELINO, eumque non a *Leudesio*, Archinoaldi filio, genus duxisse, Dn. ECCARDVS *in Orig. Habsburgo-Austriacis L. I. c. 2.* contendit, potius ei patrem adscribit *Leutharium* Alemanniae Ducem, qui A. 642. Ottonem Maiorem Domus interfecit; hunc ipsum Leutharium vero *Leudefridi* Ducis Alemanniae A. 588. a Childeberto Franciae Rege pulsi filium, *Leutharii* Alemanni, Francorum Italiam vastantium Ducis, A. 554. mortui nepotem fuisse *l. c. p. 12.* probat. Sed quodcumque horum schematum adoptaueris, si modo reliqua omnia recte se haberent, a vetusta sua nobilitate perderet nihil *genus Guelficum*, praecipue cum vtroque modo saluus maneret Serenissimae genti cum Augustis *Austriaca* & *Lotharingica* Familiis in communi stipite nexus.

m) Licet enim Chronographum quando caecitatem Eberhardo adscribit, errasse Dn. ECCARDVS obseruet, non tamen mox etiam quae de eius orbitate tradit falsa erunt.

n) Equidem dum WARMANNVM hic *vitae S. Pirminii* auctorem nomino, nullam mihi vindico

S. Pirminius (quem, vt MABILLONIVS *Saeculi Benedictini III. P. II. p. 136.* obseruat, alii Pyrminium & Pirmenium pingunt,) apud Eberhardum valuisse dicitur, de quo plura in medium protulit Dn. ECCARDVS *l. c. p. 20.* Vti enim ob cultum, quem S. Seuerino exhibuerunt nonnulli Noricorum Principes, hos ad Odoacri Regis familiam referre non dubitauit Dn. ECCARDVS *L. I. cap. 7. §. 3.* sic in eam me induci sententiam facile passus sum, vt Warinum in S. Pirminium beneficum Eberhardi huius stemmate editum crediderim. Ast posteaquam mecum perpendere sedulo coepi, Warinum illum siue Werinherum, (nomina enim haec, vt GVILIMANNVS obseruat, saepius confundi solent.) (o) S. Pirminii fautorem, sub Carolo Martello floruisse, & in Alsatia bona habuisse, ex quibus Pirminio forte non multum post A. 727. quo a Theodebaldo, Gotifridi Alemanniae Ducis filio, Beatus Vir ex Augia pulsus est, locum & opes ad condendum Coenobium Horenbacense in confiniis dioecesis Treuirensis & Metensis concessit; (p) adeoque cum hoc nostro Warino, S. Othmari persecutore, pro vna eademque persona haberi non posse; in eam adductus sum sententiam, vt crediderim, Werinherum nostrum eumdem esse, de quo agit FREHERVS *in Orig. Palat. p. 48. sq.* Hic enim ex antiquissimis monu-

dico decidendi auctoritatem. Noui CHRISTOPHORVM BROWERVM Societatis Iesu Presbyterum celeberrimum, cum inter *sydera illustrium & sanctorum virorum, qui Germaniam, praesertim magnam, olim gestis rebus ornarunt*, primum edidisset S. Pyrminii vitam, OTHLONI, Fuldensi Monacho, qui etiam vitae S. Bonifacii auctor esse perhibetur, libellum hunc vindicasse; neque iam exscribere vacat, quae in hanc rem in calce *pag. 25.* differit vir doctissimus. Contra GVILLELMVS EISENGREINIVS *in Catalogo testium veritatis* & ex eo MOLANVS *ad Vsuardum*, vt MABILLON. *Saeculi Benedictini III. Parte II. p. 136.* obseruat, duos indicant scriptores vitae S. Pirminii, primum WARMANNVM COMITEM A DILLINGEN, ex Monacho Augiensi Episcopum Constantiensem, qui A. 1034. obiit; alterum HENRICVM COMITEM A KALWE, Augiensem Abbatem, ab Anno 1210. vsque ad Annum 1237. ex quibus WARMANNO vulgatam hactenus vitae S. Pirminii historiam MABILLONIVS asserit. A GOLDASTO *T. II. p. 195. Rer. Alaman.* in Catalogo Scriptorum, qui in Tomis suis desiderantur, primo loco ponitur innominatus Monachus Augiensis, cui subiunctum: *scripsit de vita S. Pirminii, primi Augiensium Abbatis librum vnum, qui in eius Monasterio adhuc extare perhibetur.*

o) FRANCISCVS GVILLIMANNVS *Habsburgic. L. IV. p. 135. not. u. Saepe legas*, inquit, *apud* AIMONEM (addo & alios) *Wernharium pro Wernero* (vel *Warino* aut *Werinhero*) *legi, vt apud* CONTRACTVM *&* RHENONEM *Valtarius pro Valtero, Gunthar ius pro Gunthero, alia sexcenta apud Scriptores illorum temporum. Magis mutarunt Itali, qui Beringarios scripserunt.* Nec in conquirendis exemplis multum laborare debemus; quem enim WALAFRIDVS STRABO *in vita S. Othmari c. 4.* & RATBERTVS *de Orig. Coenobii S. Galli* Warinum, vocarunt, eum WARMANNVS siue quisquis sit vitae S. Pirminii auctor *cap. 11.* ex editione BROWERI (in editione MABILLONII est *c. 15.*) & EKKEHARDVS IVNIOR *p. 41.* Werinherum, WICELIVS vero *in Choro Sanctorum L. XII.* Werinharium dixerunt. Sic etiam *in Catalogo nominum propriorum, quibus Alemanni quondam appellati*, quem ex vetustissimo Codice Manuscripto S. Galli descriptum dedit GOLDASTVS *T. II. Script. Rer. Alemannic. p. 135.* occurrit Werinharii nomen, quod idem ibidem cum *Werinhere, Wernhere* & *Werhere;* atque *p. 143. Warinus, Werinharius, Wernarius.* De *Berengarii* quidem nomine dubitari posset, quod vulgo *Berengard.* Vnde & A PONTO HEVTERO *in tractatu, quo veterum aliquot Germanorum vtriusque sexus hominum propriorum nominum restitutiones ex Etymis eorum desumtae T. II. Opp. p. 112.* explicatur per *septum vrsinum eorumque domitorem.* Ast licet saluum cuiuis relinquamus iudicium, nescio tamen, an non longe commodius a *guerra* i. e. *bello* & *Wernarii* & *Berengarii* nomen deducatur. Immo si quis forte *Warinum* nostrum illum esse dixerit, cum *Berenhario*, qui Wormatiensem donationem fecit, anno Pippini XII. h. e. A. 765. apud SCHANNAT *Tradit. Fuldens. p. 13.* me non multum dissentientem habebit: Sola ratio cur non confidentius donationem hanc Warino nostro vindicem, est, quod titulus Comitis in ea non legatur adscriptus, quo certe Warinus vsus est.

p) WARMANNVS siue OTHLONVS *in vita S. Pirminii c. 11. ap.* BROWER. (*c. 15. ap.* MABILL.) ita de eo loquitur: *Fuit igitur vir quidam* Werinherus *nomine* alta Francorum nobilitate propagatus. *Hic cor suum inclinauerat* &c. Nactum esse in hoc Hornbacensi Coenobio sepulturam S. Pirminium, qui loco incrementum dedit & nomen *S. Pirmin*, idem WARMANNVS docet. Nos quae de Werinhero nostro vlterius habet solummodo exscribimus. Ita autem de eodem c. 20. dicit: *Illustrissimus autem Vir* Wernherus - - - - *obtulit quoque maximos limites in saltu, qui Vogesus dicitur, in quo villa extat habens vocabulum Pyrmineshusa* - - - - *aemulantes autem liberalissimum praefati* Wernheri *exemplum* posteri eius *quam plurimi, multique alii benignitatis affectu repleti, ad sustentandas vineae Domini vites vltro se suaque praebuerunt.*

monumentis terminationem siluae villae Heppenheim hoc tenore edidit: *Haec est descriptio Marchae siue terminus siluae, quae pertinet ad Hephenheim in pago Rhenensi: sicut semper ex tempore antiquo sub Ducibus & Regibus ad eamdem villam tenebatur; vsque dum eam Imperator tradidit ad S. Nazarium pro remedio animae suae. Inprimis incipit a loco, qui dicitur Steinfortowa - - - - Hanc villam cum silua habuerunt in beneficio* ***Wegenlenzo, pater Warini,*** *& post eum* ***Warinus Comes, filius eius,*** *in ministerium habuit ad opus Regis, & post eum Bongolfus Comes, quousque eum Carolus Rex S. Nazario tradidit. Ipse* ***Warinus*** *ex praecepto Caroli Regis Anno XXVII. Regni eius* [Christi 794.] *mediante mense Augusto placitum in eadem silua ad tumulum, qui dicitur Walinehoug, habuit* &c. Vnde videmus *Warini vetusti* & *primi* patrem nominari *Wegenlenzonem*. Cum autem verbum pluralis numeri *habuerunt* praeter Wegenlenzonem adhuc aliud nomen requirat, legendum esse suspicor: *Habuerunt in beneficio* ***Wegenlenzo pater Warini, & Warinus;*** *& post eum Warinus Comes filius in ministerium habuit.* Certe vltimus hic *Warinus*, qui, vt ex Placito a FREHERO allegato patet, adhuc Anno Christi 794. vixit (q) non potest Wegenlenzonis filius esse, qui diu ante obiisse debuit, S. Pirminio familiaris, & a temporibus Caroli Martelli celebris, atque rebus administrandis adhibitus. Quare *duos Warinos* (r) ponendos esse censeo, alterum inter Proceres Alemanniae eo tempore, quo a Carolo Martello post rebelliones A. 722. & 723. excitatas, subacti erant, conspicuum, & forte ob strenue nauatam operam victae & debellatae Prouinciae Ducem datum; alterum S. Othmari persecutorem. (s) Quod ideo etiam statuendum esse censeo, quoniam difficulter credo, Principem, qui ob beneficia in S. Pirminium collata animique pietatem multum laudatur a WARMANNO, vitae S. Pirminii auctore, & qui, vt audiuimus, hunc sanctitatis laude conspicuum virum ad condendum Horenbacense Monasterium in Westerich euocauit, tam ferocis animi esse potuisse aduersus Othmarum, eiusdem instituti monastici alumnum, atque pari feruentissimae pietatis zelo inclytum virum, vt vexare eum, & exilio punire potuerit. (t) Sane si tempora exacte consideramus,

q) Huic etiam *Warino* adscribendam puto Chartam in *Corpore Traditionum Fuldensium* a Dn. SCHANNAT relatam *p. 33.* qua Warinus Comes *&* vxor eius Friderun *obtulerunt Deo & Sancto Bonifacio Martiri in Fuldensi Coenobio, cui Venerabilis Baugulfus Abba praeest, in Pago Moyngouue locum nuncupatum Biberbah, cuius Marca sunt XXX. Hubae, & quicquid ad eas pertinet tam de comparato quam de comparando, tam cultis quam incultis, familiis, accolis, mancipiis CCC. & XXX.* Friderun *vero* coniux *eiusdem* Warini Comitis *seorsim obtulit Deo & Sancto Bonifacio de parte dotis suae in Pago Gotzfelt in locis nuncupatis Ibenheim & Ifilingen & Cisoluestat quicquid ibi ex lege dotis suae iam habere visa est totum & integrum contradidit.* Quae omnia eo lubentius recitamus, quoniam exinde etiam patet coniugis Warini nomen. Ipsam traditionem hanc SHANNAT circa A. 780. factam dicit, quod tamen vix credimus, cum Warinus tunc amplius non vixerit, mortuus quippe A. 774. vt supra diximus.

r) Immo, vt rectius dicam, *tres.* Nam supra in fine §. 2. iam rationem in medium protulimus, non spernendam prorsus, vt opinamur, cur Warino, S. Othmari persecutori, praeter Isenhardum filius cognominis adscribendus sit. Hic igitur is esse poterit cum Warino heic nominato, & a Placito ad tumulum Walinehoug A. 794. habito celebri; cui frater cum Carolo Rege reconciliatus & affinitate Reginae in aula potens honores *Missi Regii* forte impetrauit. Vnde lapsus solummodo est librarii, quando in vetusta Charta apud FREHERVM legitur *ipse Warinus ex praecepto Caroli Regis* &c. scribendum enim fuisset *alter* vel *alius Warinus* &c. sed quam facilis est lapsus scribae praesertim in nominibus; quam facile est vt plures personae eiusdem nominis a scriptoribus sequioribus confundantur. Vt igitur haec lectio parum nos morari debeat.

s) Hic tamen iunior Werinherus siue Warinus partem suam habuisse videtur in translatione reliquiarum S. Nazarii ad Laureshamum A. 765. facta, cui Monasterio & posteri eius benefecerunt; & crederes Cancori fundatori cognatione vel affinitate iunctum Warinum, CHRONICON LAVRESHAMENSE *p. 58. apud* FREHER. edit. primae: *in cuius* (Corporis S. Nazarii Laureshamum deportati) *occursum tota simul prouincia vsque ad saltum, qui Vosogus dicitur, cateruatim ruunt, Comitesque nobilissimi Cancor &* WARINVS, *caeterique id locorum illustres & spectabiles viri, thesaurum beati corporis sibi diuinitus destinatum propriis humeris excipiunt.* Forte etiam vt expiaret crimen in S. Othmaro commissum agitatus stimulis conscientiae iam mitiorem mentem induere coepit, &, vt post B. Othmarum grauiter offensum apud Deum Patronum atque expiatorem haberet, S. Nazarium humili hoc obsequii cultu placare studuit. Nam vere in Ecclesia Pontificia valet illud OVIDII:

Saepe premente Deo fert Deus alter opem.

t) De hac S. Othmari, Abbatis Durgaugensis seu Sancti-Gallensis, persecutione legi possunt EKKE-

mus, persecutio illa a Warino aduersus S. Othmarum molita incidit in vltimos annos vitae S. Pirminii (u) qui profecto nihil praetermisisset vmquam, vt precibus, lacrymis, immo etiam comminatione aeternorum suppliciorum animum Principis flecteret, apud quem alias magnae auctoritatis se esse ignorare non poterat. Iam vero si duos admiseris Warinos, patrem alterum, alterum filium; illum beneficum & liberalem erga S. Pirminium, hunc S. Othmaro molestum, nihil prorsus habebis, quod tibi negotium facessat. Liberi enim non semper a parentibus vt bona, sic virtutes quasi per manus traditas accipiunt; nec raro deprehendimus, vt mitissimi animi pater filium relinquat truculentum, immorigerum & aliis molestum. Neque qui gratia apud patrem multum valuit S. Pirminius, mox etiam intimioris admissionis fuit apud filium, vt hortari hunc suisque monitis animum eius flectere potuerit. Equidem id praecise non dicam, euincere S. Othmari persecutionem Warinum Iuniorem & Ruthardum animo fuisse impio & profano, ac degenerasse prorsus a virtutibus patriis. Immo potius sicuti mitiorem omnino de Ruthardo sententiam nobis insinuat fundatio Monasterii Arnolfesaugia dicti, (x) sic si vmquam, certe in

 reli-

EKKEHARDVS IVNIOR, & RATPERTVS qui de casibus Monasterii S. Galli, scripserunt, WALAFRIDVS STRABVS Augiensis Abbas, qui Saeculo IX. vitam S. Othmari consarcinauit, & ISO, cui peculiarem de miraculis S. Othmari libellum itidem IX. Saeculo exaratum debemus, adde *Chronicon S. Blasii ad A. 747.* citatum a IACOBO MANLIO *in Chron. Constantiensi p. 603.* HERMANNVM CONTRACTVM *ad A. 759.* HEPIDANVM *in Annalibus San-Gallensibus apud* GOLDASTVM *T. I. ad A. 758.*

u) Obiit enim S. Pirminius circa A. 758. Othmarum vero teste HEPIDANO *ad A. 745. Sidonius Episcopus Constantiensis & Abbas Augiae de adulterio accusauit, mox missum in exilium*, a Warino scilicet & Ruthardo, in quo, vt *fragmentum Historicum Auctoris incerti ap.* DVCHESNE *T. I. p. 785.* & HERMANNVS CONTRACTVS docent, A. 759. in Henisteim (insula Rheni fluminis Stein) vitam finiit; Errat igitur HEPIDANVS quando *ad A. 758. Warinus*, inquit, *& Ruodhardus Beatum & Sanctum Virum Othmarum multis iniuriis affligebant: ipse vero plenus dierum, plenus etiam sanctitate meritorum de angustiis huius vitae eripitur, atque in insula Rheni fluminis, quae vocatur Stein, sepultus est.* Errat etiam ALBERTVS STADENSIS, qui annum 760. S. Othmari emortualem ponit. Data enim est ap. GOLDASTVM charta LIX. in gratiam *Iohannis Othmari successoris anno Regni Pippini VIII.* hoc est A. D. 760. Egregie nobiscum consentit ISO, Coenobita Monasterii S. Galli (qui A. 871. obiit) quando *L. I. de miraculis S. Othmari c. 5. septimo anno regnante Pippino* Othmarum exulem mortuum refert. Iam autem Pippinum auctoritate Zachariae Pontificis Maximi Childericum, Merouingorum vltimum, e solio Regio deturbasse, vnctumque a S. Bonifacio ipsummet regnandi in Francia initium A. 752. fecisse lippis fere & tonsoribus constat. Adde MABILLONIVM *Act. Ordin. S. Benedict. Saec. III. Part. 2. p. 158.* vbi *in notis ad vitam S. Othmari litt. c.* hanc computandi rationem pluribus vindicat. Initium igitur sumsit S. Othmari persecutio antequam Pipinus Rex inaugurraretur. Nec mouere nos debet locus ex WALAFRIDO STRABO supra recitatus, vbi S. Othmarum *Pipinum Regem* adiisse & Warinum & Rudhardum accusasse; hos vero *iussionem regiam* neglexisse legimus: etenim licet Maiores domus & Palatii Praefecti, qui sub Regibus Merouingicis omnem Regiam potestatem vsurparunt ipsimet *Reges* se non nominarint, supersunt tamen testimonia quam plurima, ex quibus patet, a Scriptoribus illius aeui *Regium nomen* ipsis fuisse tributum. Ceu iam exemplis quibusdam in medium prolatis euicit HAHNIVS nostras *Histor. Imp. P. I. p. 10. not. c.*

x) De *Ruthardo* hoc, *Ruodharto* vel *Ruadharto* haec habet WIMPHELINGIVS *in Catal. Episcop. Argent. p. 23.* Ruthardus Comes *Zaringensis (alii scribunt Alsatiae)* eiusque vxor Hirminsynde *in pago Alsatiensi Anno Pippini VI. (Christi 756.) Monasterium Ordinis S. Benedicti Arnolfesaugia dictum construxerunt, quod exustum a Ruthelino Comite & vicinis agricolis A. 840. in alium locum transrhenanum translatum hodie Schwarzaha dicitur.* GVILIMANNVS *de Episcopis Argentoratensib. p. 120.* quaedam ex diplomate Ludouici Pii Imperatoris protulit, cum autem Perillustris Dn. VALENTINVS FERDINANDVS DE GVDENIVS *Sylloge I. variorum diplomatariorum monumentorumque veterum ineditorum p. 440.* integrum illud edidit, adiungere id hoc loco placet, quoniam ad ea, quae de Bertholdo & Erchingero ad §. 6. dicenda essent, facem id vtcunque nobis profert. Neque vero vt GVILIMANNVS vult A. 826. sed A. 840. vt habet Perillustris editor, datum est; licet enim notis Chronicis careat, quippe vetustate penitus deletis, Bernaldus tamen, cuius mentio in eo occurrit, non hoc, sed Anno demum 840. Argentoratensis Episcopus fuit: Ita autem sonat: „In nomine domini & saluatoris no-„stri IHV XPI. *LVDEVICVS* diuina ordi-„nante prouidentia Imperator Augustus. Si ea, „que fideles nostri Imperii pro eorum vtilitati-„bus inter se diffinierint, nostris confirmamus „Edictis; Imperialem exercemus consuetudinem, „& in postmodum iure firmissimo mansurum „esse volumus. Igitur omnibus Christi fideli-„bus, tam futuris quam praesentibus, notifica-„mus, qualiter Venerabilis Abbas Wido de *Ar-„nolfesbouua*, comitante eum B. (*Bernaldo*) „Episcopo Argentinense sanctaque Congrega-tione,

religioso Warini erga reliquias S. Nazarii cultu mores eius mansuetiores iterum illuxerunt. Et quid prohibet dicere, Pirminium forte patri placere potuisse, quod moderatior esset, Othmarum vero displicere filio, quod immani auiditate possidendi corruptus, quam affectabat pietatis professionem multis auaritiae & ambitionis indiciis

„tione, nostram Celsitudinem adiit, & suum monasterium, cui digne presidebat, per incendii flammas consumptum flebiliter exposuit. Insuper etiam a *Comite Ruthelino*, in cuius Comitatu situs erat locus, multas iniurias sibi inferri, & a villanorum assidua improbitate sanctam Congregationem crebrius perturbari, conquestus est. Tantis ergo coactus incommodis, id sibi a nostra clemencia prestari petiit, vt trans flumen Renum locum predictum, in propria *Salica terra*, que pertinet ad curiam *Vlmena*, renouare liceret; iure tamen firmissimo permanente, quo predicti cenobii Fundator Comes Ruthardus ipsam curtem dotauit; His solumodo exceptis, que subiungimus. A dimidio manso, qui situs est inter duas siluulas contra Grefern, XXVIIII. mansos Salice terre, vsque ad aquam, quae iuxta Valletor in Renum influit, & ipsam aquam, & omnia adiacentia eius, cum cultis & incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, viis & inuiis, vsque ad Onzenhurst, a predicta curia segregamus, & ad renouationem ecclesie specialiter designamus. Et quia predictum cenobium transferre decreuimus, nominis quoque vocabulum immutare dignum duximus; & nomen, quod Erchangarius Comes, in cuius Comitatu situs erat locus, imposuit, nos quoque firmantes, *Swarzaha* monasterio cooptamus. Hec igitur, Reuerendo Abbate cum reliquo petente, & Argentinensis ecclesie episcopo consenciente, Imperialibus Edictis confirmamus, vt nulli persone, tam parue quam magne, seculari vel spirituali, quicquam ex his, que prenominauimus, infringere licitum sit. Nec ipse Abbas, nec monachus, siue successores eorum, habeant aliquam potestatem, prestandi vel donandi, aut alienandi de rebus supra nominatis. Hoc etiam ipsis petentibus concedimus, vt a villanorum commanentia segregati debita familiaritate secretius vtantur; quippe pristinam inquietudinem recolentes, quam, frequenti laicorum inprobitate, pertulerunt. Et vt Deo dicate Sorores in suo loco degentes, sub Abbatis cura absque fuco simulationis permaneant, & habitu & victu priore sint contente. Ecclesie quoque Familia iura sua non negligat, sed in festo B. Petri & aliis statutis temporibus illuc conueniat; & Placita, & reliqua, que iusta sunt, requirat; & quicquid iuris sui est, ex integro ecclesie, vt prius, persoluat. Hanc autem potestatem *Villico* de *Vlmena* concedimus, vt in festo beatorum Apostolorum, coram eius familia, ecclesiae iura edicat, & in omni placito post Abbatem locum secundum, iudicans, possideat. Nos vero numerositatem nostrorum facinorum considerantes, per elemosinarum nostrarum donationem tam nobis, quam propinquis nostris, antecedentibus & subsequentibus, viuentibus & defunctis, subuenire cupientes; ad excolendum & ad reedificandum predictum monasterium Dragmas argenti damus CCCLX. & ad restaurandum ecclesie thesaurum, auri Libras X. & in reliquos vsus, vini carratas XX. & frumenti malteros CC. Hec ideo litteris commendari curauimus, vt labentibus annorum curriculis, tam futuris quam presentibus monumentum nostri nominis seruetur; quia sepius a mente delabitur, quicquid signatum non habetur. Et vt hec traditio firma & inconuulsa permaneat in posteras Nationes, per nostri sigilli impressionem firmari precepimus. Si quis vero quicquam eorum, que nostri priuilegii pagina firmauit, infregerit, vel iam supra dictum monasterium in suis bonis inquietare praesumpserit, ad cameram nostram nostrorumque successorum auri libras C soluat. Huic autem traditioni & confirmationi interfuerunt: Theodulfus Episcopus. Bernardus Episcopus. Richolfus Episcopus. Iohannes Episcopus. Wido Abbas. Fridegisus Abbas. Bernherus Abbas. Regenhelmus Abbas. Lupoldus Abbas. Dietmarus Abbas. Fragengerus Abbas. Diepertus, *Maior domus Regie*. Megenhardus Comes. Erchangarius Comes. Brunicho Comes. Richerus Comes. Geroldus. Ogrolfus. Lutherus. Gerwico, & alii quam plures. Data anno Dominicae Incarnationis DCCC - -, anno autem regni Ludewici Imperatoris - - - Ferolsfelt - - - „

Hactenus diploma Ludouicianum. Cum vero notissimum sit, dignitates maiores Ducum atque Comitum olim in Familiis illustribus adhaesisse, vt non facile aliis extraneis personis ab Imperatoribus atque Regibus collatae fuerint, forte non sine caussa postulo, vt concedatur mihi, *Erchangarium* hunc siue *Erchangerum*, cuius mentionem facit Ludouicus Pius, *e Familia Ruthardi Comitis* fuisse, & *progenitorem* exstitisse *illorum infelicium Comitum Bertholdi & Erchingeri*, quos *eodem genere Warini & Ruthardi natos* dixit EKKEHARDVS IVNIOR. Nondum, fateor, omnia superaui obstacula, quae in generationum cohaesione tentanda occurrunt, atque hinc etiam a texendo stemmate hucdum abstineo. Verum vt in historicis subsequens dies esse solet prioris magistra, sic nondum desperandum, quin aliquando vel mihi, vel aliis etiam hic labor ex voto sit successurus. Id vero certissimus scio, frustra omnino a WIMPHELINGO Ruthardum Zaringensem Comitem dici; & rectius sentire, qui ei Comitatum Alsatiae tribuunt. In testamento Argentoratensis Episcopi Eddonis vel Heddonis Anno XI. regnante Pippino i. e. Anno Christi 763. vt habet GVILIMANNVS condito *l. c. p. 112.* occurrit ✠ *Signum Chrodhardi Comitis*, quem cum nostro Ruthardo eumdem esse arbitramur. Nam aspera pronuntiatio per Ch. valde vetustis temporibus in nominibus propriis vsitata fuit.

ciis turpiter contaminasset: (y) Accedit quod Othmari mores non vni Warino, homini laico, suspecti fuerint, verum etiam Sidonio, Episcopo Constantiensi, qui cum Warino in exilium eius conspirauit. Sed quicquid sit, id omne iam in praesenti vlterius discuti & examinari non meretur; Nostri enim instituti ratio aliud nihil postulat, quam vt ostendamus, Welfi, Iudithae Imperatricis Patris, maiores ita iam locandos esse:

Wegenlenzo Comes

- *Warinus* I. siue Senior Comes, a Carolo Martello Dux Alemanniae constitutus. clar. circa A. 727. † ante A. 745.
  - *Warinus* II. siue Iunior. Missus Regius in Alemannia, Persecutor S. Othmari. † A. 774. vxor Frideruna.
    - *Isenbardus* Comes vxor Irmintruda.
      - *Welfus* Comes Altorffii, Iudithae Imperatricis Pater. Sator Welforum omnium.
    - *Warinus* III. Placitum habuit A. 794.
      - *Isenbardus* clar. A. 806. 808. 849. 853.
  - *Rudhartus*, Missus Regius in Alemannia, Conditor Coenobii Arnolfesaugia A. 756. vxor Hirminsynda.

§. 5.

Noua contra Dn. Ohlenschlageri de maioribus Warini opinionem dissertatio instituitur.

Equidem, quod non dissimulamus, illustrior est Warini Familia, quam BVCELINVS l. c. delineauit, sed cohaesionem eius cum in Eberhardo Comite destruxerimus, quis, quaeso, in fabulis & commentis nobilissimae gentis decus amplius quaeret? In alia tamen iuit, & Warinum Eberhardi huius non filium, sed fratrem dixit Vir Illustris IOH. DANIEL OLENSCHLAGER in doctissima, ad quam supra iam prouocauimus, disquisitione *de vera origine Ducis Athici ab Erchinoaldo Maiore domus*. Verum quas in medium protulit, probationes tam paucae sunt, vt saepe numero ne diuinando quidem assequi potuerimus, vnde generationum seriem hauserit vir doctissimus, vel quam ob causam eas sic, nec aliter locandas esse putauerit. Neque enim solum quicquid apud VIGNERIVM, BVCELINVM, ECCARDVM, HERGOTTVM, CALMETVM de vetusta DOMVS LOTHARINGICAE & HABSBVRGO-AVSTRIACAE dignitate atque communi origine legerat, congessit, verum etiam addendo detrahendoque horum virorum assertis, prouti nimirum vera ea, vel minus deprehendisse sibi visus est, nouum quodammodo schema edolauit, quale quid qui faciunt, nihil omnino sine teste idoneo, scriptore nimirum coaeuo, vel chartis fide dignis, asserere debent. Sistit nobis in hoc schemate, vt dictum, *Warinum* aliquem, qui si vmquam exstitit, alius a nostro *Warino, Isenbardi patre*, esse nequit; quamuis Isenbardum hunc, omnesque eius posteros *Guelfos*, inclytissimos profecto Principes, nescio quam ob caussam, omiserit penitus. Hunc Warinum *Alberici*, *Alberti* vel *Begonis* & *Wegelenzonis* filium, *Ethiconis* nepotem, *Athici* vel *Adelrici* pronepotem, *Leudesii* vel *Liutherii* abnepotem, *Erchinoaldi* denique atnepotem facit, atque sic vsque ad

y) Sane quamuis Othmarum laudibus in coelum extollant WALAFRIDVS, ISO, RATPERTVS, EKKEHARDVS IVNIOR, aliique eius sectatores, immodico tamen studio donationibus vbilibet aucupandis ita eum incubuisse, vt & professionis & instituti maiorum oblitus non modo non detrectarit vllum donationis genus, sed ambierit, iam IOACHIMVS VADIANVS *de collegiis monasteriisque Germaniae veteribus p. 52. ap.* GOLDASTVM obseruauit. Forte etiam dici posset, S. Othmarum infortunii sui fabrum ipsummet extitisse, quoniam gratia, qua apud Pipinum tunc Maiorem Domus, postea Francorum Regem valebat, elatior factus, ob qualemcunque leuissimam offensionem a Warino acceptam hunc ipsum graui modo coram mitissimo hoc & Clero addictissimo Principe accusauit, qui, vt vicem ei rependeret, iam occasione criminis adulterii in Synodo ipsi publice obiecti hominem, quem procul dubio non pro sancto viro, sed pro hypocrita habuit, proscripsit atque castigauit.

ad aetatem Dagoberti I. genus eius deducit, idemque ortu cum Carolingico fuisse pronunciat. Praecipuas generationes oculis Lectorum sistere non prorsus a nostro scopo alienum erit; faciamus igitur eius rei periculum, additis subinde, quae apud laudatos auctores probata sunt vel minus. Ita autem schema hoc apud eumdem Virum Celeberrimum iam apparet:

Erchinoaldus Regis Dagoberti I. consanguineus, totius Monarchiae Francicae Maior domus † A. 659.

Leudesius vel *Liuthericus* Maior domus occisus ab Ebroino 674.

Athicus vel *Adelricus*, siue etiam *Ethico*, Dux Alemanniae & Alsatiae circa A. 671. is ipse a quo M. R. P. HERGOTT stemma Austriacum inchoauit. Vxor Bereswinda agnata S. Leodegarii.

Ethico Dux Alsatiae.	S. Odilia.	*Adelbertus* vel *Albertus* Dux.

Albericus, vel *Albertus*, vel *Bego*, vel *Wegenlenzo*, nouem in Bauaria Comitatuum possessor.	*Otgarius* vel *Otkarius*. vixit in aula Regis Pipini.	*Ethico* siue *Otto* Episcopus Argentoratensis.	*Luitfridus* Dux Alsatiae.	*Eberhardus* Murbacensis Coenobii Conditor.	*Maso*, Conditor Coenobii Maso-Monasteriensis.

Eberhardus, in Alsatia & Bauaria potens, a quo Berengarius Imp. descendit.	*Warinus*, Camerae nuntius, a quo Conradus I. Rex & Familia Salica Impp. deducitur.	*Ruothardus*, Camerae nuntius in Alemannia.	*Luitfridus*, Comes Alsatiae, a quo Comites Habsburgici, Satores Archi-Ducum Austriae descendunt.

Et hic quidem non prolixi erimus, vt ostendamus, quanta diuersitas intercedat inter Celeberrimi Viri delineationem & eam, quam a VIGNERIO olim propositam atque hactenus a BVCELINO, ECCARDO, HERGOTTO, CALMETO certo modo adoptatam nouimus AVGVTAE DOMVS HABSBVRGICAE genealogiam. Quos enim VIGNERIVS & BVCELINVS ab *Ethicone*, Athici siue Adelrici vel Ethiconis Senioris filio, deducunt Habsburgicos Comites, eosdem Illustris Dn. OHLENSCHLAGERVS cum ECCARDO, HERGOTTO, CALMETO recte quidem, quantum scio, ab eius fratre *Adelberto* vel *Alberto Duce* repetit: sed ab ECCARDO in in eo dissentit, quod cum hic *in Originib. Habsburgo-Austriacis L. I. c. 2.* contenderit, Athicum hunc siue Ethiconem Seniorem nec Leudesii filium, nec Erchinoaldi nepotem constituendum esse; sed *Leuthario Duce Alemanniae* natum, auum habuisse *Leudefredum Alemanniae Ducem*, proauum vero *Leutharium* Alemannum, Ducem Francorum Italiam vastantium: ipse nihilominus vulgari a VIGNERIO & BVCELINO adoptatae opinioni inhaerere maluerit, neque tamen nouas probationes in medium protulerit, quibus, si vmquam, hoc certe loco opus fuisset. Nam ne ipse quidem Maxime Reuerendus P. HERGOTTVS vltra Ethiconem hunc Seniorem siue Athicum Ducem ascendere ausus est, tenebras metuens atque fabulas, quibus in tam remotis temporibus origo GENTIS AVGVSTAE inuolueretur. Denique multa hic occurrunt nomina, de quibus apud VIGNERIVM, ECCARDVM, HERGOTTVM vel CALMETVM nihil dictum. Sic v. g. adscribitur Ethiconi Alsatiae Duci, filius *Otgarius* vel *Ockarius*; Alberico *Warinus*; Luitfrido Alemanniae Duci *Ruothardus*, quos omnes laudatissimi viri non agnoscunt: BVCELINVS autem, si recte memini, *Fratres* & Eberhardi quidem, Murbacensis Monasterii conditoris, filios nominat. Tandem vellem, dicat mihi Vir Illustris, vnde sciuerit Albericum vel Albertum, *Begonem* & *Wegenlenzonem* dictum fuisse? Begonis quidem nomen ECCARDVS ipsi adscribit, non autem *Wegenlenzonis*; & vix credere possum, doctissimum Virum existimasse, Begonis nomen contracte illud Wegenlenzonis esse. Sed haec quidem procul inuidia, quae neminem, nisi sibi suisque viribus nimium tribuentem vrere solet,

ſolet, in medium profero, non ex aliquo contradicendi ſtudio, neque animo Virum Illuſtrem in pugnam prouocandi; verum ea mente, ea intentione, vt, ſi quo pacto fieri poſſit, ipſum aliosque doctos viros exhorter, precibusque vehementiſſimis efflagitem, velint egregia ſua opera iuuare nos & in nobili hoc argumento lumen a lumine ſuo accendere. Forte enim non prorſus erit impoſſibile, tandem aliquando iuſtis demonſtrationibus docere, cohaeſionem FAMILIARVM AVSTRIACAE, GVELFICAE & LOTHARINGICAE, ſublatis iis, quae BVCELINVS admiſit, mendis & erroribus, in communi aliquo ſtipite non modo fictam non eſſe, verum certiſſimam exploratiſſimamque.

§. 6.

Removentur dubia ex Francica origine Warino a Scriptoribus adſcripta, eiusque cum Familia Conradi I. Germaniae Regis cohaeſione.

Sed antequam vlterius progrediamur, ſcrupuli nonnulli ex animis Lectorum euellendi erunt, quibus remotis facilius eos induci poſſe ſperamus, vt *nouae noſtrae ſententiae de Origine Guelficae gentis*, eiusque *a Wegenlenzone Comite* iuſta deriuatione calculum adiiciant. Nimirum WARMANNVS, cuius verba paullo ante excitauimus, *in vita Pirminii*, *Werinberum alta Francorum nobilitate propagatum* dicit; cum contra *Welfi* noſtri *Altorffii Comites* fuerint, adeoque *non ad Francorum nobilitatem, verum ad Proceres Alemanniae referri debeant.* Deinde c. 28. meminit *Widonis* alicuius *de ſtirpe Werinberii progeniti*, (z) quale nomen *in Familia Guelfica*, vti eius quidem hodie notitiam habemus, nullum occurrit. Tandem EKKEHARDVS IVNIOR de ſupplicio Bertholdi & Erchingeri ſcribens, *eodem genere Warini & Ruadhardi eos prognatos, & in Ducatus procuratione ſucceſſores* nominat: De Conrado I. Rege vero ſubiungit, *ipſum omni anno, dum vixit, cenſum capitis ſui in cera ad ſepulchrum S. Othmari, vti filius carnificum illorum, pro reatu in eum quaſi proprio miſiſſe:* quale quid Rudolfus Altorffii Comes, Welfi filius, eiusque nati, Henricus & Wolfhardus, vt infra L. V. c. 7. §. 2. docetur, etiam fecerunt. Vnde nunc ſuſpicio naſci poſſet, aut ex eadem Guelforum Familia Conradum I. Regem fuiſſe, quae otioſorum illorum nugatorum ſententia eſt, qui inter XII. gemellos ab Irmentruda vno partu eiectos, etiam *Cunonem* aliquem numerant, quem *Franconiae Ducum Satorem* dicunt; (a) aut Ruodhardum & Warinum, a quibus S. Othmarum male habitum fuiſſe legimus, non tam fratres, vt nos quidem diximus, quam Principes nullo ſibi ſanguinis vinculo iunctos fuiſſe, & vtrumque eorum ſeparatae Familiae auctorem exſtitiſſe: Id quod etiam innuit Dn. ECCARDVS, qui vti *Rudhartum Comitem Guelforum ſatorem* dixit, ſic in libello *de Stemmate Gibellino*, quem etiam ex carcere ſuo volente Deo producemus, *Warinum Salicae gentis Imperatorum Auctorem* fuiſſe pronuntiat; fratrem autem Rudhardi fuiſſe non modo agnouit numquam, verum quam conſtantiſſime negauit. At enim vero

z) Verba Scriptoris ſunt: *Wido de ſtirpe ſupra memorati Werinberi progenitus Coenobium Hornbacenſe propria tenens in ditione deuotus erga id nimium extitit.* Narrat deinde eumdem Widonem campanam ex Hornbacenſi Coenobio ad locum, qui *Lucus villare* (eſt Buſchweiler) nominatur, transferri praecepiſſe. *Sed quia in hoc perperam atque contra S Pirminium egerat*, (verba ipſa WARMANNI iam exſcribimus) *celerius recognouit non experientia vltionis, ſed clementi euentu ſigni mirabilis. Nam praedictum ſuſile poſtquam in loco praedicto eſt ſuſpenſum, nullum omnino valuit edere ſonum, penitusque mutum manens & inhabile, perſtringit omnes grandi ſtupore. At vbi praefatus Wido tremore & horrore perculſus ad almum illud referre iuſſit Coenobium iuxta priſtinae ſuauitatis dulcedinem iocundum cunctis & delectabilem recepit & edidit ſonum. Hinc euidens viri beatiſſimi diuulgata eſt ſanctitas, hinc certior ſpes & fiducia maior fidelibus exorta eſt ad eius poſcenda ſuffragia, cuius apud Deum tantum cernunt ponderare merita. Hinc eius vegetatior tutela Coenobio, cuius res non audent appetere, quas norunt tam robuſto protegi defenſore.*

a) Nomina horum XII. gemellorum cum BVCELINO ad poſteritatis memoriam propagarunt nugatores ſat multi, ſimulque Familias illuſtres commemorarunt ab iis profatas. Sic Welfus Comitum Altorfienſium, penes quos perpetuo *Guelficum nomen* per excellentiam manſit, Cuno Ducum Franconiae, Taſſilo Principum Hohenzolleranorum, Ego Comitum Heiligenbergenſium, Gebehardus Ducum Alemanniae, Eberhardus Comitum Eberſteinenſium, Arnolphus Comitum Oettingenſium, Bertholdus Comitum Woelpenſium, Adelbertus Comitum Calwenſium, Henricus Comitum Catimelibocenſium Satores celebrantur, Rudolfus vero ſacro ordini adſcriptus fuiſſe dicitur. Aſt in hac doctrinarum luce auias has nemo non explodit.

vero cur nos *Warinum* & *Rudhardum* fratres admiserimus, facit, vt diximus, reuerentia, quam in defectu meliorum probationum vetustae traditioni debemus; praecipue cum hactenus nihil nobis innotuerit, quod eam vt falsam & erroneam destruere queat. Nec ipse Dn. ECCARDVS vllum in medium protulit argumentum, ex quo tuto colligas, Rudhardum alius Familiae surculum fuisse, quam quidem illius, ex qua satus fuit Warinus noster; id est *Guelficae*, vt nos quidem opinamur. Deinde vt ad illam, quae de Conrado I. Rege desumta est, obiectionem primitus respondeamus, nisi omnia me fallunt, recte iam monuisse videtur GOLDASTVS *in notis ad* EKKEHARDVM *T. I. p. 182.* videri omnino, *parentum nomine intelligendos esse maiores maternos*, ita vt Conradus I. non tam Guelfus fuerit, quam quidem matre, auia vel proauia natus, quae ad stemma Guelficum & posteros Warini pertinuit. Quod quo pacto factum sit, licet hactenus explicare ausus sit nemo, aliquo tamen modo demonstrari posse confidimus. Ostendit enim Dn. ECCARDVS *in Commentariis de rebus Franciae Orientalis & Episcopatus Wurceburgensis T. II. p. 825.* Conradi I. Regis auiam fuisse Iuditham, Werinharii Comitis vxorem, filiam Eberhardi Marchionis & Ducis Foro Iulii ex Gisela, Ludouici Pii filia natam. Sed hanc ipsam Giselam Eberhardi Marchionis coniugem Ludouicum Pium ex Iuditha Guelfica suscepisse (b) patet ex

b) Conferri etiam debet DACHERII *Spicileg. T. II. p. 876.* vbi duae Chartae occurrunt, in quibus Gisela Carolum Caluum *germanum suum* appellat. *Germani* autem vox, vt obseruant & exemplis probant CHIFLETIVS *in lampad. histor. ad vindic. Hispanic. p. 12.* & Illustrissimus GENDRAEVS *in Antiquitatibus Reg. Franc. domus* (ad quas saepius in sequenti discussione de Roberto forti prouocabimus) *p. 180.* apud Historicos medii aeui communiter *liberos eadem matre genitos*, id est, *fratres vterinos* denotauit. Praecipue vero Giselam e Iuditha Guelfica natam iam euicit ECCARDVS *not. in vitam Hatumodae Abbatissae p. 36.* Dissentit quidem BLONDELLVS *in Praefat. Apolog. XXXI.* * *3. b.* & in *plenior. assert. Geneal. Francic. p. 21.* atque Giselam ex Ermengarda, prima Ludouici Pii coniuge, natam dicit, neque alios eius liberos, nisi Berengarium Imperatorem & Engeltrudem, nominat; verum vti BLONDELLO priuilegium infallibilitatis nullum obtigit, sic plus apud nos ponderis habere debet fides chartarum modo allatarum, & AGNELLI, qui hoc tempore vixit, testimonium, qui *antequam*, inquit, *moreretur Augustus* (Ludouicus Pius) *diuisit imperium suum inter Reges filios. Cessit Lothario Augusto maxima pars, Pipino Aquitaniae Regnum, Ludouico Baioariae. Hi Ermengardae filii. Carolo vero plus fertilem & opimam largitus est partem, &* filiam Giselam suam *tradidit marito Curado* (lege *Eurado* i.e. *Euerhardo*) *nomine. Hunc &* hanc Iudith Augusta parturiit. Addamus ad pleniorem rei huius probationem diploma Berengarii I. Regis A. 899. scriptum, quo Caroli Calui Imperatoris, Iudithae scilicet Guelficae filii, *Consobrinum*, hoc est *ex sorore natum* semet vocat. Conseruauit id nobis MVRATORIVS *in Antiquit. Ital. T. I. p. 983.* vbi ita sonat: „In nomine Domini nostri Iesu „Christi, Dei aeterni. *BERENGARIVS* diuina „fauente clementia Rex. Decet nostram pietatem „praedecessorum nostrorum tramites sequi, & maxime Ecclesiarum vtilitates reformare, quatenus eas mereamur habere apud Dominum intercessores, qui in praesenti Seculo nos agnoscunt „suae Ecclesiae adiutorse. Quapropter omnium „fidelium Sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque „praesentium scilicet & futurorum nouerit sollertia, Amolonem, Taurinensem venerabilem „Episcopum, ac Sigefredum illustrem Comitem, „dilectissimos fideles nostros, suggessisse nostrae „Serenitati, quatenus pro diuino intuitu duas „Curtes, quae vocantur Saluciola & Euoriano, „cum omnibus pertinentiis & adiacentiis, seu „familiis suis, prisco tempore pertinentes de „Comitatu Parmensi, quas quondam *KAROLVS* „*Imperator Consuprinus* & praedecessor noster, „Ecclesiae beati Nicomedis, quae est in Fontania „Broculi, per sua Praecepta . . . . nostra „auctoritate in ipso sancto loco confirmaremus. „Quorum precibus libenti animo annuentes decreuimus ita fieri. Confirmamus igitur eidem „sancti Nicomedis Ecclesiae praefatas Curtes cum „omnibus pertinentiis & adiacentiis suis in integrum, mansis videlicet vestitis, atque absentibus, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, „siluis, montibus, vallibus, planiciebus, arboribus pomiferis & infructuosis, aquis, aquarum„que decursibus, seu molendinis, Capella quoque in ipsa terra constructa, famulis etiam „vtriusque sexus, seruis, ancillis, & aldionibus, „omnia omnino cum iudiciariis quaecumque dici „vel nominari possunt, quae iuste & legaliter ad „ipsas Curtes pertinere noscuntur. Praecipientes iubemus, vt nullus Iudiciariae potestatis. „Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasius, Locopositus, aut quislibet Reipublicae „Procurator, neque aliqua persona cuiuscunque „ordinis aut dignitatis, parua vel magna, ex eisdem rebus quoquo modo se intromittere, aut „deuestire praesumat sine legali iudicio: sed „liceat Rectori praedicti sancti loci ad partem „ipsius omnes easdem res iure proprietario perpetuis temporibus possidere, & quod Rectores „prouiderint ad eiusdem sancti loci vtilitatem „peragere remota totius potestatis inquietudine. „Si quis autem, quod minime credimus, hoc „nostrae pietatis, & confirmationis Praeceptum „quandoque insurgere temptauerit, sciat se compositurum auri optimi Libras triginta, medietatem Palatio nostro, & medietatem parti ipsius „Ec-

ex AGNELLI *vitis Pontificum Rauennatum p. 477.* in cuius sententiam si ire placet, habebis iustum Conradinae Familiae cum Warino, S. Othmari persecutore, (c) connexionis schema hoc modo:

Warinus, S. Othmari persecutor.

Isenbardus, a Carolo M. Imperatore in integrum restitutus.

Welfus, Comes Altdorffii.

Eticho, Sator Familiae Guelforum in Germania.	Iuditha, coniux Ludouici Pii Imperatoris.
Welfus Comes.	Gisela, Eberhardi Marchionis & Ducis Foro-Iulii vxor.
Eticho Comes.	Iuditha, Werinharii Comitis vxor.
Henricus, cum aureo curru Comes.	Conradus Comes, ab Adelberto Bambergensi A. 905. caesus.
Rudolfus Comes.	Conradus I. Rex Germaniae.
Welfus Comes.	
Rudolfus Comes.	

Henricus Comes, qui censum S. Othmaro negauit, & misere in venatione periit.	Welfhardus Comes.

Et,

„Ecclesiae. Et vt ab omnibus verius credatur „& diligentius obseruetur, manu propria robo-„ratum anuli nostri impressione subter iussimus „sigillari.

„Signum  Domni Berengarii gloriosissimi Regis.

„Martianus Notarius ad vicem Petri Episcopi „& Archicancellarii recognoui.

„Data VIII. Idus Martii, Anno Incarnationis „Domini DCCCXCIX. Domni autem Be-„rengarii gloriosissimi Regis XIII. Indi-„ctione II.

„Actum Papiae in Dei nomine feliciter. Amen.

Scrupulum quidem adhuc mouet Dn. OLENSCHLAGERVS in eruditissima disquisitione *de vera origine Ducis Athici ab Erchinoaldo Maiori Domus §. 17. not. 69.* vbi ex THEGANO *c. 54.* obseruat, Berengarium Septimaniae Ducem Eberhardi Ducis Foroiulii Fratrem, iam A. 834. *propinquum Ludouici Pii* Imperatoris dici, quo ipso anno vero Gisela, si ex Iuditha Guelfica nata, nondum viro matura fuisset. At enim vero cum anno 819. in thorum Ludouici Pii concesserit Iuditha, non video, cur A. 834. mater filiae viripotentis esse non potuerit. Foeminam enim XII. annos natam nubere nil monstri est; & vt alia taceamus, ipsa Gertrudis, Lotharii Imperatoris filia, Henrico Magnanimo nuptui collocata, cum annum ageret XII. atque Mathildis Anglica, Henrici Leonis coniux, exempla nobis praebent, ex quibus colligamus, huiusmodi nuptias subinde in Familiis illustribus contigisse. Quodsi autem supponimus, Iuditham A. 820. Giselam enixam esse, habemus eam A. 834. annos XIV. agentem, qua aetate non vna puella taedas nuptiales aluit. Deinde quis dixerit, Berengarium, Septimaniae Ducem, alio modo Ludouico Pio propinquitate coniunctum non fuisse, quam ob matrimonium, quod fratri ipsius Eberhardo, Foro Iulii Duci, cum Imperatoris filia intercesserat? Multa adhuc in Familia Carolingica, eiusque affinitatibus & necessitudinibus ignoramus, quae tunc temporis explorata erant Scriptoribus; vt igitur ab eo, quod hodie nescimus, concludere nequeamus, rem non ita se habuisse. Accedit quod THEGANVS anticipando, vt ita loquar, Berengarium Ludouici Pii propinquum nominare potuerit: vtpote qui ob matrimonium fratris cum Gisela, licet illud diu forte post A. 834. contractum fuerit, Imperatori affinitate aliqua iunctus erat. Sane anticipationes huiusmodi apud Scriptores non infrequentes sunt; & v. g. cum in diplomatibus, tum apud bonae notae Scriptores deprehendimus non solum Ottonem Puerum ante A. 1235. verum etiam auum eius Henricum Leonem, & patruos Henricum Palatinum atque Wilhelmum Duces Brunsuicenses & Luneburgicos dici.

c) Fundamentum nobis ministrat EKKEHARDVS IVNIOR *de casibus S. Galli c. 1. p. 17.* qui cum narrasset Conradi Regis aduentum & commorationem apud S. Gallum, addit: *ingreditur*

 tan-

Et, si vel maxime in hoc schemate dubii aliquid occurreret, quot quaeso habemus in Historicis, praecipue rebus Genealogicis, capita, quae vera credimus, licet ob penuriam Scriptorum, qui ex remotis illis temporibus nobis restant, nexum eorum penitus cognoscere non possimus? Vnde etiam parum id opinioni nostrae obesse potest, quod ignoremus hactenus, quomodo Wido ille ad Werinheri progeniem pertinuerit. (d) Forte enim excussis aliquando melius Archiuis Germaniae, quae nos hodie cum ignarissimis ignoramus, posteri nostri pro exploratissimis habebunt. Quod autem *alta Francorum nobilitate propagatus* dicitur *Warinus*, qui, si nostra stare deberet opinio, Ale-

tandem oratorium B. Othmari, auctoritate Romana in Sanctum leuati, (quod ex vsu temporum Henrici IV. Imperatoris, sub quo vixit auctor, dici, Othmarumque falso martyrem ab eo appellari ingenue professus MABILLONIVS *in notis ad vitam Othmari*) *nam* parentes eius erant, qui eum vexauerant, *seque reum, quasi ipse interfuerit factis, ad eius aram reddidit, palliis quoque auro & argento Sanctum placauit. Sed & circa Stainheim villam S. Othmaro a Karolo datam quaedam loca Regii iuris erant. Ille vero quicquid ibi Regii fisci erat, totum in manum Aduocati super aram eius tradiderat, & sigillo suo roborauerat.* Equidem illustris amicus, quem super hoc loco consuluimus, parentum nomine hic *cognatos & affines* denotari existimauit; & reuera vulgari sermone vocabulum hoc ita vsurpari apud medii aeui auctores & in diplomatibus iam pridem CASAVBONVS *in Comment. ad Capitolinum p. 134.* & LINDENBROG. *in Glossario verbo Parentes* obseruarunt; immo Galli adhuc hodie *parants* pro *cognatis & affinibus* dicunt. At enim vero quod pace eius dixerim, in tanta temporis distantia vox *parentum* de cognatis hoc loco amplius accipi nequit, sed de iis, a quibus Conradus Rex *in recta linea* prodiit, interpretanda est; alias enim nullus in eum metus ex crimine admisso deriuari potuisset. Nam delicta Deus non in consanguinitate, vel affinitate, sed in filiis atque ex iis descendentibus in recta linea punit. Et clarius adhuc apud eumdem EKKEHARDVM *L. I. p. 18.* vbi de Bertholdi & Erchangeri S. Othmari bona ex Castello Duellio vsurpantium, & Salomoni Episcopo granium, supplicio capitali, a Rege Conrado ordinato, agitur, additur tandem: *Rex vero Castellum illud odiosum S. Othmaro caussa tanti mali tradidit diruendum, omnique anno ille, dum vixit, censum capitis sui in cera ad sepulchrum eius,* vti filius carnificum illorum, *pro reatu in eum quasi proprio misit.* Hic enim profecto filii vox euidenter ostendit, non de aliqua agnatione vel cognatione, sed de ipso ab his S. Othmari persecutoribus ortu persuasum fuisse Conradum Regem. Equidem Dn. OHLENSCHLAGERVS Conradum hunc vtriusque & Warini & Ruodhardi sanguine editum dicit, vtpote Ruodhardi filiam Adalrico, Warini filio, nuptam dicens ex quo matrimonio natum Vtonem de Boppartum, Conradi I. Regis Proauum existimauit. Sed hoc tunc demum Amplissimo Viro concesserint eruditi, vbi iustis Scriptorum testimoniis probatum viderint; nihil enim, vt iam supra dictum, in splendida, quam tenuit Genealogia, praeter probationes desideramus. Interim vt in compendio videas has Conradi I. origines, eas heic iterum exscribere placet:

Athicus, vel Adelricus Dux Alsatiae circa A. 671. vxor Bereswinda.

Ethico Dux.	Adalbertus Dux.
Albericus, Bego siue Wegenlenzo, nouem Comitatuum in Bauaria possessor.	Luitfridus Dux. Alsatiae.
Warinus Camerae nuntius.	Ruothardus Camerae nuntius.
Adalricus siue Vodalricus. =	N. N. filia & heres.

Vto de Boppardun.

Vto Comes.

Conradus Dux Thuringiae. † A. 905.

Conradus I. Rex Germaniae. A. 911. † 918.

d) Videtur tamen *Wido* hic, qui ex stirpe Werinheri siue Warini descendit, idem esse ac *Vdo*, cuius meminit REGINONIS CONTINVATOR *ad A. 910.* vbi eum filium facit Gerhardi siue Gebhardi fratris, Conradi Comitis. Nomina certe Vdo & Wido saepe a Scriptoribus confunduntur. Nam & *Odo* Campanus dicitur *Voto* apud HEPIDANVM *ad A. 1038.* Vnde nepos erit illius Werinheri, qui Iuditham Eberhardo Foro-Iulii Duce natam vxorem habuit. Vt igitur cognatio eius cum Conrado Rege ita locanda foret:

Gisela Ludouici Pii ex Iuditha Guelfica filia, Eberhardi Foro-Iulii Ducis Coniux.

Iuditha Werinharii Comitis vxor.
(male enim a BLONDELLO *in plen. Assert. p. 206.* Vdo Conradi & Gebhardi pater constituitur.)

Conradus Comes ab Adelberto Bambergensi A. 905. caesus.	Gebhardus caesus in praelio aduersus Hungaros (male ap. BLONDELLVM legitur aduersus Hugonem) A. 910.

Conradus I. Rex Germaniae.	Hermannus Alemannorum Dux.	Vdo siue Wido, sororis Heriberti Trecensis Comitis maritus. vt est apud ALBERICVM *ad A. 941.*

Quare iam ex superioribus facile est connexionem eius cum Werinhero, Pirminii fautore ostendere.

Alemannus potius dicendus fuisset, id, quae tunc temporis obtinuit, loquendi & scribendi ratio excusabit. Etenim vti iam multis inuictis rationibus & Scriptorum optimorum testimoniis demonstrauit atque penitus euicit CHIFLETIVS *in luminibus nouis ad vindicias Hispanicas p. 174. sq.* moris fuisse saeculis mediis *Saxonum nomen pro Germanis omnibus* vsurpare, *quia Caesares stirpe Saxonici in Germania multis annis sceptrum obtinuerant;* aeque ac Romanis veteribus *Achaia* Prouincia *tota Graecia* audiebat, *obtinentibus Graeciae Principatum Achaeis;* ita profecto innumera apud vetustiores auctores exempla occurrunt, vbi *Francia pro Germania vniuersa* sumitur, & qui, si ex Prouinciis denominandi fuissent, Alemanni, Saxones, Thuringi &c. audire deberent, Franci cognominantur, *a gente scilicet, quae tunc Germaniae praeerat, appellationem sumentes.* Audiamus modo ALBERICVM *in Chronic. sub A. 893.* **Francia**, inquit, **Orientalis** *comprehendebat Baioariam, Sueuiam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam, Lotharingiam.* Similiter OTTO FRISINGENSIS *L. VI. c. 17. Tempore Caroli* (Magni) **Regni Francorum** *tota Gallia id est Celtica, Belgica, Lugdunensis, omnisque Germania a Rheno scilicet vsque ad Illyricum terminus fuit. Dehinc diuiso inter filiorum filios Regno, aliud Orientale, aliud Occidentale, vtrumque tamen* **Francorum** *dicebatur* **Regnum.** Vnde vere & ad mentem nostram IOH. NAVCLERVS *Generat. 27. Carolus M. Rex* **Francorum** *dicebatur, quod idem erat, ac si nominatus fuisset Rex* **Germaniae** *ac Galliae. Nam clarum est, quod eo tempore omnis Gallia Transalpina & etiam* **Germania** *a montibus Pyraeneis vsque in Panevnias* **Francia** *dicebatur.* Sed quid opus est accumulare multa Scriptorum testimonia in re adeo omnibus perspecta & extra dubium posita? (e) Neque enim magis iure aliquis dubitare potest, *Francorum nomen* tempore, quo WARMANNVS, auctor vitae S. Pirminii, scripsit, *omnibus Germanis commune* fuisse, ac quidem apud Gallos hodienum *Alemannorum* appellatione non solos Sueuiae veterisque Alemanniae incolas, sed *Germanos vniuersos* contineri.

§. 7.

An silentium Monachi Weingartensis de Wegenlenzone, Warino & Isenbardo sententiae hactenus a nobis propositae aliquid noceat?

Cum *Wegenlenzone* Comite igitur ex nostra sententia incipit *stemmatis Guelfici origo.* (f) Dignus sane tanto genere ortus, cui vix vna in Germania gens vetustae nobilitatis gloria (g) parem nouit. Nec facile scio, si probari posset illa ipsa *ex Witichindea stirpe* origo, quam vt aliis gentibus illustribus, sic etiam Guelfis olim adscribere voluerunt viri docti, an plus decoris FAMILIAE AVGVSTAE esset alla-

c 3

e) Ipse etiam, nisi me omnia fallunt, WALAFRIDVS STRABVS egregium sententiae huic pondus addit. Posteaquam enim *vitae S. Othmari c. 4.* narrasset, Warinum & Ruadhardum de possessionibus B. Galli perplura sibi vindicasse, atque hinc Othmarum Pippinum adiisse, eique persuasisse, *graue eum crimen incursurum, si eorum allibus consentiendo faueret;* iam addit: *qua pro caussa beneuolus Princeps vtrumque conuenient interminatus est eis, gratia sua illos omnimodis carituros, si non ecclesiae Dei, quae iniuste abstulerant, absque recrastinatione restituerent. At illi* patriam *repetentes vitio rapacitatis infecti & bestiali saeuitia efferati iussionem regiam neglexerunt.* Patriam igitur Warini & Rudharti indicat WALAFRIDVS eamdem fuisse Prouinciam, in qua Othmari persecutio euenerat, id est Alemanniam, & quidem Constantiensem Episcopatum, sub cuius Dioecesi vetustissimum Guelforum patrimonium, Altorffium, situm est.

f) Est hic Wegenlenzo ille ipse, a quo Dn. ECCARDVS *stemma Gibellinum*, quod infra exhibemus, deduxit. Sed qui nostra cum illis contulerit, quae vir doctissimus ibidem scripsit, facile animaduertet, nos parum lumine ab eo accenso vti potuisse, & noua pleraque, nec ab eo animaduersa in medium protulisse.

g) Aliquis me audacior adscenderet forte ad longe remotiora tempora; Cumque apud HERMANNVM CONTRACTVM *ad A. 600.* Warinharium aliquem Maiorem domus Theodorici Regis hominem exuisse legamus; atque iterum ad A. 619. alium Warinharium offendamus, cui Rex Clotharius aliquantulum infensus, iam vero reconciliatus Maioris domus Principatum confirmauit, in qua dignitate A. 628. eodem HERMANNO teste mortuus est; hos ipsos forte duos Werinharios cum nostris coniungere tentaret; praecipue quod res sit notissima, veteribus illustribus Familiis id moris fuisse, vt, quae semel in iis recepta erant agnomina, pertinacissime in posteris fuerint continuata. Quae res vt recte obseruauit MVRATOR. *Antiquit. Ital. T. III. p. 766.* in contexendis Principum virorum Familiis non modico vsui est. At enim sicuti in praefatione ad Tomum I. spopondimus, quod non tam coniecturis Genealogiam AVGVSTAE DOMVS superstruere velimus, quam quidem certis & euidentibus Scriptorum coaeuorum atque diplomatum aliorumque fide dignorum monumentorum testimoniis; ita promissi huius memores tam diu ab hac connexione abstinemus, quamdiu nobis nulla euidentiora certioraque suppetunt indicia.

allatura. At enim vero iam videor mihi audire viros eruditos, quibus graue erit & molestum, admitti aliquid in FAMILIA AVGVSTA, cuius fidem posteritati MONACHVS WEINGARTENSIS non fecit. Littus, inquient illi, arare, qui gloriosiorem & vetustiorem prosapiae & dignitatis praerogatiuam AVGVSTISSIMAE FAMILIAE GVELFICAE conciliare volunt, quam ea est, cuius memoriam Coenobita hic nobis seruauit. Et vere quidem de Monacho Weingartensi pronunciauit Dn. IOH. DAVID KOEHLERVS, Historicorum Germaniae princeps, in Prolusione academica *de fide & auctoritate Monachi Weingartensis in generis Welfici Augustissimi vetustate & dignitate p. 4.* fuisse eum *doctum, probum, diligentem, sagacem, & ingenuum scriptorem, & propitio quodam fato obtigisse Principibus nostris hanc felicitatem, quod origines, progeniem, decoraque primigenia sua ex instituto exposuerit auctor hic fide dignissimus,* qui, vt *p. 6.* Vir Celeberrimus pergit, *non vt ignarus hospes & peregrinus ad scribendam historiam Guelforum accessit, sed operi huic se addixit, vt familiaris & Guelficae benignitatis alumnus, in rebus ad Guelfos pertinentibus bene institutus & versatus.* Etenim & nos hanc laudem Monacho nostro non inuidemus, immo potius vehementer eum suspicimus, eiusque auctoritatem lubentissime sequimur, quoties eum a subsidiis domesticis bene instructum annales Guelficae gentis debita diligentia atque integritate condidisse apparet. Verum licet is merito optimis praestantissimisque medii aeui Scriptoribus accenseri debeat; tamen forte non aegre ferent viri cordati, si rationem nullam esse fateamur, cur solum eum suspiciamus, caeteraque omnia de quibus ipse nihil dixit, vt suspecta, vt falsa reiiciamus. Altum est apud eum de Iudithae Imperatricis fratribus, Conrado & Rudolfo, silentium, sed quis ideo existimauerit, nomina haec ex Familia Guelfica delenda esse? cum ex aliis optimae notae Annalibus atque minime suspectis Scriptoribus sciamus, hos ipsos Principes non minus ac Ethiconem, quem Monachus noster solum nouerat, ad Welfi, Ludouici Pii Imperatoris soceri, filios esse referendos. Deinde ipse Illustris Dn. KOEHLERVS *p. 6. 20. sqq.* notauit lapsum eum esse interdum; (h) quod vti sine iniuria eius dici potuit, ita non videmus, quid prohibeat, vt admittamus vetustiorem originem, quam quidem is (licet quas descripsit *generationes summa diligentia inuestigauerit,* & *multum in diuersis Chronicis, historiis, siue antiquis priuilegiis quaerendo laborauerit*) sua aetate inuenire potuit. Non ea fuit illius saeculi felicitas, quae nostra hodie est, vt Scriptoribus ad manus fuerint amplissimae huiusmodi Annalium, Chartarum, aliorumque monumentorum historicorum collectiones, sed instructissima etiam libraria supellex paucis, iisque vt plurimum ieiunis Historicis absoluebatur. Hos igitur omnes, quos in Monasterio suo inuenerat, legisse Monachum Weingartensem credo; credo etiam aliunde scribenti suppeditata subsidia; sed quot, quaeso, hac ipsa aetate alibi existere potuerunt monumenta vera atque genuina, de quibus Coenobitae nostro nihil innotuit,

h) Grauius & frequentius lapsus est Monachus ille, qui *Historiam de Guelfis* conscripsit, quam quidem Auctor *Chronici Weingartensis*, siue is idem sit, vt putasse videtur LEIBNITIVS, siue alius. Non prolixi erimus in exscribendis eius erroribus; vnum tamen publice hic indicandum censemus, quia euidenter ex eo patet, quam misera foret Historia AVGVSTAE DOMVS, si hoc solo tibicine fulta esset: Ita enim *ad A. 1191.* scribit. *XVIII. Cal. Ianuarii Guelfo nobilis Altorfensis, Principum nostrorum illustrissimus, Henrici Ducis videlicet & Wulfhildis filius, carne solutus migrauit a saeculo; in quo* nobilitas Altorfensium *non mediocriter completa defiit:* Id quod clarius efferunt adiecti versiculi:

Diffusa late Welforum nobilitate,
Nomine postremus *obit & virtute supremus.*

Quae si *de nomine solo* intelligas vera sunt, cum nemo secutorum Principum *Welfi nomen* gesserit. Sin *de gente & genere* accipias, vti quidem Monachus noster id accepisse videtur, eo nihil dici potest falsius, quia Henricum Leonem fratris Welfi Henrici Superbi filium fuisse nihil est certius. Equidem si, quod suspicor, dicere licet, videntur mihi Hohenstaufii, vt populo penitus persuaderent, se Guelficarum possessionum veros & legitimos heredes esse, in vulgus sparsisse, in Welfo miti, Iudithae, quae Friderico Sueuiae Duci nupta Fridericum Barbarossam Imperatorem peperit, fratre minore, Guelficum genus prorsus exstinctum esse atque sepultum. Quaerenda enim fuit species iuris in terras tam Italicas, quam Sueuicas, Rhaeticas & Bauaricas, Henrico Leoni, vero & legitimo heredi, ereptas, quae non alibi tam facile, quam in Iuditha, Welfi sorore, inuentu videbatur. Atque haec fama tantum virium acquirere potuit, vt ipse etiam Monachus Weingartensis ea deceptus haec in historiam suam retulerit. Sed vti hoc a nota oscitantiae ipsum non liberat, ita vno hoc exemplo ostendisse suffecerit, rationem prorsus nullam esse, cur sola Monachi nostri effata suspiciamus, eaque omnia, quae ipse non dixit, vt suspecta reiiciamus atque explodamus.

notuit, vtut ope illorum in originibus Guelficis altius afcendere licuiffet, fi forte fortuna in manus eius incidiffent? Quare fi quid ipfe Lectoribus fuis non dixit, cuius aliunde hodie haurire licet notitiam, id ideo negligendum non putamus. Et nifi me omnia fallunt, haec ipfa *Guelforum ab Ifenbardo deriuatio* in hanc claffem referenda eft. Aft pergis, ipfe Dn. KOEHLERVS *l.c.p.10.* hoc potiffimum in Monacho Weingartenfi laudauit, quod *hiftoriam fuam fabulis & commentis vulgi de Ifenbardo non deturpauerit, & de prodigiofa foecunditate Irmentrudis eius coniugis, ex imprecatione pauperculae foeminae, ob tergeminos liberos in fufpicionem adulterii inique adductae, duodecim puerulos, inftar catulorum, exponendos, vno partu parientis penitus filuerit.* Verum & nos hoc in Monacho noftro laudandum cenfemus, vtpote qui nullibi hactenus fabulae illi de duodecim pueris ab Irmentrudi, Ifenbardi coniuge, vno partu eiectis affenfum praebuimus; immo potius eam tamquam pudendum inepti alicuius ludionis commentum ex hiftoria noftra eiiciendam cenfemus. Sed ex profcripta hac fabella non fequitur, omnem illam Guelficae domus ab Ifenbardo deriuationem falfam effe atque meris fabulis confutam. Sane quamquam Hiftoricum oportet non facile credere, nimii tamen ii funt in dubitationibus, qui vetuftis traditionibus auctoritatem omnem tollunt, quoniam earum fides non fimul veteris cuiusdam Scriptoris verbis lectoribus infinuatur. Profecto enim vbi traditio aliqua a tot faeculis in eadem familia conferuata fuit, licet maculis quibusdam fit obfita, non tamen ideo tota reiicienda eft. Et vti fabula de duodecim gemellis vno partu editis a perfpicacibus quibusuis hominibus pro fabula nihilominus haberetur, etfi a Weingartenfi Monacho relata fuiffet; ita filentium eius nondum efficit, vt de Ifenbardi & Warini perfonis etiam dubitemus, quoniam his ad incruftandam hanc fabellam abufa eft veterum quorumdam nugacitas. Et ego quidem, vt candide dicam, fi quis hodie in Germania viuit Hiftoricus, cui honoris & obferuantiae gratia libenter affurgo, is Dn. KOEHLERVS eft, vtpote quo Praeceptore olim Altdorffii vfus fum, & quem tamquam praecipuum non Germaniae tantum, fed totius orbis litterati decus atque ornamentum fumma animi pietate atque religione dum viuam in oculis feram; Sed cuiquamne cordato iuftum videbitur, vt quaecumque de patria hiftoria optime meriti coniecere, indifcuffa admittantur? Sane ipfe Vir Illuftris prouti fummae eft modeftiae & humanitatis, id a nemine auditorum fuorum vmquam exegit, vt in verba fua iuret, atque omnem veteri hiftoriae fidem detrahat, cui ipfe fuffragium negauerit. Itaque quo minus libere dicamus, quae vera credimus, maxima Viri Celeberrimi veneratio atque reuerentia non impedit. Iam vero IACOBVS MANLIVS, vir in hiftoria patria non infimi nominis, qui *Chronicon Epifcopatus Conftantienfis* confarciuauit a PISTORIO inter *Scriptores Rer. Germanic. T. III. p. 615. fqq.* edit. primae editum, conferuauit nobis *ibid. p. 637.* (in noua editione a Dn. STRVVIO adornata eft *p. 710.*) tabulam Genealogicam maiorum S. Conradi, Epifcopi Conftantienfis ex Guelfis, vt infra Libr. V. vberius docetur, orti. In hac pro communi ftipite locat *Ifenbardum Warinum* (lege *Warini* i. e. filium) Altdorfii Principem. Multas procul dubio Chartas, multaque alia monumenta MANLIVS, Scriptor fub Maximiliano I. celebris, vidit hodie vel deperdita plane, vel fi extant, fiue ob ignorantiam, fiue ob inuidiam poffefforum tineis & blattis potius, quam vfui publico conceffa. Quodfi igitur de reliquis Epifcoporum Familiis in MANLII opere obuiis credimus, confcriptas eas effe ex monumentis, vt haberi ex litteris potuerunt, non prorfus contemnendis, cur folam Conradinam Genealogiam, in qua Ifenbardo conditi Guelfici generis honor adfcribitur, pro fictitia & erronea habemus? Neque nimis remotus fuit MANLIVS ab iis locis, vbi Guelforum originem quam commodiffime expifcari licuiffet. Immo potius Epifcopatus Conftantienfis, eiusque vicinia, is ipfe quafi campus fuit, vbi veteres Guelfi virtutes fuas, liberalitatem praecipue & munificentiam in facra loca, quam creberrime exercuerunt. Quot igitur Chartas, quot diplomata, quot monumenta credamus MANLIVM oculis vfurpaffe, de quibus nulla ad Weingartenfem Monachum peruenit notitia? Perfecutio illa S. Othmari ex Conftantienfi Epifcopatu, fuffragante Sidonio Epifcopo, originem cepit. Quid igitur mirum, fi Warinus, huius perfecutionis auctor, eiusque pofteri in his regionibus plus, quam alibi, noti fuerint? Conceffcrunt etiam pedibus in hanc MANLII opinionem praeter BVCELINVM, IOH. AVENTINVS *Tab. XIV.* verfioni operis Germanicae adiecta, MARTIN. CRVSIVS *Annal. Sueuicor. L. I. P. II. p. 26. edit. 1595.*

COSMVS

COSMVS DELLA RENA *in ferie Ducum & Marchionum Tufciae p. 139.* CASPARVS BRVSCHIVS *in Chronologia Monafteriorum Germaniae p. 571.* vbi Coenobium Vinearum defcripfit, MATTHAEVS RADERVS *in Bauaria Sancta Vol. III. p. 94.* HIERONYMVS HENNINGESIVS *in Opere Genealogico T. IV. tab. 90.* REINERVS REINECCIVS *in hiftoria de origine & nomine Welforum* praemiffa eius *originibus ftirpis Brandenburgicae*, & GODEFRID. GVIL. LEIBNITIVS noftras *T. II. Scriptor. Brunfuicenf. p. 3.* quibus album calculum adiicere forte fine periculo licet. Licet igitur non viderit *in atriis Altorfinis* Monachus nofter *ceras fumofas* **Egarum, Erchinoaldorum, Leudefiorumque** *illuftrium Maiorum domus Regum Francorum Merouingicae ftirpis; & plane ignorauerit* **Ethicones, Warinos, Eberhardos, Ruthardos,** *Alemanniae Alfatiaeque Duces inclytos, Comitesque palatii,* vt iterum Vir Summus *l. c.* gloriari pergit, nefcio tamen an haec nomina omnia & fingula vno cenfu venire debeant. Equidem *Egam, Erchinoaldum, Leudefium, Ethiconem, Eberhardum* ipfimet, vt fupra ingenue diximus, in Familia Guelfica ignoramus; *Warinum* vero & *Ruthardum* admittimus; vtpote de quibus difertim teftatur CONRADVS ABBAS VRSPERGENSIS, (i) egregius omnino & in Guelforum hiftoria luculentiffimus auctor, *p. 209. Chronici fui,* **Warinum & Ruthardum, qui B. Othmarum in infulam Rheni relegarunt,** *in qua hodie confiftit Monafterium Monachorum, quod vocatur Staine,* **in genealogia hac praeceffiffe,** id eft *inter maiores Ethiconis,* a quo ipfe genus Guelficum deriuat, *locandos effe.* Nihil CONRADVS nofter habet de illa XII. puerorum fabula, &, fi grauitatem Scriptore dignam requiris, defiderari eam in fe in illis, quae de Guelfis refert, vt in aliis multis paffus non eft. Ab huiusmodi igitur vetufto & probato auctore abiecta rancida, cuius infeliciter patrocinium fufceperunt neoterici, fabula, Warinum fine ratione ad Guelficum genus referri, temere dixeris. Praeterea ab alterutro S. Othmari perfecutorum, Warino fcilicet fiue Ruthardo, noftros *Guelfos* fatos effe EKKEHARDI IVNIORIS teftimonium fupra adductum, & obligatio foluendi cenfus ad fepulchrum S. Othmari pro expiandis eius manibus, quae aliquamdiu in Familia Guelfica perdurauit, clariffime euincit; quam ipfam fi quis commodius aliunde deriuauerit, atque hactenus in medium prolata argumenta noftra pro Warino & Ifenbardo a viris doctis e Familia Guelfica praeter meritum eiectis, & iam ei iterum reftituendis deftruxerit eneruaueritque, nos fane ita faciles in affenfu noftro habebit, ac quidem difficulter induci nos pateremur, vt ob vnius alteriusue viri docti diffenfum Heroës hos inter ficta atque ementita DOMVS AVGVSTAE decora habeamus. Fabulam enim de duodenario vno partu edito Welforum numero non moramur. Poterit ea effe aetate Monachi Weingartenfis longe recentior; poterit fub ea veri aliquid latere, (vti fub plurimis huiusmodi antiquis fabulis folet;) fufficiat nobis oftendiffe, negata & explofa ea, non mox ipfam Ifenbardi memoriam delendam effe.

§. 8.

An Hugo Capetus eiusque pofteri, hodierni Reges Galliae, ad Guelficum genus referendi fint?

Ab hac originum Guelficarum deriuatione venimus iam ad aliud caput, in quo a Dn. ECCARDO diffentire nos profitemur. Nimirum *Conradum Maiorem*, Parifinum Comitem, Iudithae Imperatricis fratrem, a cuius filio Conrado minore Burgundiae Reges fatos fuiffe Libro IV. folidiffime Dn. ECCARDVS demonftrauit, CHIFLETIVS, quem inter prima patriae fuae ornamenta non nos vni numeramus, & alii non infimi fubfellii Hiftorici (k) etiam *Regum Galliae*

i) Immo forte CONRADO longe vetuftior auctor, EGGEHARDVS nimirum vel ECKARDVS VRAVGIENSIS. Qui enim eius Chronicon hactenus ineditum ad manus fibi fuiffe teftantur Doctiffimi Patres Benedictini, MARTENAEVS & DVRANDVS *in Praef. ad T. IV. p. 2.* & *T. V. p. 510. Collect. ampliff.* ab eodem *Chronicon Vrfpergenfe* CONRADI A LICHTENAV nomine folum differre, & hunc audaci furto ECKARDI laborem centum minimum poft annis fibi attribuiffe teftantur. Quae fi vera funt, vti de veritate dubitandi nulla fubeft cauffa, operae omnino pretium foret, Manufcriptum illum Eckardinum Codicem confulere. Quodfi enim & in eodem *Warinum & Ruthardum in genealogia hac praeceffiffe* legeremus, haberemus auctorem, qui Warinum Welfis adfuit, Monacho Weingartenfi fi non vetuftiorem, coaeuum tamen: Etenim cum ECKARDVS Chronicon fuum infcripfiffe dicatur Erkemberto, Corbeienfi Abbati, fcripferit neceffe eft intra annos 1106. & 1128. quo tempore hic Abbatiam rexit.

k) Non vnus fuit & folus IOH. IACOB. CHIFLETIVS, qui in fuis *vindiciis Hifpanicis p. 8.* atque alibi paffim hanc fententiam defendit: Verum

liae Stirpis Capetingicae Progenitorem faciunt; quod vt probent, ita eius progeniem locant:

Welfus, Comes Altorffii.

Ethico, a quo Welfi in Germania descendunt, ceu L.V. probatum.	*Iuditha*, Imp. Ludouici Pii vxor.	*Conradus maior* Comes Parisinus. vx. Adelheidis.	*Rudolfus* Abbas, Primas Palatii Francorum.

Robertus Fortis, Marchio Andegauensis. occisus a Normannis A. 867.	*Conradus minor* Comes Burgundiae Transiuranae. † A. 881.	*Welfus*, Abbas S. Germani Autisiod.	*Hugo*, Abbas Dux Franciae † A. 881.

Odo, Dux & postea Rex Francorum. † A. 898.	*Robertus*, Dux & postea Rex Francorum, caesus in praelio A. 923. vx. Beatrix.	*Rudolfus* I. Rex Burgundiae Transiuranae A. 888. *Sator RR. Burgundiae*, ceu L. IV. euincitur. † A. 912.	*Adelheidis*, vxor Richardi Iustitiarii, Burgundiae Ducis, fratris Regis Bosonis.

Arnulphus Rex Aquitaniae.	*Hugo Magnus* Dux Franciae & Burgundiae. vxor Hadwigis Saxonica.	*Emma*, vxor Rudolfi Ducis Burgundiae, postea Franciae Regis.	*Rudolfus*, Rex Franciae. vxor Emma Roberti I. Franciae Regis filia.	*Hugo Niger* Dux. † A. 952.	*Boso*, Comes. † A. 935.

Hugo Capetus, Rex Galliae A. 987. *Sator Regum Galliae, qui post eum imperarunt omnium.* (1)

Sed Dn. ECCARDVS, qui iam tunc forte suam de origine Hugonis Capeti opinionem plane singularem, quam *T. II. Rer. Francic. & Episcop. Wurceburg. L. 28. §. 263. p. 227. sq.* vberius exposuit, animo conceperat, hanc ipsam sententiam, vt falsam atque erroneam, proscribit; & qui, vbi somnia sua litterato orbi obtrudere voluit, ea obelisco iugu-

Verum iam ante eum FRANCISCVS DELLA FORESTA & GEORGIVS VIOLES in hac haeresi fuerunt; & licet CHIFLETIO omni nisu se opposuerint cum alii viri eruditi, tum praecipue DAVID BLONDELLVS, IOHANNES BOVCHETIVS & MARCVS ANTONIVS DOMINICI, prohibere tamen non potuerunt, quo minus IOH. MABILLONIVS hanc ipsam sententiam, vt *probabilem valde* suam fecerit, ceu patet ex eius *supplementis ad libros de re Diplomatica c. 10. §. 5.* Idem etiam fecit P. ANSELMVS, Vir de studio genealogico si quisquam inter Gallos meritissimus, quem si iudicem admittis, habebis hanc sententiam inter omnes hactenus a viris doctis de origine Capeti prolatas verisimillimam & maximo probabilitatis pondere fulsultam. Quadraginta abhinc annis, scilicet A. 1710. CLAVDIVS DV MOVLINET DNVS DE THVILLERIES Opusculo Gallico, cui titulum fecit *la Mouvance de Bretagne* eruditam adiecit dissertationem *de Origine Regum Galliae tertiae stirpis*, in qua prolixe hanc sententiam defendit, multisque rationibus *Capetingicam Regum Galliae Familiam Guelfis adsuendam esse* asserit. Dolemus vehementer, ipsum hoc opusculum nuspiam locorum a nobis potuisse inueniri; interim ex diario eruditorum Treuoltiensium (*Memoires de Trevoux*) A. 1712. quae docti viri praecipua argumenta fuerint cognouimus. Illustrissimus GENDRAEVS licet in alia prorsus eat, tamen de hac opinione ita censet: *elle est simple, exemte de difficultés & d'embarras, & elle a été soutenuë par des sçavans d'élite.* Anonymus quidam, qui A. 1686. *Vindicias S. R. Imperii & vicinae Europae aduersus Regum Galliae Capetinorum Origines nomine* GASTONIS IOHANNIS DVCIS ESPERNONII *a* LVDOVICO ROGERIO DE PRADES *in lucem editas* praelo vulgauit, de hac Capetingorum ad Guelfos relatione *p. 25.* ita iudicat: *Illud dixerim, haut mediocriter de Regibus Christianissimis meritum esse* (CHIFLETIVM) *qui Agilolfingis siue* Guelfis vix alteri cuicunque genti antiquitatis & nobilitatis palma cedentibus *sententia sua primus intulerit*, & *p. 54.* Guelficam hanc RegumCapetinaeDomus originem *Regibus Christianissimis gloriosam assertionem* dicit.

1) Somnia enim sunt, homine docto prorsus indigna, quae contra hanc Regum Galliae ab Hugone Capeto successionem habet HARDVINVS in libris *de antiquis numismatibus Regum Francorum & de historia Augusta ex numis restituta*; Atque hinc etiam confutare ea velle otium esset atque operam perdere.

iugulare numquam omisit Dn. GRVBERVS, hoc tamen loco, quod mireris, assensum suum ei non prorsus denegauit, immo *Capetingos Guelficae stirpis surculos esse* negauit & pernegauit. Equidem non ignoro, quam grauiter inter se Francici aliique Historici de Origine Hugonis Capeti olim dimicauerint, vtque hodie adhuc eadem serra contentionis ducatur. (m) Verum sicuti in republica litteraria credendi sentiendique libertatem integram omnibus esse existimo, ita nec mihi id negatum puto, vt liberrime, quae sentiam, proferam. Licet enim GVELFICA FAMILIA non nisi illustris & summa existimari possit, &, POTENTISSIMIS PRINCIPIBVS NOSTRIS qui ab ea descendunt, ea domi abundet generis celsitudo atque nobilitas, vt ortu felicissimo procreatis suaque sorte contentis Capeti eiusque posterorum fulgoribus ad nobilitatem sibi conciliandam non opus sit; tamen cum nihilominus dignum sit CAPETI STEMMA, vt & illud *Guelficis* illustretur fulgoribus, (n) & vicissim GVELFICAE GLORIAE eius praeluceant splendidae faces,

m) Singulas eruditorum virorum *de ortu Roberti Fortis, adeoque Regum Capetingicorum in Gallia maioribus* opiniones nuper sub incudem reuocauit & docte explosit Illustrissimus GILBERTVS CAROLVS GENDRAEVS S. Albini ad Ligerim Marchio, scripto elegantissimo libro, cui titulus: *Antiquités de la maison de France & des Maisons Merovingienne & Carlienne.* In eo tamen, nisi fallor, infelix, quod ipse elegerit sententiam omnium maxime improbabilem, quae Regiam Gallorum stirpem deducit ab Childebrando quodam Longobardiae Rege, qui e Regno eiectus fugerit in Galliam ad Pipinum breuem, (cuius rei ne vnum quidem e veteribus testem habemus,) ibique proseuerit Roberti Fortis ac Hugonis Capeti Maiores. Cautior Collector *Genealogiarum Historicarum Regum, Imperatorum, omniumque quotquot ab orbe condito vsque ad haec nostra tempora fuerunt familiarum illustrium*, Parisiis IV. Tomis in forma quater complicata A. 1736. Gallice editarum: Is enim etiam *T. III. p. 161. sq.* prolixus in eo fuit, vt eruditorum opiniones singulas de Origine Hugonis Capeti sub examen reuocaret, sed in fine p. 172. addit: *Mais dans une telle varieté de sentiment, il paroît plus sûr de s'en tenir à ce qui est evidemment conû, & de ne point chercher d'autre tige à la maison de France, que Robert le Fort, au quel toutes les opinions se reunissent unanimement.* Qua in re iam olim ipsi praeiuerunt SCAEVOLA & LVDOVICVS SAMMARTHANI fratres, qui in Historia Genealogica Regum Galliae L. V. c. 3. edit. Paris. 1628. fatentur: *Nous avons iugè être plus à propos de nous arreter à Robert le Fort, comme a une verité constante, & laquelle reçoit aucune difficulté, en prenant pour principe & fondement le même Prince le Fort que vouloir monter plus haut, & nous appuier sur des coniectures, qui bien souvent se trouvent contraires aux choses les plus certaines & asseurées.* Neque etiam NICOLAVS VIGNERIVS, neque IMHOFFIVS, neque HOZIERIVS, neque P. ANSELMVS, vt alios taceam in studio Genealogico versatissimos viros, vltra Robertum Fortem ascendere ausi sunt. Verum enim vero licet ipsemet ego recte omnino agere eos omnes existimem, qui verecundiores & timidiores in Genealogiis consarcinandis sunt, rationem tamen nullam video, cur eo vsque Scepticismum Historicum extendamus, vt ne tunc quidem, vbi magna aliqua veritatis similitudo apparet, ob leuia quaecumque dubia, confidentius mentem nostram aperiamus. Raro enim in antiquis historiis ratio tam liquida est, vt ne Pyrrho quidem de veritate dubitare possit, quod in circumstantiis interdum optimi auctores sibi contradicunt.

n) Equidem *Itali quidam*, vt verba sunt PAPIRII MASSONII *L. III Annal. Hugonem Capetum humili genere natum scripsere, seu ignorantia, seu odio.* DANTES *Poëta illum Parisiensis Beceai filium fuisse canit, quae vox lanium sonat. Is Florentia a Carolo Valesio pulsus Philippum Pulchrum & Francos oderat, vt recte in mentem venerit* VOLATERRANO, DANTIS *opinionem refellere, etsi* RICORDANVS *&* VILLANEVS *in Hetruscis Annalibus id quoque a pluribus litteris mandatum affirmant. Quae si vera essent, parum tamen referret, cum Agathoclem figulo patre natum sciamus, Dauidemque ipsum Regem ex opilione diuino iussu constitutum.* Hactenus MASSONIVS. Sed Illustrissimus GENDRAEVS obseruat p. 25. MASSONIVM lapsum esse, quando RICORDANVM & alios plures idem dixisse ait; neque enim in RICORDANO, neque apud alios, quam DANTEM & VILLANEVM huius fabulae mentionem fieri. Equidem has aniles nugas ridere licet, refutare non licet; quis enim eas credat nisi mentis abalienationem passus? Simile quid, non prorsus idem, habet vetustus liber *Rudimentum Nouitiorum* dictus *aetate II.* capite, quod *de Francia* inscriptum. Ibi enim *Francia nominata* dicitur *a Franco carnifice*, (quae vox mediae Latinitatis Scriptoribus lanium significauit,) *qui successit in Regem Parisiis, de quo carnifices priuilegiati sunt erga Regem.* Liber Gallicus, cui titulus *la mer des histoires*, haec, vt alia pleraque, ad verbum reddit *second aage chap. 126. p. 81.* Vbi haec legis: *Les aultres baillent aultres raison, & dient que France a este ainsy denomée d'un bouchier dit Franco qui fut Roy a Paris, pour laquelle cause les bouchiers sont fort privilegiez.* Inquirant, quibus otium abundat, quaenam sententia altera sit vetustior. Quodsi enim, vti ego quidem existimo, traditio illa de Franco lanio DANTIS aetate iam cognita fuit, ignoscendum forte aliquid est Poëtae, quem atrae bilis impotentia in Gallos maledicere volentem non tam nouam fabulam excogitasse cernimus, sed mutatis tantummodo personis veterem recoxisse.

faces, opinionem hanc qua *Guelficae gentis* augentur ſummi honores, connectuntur illuſtria facta, cumulantur triumphi explicare operae pretium fore exiſtimaui.

§. 9.

Agitur de vero ſenſu Chronici S. Benigni Diuionenſis, quod vulgo in hanc rem ab vtraque parte allegari ſolet.

Equidem ad verba *Chronici S. Benigni Diuionenſis*, quod hodie typis exſcriptum habemus apud DACHERIVM *Spicilegio T. II. p. 377.* editionis nouiſſimae, cum prouocarint, & in iis praecipuum pro ſententia ſua pondus haerere dixerint tam huius, quam oppoſitae ſententiae paraſtatae, neceſſe omnino erit, vt in ipſo diſputationis huius exordio ea recitentur. Ita autem fluunt: *His diebus effera Danorum natio tertiam Neuſtraſiis inflictura cladem aduenit. Intuliſſetque maiorem ſuperioribus, ni Hugo per Gallias Abbatis honore praeditus eorum temerarios compeſcuiſſet auſus. Auxiliante namque Deo parua manu tantas hoſtium phalanges fudit, vt vix ſupereſſet, qui nuntiare potuiſſet. Qua plaga humilitati* (lege *humiliati*) *Dani Gallias per aliquod ſpatium temporis quietas reliquerunt. Huic bello praefuit Ludouicus Rex. At Hugone vltimos vitae ſuae claudente ſoles, Ludouicoque Principe poſt adminiſtratum, vt diximus, biennio Regnum diem obeunte, Carolus, qui poſtea Simplex eſt dictus, in cunis aeuum agens patre orbatus remanſit. Supererant duo filii Roberti Andegauorum Comitis,* ***fratres*** *Hugonis Abbatis, Senior Odo dicebatur, Robertus alter, patrem nomine referens. Ex his maiorem natu Odonem Franci tutorem pueri Regnique elegere gubernatorem, quia recidiui Normannorum excurſus imminebant.* Hic igitur CHIFLETIVS & qui ab eius partibus ſtant, legunt ***fratris***, reliqui vulgatam heic lectionem retinent. Et Editor quidem voci *fratres* ſubiicit: *Hoc loco legendumne ſit* ***fratres***, *an* ***fratris***, *eruditi diſputant. Mihi nihil mutandum videtur. Atque huius meae opinionis rationem opportuno tempore ac loco edam.* Quod num praeſtiterit me latet. Si tamen truncatis litteris figura *f̄rs* in Chronico exſtat, quod quidem ego ſemper ſuſpicatus ſum, (o) quia ſi *f̄ris* vel *f̄res* ſcriptum eſſet, de lectio-

o) *Frs* in vero originali ſcriptum eſſe agnoſcit Illuſtriſſimus GENDRAEVS *l. c. p. 79.* & tamen audacter pronunciat, fratres non fratris legendum eſſe. *Il eſt certain*, inquit, *que dans touts les anciens Breviaires, Miſſels, livres d'offices, & Bibles manuſcrites par cette abbréviation* frs, *il faut entendre* fratres *& non* fratris, *qui s'exprime, lorsqu'on le met en abregé par* fris, *dont la raiſon eſt, que le mot* fratres *revenant beaucoup plus ſouvent, que le mot* fratris, *les abbreviateurs ont écrit le mot le plus fréquent de la manière la plus courte.* At enim vero experientia conſtat, librarios cum veteres tum hodiernos in pingendis huiusmodi ſiglis immane fuiſſe oſcitantes. Quae res iam olim Imperatorem IVSTINIANVM mouit, vt *L. I. §. 13. C. de veter. iure enucleand.* generatim prohiberet *ne per ſiglorum captiones & compendioſa aenigmata* Codex ſuus deſcriberetur, *ne qua per ſcripturam de ſenſu legum oriri poſſit dubitatio.* Et profecto ab eo tempore, quo ipſemet vetuſtos Codices manuſcriptos voluere atque oculis vſurpare coepi, plura exempla mihi occurrere, vbi per compendium ſcribendi fres & fris ſcriptum erat loco fratres & fratris, vt igitur obſeruatio illa viri Illuſtriſſimi nulla ſit, quaſi librari illi in verbo frequentiori breuitatem aliquam affectarint. Neque deſpero, quin facile oſtendere poſſem, chartisque vetuſtis atque Codicibus probae notae comprobare, *abbreuiaturam* illam frs vtrumque ſignificatum & fratres & fratris admittere. Quae cum ita ſint, cumque in autographo minuta & breui figura vocabulum, de quo diſceptatur, appareat, fruſtra iam ad quinque vetuſta apographa prouocat BOVCHETIVS *l. c. P. II. p. 173.* in quibus litteris expreſſis fratres legitur. Ecquid enim hoc veritati nocere poteſt, ſi centum inepti ſcribae in re, quam non intellexerant, lapſi ſunt? Quis ex numero & multitude errantium pondus aliquod errori accedere poſſe putabit? Et valde nobis grata eſſe debet eiusdem Viri Illuſtriſſimi confeſſio *l. c. p. 80.* quod in Chronico Beſuenſi Manuſcripto, vbi apud DACHERIVM *Spicil. T. II. p. 410.* eadem verba: *Supererant duo filii Roberti Andegauorum Comitis*, fratres *Hugonis Abbatis* leguntur, iterum illa nota frs occurrat. Sic enim iam noua ex hoc Chronico contra ſententiam noſtram tela metuere non debemus. Vellem iam doctus aliquis & a partium ſtudio alienus Vir, quibus Galliam hodie abundare credimus, inſpiceret *geſta Warnerii Praepoſiti S. Stephani Diuionenſis*, in quibus vt eſt ap. PERARDVM *in docum. Burgund. p. 125.* eadem verba occurrunt, *Ipſe Odo & Robertus fuerunt filii Roberti Andegauorum Comitis*, fratres *Hugonis cognomento Abbatis*, vt de lectione hac eo certior orbis eruditus eſſe poſſit. Quodſi enim & ibidem per ſigla ſcriptum eſſet frs, nihil certius foret, quam BOVCHETII & BLONDELLI opinionem alio non fulciri fundamento, quam ab inſcitia & oſcitantia librarii petito. Verum vtcumque ſe habeat lectio in geſtis Warnerii, Auctor qui fere ducentos annos poſt Odonem Regem vixit, eius genus non ita accurate noſſe poterat, vt omni exceptione maior ſit.

lectione nulla disputatio foret, nemo eruditorum, etiamsi membranam centies inspexerit, (p) de vera lectione respondere poterit, cum nota *frs* pro re nata & *fratris* & *fratres* vocabulum exhibeat. Quare si, vt dictum, nota illa *frs* in membrana picta est, non ex scriptura, sed aliunde probandum est, *fratris* potius, quam *fratres* legendum esse. Hoc vero nisi me omnia fallunt, cum auctoritatibus, tum rationibus euinci posse existimo. Iam cum in huiusmodi auctoritatibus litterariis quo quaelibet est antiquior, eo sit maior ac potentior, ostendamus primo, eadem ad verba fere habere AIMOINI CONTINVATOREM *L. V. de gestis Francorum c. 42.* omisso tamen glossemate *fratres vel fratris Hugonis Abbatis*, vt magna hinc suspicio nascatur, illud ab aliena manu in margine alicuius membranae positum irrepsisse in *Chronicon Diuionense*. Sed audi primum CONTINVATOREM AIMOINI, & ipsemet iudica. *Huius*, inquit, *in diebus effera memoratorum natio Danorum Neustriis tertiam inflictura cladem aduenit: intulissetque maiorem superioribus cladem, ni Hugo supra dictus per Gallias abbatis honore praeditus, eorum compescuisset temerarios ausus. Siquidem parua manu innumeras hostium phalanges ita fudit, vt vix nuntius superuiueret. Qua plaga humiliati Dani, Gallias per aliquot spatium temporis quietas reliquerunt, Ea tempestate Gozlino episcopo & abbate defuncto, Ebolus nepos eius abbatiae suscepit regimen. At Hugone vltimos vitae suae claudente soles, Ludouicoque principe post administratum regnum per aliquod temporis spatium diem obeunte, Carolus filius eius (qui Simplex postea dictus est) in cunis aeuum agens patre orbatus remansit. Cuius aetatem Franciae primores incongruam (vt erat) exercendae dominationis arbitrati, maxime cum iam recidiui Nortmannorum nuntiarentur motus, consilium de summis ineunt rebus. Supererant autem duo filii Roberti Comitis Andegauorum, qui fuit Saxonici generis vir: Senior ex his Odo dicebatur: Robertus alter, patrem nomine referens. Ex his maiorem natu Odonem Franci, Burgundiones Aquitaniensesque proceres congregati in vnum, licet reluctantem, tutorem Caroli pueri, regnique elegere gubernatorem.* Vides facile vnum alterum exscripsisse. Sed qui *Chronicon Diuionense* compilauit, post verba *supererant duo filii Roberti Comitis Andegauorum* ex suo ingenio addidit, *frs Hugonis Abbatis*, quae CONTINVATOR AIMOINI omittens loco eorum addit, *qui fuit Saxonici generis vir.* Vterque dum scriberet, *gesta Francorum* prae oculis habuit, in quibus teste IVONE CARNOTENSI *ep. 189.* ita legitur: *Supererant duo filii Roberti Comitis Andegauorum, qui fuit Saxonici generis vir; ex his senior Odo dicebatur, Robertus alter. Ex his maiorem natu Odonem Franci & Burgundiones, Aquitanienses que Proceres congregati in vnum licet reluctantem, tutorem Caroli pueri, regnique elegerunt gubernatorem.* Prolixius haec exscribere & recitare non piguit, quoniam ex iis patet, in vetustissimis exemplaribus Chronicorum atque historiarum, ex quibus sua desumsit *Chronici Diuionensis* Auctor, nec volam nec vestigium apparare, quae pro roboranda lectione *fratres* aliquid ponderis afferat. Equidem post *Chronicon Diuionense* ad AIMOINI, Monachi Floriacensis, testimonium *L. II. c. 1. de miraculis S. Benedicti* prouocant dissentientes, cuius verba leguntur in IOH. A BOSCO *Bibliotheca Floriacensi p. 82.* At enim vero cuiuis illud inspicienti ad oculum facile patet, corruptiora ea esse, & turpius longe deprauata, quam lectio *Chronici Diuionensis* ipsa. Interim negari nequit, CHRONOGRAPHVM DIVIONENSEM vt saepicule alibi, ita etiam hic, AIMOINVM exscripsisse. Quapropter etiam locum integrum subiiciam, vt molestia ipsam IOH. A BOSCO Bibliothecam euoluendi Lectores meos liberem. Ita autem ille: *Huius* (Ludouici Balbi) inquit, *in diebus effera memoratorum natio Danorum tertiam Neustrasiis inflictura cladem aduenit, intulissetque maiorem superioribus, ni Hugo,* vt fertur, (q) *Roberti filius, per Gallias Abbatis honore praeditus, eorum compescuisset temerarios ausus. Denique quod parua manu*

p) Hoc ideo monendum censemus, quia BLONDELLVS *in Praefat. Apologet. LXXIX. * 36.* multum gloriatur, *ipsum* CHIFLETII *fratrem* P. PETRVM FRANCISCVM CHIFLETIVM *fassum esse, se accurate contulisse apographum Chronici Benigniani cum Archetypo, ibique notasse scriptum* fratres Hugonis abbatis, *non autem* fratris.

q) Equidem si Pyrrhonismum in historicis adfectare vellem, obiicere possem, non magis verba haec stringere, quam illa MARTINI POLONI, seu interpolatoris eius, de Iohanna Papissa: *Hic vt asseritur foemina fuit.* Verum nullam omnino horum verborum vim esse inferius iustis argumentis probandum erit; atque hinc Andabatarum more non pugnabimus, sed mox ingenue

manu innumeras hostium phalanges, adiutus manifesto Sanctissimi Patris Benedicti auxilio, ita fuderit, vt vix nuncius superuiueret, ex scriptis venerabilis viri Adelerii agnosci facile est. Qua plaga humiliati Dani, Gallias per aliquod spatium temporis quietas liquerunt. At Hugone vltimos vitae suae claudente soles, Hludouicoque Principe post administratum biennio Regnum diem obeunte, Carolus eius filius, qui Simplex postea est dictus, in cunis aeuum agens patre orbatus remansit, cuius aetatem Franciae Primores incongruam, vt erat, exercendae dominationi arbitrati, maxime cum iam recidiui Nortmannorum nunciarentur motus, consilium de summis ineunt rebus. Supererant duo filii Rotberti: Senior Odo dicebatur, Rotbertus alter, patrem nomine referens. Ex his maiorem natu Odonem Franci licet reluctantem, tutorem pueri, Regnique elegere Gubernatorem.

§. 10.

DAVID BLONDELLVS caetera laudatus Scriptor, sed semper ad contradicendum pronus, quando CHIFLETIVS prius aliquid dixerat, deprehendisse sibi in hoc ipso AIMOINI loco iam olim visus est non quod pueri clamitant in faba se reperiisse, atque hinc *in Praefat. Apologet. LXXIX. 4. b.* prolixus, vt solet, in eo fuit, vt ex illo omnem contra CHIFLETIVM aciem dirigeret. Recitabimus rationes eius, quandoquidem totam litis materiam complectuntur: *Hugonemne Abbatem* quaerit *Roberti Fortis* ***fratrem*** *vere nuncupauerit Chronici Diuionensis primus, quisquis ille fuit, consarcinator?* & mox subiungit; *Immo falso & nulla prorsus fide. Cum enim non consarcinatoris, sed* AIMOINI *totus ille, qui de Roberto Forti & Hugone agit, locus sit;* AIMOINVS *vero* HERRICVM *& Annales Bertinianos imitatus Hugonem Abbatem, Roberti Fortis filium, id est priuignum vocauerit;* AIMOINI *deflorator, qui sine falsi crimine Hugonem Roberti Fortis fratrem nuncupare nequaquam potuisset, Odonem & Robertum, Fortis filios, ex* AIMOINI *& priorum mente, Hugonis Abbatis fratres, quia matris eiusdem vtero fusi fuerant, iure optimo vocauit. Quod vt euidentius fiat, en defloratum a Chronici Diuionensis Scriptore ex* AIMOINO *locum.* Recitat iam verba AIMOINI paullo ante a nobis relata, atque hinc non iterum exscribenda; quibus finitis ita pergit. *Qui antea* AIMOINI, *Hugonem Roberti filium vocantis ambigua verba eo consilio resecuerat, ne quis Roberti priuignum, naturalem & proprium eiusdem filium putaret; in sequentibus mentem eiusdem accuratius expressurus, & Roberto natorum cum Hugone propinquitatem declaraturus, post haec eius verba,* ***supererant duo filii Roberti***, *addit* ***Andegauorum Comitis, fratres Hugonis Abbatis***, *ac mox* AIMOINI *a se interscissa verba resumit:* ***Senior Odo dicebatur, Robertus alter &c.*** *Quae αὐτολεξεὶ repetunt Chronicon Bezuense & vita Garnerii Praepositi.* ALBERICVS *vero ante annos 400. denatus, ipsaque Chronici Diuionensis auctoritate fretus* (r) *explicat, Odonem & Robertum Hugonis* ex

BLONDELLI contra CHIFLETIVM argumenta proponuntur.

genue fatebimur, aut AIMOINVM hic dormitasse, aut verba *vt fertur, Roberti filius* ab aliena & recentiori manu adscripta esse; quod vltimum fere suspicor; quia in vetusto Codice Manuscripto, quem inspexit MABILLONIVS, teste eodem *in supplem. ad rem diplom. c. 10.* nullum horum verborum vestigium apparet.

r) ALBERICI, trium fontium Monachi, qui iam suo tempore, hoc est Saeculo tertio decimo, *fratres* legerat, auctoritatem hoc loco, si vmquam, frustra extollit BLONDELLVS. Namque veritas ex earum rerum numero est, quae *praescriptionem* non admittunt. Nihil igitur praeiudicii id nobis hodie afferre potest, si ALBERICVS quae per compendium scripta erant, vel non intellexit, vel male legit. Sed audiamus ipsum ALBERICVM, vt pateat, quam is male de re, quam narrat, fuerit informatus. *Matrem*, inquit, *Regis Odonis & Ducis Roberti, vxorem videlicet Roberti Fortis Marchionis, credimus fuisse illam, quae dicta est nomine Regina, quae cum esset iuuencula, fuit concubina Caroli M. iam senioris, cui peperit Episcopum Drogonem Metensium & Abbatem Hugonem, & hanc opinionem habemus* ex Collectaneo Sancti Benigni, *vbi dicitur, quod* Rex Odo & Robertus fratres fuerunt Abbatis Hugonis. *Et haec est ratio quare isti fuerunt in Curia Regum Franciae tam magnifici.* Aut me omnia fallunt, aut qui ad ALBERICVM cum BLONDELLO prouocant, habent omnino cur erubescant. Num ad locum, qui tot errores in vno paragrapho complectitur, salua fronte prouocasset vmquam vir candidus & veritatis studiosus? Sed inquis ipsum LEIBNITIVM, cum primus in lucem emisisset ALBERICVM, in praefatione ei praefixa fassum esse, *neminem se scire, qui in Familiis Principum exponendis paria faciat* ALBERICO. Verum ALBERICO auctoritatem omnem non detrahit, vel detrahere vult, qui vnum alterumue eius locum vitiis scatere ingenue fatetur. Concedamus,

ex matre fratres fuisse notans. Hinc enim liquere potest, quo sensu AIMOINI, HERRICI *& Annalium Bertinianorum exemplo Hugonem Roberti Fortis filium fuisse dixerit, quandoquidem affinitatis iure, vt priuignus, non sanguinis lege, vt proprius & naturalis filius fuit, fratresque Odonem & Robertum habuit, non germanos & ὁμοπατρίους, sed vterinos & ὁμομητρίους. Cum igitur nemo, nisi forte per nefas, siue voluntarium vt apud Persas, quorum cum matribus passiuus olim concubitus fuit; siue inuoluntarium, vt Oedipodis, matris connubio impiati, pater filii, filius patris frater esse possit; tale nihil Capetinae genti vmquam impactum sit! Hugo Abbas quem* AIMOINVS *Roberti Fortis filium fuisse refert, hoc ipso quod filius quomodocumque audiit, Roberti eiusdem frater a Benigniano* AIMOINI *defloratore dici non potuit: eaque Chronici ab eo scripti apographa, quae fratrem nuncupant, non veram lectionem, sed meram ex necessitate primigenii exemplaris corruptelam exhibent, quam Diuionensis Codex manifeste respuit; Odonem & Robertum, Roberti Fortis filios, Hugonis, quem* HERRICVS *& Annales Bertiniani Conrado Patre natum asserunt, quemque* AIMOINVS *priorum exemplo Roberto tamquam vitrico filium tribuit, fratres, quia ex eadem matre prodierant, fuisse confirmans.* Hactenus BLONDELLVS, cuius verba integra ideo exscripsimus, vt euidenter appareat, quo ariete oppugnetur repetita *Capeti e Guelfis origo*. Iam vero vt omnem hanc BLONDELLI prolixam disputationem in compendium contrahamus, summa eius eo redit, *vt Hugonem Abbatem, Conradi Senioris Guelfi filium, reuera etiam Roberti Fortis filium certo respectu ab* AIMOINO *dici potuisse euincat.* Quare fingit Adelaidem Roberti Fortis coniugem fuisse, & primi thori maritum habuisse Conradum Seniorem, ex quo ipso patre natus Hugo Abbas. Vnde sequeretur hunc ipsum Heroem Roberti Fortis *priuignum* fuisse, per consequens *filii vocabulum pro priuigno ab* AIMOINO sumi. Quae si vera essent, arbor genealogica ita foret ordinanda:

Welfus. — Ludouicus Pius. vxor Ermengardis.

Iuditha Imperatrix. Conradus Senior =1.= Adelheidis =2.= Robertus Fortis.

(ex Conrado Seniore et Adelheide:) Welfus Abbas. Conradus Iunior. Hugo Abbas.
(ex Adelheide et Roberto Forti:) Odo, Rex Francorum. Robertus, Rex Francorum.

(ex Conrado Iuniore:) Rudolfus I. Rex Burgundiae, Sator Regum Burgundiae.
(ex Roberto:) Hugo Magnus, Dux Franciae & Burgundiae.
Hugo Capetus, Rex Galliae.

Quare

cedamus igitur in plurimis, quibus liber eius refertus est, flemmatibus illustribus texendis operam eius perquam vtilem esse, num exinde sequitur, quod nullibi errauerit? Immo vero, vt CHIFLETIVS rectissime dixit, si hinc inde deprehenditur errasse, veniam meretur in tanta rerum mole & cognationum temporumque caligne. Itaque vt pateat, quot vnus hic paragraphus naeuos atque errores dissemiauerit, eos candide indicabimus. *Primo* enim turpiter confundit ALBERICVS, Hugonem Caroli M. filium nothum cum Hugone Abbate, Conradi Welfi filio, Franciae Duce, inclyto multisque praestantissimis facinoribus nobilitato; *deinde* Odonem quidem Regem vocat, Robertum non idem, cum tamen & is in Regem vnctus fuerit, adeoque titulo hoc aeque ac frater condecorandus esset; *porro* Odonis & Roberti matrem *Reginam* nominat, quam *Adelheidem* dictam fuisse omnes vno ore fatentur; *tandem* de illo matrimonio, quod nobilissimae huic foeminae Adelheidi cum Conrado, Iudithae Imperatricis fratre, Parisino Comite, intercesserat, penitus tacet, & loco eius illegitimum cum Carolo M. contubernium substituit, quod ne fingi quidem commode potest. Regina enim, quae Carolo M. Drogonem & Hugonem Abbatem peperit, tertio loco inter eius concubinas nominatur in *Annalib. Fuldens.* vbi: *defuncta Fastrada, Luidgardim Alamannam duxit; de qua nihil liberorum tulit, post cuius mortem quatuor habuit concubinas. Mathalgardim scilicet, quae peperit ei filiam nomine Rothildim; Gersuindam Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adeldrudis nata est, & Reginam, quae ei Drogonem & Hugonem peperit, & Adeluidam ex qua Theodericum procreauit.* Vnde suspicor, eam superstite adhuc Carolo M. mortuam esse. Nam licet Concubinatus illis temporibus certis conditionibus pro licito habitus fuerit, aliter tamen licitus non fuit, quam vt solutus cum soluta viueret. Atque hinc profecto Regina adhuc thori iure gaudente Adeluidam Carolus M. reli-

Quare missis reliquis vnum iam praecipuo loco dispiciendum erit, vtrum scilicet Adelheidis Roberti Fortis coniux fuerit? quodsi enim euicerimus, eam thori illius sociam fuisse numquam, probatum etiam erit, Hugonem nec priuignum Roberti Fortis fuisse, nec ab AIMOINO, vel vllo probato auctore, filium eius nominari potuisse, adeoque in lubrica arena positam & plantatam esse BLONDELLI arborem genealogicam, vt leui quocumque vento euelli possit.

§. II.

Adelheidem nec Ludouicii Pii filiam nec Roberti Fortis coniugem esse contra BLONDELLVM & BVCHETIVM ostenditur.

Et *Adelheidem* quidem BVCHETIVS *Origin. RR. Galliae secundae & tertiae domus T. I. p. 14. 127. 178.* & BLONDELLVS *Praefat. Apologet. LXX.* * *2. & 4.* atque in *Pleniore assertione Genealog. Francicae p. 53. & 183. Ludouici Pii ex Ermengardi filiam* dicunt; cui tamen asserto Principis huius aetas vehementissime repugnat. Etenim Conradus, quem primum eius maritum statuunt, Iudithae Imperatricis frater, Caroli Calui Auunculus, Ludouici & Lotharii Regum Consiliarius, vt Annales Bertiniani ad A. 863. dicunt, hoc ipso anno mortuus est; cumque A. 818. diem clauserit Ermengardis, prima Imperatoris Ludouici Pii coniux, etiamsi eodem anno natam Adelheidem fingeres, (s) cerneres tamen eam foeminam fuisse 45. annorum, cum primum lugeret maritum. Adde iam intra annum luctus ad secunda vota Adelheidem non properasse, videbis matrimonium illud, quod BLONDELLVS fingit cum Roberto Forti intercessisse A. 864. Sed vt *Chronicon Floriacense, Annales Bertiniani &* SIGEBERTVS GEMBLACENSIS aiunt, A. 866. vel, si mauis auctoritatem REGINONIS, *Annalium Pithoeanorum, Fuldensium* & *Metensium* sequi, A. 867. Robertus Fortis a Normannis occisus occubuit. Quo pacto igitur intra tres annos foemina, quae iam vetula 47. annorum fuisset, cum in amplexus noui mariti venerat, quater grauem vterum ferre potuerit, non facile conciliabis. Et si hoc tibi leue videtur argumentum, addam nouum & a nemine hactenus, quantum scio, obseruatum. Conradus, frater Iudithae Imperatricis, in grauissima ea persecutione, quam innocentissima Princeps a priuignis suis experta est, A. 830. tonsus in Monasterium detrusus est. Testatur id NITHARDVS *L. I. de dissensionibus filiorum Ludouici Pii p. 86.* qui *fratres,* inquit, *eius* (Iudithae) *Conradum & Rodulfum totonderunt, atque in Aquitaniam seruandos Pipino commiserunt.* Idem dicunt ANNALES BERTINIANI *ad A. 830. Iudithae etiam fratres, Conradum videlicet atque Rodulfum, tonsurantes per Monasteria retruserunt.* Succinunt quoque THEGANVS *de gestis Ludouici Pii* §. *36.* & AVCTOR ANONYMVS *vitae Ludouici Pii* paullo ante allegatus *p. 395.* quorum verba breuitatis studio non exscribimus. Iam si Adelheis A. 818. demum nata fuisset, quomodo ea A. 830. coniux esse potuerit Conradi, vtpote XII. vix annos habens, non video. Si igitur Ludouici Pii filia fuit, necesse est, eam aetate longe fuisse prouectiorem. Nec est, vt credas, post A. 830. eam a Conrado vxorem duci potuisse. Etenim qui iam tonsuratus erat Conradus, ad matrimonium contrahendum ex rigore sacrorum Canonum erat inhabilis. Sed Adelheis Conrado nostro, vt BLONDELLVS, BOVCHETIVS & omnes CHIFLETII aduersarii vno ore fatentur, Conradum Minorem, Welfum & Hugonem Abbates, atque Petronellam peperit; quod qua ratione cum aetate XII. annorum conueniat, ipse iudica. Minimum sane vicenariam fuisse Adelheidem A. 830. oportet, si hactenus dicta omnia recte in eam quadrare volumus. Ast sic annos agens LV. in thorum Roberti Fortis concessisset; cui tamen etiam quatuor liberos peperisse dicitur. Credat hoc Iudaeus apella, non ego! Nec tamen iuuenem fuisse Adelheidem cum Conradum maritum lugeret, vel sola Hugonis Abbatis aetas statuere nos patitur. Is enim, licet pro primogenito ne ab ipso

religiosus caeteroquin Princeps, & ecclesiasticorum decretorum rigidus obseruator, non super induxisset. Sed non opus est prolixius has ALBERICI auias confutare, cum nemo vmquam in tam graui errore ei sit suffragatus.

s) Quamuis nec hoc commode fingi possit; Etenim Ermengardis non puerpera obiit, sed diuturno morbo fracta occubuit, vti disertim testatur AVCTOR ANONYMVS *vitae Ludouici Pii* a PITHAEO editus *p. 372. Imperator Andegauorum vrbem repetiit. Vbi dum Hermengardis Regina* longo fatigaretur incommodo *duobus diebus post regressionem Imperatoris superuixit, & III. die obiit.* Reliquerat eam Imperator cum ad expeditionem Britannicam se accinxisset, Andegauis aegrotantem, vt ex *Annal. Laurisheim. ad A. 818.* docemur.

ipſo quidem BLONDELLO venditetur, ſed ſemper Conrado Minori, Burgundiae Transiuranae Comiti & Welſo Abbati, fratribus, poſtponatur, iam A. 864. i. e. altero ab obitu patris anno a Lothario Rege, vti ex *Annalibus Bertinianis ad dict. Annum* patet, Colonienſis Archi Epiſcopus factus eſt. Et, ne credas, impuberem vel minorennem eum tunc fuiſſe, (vti alia quidem Epiſcoporum & Archi Epiſcoporum minorennium exempla ſuppetunt,) cum A. 866. dignitatem hanc iterum amiſiſſet, hoc ipſo anno a Carolo Caluo Comitatum Andegauenſem (t) cum Abbatia S. Martini & aliis Abbatiis dono accepit, ceu ex iisdem *Annal. Bertin. ad d. a.* patet. Immo cum A. 867. Robertus Fortis, eius, vt BLONDELLVS ait, vitricus praelio aduerſus Normannos occubuiſſet, iam exercitus ducere, prouincias regere, Regni negotia adminiſtrare poterat; id quod profecto, ſi minimum dixeris, aetatem virilem eum tunc habuiſſe praeſupponit. Quod ſi igitur Hugoni A. 867. triginta ſolummodo annos adſcripſeris, eiusque fratrem Conradum vno anno maiorem dixeris (nam de Welſo Abbate nunc non dicamus,) neceſſe eſt A. 836. Adelheidem primum partum enixam eſſe. Si porro conceſſeris, eam tunc minimum quatuordecim annos habuiſſe, (nam ponamus iam aliis parentibus, quam Ludouico Pio & Ermengarde, eam natam fuiſſe) videbis alteri marito ante annum aetatis quadrageſimum tertium nubere non potuiſſe. Quamuis haec omnia longius extendenda eſſe, Conradi Senioris, vt modo dictum, tonſuratio iubet. Sed nouum in hac diſputatione pondus petere licet ex aetate, quam attigiſſe dicitur Odo Rex Gallorum, Roberti Fortis filius (u) Etenim cum, quae ex mente BLONDELLI mater eius eſſet, Adelheidis ante A. 864. renupta non fuerit, ipſe ex ea & Roberto ante A. 865. naſci non potuiſſet. Iam vero GVILIELMVS GEMMETICENSIS & CONRADVS VRSPERGENSIS A. 886. ipſum vero *Chronicon Diuionenſe*, ODERANNVS & AIMOINVS A. 887. Odonem Regis pueri, Caroli Simplicis, tutorem & Regni adminiſtratorem electum fuiſſe, diſertis verbis produnt, idque ideo factum eſſe inſimul commemorant, quod nouum a Normannis periculum metueretur. Sed ſi vera eſſet BLONDELLI opinio, hoc modo Odo ad Regni gubernacula admotus vix 21. vel 22. annum attigiſſet; & licet REGINO, qui Regum Odonis & Roberti aeuo vixerat, & qui etiam patrem eorum Robertum Fortem cognouiſſe poterat, initium Regni eius in annum 888. ponat, quod & nobis verius videtur, numerus tamen annorum Odonis ita non multum augetur; (neque enim iam vltra 23. annos habere poſſet;) Huius autem immaturae aetatis Principem ad tutelam Regis impuberis, vel quod rectius alii Scriptores dicunt, ad ipſius Francici imperii ſupremam adminiſtrationem in rebus huiusmodi trepidis & afflictis a Regni ordinibus inter malleum & incudem poſitis vocatum fuiſſe vix, ac ne vix quidem, probabile eſt. Sed audi modo elogium, quo Odonem mactant REGINO

ad

t) Magnum huic argumento pondus ineſt. Caroli Calui enim aetate Comitatus & Ducatus nemini concedebantur, niſi hominibus aetatis virilis qui muneri cum iis coniuncto poſſent ſatisfacere. Vnde diſertis verbis REGINO & *Annales Metenſes ad A. 867.* dicunt, Roberto Forti ſubſtitutum fuiſſe Hugonem Abbatem, *ſiquidem Odo & Robertus, filii Roberti, adhuc paruuli erant, quando pater extinctus eſt, &* idcirco non eſt illis Ducatus commiſſus.

u) Odonem Roberti Fortis filium fuiſſe hodie extra omnem controuerſiam eſt. Etenim quando WITIKINDVS & CONRADVS VRSPERGENSIS Odonem ex Germania ſorte admodum tenui primum in Galliam delatum dicunt, id nemo eruditorum hodie credit. In *Chronico breui*, quod ex Bibliotheca Thuana DVCHESNE *T. III. Scriptor.* inſeruit *p. 360.* legitur quidem: *Odo* filius Hugonis, *frater Roberti Abbatis & Comitis, obiit anno Regni ſui X. & Anno verbi incarnati DCCCXCVII.* Verum id procul dubio non ex minori errore ſcriptum eſt, quam vbi apud AIMARVM eumdem filium Raimundi Comitis Lemouicenſis appellari deprehendimus. Caeterum eſſet adhuc ex hoc obitus Odonis anno nouum contra BLONDELLVM & BVCHETIVM argumentum hauriendum, ſiquidem adeo exacte ſemper aetatis Principum ſuorum rationem iniiſſent Hiſtorici. Odo enim, quod omnes vno ore dicunt, obiit A. 898. ineunte menſe Ianuario, quod in cauſa eſt, cur modo laudatum Chronicon aliique Scriptores annum 897. ponant, quia annus ciuilis ad Martium vſque extendebatur. Iam ſi vera narrat MEZERAEVS *in compendio hiſtoriae Gallicae T. II. p. 195.* quod circa finem anni aetatis ſuae triceſimi ſexti mortuus ſit, neceſſe eſſet, eum anno 861. vel 862. natum fuiſſe. Aſt hoc ipſo anno adhuc Conradus, prior Adelheidis maritus, ſuperſtes erat; vt igitur turpi adulterio Adelheis amplexus Roberti Fortis anticipaſſet, ſiquidem ex eo Odonis mater exſtitiſſet. Verum haec obiter, cum ex ſuperioribus pateat, Odonis aetatem non ferre, vt Adelheidis, Conradi viduae, ex altero viro Roberto Forti filius dicatur. Inquirant interim, quibus plus nobis otii eſt, viri docti in Gallia in annum natalem Odonis, atque hac etiam opera praeclare de patria ſua merituros ſeſe credant.

ad A. 888. (qui testis omni exceptione maior est,) & *Annales Metenses ad h. a. apud* DVCHESNE *T. III. p. 324.* & iudica, an illud in iuuenilem huiusmodi aetatem cadat: *Galliarum populi,* inquiunt, *in vnum congregati cum consensu Arnulfi Odonem Ducem, filium Rotberti, virum strenuum, cui prae caeteris formae pulchritudo, & proceritas corporis & virium sapientiaeque magnitudo inerat, Regem super se creant.* Lege quae apud ABBONEM Monachum S. Germani Pratensis *de obsidione Lutetiae Parisiorum* in laudem Odonis, qui viuo adhuc Hugone iam Parisiorum Comes fuit, & A. 886. cum Gozelino, eiusdem ciuitatis Episcopo, contra Normannos totis viribus ciuitatem hanc tuitus est, scripta sunt; & videbis, quam turpiter temporis rationem neglexerint BLONDELLVS & BOVCHETIVS, quando Adelheidem Odonis ex Roberto Forti matrem, & Ludouici Pii filiam fuisse magna confidentia, sed sine teste idoneo, immo vt iam in aprico est, contra omnem verisimilitudinem asseruerunt. Dicendum igitur quod res est. Adelheis non Ludouici Pii filia fuit, verum vt CHIFLETIVS & ESPERNONIVS Dux euidenter probarunt (x) aliunde orta est; siue iam Hugonis I. Abbatis, Burgundiae Ducis, Caroli M. ex concubina, nomine Regina, filii nothi, vt CHIFLETIVS contendit, siue, quod mihi quidem probabilius videtur, (y) Hugonis Alsatiae

x) Equidem existimauit Illustrissimus Dn. GENDRAEVS, se nouum prorsus & a nemine obseruatum, inuictum tamen atque omni exceptione maius argumentum protulisse, quando ex Charta aliqua Caroli Simplicis ex Archiuiis S. Martini Turonensis deprompta euidentissime demonstrari posse contendit, quod Adelheis Ludouici Pii filia non fuerit. Immo, si ipsius iudicio stares, sola haec Charta omnem litis materiam prorsus tolleret. De qua re vt eo tutius ipsemet iudicare queas, Chartam ante omnia recitabimus, quae ita habet: *Percognitum fore omnimodis cupimus, omnibus Christi nostrisque fidelibus, praesentibus scilicet & futuris, quoniam adiit serenitatem culminis nostri vir quidam specialius venerabilis, germanus quondam praedecessoris nostri, Domini Odonis Regis, fidelis noster Robertus, gregis eximii Confessoris Christi B. Martini, basilicaeque ipsius atque rerum abbas - - - quasque antecessor suus vir venerabilis,* propinquus noster Hugo Abbas &c. Ex hac enim iam infert Illustrissimus Vir, *si Odo atque Robertus filii Adelheidis ex Roberto aeque ac Hugo Abbas ex eadem matre atque Conrado Guelfo fuissent, haec autem Ludouici Pii filia extitisset, necesse fore, vt, qui Hugonem titulo propinqui sui mactauit Carolus Simplex, Odonem & Robertum, eius fratres vterinos, ex eadem aui sui sorore prognatos, pari appellatione esset dignatus.* At enim nescio an tam exactam diligentiam semper requirere queamus in Chartis & monumentis vetustis, quae plerumque auctores & scriptores habuerunt homines rudes, neque satis a praesidiis litterarum munitos, quorum paucissimi ita exacte historias callebant, vt etiam ex peccatis omissionum, quae frequenter apud eos offendimus, valide argumentari queamus. Erant enim vt plurimum Clerici & Monachi scribae & notarii in Curiis Regum, qui vel nulla, vel exigua ciuilium rerum cognitione imbuti non facile iudicare vel discernere poterant, quam malis consequentiis oscitantia sua apud posteritatem ansam praeberent. Denique apud Historicos omnes regula est certissima, quod a silentio Scriptoris intuitu vnius alteriusque circumstantiae nihil contra veritatem rei vel facti ipsius probari queat. Atque hinc nescio, an facile assensum Lectorum omnium sibi possit polliceri vir Illustrissimus, quando simul *p. 82.* Chartae huius sensum eo vsque detorquere, & ex eadem etiam necessariam hanc consequentiam & conclusionem firmissimam nectere voluit, *Robertum Fortem, Odonis & Roberti Regum Patrem, Guelfico sanguine satum non fuisse,* quoniam si is quidem Hugonis Abbatis frater exstitisset, propinqui titulo aeque ac ille a Rege honorandus fuisset. Ita enim hodie forte ageremus in Curiis & Cancellariis Principum, posteaquam magis cauti facti sumus; inscitiae autem illorum Saeculorum, vt iam diximus, aliquid ignoscendum est. Quod vt e multis vno, quod iam in promptu est, exemplo declaremus, quis, quaeso, nescit, Ludouicum Transmarinum A. 939. vxorem duxisse Gerbergam, filiam Henrici Aucupis Germanorum Regis, viduam Giselberti Ducis Lotharingiae? (Annum enim hunc disertis verbis indicat FRODOARDVS *ad A. 939.*) Et tamen occurrunt in *Bibliotheca Cluniacensi p. 275. sq.* tria Praecepta huius Regis, primum de S. Iohanne Matisconensi, alterum de Tusiaco, tertium de Cariloco & Regniaco, omnia vero *Anno XI. Regni Ludouici Regis, quando etiam Franciam recuperauit,* i. e. A. 945. data, in quibus singulis mentio fit Hugonis Magni Ducis Francorum, illius ipsius, cui iam ab anno 838. Gerbergae soror, Hathwigis, nupta erat; neque vero Rex Ludouicus in vllo horum diplomatum Hugonem affinem suum nominauit. Quid igitur responderet Vir Illustrissimus, si quis ex his Chartis inferre vellet, *Hugonem Magnum Ducem Ludouico Transmarino nullo affinitatis vinculo fuisse coniunctum?* Sane non video aliam obiectionis huius solutionem, nisi vnum illud vrgeas, quod nos modo reposuimus, in Curiis scilicet & Cancellariis Principum, vbi nudi tituli & nomina personarum illustrium recensenda erant, non adeo exactam semper affinitatis & consanguinitatis rationem habitam fuisse.

y) Locus enim ille ex *Annal. Bertin. ad A. 864.* ad quem Dn. ECCARDVS prouocat *L. IV. c. 3.*

tiae Comitis filia fuerit; (z) id quod ex Hugonis nomine hac occasione in Familiam Conradinam profecto laudatissimus GENDRAEVS probabile reddidit. Impossibile

c. 3. §. 9. pro nostra magis, quam eius sententia militat. Nam quando ibidem ANNALISTA ait, Lotharium Episcopatum Coloniensem a Gunthario abstulisse, & *Hugoni, Conradi Caroli Regis auunculi, & materterae suae filio donasse*, Dn. GENDRAEVS iam in laudatissimis Antiquit. Domus Regiae Francicae *p. 234. sq.* ex vocabulo *materterae* stricte & proprie accepto, quo matertera *matris sororem* significat, probauit, quod cum mater Lotharii Iunioris Austrasiae Regis, coniux nimirum Lotharii Imperatoris, Ermentrudis, Hugonis Alsatiae Comitis filia fuerit, Adelheidem quoque eiusdem Comitis filiam fuisse oporteat. Ecce enim iam schema, quod hoc modo emergit:

Welfus

Hugo Comes Alsatiae. | Ludouicus Pius Imperator, vxor prima Ermengardis. = 2. Iuditha | Conradus *Auunculus Caroli Calui*, Adelheidis maritus.

Adelheis *matertera Lotharii Regis*, Coniux Conradi & mater Hugonis Abbatis. | Ermentrudis = Lotharius Imperator. | Carolus Caluus. | Hugo Abbas a Lothario Rege creatur Archi Episcopus Coloniensis.

Lotharius Rex Austrasiae.

Immo, si quid tuto *de prudentia politica illorum temporum* inferre licet, videtur mihi *matrimonium inter Conradum & Adelheidem* ex hoc etiam capite maximopere probari. Nupserat, vt vidimus, Iuditha Ludouico Imperatori A. 819. quo tempore Lotharius, priuignus, XXIV. vel XXIII. aetatis annum egerat, (neque enim hactenus inuictis rationibus probatum est, vtrum A. 795. vel 96. in lucem editus sit.) Hunc, vti procul dubio nouercam patriis laribus induci aegerrime tulerat, quouis modo foemina sapiens suique commodi haut immemor demulcere satagebat. Quid si igitur statuamus, Conradum cum sororem Imperatricem secutus esset, iam vxorem habuisse Adelheidem, Hugonis Alsatiae Comitis filiam, atque hinc factum esse, vt A. 821. medio mense Octobri, quod *Annales Laurethemenses ad dict. Annum* referunt, in conuentu generali apud Theodonis villam magna populi frequentia celebrato Irmingardis, soror Adelheidis, suasu cumprimis nouercae, Lothario solemni more fuerit elocata. Sane si hoc admittimus, omnia rite conueniunt. Conradus enim A. 830. tonsuratus nihilominus commode pater Roberti Fortis aliorumque liberorum dici potest. Nec est, vt obiicias mihi, sic vero vix probabile videri, Lotharium inimicitia capitali prosecutum esse Principem affinem sibi, & in eum ex solo erga nouercam odio tam vehementer saeuiisse. Nam & fratrum gratia rara est; & inter Proceres atque Magnates, quibus vt plurimum regnandi cupido actionum suarum normam facit & regulam, non ea est affinitatis atque consanguinitatis ratio, quae inter homines fortis priuatae esse solet. Taceo alias, quae pro obiectione hac euertenda in medium proferri possent rationes.

z) Recte omnino MABILLONIVS *L. VI. Rei diplom. p. 551.* posteaquam Carolomanni Praeceptum, quo omnia bona & priuilegia S. Germani Autissiodorensis confirmat (quod nos etiam inter Probationes ad Librum IV. sub N. XXII. exhibemus,) recitauit, subiungit: *Nescio an is* (Ruthertus scilicet, cuius in hoc Praecepto Regio mentio fit,) *sit Rotbertus Comes Andegauensis, cognomento Fortis, Odonis & Rotberti postea Regum pater, cuius filium fuisse Hugonem Abbatem nonnulli* recentiores fingunt; *quorum opinioni videtur occasionem dedisse aut certe auctoritatem locus* AIMOINI *a* IOHANNE BOSCO *vulgatus in libro de miraculis S. Benedicti, vbi Hugo,* vt fertur, Rotberti filius *dicitur. Sed haec verba,* vt fertur Rotberti filius, *absunt a Codice MS. Patriciacensi; constatque ex* HERICO, *Hugonem hunc Conradi Comitis & Adeleidis filium fuisse. Neque scio, an propius ad verum accedant, qui Adeleidem, Conradi huius vxorem, putant eamdem esse cum Adeleide Ludouici Pii filia, quae Rotberto Forti nupta est, quasi haec primum Conradi coniux fuerit, postea Rotberti. Nam* HERICVS *ita de Conradi vxore agit, vt* ex primoribus quidem Francorum ortam dicat, non ex ipsa stirpe Imperatoria. (adeoque etiam non Hugonis Abbatis, Caroli M. nothi, filiam) *Eius verba huc adscribo ex Libro II. de miraculis S. Germani c. II.* „*Conradus Princeps famosissimus, Collega Regum, & inter primates aulicos apprime inclytus, per id temporis Regia munificentia maximis, & sua nobilitate condignis fulgebat honoribus. Coniux illi erat Adheleis nomine,* primorum & ipsa natalium perinde titulis gloriosa, *quippe quae* auita antiquorum Procerum orianda propagine *splendorem generis augustissimae aequiparabat stemmate dignitatis.*„ *Erat itaque* antiquorum Procerum propagine, *non Regum Imperatorumue oriunda, quae* summo loco nata *dicitur in cap. IV. His coniugibus fuisse filios constat ex cap. V. sed quos acerbo praeuentos casu sors sustulerat, praeter Hugonem Abbatem, eo tempore, quo* HERICVS *haec scribebat, regnante scilicet Carolo Caluo. Non ergo NB. audiendi sunt, qui Odonem & Rotbertum Reges postea factos Hugonis fratres dicunt.* Hactenus Summus MABILLONIVS.

fibile eft credere, has difficultates grauiffimas non vidiffe acutiffimum Dn. ECCARDI Cenforem, Illuftrem GRVBERVM; qui tamen, cum alia longe minoris ponderis ab ECCARDO dicta fine virgula cenforia numquam praetermiferit, heic, quod mireris, ei penitus fuffragatur, forte vt egregium illum ingenii lufum, quo Gifelam, ex mente WIPPONIS, ftemmati Carolingico adfuere atque conglutinare contendit, Lectoribus fuis eo facilius obtruderet. (a)

§. 12.

Sicuti autem per rerum naturam impoffibile eft, Adelheidem Ludouici Pii ex prima coniuge Ermengarde filiam, & Roberti Fortis vxorem fuiffe; ita quando eam veris fuis parentibus, Hugoni fcilicet Alfatiae Comiti, reftituis, nihil amplius vel fanguinis vel affinitatis Roberto Forti cum Regibus Franciae aliisque Principibus e Carolingica ftirpe natis fupereft. Nam quod is vxorem habuit, cuius primus maritus Conradus, Imperatricis Iudithae frater fuerat, id profecto in eum eiusque liberos iura cognationis cum Iudithae liberis & nepotibus transfcribere non potuiffet. Et tamen occurrit Charta apud BOVCHETIVM *l.c. inter Probat. p. 264.* qua *Berengarius Romanorum & Longobardorum Rex, Robertum Abbatem*, Roberti Fortis filium, poftea Galliae Regem, *propinquum fuum* nominat: *Recepimus*, inquit, *per fidelem noftrum Adalbertum gloriofi poft Regem Principis Franciae fcilicet & Neuftriae, Aquitaniae quoque fiue Britanniae, infuper etiam & gregis inclyti Confefforis Chrifti B. Martini Rotberti fpecialiter Abbatis, propinqui quidem noftri legationem & epiftolas.*

Quo iure Robertus Saxonicae nobilitatis & generis fuiffe dicatur.

a) Equidem non me latet, quantum Viri docti CHIFLETIVS, BLONDELLVS, LEIBNITIVS, HEINECCIVS, HAHNIVS laborarint, vt verum diagramma ex Tetralogi & WIPPONIS mente exhiberent, Gifelamque Imperatricem,

quando poft decimam numeratur linea quarta,

a Carolo M. prodiiffe oftenderent. Quorum nullus cum rem acu tetigerit, temerarium forte eft, nouum fchema excogitare velle. Sed fi recte coniecit CRVSIVS *Rer. Sueuic. P. II. L. VI. c. 1.* Hermannum II. Sueuiae Ducem, Gifelae Imperatricis Patrem, Ottone I. Sueuiae Duce natum fuiffe, res erit non difficilis, Poëtae mentem explicare. Ecce enim valde naturalem atque fimplicem huius aenigmatis folutionem.

Carolus M. Imperator, Hildegardis maritus.

(XIIII.)

(1.) Ludouicus Pius Imperator, Iudithae maritus.

(XIII.)

(2.) Carolus Caluus Imperator Ermentrudis maritus.	(3.) Gifela Eberhardi Foro Iulii Ducis vxor.
(XII.)	(XI.)
(4.) Ludouicus Balbus, Rex Franciae, Adelheidis maritus.	(5.) Hatwigis, Ottonis Ducis Saxoniae vxor.
(X.)	(IX.)
(6.) Carolus Simplex, Rex Franciae, Otgiuae maritus.	(7.) Henricus Auceps, Rex Germaniae, Mathildis maritus.
(VIII.)	(VII.)
(8.) Ludouicus IV. Rex Franciae, Gerbergae maritus.	(9.) Otto M. Imperator, Edgidae Angliae Regis filiae maritus.
(VI.)	(V.)
(10.) Mathildis, Conradi Regis Burgundiae vxor.	(11.) Ludolfus Dux Sueuiae, Idae maritus.
	(IV.)
	(12.) Otto Dux Sueuiae.
(III.)	(II.)
(13.) Gerberga	(14.) Hermannus Dux Sueuiae.

(I.)

Gifela Conradi II. Imperatoris vxor.

Valde enim naturale eft, vt in hac numerandi ratione Carolus M. a quo, ceu communi ftipite, vterque Gifelae parens defcenderat, omittatur. Cumque hoc modo reuera Gerberga marito fuo Hermanno gradu confanguinitatis XIII. iuncta fuerit, poterat id Poëtae occafionem dare, vt Gifelam XIV. gradu a Carolo M. diftantem dixerit; quid quod non *gradus*, fed *lineas* numerare iufferit, quae in noftro fchemate praecife XIV. adfunt. Et licet ita numerare Iureconfulti non foleant, ita tamen numerare potuit Poëta, cuius generis hominibus in rebus feriis ludere familiare eft. Sed hic nihil definire volumus.

lar. S. Berengarii Regis Longobardorum, Abbo Cancellarius recognouit. Datum XV. Kal. Mart. anno XXVIII. & I. Regni nostri. Actum apud Papiam ciuitatem. Quae res cum crucem figeret BOVCHETIO & BLONDELLO, quia semel apud se pertinaciter decreuerant, CHIFLETII schema reiiciendum explodendumque esse, neque tamen aliam propinquitatis rationem excogitare poterant, maluere ridiculam hanc & manifesto falsam opinionem fouere, & Adelheidem Ludouici Pii filiam fingere, parum memores, quam multa absurda & contra consuetas naturae leges in mulieribus pugnantia hac fictione admissa simul concedere deberent; quorum sane illud non vltimum est, foeminam quinquagenariam, immo forte adhuc aetate prouectiorem viro Principi vegetae procul dubio tunc aetatis nupsisse, eumque intra tres annos quatuor liberorum parentem fecisse. Sed admissa nostra sententia omnia ad oculum patent, & propinquitas Roberti cum Berengario euidens est atque manifesta. (b) Immo ipsum illud elogium, quo apud AIMOINVM FLORIACENSEM *L. II. de mirac. S. Benedicti c. 1.* CONTINVATOREM AIMOINI *L. V. c. 42.* IVONEM CARNOTENSEM *ep. 189.* ANONYMVM, qui *de gestis Ludouici VIII.* scripsit, NANGIVM, GVILIELMVM GEMMET. *L. VIII. c. 26.* ALBERICVM *ad A. 988.* aliosque veteres & recentiores Historicos Robertus Fortis ornari solet, quando *generis Saxonici* vel *Saxonicae nobilitatis Vir* (c) dicitur, huic nostrae opinioni mirifice velificatur. Etenim Patrem eius Conradum Parisinum Comitem, Iudithae Imperatricis fratrem, nouimus. Hanc ipsam vero THEGANVS, testis coaeuus, *ex parte matris nobilissimi generis Saxonum* dixit; eamque matre Hegelwichi vel Helwichi natam fuisse discimus ex AVCTORE ANONYMO *historiae translationis Bathildis Reginae* §. *11. p. 747. T. II. mens. Ianuar. Actor. SS. ad d. 26.* & MABILLON. *Saec. IV. Benedict. P. I. p. 450.* Haec ipsa vero Helwichis, Brunonis Principis Angariae filia, Cobbonis, e Proceribus Saxonicis, neptis fuit, cuius ex fratre pronepotes hoc ipso tempore & Ducatum Saxoniae & Germaniae Imperium tenuerunt; vt igitur nihil dignius, nihil excelsius in laudem Roberti ab Historicis dici potuerit, quam cum *Saxonicae nobilitatis & generis* fuisse. Ecce enim iam natales eius Saxonicos.

Cobbo Princeps Saxoniae.

Bruno Princeps Saxoniae.

Bruno Angariae Princeps, Giselae Witechindo natae maritus. | Ecbertus Dux Saxoniae. vx. S. Ida. | Helwichis, Welfi Comitis Altorfii vxor.

Ludolfus Dux Saxoniae. | Iuditha Imperatrix. | Conradus Senior, Comes Parisinus.

Otto Dux Saxoniae.

Henricus Auceps, Rex Germaniae, & sic reliqui Imperatores Saxonici. | Robertus Fortis, Comes Parisinus.

Et

b) Quia enim Berengarium Iudithae Imperatricis ex filia Gisela nepotem fuisse nouimus, haec adest communis sanguinis inter ipsum & Robertum Abbatem, postea Regem Galliae, ratio:

Welfus Altorfii Comes.

Iuditha mar. Ludouicus Pius Imp. | Conradus Comes Parisinus, vx. Adelheidis Alsata.

Gisela. mar. Euerhardus Dux Foro Iulii. | Robertus Fortis.

Berengarius Imperator. | Robertus, tunc Dux Franciae & Abbas, postea Rex Galliae.

c) Dictu incredibile est, quantum crucem fixerit eruditis in Gallia *Roberti Fortis Saxonicae originis* explicatio; praecipue quod CONRADVS ABBAS VRSPERGENSIS in nouum eos errorem praecipitasset, qui ad A. 886. *Robertum Witikindo aliquo ex Germania profugo natum* dixit; quam ipsam vtut ridiculam prorsus & erroneam opinionem, pronis tamen vlnis amplexi sunt PAVLVS AEMILIVS, ONVPHRIVS PANVINVS, PONTVS DE THIART, WOLFFGANGVS LAZIVS, IOH. BODINVS, STEPHANVS PASQVIERIVS, HIERONYMVS BIGNONIVS, aliique multi non infimi subsellii viri. Otium nobis in confutandis his nugis fecit singularis Illustrissimi GENDRAEI doctrina & industria, qui *cap. 2.* libri saepius iam a nobis laudati, pro more suo, multa egregia & arrosos vngues bene olentia de hoc argumento dixit; quae ibi legisse neminem poenitebit.

Et ne cuipiam insolens videatur *generis Roberti a materno sanguine repetita origo*, id etiam aliis Scriptoribus moris fuisse, vt Heroës suos a matribus insignirent, vno alteroue exemplo demonstrabimus. Primum sit Friderici I. Imperatoris, qui, vt supra p. 3. n. b. ex OTTONE FRISINGENSI iam obseruauimus, stemmati Conradi Salici adsuitur, ad quod tamen non nisi ob auiam referri poterat. Clariora adhuc sunt & magis ad intentionem nostram facientia verba eiusdem OTTONIS *Chron. L. VI. c. 32.* vbi de Henrico III. *Anno*, inquit, *ab incarnatione Domini MXL. Henricus tertius - - - solus regnauit, in ipsoque dignitas imperialis, quae per longum iam tempus a semine Caroli exulauerat, ad generosum & antiquum germen Caroli reducta est.* (d) At enim vero Henricus III. ad Caroli M. genus ex traduce paterno nullo

modo

d) Locum hunc, quod obiter notamus, obseruasse non videntur viri docti, qui nupero bello genealogico occasione *originis Bauaricae Carolingicae* trans Danubium haut paribus armis gesto OTTONIS FRISINGENSIS fidem & dubium nonnullorum locorum sensum sub seuerius examen miserunt. Adsertor enim originis Carolingicae, Perillustris Dominus IGNATIVS FRANCISCVS XAVERIVS DE WILHELM, Serenissimi & Potentissimi Electoris Bauariae Consiliarius intimus, & Administrator Comitatus Hagensis, sentiens sententiam suam auctoritate veterum Scriptorum premi, qui vno omnes ore genus Caroli M. per Germaniam in Ludouico Puero defecisse testantur, veluti caput quoddam Medusae his locum OTTONIS ex *Chronici Libro VI. c. 15.* obiicit, qui ita habet: *Vngari commisso cum Baioariis bello Ducem eorum Leopoldum, Arnolfi Ducis patrem, occidunt. Ludouicus Orientalis Franciae Rex duodecimo Regni sui anno sine herede discessit, ac in ipso fratreque suo Suendebaldo* iuxta quosdam Carolorum genealogia in Orientali Regno defecit ad tempus. Ex eo enim iam probare vult Vir Perillustris, defectum generis Carolini in Germania non eo pertinere, vt Familia Bauarica ex eo censeri non possit; cum Scriptor hic neutiquam contendat, nullum *genealogiae Caroli M.* ramum tunc in Germania amplius superstitem fuisse; sed solum dicat, eam in hoc Ludouico Puero defecisse *ad tempus;* hoc est *non penitus*, sed in vna Ludouiciana seu *Regia linea* exaruisse, atque eclipsin aliquam non *perpetuam*, sed *per aliquod temporis spatium seu interuallum duraturam* passam esse; vt igitur nihil prohibeat, quo minus Familia Bauarica ex gente Carolidarum recte possit deduci; quippe quam, ablato licet sibi imperio, in Ducatu tamen Bauarico superstitem fuisse credere nihil prohibeat. Laruatus contra PALIGNESIVS, acuti profecto iudicii, nec vulgaris eruditionis vir, qui caeteris e triuio petitis argumentis abunde satisfecit, in hoc solo defecit viresque decoxit suas. Omnimodam enim Carolini sanguinis exstinctionem his verbis indicari putans nodum in scirpo quaerit, & ad nescio quot contortas explicationes formulae *ad tempus* prolabitur, eamque mire contorquet in sensus suos adlatis variis veterum locis, quibus ea idem significat, quod *suo loco* vel *denique;* Vnde concludit, ea quasi indicari certum statutumque tempus, quo Familia Caroli M. in Germania ex arbitrio diuinorum decretorum deficeret, idque fatale momentum incidisse in annum illum & diem, quo Ludouicus Puer exstinctus esset: Quod sane a mente OTTONIS abfuisse quam longissime integrum eum legentibus patet. Certum enim est, quemque Scriptorem ex collatis plurimis sui locis omnium optime intelligi; & Iureconsultorum regula habet, non nisi inspecta integra lege ad ferendam sententiam esse properandum. Vnde si a capite ad calcem vterque Vir Doctus OTTONEM perlegisset, neque assertor locum hunc, quippe sibi plane inutilem, in partes vocasset; neque confutator in soluendo tam futili nodo superuacaneam vanamque operam posuisset. Cum igitur belligerantes examine hoc ex voto legentium perfuncti non sint, tentabimus nos quem illi insolutum reliquere nodum. Ait OTTO *Genealogia Carolorum*, hoc est genus Caroli M. non vbique per orbem terrarum, sed *in Regno Orientali*, nimirum in Germaniae Regno, neque id subiectiue quidem, seu per totam, qua patet Germaniam, sed *in Regno*, hoc est in solio, *defecit in Ludouico Puero*, ita vt hic *Ludouicus* A. 911. sine liberis exstinctus *Regum Germaniae e sanguine Caroli M. descendentium fuerit vltimus*, sicque posteri Caroli M. in Germania *regnare* desierint. Addit autem duas limitationes: quarum prima *iuxta quosdam*, scilicet Scriptores, qui Ludouicum illum Carolorum vltimum ponunt, veluti HERMANNVS CONTRACTVS VRSTISIANVS ad A. 911. *Ludouicus Rex moritur, post quem* deficiente in nostris partibus regio stemmate *Cunradus electus*. HERMANNI autem CONTRACTI scripta ob oculos habuisse OTTONEM nostrum in consarcinando Chronico suo, plura eius loca euidentissime ostendunt. Ab his dissentiunt, qui Conradum I. Carolorum genti, accensent, veluti ille ipse HERMANNVS primae editionis ad A. 918. *Conradus Rex moritur.* In hoc defecit progenies Caroli. Ipse OTTO capite sequenti *16. Hunc* (Conradum) *quidam Ludouici fratris filium fuisse dicunt, & ob hoc* nouissimum eum Carolorum ponunt. Sic itaque genus Caroli M. in Regno Germaniae *defecit & regnare* desiit vel in Ludouico Puero A. 911. vel in Conrado I. A. 918. *Defecit* autem, (quae altera OTTONIS est limitatio,) *non penitus*, sed tantum *ad tempus*, hoc est ad certum temporis spatium, *quo exacto rursum emersit ad summam rerum in Germania*, qui planissimus est horum verborum sensus; (quibus etiam OTTO DE S. BLASIO vtitur *c. 9.* Cum enim dicere vellet, Friderici I. Imperatoris a Pontifice lacessiti, sed postea pacati iram non peni-

modo pertinebat, eique folummodo ex trunco materno, Gifelae fcilicet maioribus, vt p. 35. n. a. oftenfum, adhaefit. Similem in modum de Hugone Italiae Rege in *Praefatione ad T. I. Originum harum Guelficarum p. 36. not. c.* iam obferuauimus, quod femper a genere materno *Berthae filius* apud Scriptores infigniri foleat. Iam adhuc addamus, quae de Widone Imperatore (nam plura exempla colligere neceffe non eft) habet IOH. IPERIVS *Chronico S. Bertini ap.* MARTENAEVM *T. III. Anecdotor. p. 531.* Is autem pofteaquam, quae poft mortem Caroli Craffi euenerant, narraffet, addit: *ex hoc obitu Romanum Imperium & Francorum Regnum mifere decerpuntur. Nam in Italia Berengarius & Wido de Regno contendunt, in Francia vero neglecto vero herede Carolo puero, filio Ludouici Balbi, vix decenni, quidam Regem fibi ftatuerunt Eudonem, Comitem Parifienfem, filium Roberti Ducis Andegauenfis a Normannis occifi.* Qui Eudo alienus erat a genere Caroli M. *& eum Compendio palatio per manus Walteri Senonenfis Archi Epifcopi in Regem inungi fecerunt Anno Domini DCCCLXXXIX. Fulco vero Remorum Archi-Epifcopus, cuius erat ius Reges inungere Francorum, memor obteftationis Stephani Papae fcilicet, vt numquam de alia ftirpe, quam Pipini & filiorum eius Regem fibi affumerent, Eudoni manus confecrationis imponere noluit. Ii vero* qui fauebant generi Caroli, *inter quos erant praecipui Fulco Remorum Archi Epifcopus & Comes Flandriae Balduinus, volebant inftituere Widonem Regem Italiae.* (ergo hic fuit de genere Caroli M. quod tamen aliter, quam per foeminas demonftrari nequit;) (e) *Sed audiens Wido Eudonem iam coronatum rediit in Italiam. Tunc Archi Epifcopus Fulco & fui fequaces mittunt ad Arnulfum Germaniae Regem futurum Imperatorem, vt Franciae Regnum exaucta* (legendum *ex auita*) *fucceffione fibi debitum recipiat* &c. Iam tuam fidem teftor, Lector quisquis es, dummodo a praeconceptis opinionibus mentem liberam & vacuam habeas, an clarius quid vtrumque, de quo difputamus, euincere poffit, fcilicet *morem denominandi Principes a genere materno infolitum prorfus non effe*, & *Adelheidem Ludouici Pii filiam non fuiffe?* Haec enim fi fuiffet, profecto Chronographus nofter, qui Wido-

penitus & in perpetuum, fed tantum aliquamdiu quieuiffe, ait: *ira Imperatoris* ad tempus *quieuit.*) Nam poft annos, fi a morte Ludouici Pueri numeraueris, CXXIX. fi vero ab obitu Conradi I. numeres, CXXII. Caroli M. fanguis in Germania rurfus in folium euectus eft Regnum capeffente Henrico III. filio Conradi Salici, qui ex patre matris *ex probatiffimorum Galliarum Principum a beato Remigio baptizatorum ftirpe defcenderat*, & Gifelae de antiquo & gloriofo Carolorum fanguine oriundae. *c. 28.* Quam fuam fententiam OTTO his verbis fupra recitatis exprimit. Ex quibus patere exiftimo, hunc eius locum adfertori Bauarico perperam opponi, quum is non dicat, Caroli M. pofteros nullos amplius in Germania tum fuiffe fuperftites; fed tantum in Regno, hoc eft in folio eos defeciffe, feu regnare defiiffe, vsque dum Henricus III. rurfum fummae rerum admoueretur in Germania. Confediffe quidem iam videtur bellum hoc Genealogicum, hinc pro adftruendis FAMILIAE WITTELSBACHICAE, illinc pro deftruendis *originibus Carolingicis* acriter geftum, cum poft vindicias vindicatas nec laudato PALIGNESIO, nec BRAMSDORFFIO illi perfonato, quantum fcimus, prodire amplius in fcenam libuerit. Verum cum haec non eo animo a nobis fcripta fint, vt claffícum de nouo canamus, neque vt arrogemus nobis iudicium, ab vtrius partibus victoria ftet; (quod doctis & peritis talium rerum non eft ambiguum;) fed vt vni OTTONIS FRISINGENSIS loco perperam vtrimque intellecto nonnihil lucis affunderemus, facilem nos apud aequos Lectores excufationem merituros fperamus.

e) Nemo hactenus eruditorum euidenter demonftrauit, qua ratione Widoni *Francica origo* adfcribi queat. BLONDELLVS *Praefat. Apologet. LXXIV. fol. 4. b. Berengarium & Widonem*, inquit, *non tantum* Francorum cognatos, *fed etiam* ex Francorum profapia, *prout S. Arnulfus antea fuerat*, ortos, *eoque* Francos *vocare* PAVLVS AEMILIVS *poterat*, Francorum *nomine nationem vniuerfam cum vitae S. Arnulphi Scriptoribus intelligens. Berengarius enim Euerardo Cizonii Cameracenfis dioecefis Comite, ac exinde Foro-Iulienfium Duce, Guidone & Lamberto, Marcae Britannicae Praefectis, auo & proauo natus eft, & a Francici generis hominibus paternam originem repetiit. Sed* Francis per matres cognatione iunctos *dixit* AEMILIVS: *quia Francorum vocabulum non gentem vniuerfam, vt vitae Arnulphinae Scriptores, fed folam in Francia rerum potentem Familiam denotauit, quae tam Berengarii, quam Guidonis matres Regum filias & propinquas edidit. Berengarius enim Gisla, Ludouici Pii Imperatoris filia natus, per eum Regum* cognatus *fuit. Guidonis parens Lotharii I. filia; auia ex Pippini Italiae Regis filiabus vna fuiffe videtur, idemque Engeltrude Gislae filia & Berengarii germana, poft Buchaldi mariti prioris mortem ducta, qui iam Regum* cognatus *erat*, affinis *eorum factus eft.* Equidem an Guidonis mater Lotharii I. filia fuerit, definire non audeo, potius eo inclino, vt non fuiffe putem. Neque pro certo fcio, an non lapfus fit BLONDELLVS, quando *h. l.* & fupra *XXXI. * 3. b. Engeltrudim,* Euer-

Widonem Carolino ſtemmati adſuit, a quo tamen longiſſime aberat, Eudonem ſiue Odonem noſtrum (eidem, ſi quidem Ludouici Pii filiam matrem habuiſſet, longe propiorem) ab eo alienum prorſus non pronunciaſſet.

§. 13.

Sed ſi cui haec, quibus hactenus aduerſae opinionis paraſtatas petiimus, tela non ſatisfaciunt, grauida adhuc ſagittis eſt pharetra noſtra; Videbimus modo quam infeliciter hactenus probata ſit, quae Roberto Forti a BOVCHETIO & BLONDELLO adſcribitur origo. Theodebertum Comitem Matricenſem, Pipini Heriſtallii pronepotem, aiunt Roberti Andegauenſium Comitis Patrem fuiſſe; huic Roberto BLONDELLVS *plenior. Aſſert. Geneal. Francic. p. 179.* ſororem adſcribit Ingeltrudem, Pipini Aquitaniae Regis coniugem, filios vero Robertum Fortem & Adalelmum Comitem, illum ipſum, cuius filio Walthario tam atroces cum Odone Rege inimicitiae interceſſerant, vt non niſi ſanguine & morte alterius extingui potuerint. Schema prius exhibebimus, quod ex hac hypotheſi ita formauit BLONDELLVS *l. c. p. 33. 152. 176. & 228.*

Mala fides BOVCHETII & BLONDELLI, qua in hoc argumento Genealogico explicando verſati ſunt, exemplis quibusdam demonſtratur.

Pipinus Heriſtallius, Maior Domus.
Concubina Alpais. vxor Plectrudis.

ex concubina. Carolus Martellus, Maior Domus, vxor Rotrudis. — *ex vxore.* Childebrandus Dux.

Pipinus Rex Franciae. vxor Berta. — Nebelongus Comes Matricenſis.

Carolus M. Imp. — Theodebertus Comes Matricenſis.

Ingeltrudis. vxor Pipini Regis Aquitaniae. — Robertus Comes Andegauenſis. Aganae maritus.

Robertus Fortis. — Adalelmus Comes.

Odo Rex Franciae. — Robertus Rex Franciae. — Waltharius Comes, capite plexus iuſſu Regis Odonis.

Hugo Magnus, Dux Franciae.

Hugo Capetus, Rex Franciae.

Iam

Euerhardi Foro-Iulii Ducis ex Giſla Ludouici Pii filia natam, Guidoni noſtro coniugem tribuit. Etenim *Agoltarda*, *Agelguida* vel *Agiltruda* illa, (haec enim nomina promiſcue ipſi in diplomatibus adſcribuntur, vt moris erat apud imperitos illos ſcribas nomina propria, quae non intelligebant, corrumpere,) cuius tamquam coniugis meminit Guido Imperator in diplomate pro Wibodo Parmenſi Epiſcopo primo Imperii ſui die A. 891. dato ap. VGHELLVM *Ital. Sacr. T. II. p. 151.* & in alio diplomate pro Agilulpho Abbate Bobienſi ap. EVMDEM *l. c. T. IV. p. 965.* nec non in Praecepto pro Monaſterio S. Chriſtinae apud BALVZIVM *Capitul. T. II. Col. 1521.* quamque matrem ſuam vocat Lambertus Imperator, Guidonis filius, in diplomate pro Epiſcopo Florentino Graſulpho A. 895. dato ap. VGHELLVM *T. III. p. 27.* potius Adelgiſi, Principis Beneuenti, filia fuiſſe videtur. Interim tamen, ſi quod res eſt dicendum, niſi me omnia fallunt, ita Wido Carolino ſanguine editus erit:

Carolus M.

Pipinus Rex Italiae, Bertae maritus.

Filia. vxor Siconis Principis Beneuenti A. 818. celebris.

Rita Comitiſſa. maritus Wido I. Dux Spoleti † A. 860.

Lambertus Dux Spoleti † A. 882.

Wido Dux Spoleti, Rex Italiae & Imperator † A. 894.

Cuius mei ſyncretiſmi rationes aliquando in ampliſſimo Annalium Occidentalis Imperii opere, vbi de Widone & Lamberto Imperatoribus data opera agendum erit, Deo bene volente, reddam.

Iam vero quam mala fide egerit BOVCHETIVS & BLONDELLVS, multis declarari posset exemplis, nisi a nimia prolixitate omni nisu temperare stilum constituissemus. Hoc vnum vero mox vrgebimus, praeter omnem rationem hic a BLONDELLO verum & naturalem significatum vocis *auunculi* in *patruum* immutari. Ita enim Adalelmum nominant *Annales Metenses ad A. 892.* quando dicunt: *Waltgarius Comes, nepos Odonis Regis, filius scilicet* **auunculi eius Adalhelmi,** *aduersus eumdem Regem cum consilio quorundam rebellionis arma leuauit, & Lugdunum-Clauatum ingressus, omni annisu regiae potestati contraire nititur. Quod cum cognouisset* Odo *ciuitatem obsidione cinxit, quam absque mora in deditionem recepit; Deinde omnibus Primoribus, qui tunc ibi aderant, adiudicantibus eumdem Waltgarium decollari iussit, eo quod in conuentu publico contra Regem & Dominum suum gladium euaginasset.* Turpius adhuc Duumuiri laudati, vt haec sua somnia cassa nuce vaniora credulis saltim & verae historiae indolem ignorantibus Lectoribus persuaderent, adulterina diplomata exhibere non erubuerunt. Sic enim vt Theodebertum Matricensis pagi Comitem, qui Robertum Aganae maritum genuit, probet BLONDELLVS *l. c. p. 33.* prouocat ad Chartam ex S. Iuliani Briuatensis Archiuo depromptam, & Anno Ludouici Augusti XXIII. Pipini Aquitaniae Regis XXII. Indict. XIV. Mart. XII. i. e. Anno post restauratum per Christum genus humanum 836. scriptam, in qua haec Pipini verba leguntur: *pro incolumitate nostra, vxorisque nostrae Ingeltrudae Reginae, & pro remedio animarum Hermeingardae quondam Reginae genitricisque nostrae,* ***Thetberti ac Nebelungi Comitum, Patre & auo eiusdem Ingeltrudae*** *& prole, Regnique statu.* Sed si MABILLONIVM audis, virum apertum, & in hac lite ab omni partium studio remotum, is ingenue fatetur, verba *Thetberti ac Nebelungi Comitum, Patre & Auo eiusdem Ingeltrudae* in authentico abesse. Aliam Chartam Roberti, qui postea in Francia regnauit, BLONDELLVS *l. c. p. 148.* producit, huius tenoris: *Ego in nomine summi Saluatoris Dei, Robertus misericordia Dei Comes & Abbas inclytae congregationis B. Martini, notum fieri volumus &c. Igitur pro amore Dei omnipotentis & eximii confessoris sui maxima reuerentia reddimus Domino nostro S. Martino suisque Canonicis quoddam praedium, situm in pago Pictauiensi, Dociacum scilicet, cum omnibus suis appendiciis &c. in qua mercede gloriosum & a Deo electum Regem, Domnum & Seniorem, ac germanum nostrum Odonem participem volumus adesse; insuper etiam eiusdem muneris beneficio simul consortem volumus esse Dominum genitorem nostrum Robertum, gloriosum dum vixit Comitem & eiusdem loci Abbatem,* ***Adelaidem quoque genitricem nostram & Robertum Comitem auum nostrum,*** *quatenus pietate praedicti patroni subuentus perfrui mereatur sempiterna gloria. Data VI. Kal. Aprilis in die sanctissima Paschae Turonis coram corpus Beatissimi. Anno X. regnante Domno Odone Rege,* id est A. 897. Sed iterum verba *Adelaidem quoque genitricem nostram & Robertum Comitem auum nostrum* in autographo abesse MABILLONIVS *Annal. T. III.* testatur. Si hoc bona fide in historia versari dicis, ego quid fallere sit, quid mentiri me ignorare profiteor. Sed audi iam, quid de hoc virorum doctorum ex Chartis spuriis asserta sua probandi studio in hoc ipso argumento iudicauerit MABILLONIVS *in Supplem. ad libros de re diplomat. c. 10. p. 45. Quamquam* inquit, *magnopere laudandi sunt eorum conatus, qui Rotberti Fortis genus inuestigant & illustrare student; ita maxime reprehendendi, qui fictis aut fucatis titulis tam illustrem virum dehonestant, qualis fuit nuper vir quidam haut ignobilis,* (IOH. BAPTISTAM ESPERNONIVM Ducem, aut potius, qui eius scrinia expilauit, LVDOVICVM ROGERIVM DE PRADES intelligit,) *qui Roberti genus deducere tentauit ex Eccardo Comite, cuius paternum genus ex Nebelungo proauo per Childebrandum auum deducere conatus est, - -* ***prolatis argumentis ex Chartis*** *Siluiniacensis Monasterii, nuperrime a rusticano quodam homine istuc allatis, & a Priore, qui nobis haec retulit coëmtis,* ***quas viri docti statim atque vulgatae sunt, vt spurias habuerunt, & nos ipsi recentissime scriptas fuisse deprehendimus.*** Haec de ESPERNONIO Vir cordatus scripsit. De BOVCHETIO non mitius iudicauit PAGIVS *in Critica Baronii ad A. 987. n. 4.* qui posteaquam BARONII opinionem, qua Hugonis Capeti originem a Carolo M. deriuare voluit, confutauerat, hoc suum subiungit iudicium: *Francici Genealogistae inter se non conueniunt de Theodeberti Comitis filio, nec de Roberti, cognomento Fortis, Francorum Regis, Patre, & tam* DVBOVCHETVS (adde etiam BLONDELLVM, qui eadem chorda oberrat,) *&* SPERNONIVS *Dux, quam alii,* ***Chartas*** *referunt,* ***aut falsas, aut corruptas, aut saltim male lectas, aut non bene applicatas.***

§. 14.

§. 14.

Breuiter adhuc quaedam difficultates indicantur, quae Blondellianam opinionem premunt, adoptata autem nostra sententia prorsus nullae sunt.

Nihil horum a nobis factum est, sed candide hactenus & ingenue in medium prolata sunt omnia. Abstinemus ab omni fuco, damnamus fingendi pruritum, neque a Lectore nostro quidpiam exigimus, nisi candorem, qui semper hominem ingenuum decet, & vacuum a praeconceptis opinionibus iudicium. Per nos licet Capetingis in Gallia sua sorte frui, quam diuina ipsis assignauit prouidentia, quacumque demum stirpe nati sint. Mihi enim, licet genere natus sim, quod apud Argentoratenses non ignobile & obscurum est, tamen posteaquam in his terris Deo bene volente fortunarum sedem fixi, nihil spei amplius in auita patria superest. Vnde etiam in tota illa controuersia, quibus diis Galli Regnatricem apud se Domum consecrent, mihi nec seritur, nec metitur. Sed qui ad amplectendam hanc sententiam me inuitauit, eamque mihi quasi imperauit, solus est veritatis amor. Ab eo enim tempore, quo studio historico me mancipaui, ita semper veritatem alloquor:

- - - tuus o Regina quid optes
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.

Et aut valde Suffenus sum, aut omnia mihi sua sponte ad roborandam sententiam nostram collimare videntur. Quam enim, quaeso, contorta est illa, quam BLONDELLVS Diuionensi Chronico affingit lectio, vbi loco *fratris* substituendum putat *fratres*. Verba *pater* & *vitricus*, *filius* & *priuignus* non nuda sunt vocabula, quibus pro lubitu vti licet, sed quam maxime in vita communi significantia habentur, & differentiam aliquam realem, vt ita loquar, inferunt. Et quis, quaeso, credat, potuisse Historicum non prorsus insani cerebri ita scribere, *supererant duo filii Roberti Andegauorum Comitis, fratres Hugonis Abbatis, Senior Odo dicebatur, Robertus alter, patrem nomine referens;* cum si haec mens, quam illi neoterici affingunt, fuisset CHRONOGRAPHO, prorsus otiosa foret & inepta haec locutio, omniaque clarius ita exprimi potuissent, imo debuissent: *Supererant duo fratres Hugonis Abbatis, alio tamen patre, Roberto nimirum Comite nati.* Nam cum in toto illo *Diuionensi Chronico* ne verbulum quidem deprehendamus de matrimonio, quod Adelheidi, Hugonis Abbatis matri, post primas cum huius patre nuptias, secunda vice cum Roberto Forti intercessisse fingitur, non credendum est, voluisse scriptorem huiusmodi aenigma proponere, quod nullo modo ex ipsius lectione soluere possent lectores. Tale autem aenigma reuera esset *fraternitas* illa inter Hugonem Abbatem & Odonem atque Robertum, postea Reges Franciae, quippe quae vnam quidem eamdemque matrem, duos autem diuersos patres nullibi in toto Chronico nominatos praesupponit. Fuerunt, quod non inficior, inepti atque rudes homines, ex quibus medii aeui historias hodie cum magna difficultate discere debemus; sed id tamen oneris lectoribus suis imposuerunt numquam, vt tam longa diuinatione opus sit ad verum verborum sensum eruendum. Nostra igitur culpa fit, si in hoc loco difficultatis aliquid deprehendimus; (f) quia malumus fingere, quae contigerunt numquam, (quale est illud Adelheidis Conradi Senioris viduae, cum Roberto Forti matrimonium,) quam quae vera sunt credere, quod scilicet Adelheis haec numquam Roberti huius vxor, sed mater fuerit. Quam primum enim inhaeremus vulgari lectioni; *supererant duo filii Roberti Andegauorum Comitis, fratris Hugonis Abbatis,* prona sunt omnia & facillima. (g) Erat Hugo Abbas vir summi nominis & dignationis, qui in bello contra Normannos maximam existimationem atque gloriam immortalem sibi parauerat. Hunc iam nominat Chronographus Diuionensis, vtpote virum, ex superioribus satis lectoribus notum

f) Egregie hanc in rem Illustrissimus GENDRAEVS *sans nous écarter*, inquit, *de nôtre sujet, & tout considéré, il faut convenir, que malgré les variations & l'obscurité de nôtre ancienne histoire, c'est moins le défaut de nos Historiens, que la mauvaise manière de les expliquer, & de les entendre, qui a causé ce grand nombre d'opinions differentes, dont aucune n'est soutenable, sur les ancêtres de Robert le Fort.*

g) Mirum igitur, qui Illustrissimus GENDRAEVS limatissimi iudicii vir & in rebus Genealogicis acutissime cernens, dixerit *p. 75. Il est prouvé, par des raison très fortes, & j'ose dire décisives, qu'il faut lire le mot* fratres *en cet endroit.* Etenim fortia illa, si diis placet, argumenta, nisi valde Suffenus sum, neruis omnibus omni pondere carere Lectoribus meis hactenus sufficienter exposui.

notum. Nimirum Conrado Parisino Comiti A. 863. successerat in bonis atque dignitatibus Robertus Fortis, filius, vt nos quidem putamus, natu maior, quem offensum quondam, ceu ex *Annal. Bertin. ad A. 859.* patet, iam vero ab A. 861. iterum sibi reconciliatum cum placitis honoribus Carolus Caluus receperat, vt iidem *Bertiniani Annales ad d. A.* loquuntur. Huic a Normannis A. 867. occiso frater Hugo Abbas surrogabatur, quoniam filii eius Odo & Robertus, vt supra audiuimus, eius nondum aetatis erant, vt Prouincias regere, & exercitus ducere possent. Ducum enim atque Marchionum nomina tunc temporis semper cum functione aliqua in Republica belli pacisque temporibus obeunda coniuncta erant. Itaque clarius iam loqui non poterat CHRONOGRAPHVS DIVIONENSIS, quam vt diceret: *At Hugone* (hoc scilicet Martis fulmine, in quo, vt est in *Annal. Lambecianis L. II. Comment. de Biblioth. Vindob. f. 336.* omnis spes Gallorum contra Normannos posita erat,) *vltimos vitae suae claudente soles - - supererant duo filii Roberti Andegauorum Comitis, fratris* natu maioris huius *Hugonis*, qui eorum hactenus ob aetatis legitimae defectum Curator erat. Sed, amabo, aspice adhuc aliquantulum oppositam huic opinionem, eamque paullulum curatius perpende & examina. Quodsi enim Robertus Fortis non Conradi Senioris Parisini Comitis filius, sed secundus Adelheidis maritus fuisset, sique ipsa Adelheis Ludouici Pii ex prima coniuge filia esset, num probabile foret, vt Carolus Caluus Imperator, memor procul dubio calamitatum, quas sui matrisque suae caussa subierat Conradus Senior, auunculus ipsius, hoc mortuo in praeiudicium filiorum eius, Conradi Iunioris & Hugonis Abbatis, qui tamen tunc temporis procul dubio iam maiorennes fuerunt, (h) beneficia & feuda paterna his subtraxisset, & in vitricum eorum Robertum Fortem contulisset, qui nullo sibi alio nomine coniunctus, quam quod foeminam vxorem duxerat, a cuius fratribus in suam perditionem olim conspiratum fuit? Ipsum Robertum BOVCHETIVS & BLONDELLVS Andegauensium Comitem nominant, nec in eo errant; (i) qui si fuit, habuit profecto, vnde commode viuere poterat. Quis hunc igitur adeo auarum, adeo iniustum credat, vt priuignos suos iis spoliarit bonis, quae ex hereditate paterna ipsis debebantur; praesertim cum non desint argumenta, ex quibus cognoscas, eum magni prorsus & generosi animi Principem fuisse? (k) Quis facile persuaserit sibi Adelheidem adeo omnis naturalis vinculi & tenerrimi in liberos affectus oblitam esse, vt haec primi sui thori pignora bonis omnibus nudata sine indignatione erga nouum maritum aspexisset? Sed quam primum nostram amplecteris sententiam, omnia quam bellissime conspirant. Robertus Fortis successit non modo patri Conrado Seniori in feudis atque beneficiis, quae ad Comitatum Parisinum spectauerant, verum etiam ex gratia Caroli Calui, cognati sui, Marchionatum Andegauensem nactus est. Huic A. 867. a Normannis occiso successit frater Hugo Abbas, quem ad suscipiendam impuberum ex fratre nepotum, Odonis & Roberti, tutelam tamquam proximum agnatum lex inuitauerat; eoque A. 887. mortalitatem exuente bona & dignitates ad Odonem, tamquam primogenitum Roberti filium, qui interim ad legitimos annos peruenit, reuertuntur. Quocumque proposito praemio dimicabitur,

h) Frustra omnino dicitur, Conradum Comitem, cum A. 861. vita functus esset, liberos alios non reliquisse quam impuberes. Longe alia nos docent *Annal. Fuldens. ad A. 858.* vbi filiis eius imputantur irae, quas Carolus Caluus contra fratrem Ludouicum Germanicum conceperat. *Cuius* (Caroli Calui) *animum ad vltionem iniuriarum suarum erexerant* filii Chounradi Comitis, *Ludouicum securum & paucos esse, qui cum eo ex suis remanserant, indicantes. Quos ille quidem quasi sibi fideles ad explorandos sibique renuntiandos actus Karli transmiserat. Illi vero fidem mentiti, & Karlo coniuncti quomodo Ludouicus ex improuiso cum multitudine exercitus obrueretur, tota intentione moliebantur.* Iudica ipse, an tale quid cadat in aetatem puerilem & imberbem?

i) Ita etiam in *Annal. Bertin. ad A. 865.* nominatur. Testantur praeterea *Annal. Metens. ad A. 861.* quod hoc anno Ducatum inter Ligerim & Sequanam aduersus Britones a Carolo Caluo acceperit. Anno 865. vt *Annal. Bertin. ad h. a.* habent, Comitatus Autissiodorensis & Comitatus Niuernensis ei ab eodem Carolo Imperatore collatus est, qui etiam, vt mox iidem *Annal. Bertin. ad A. 866.* subiungunt, Abbatiam S. Martini & Comitatum Augustidunensem ipsi donauit.

k) Sic enim v. g. recusauit Comitatum Augustidunensem ab Imperatore Carolo Caluo sibi oblatum, suaque intercessione atque precibus effecit, vt pro augendis reditibus Regii Principis Ludouici, quem Balbum dicunt, huic a patre donaretur, vt *Annal. Bertin. l. c.* habent; qui ipse tamen, iisdem Annalibus referentibus, A. 862. hostiliter eum impetierat; quod profecto non leue est nec contemnendum animi egregii & vere magni indicium.

bitur, semper ab hac opinione apud iustos rerum arbitros victoriam fore certus sum. Praetereo quas GEORGIVS VIOLES, Ordinis S. Benedicti sua aetate decus eximium, pro hoc argumento firmando protulit rationes, late recensitas a MABILLONIO *in Supplem. ad rem diplom. c. 10. §. 5.* quibus nescio an exacte responsione sua satisfecerit Illustrissimus GENDRAEVS; idque vnum adhuc addo, cum in matrimoniis contrahendis magna olim familiarum ratio habita fuerit, plus vice simplici inter posteros Iudithae Imperatricis & Burgundiae Transiuranae Regum, quos, vt notum est, Conradus Senior seuit, atque Roberti Fortis nepotes hoc ipsum necessitudinis vinculum renouatum esse (ceu sola inspectio tabularum genealogicarum, quas hactenus exposuimus, comprobat quam euidentissime,) vt igitur, qui exinde etiam pro nostra sententia argumentum petunt, Lectores suos non fallant.

§. 15.

Haec pro Roberto Forti Guelfico stemmati vindicando dicta sufficiant. Supersunt adhuc personae quaedam, de quibus doctorum virorum iudicia prouocanda duximus, qua ratione commode *ad stemma Guelficum* referri debeant. Et primo quidem ob sexus atque dignitatis praestantiam prodeat Princeps foemina *Hiltegarda*, a Dn. ECCARDO eiusque doctissimo Censore praetermissa, sed quam *Familiae Augustae* adsuendam suadet CONRADI, ABBATIS VRSPERGENSIS auctoritas. Hic enim licet *in Gelficis* MONACHVM WEINGARTENSEM solum prae oculis habuisse & ad verbum fere exscripsisse nobis videatur; tamen quia inter tot vetusta *Chronici Weingartensis* exemplaria, quae hodie quidem habemus, nullum cum altero prorsus consentit, (l) forte apographo vsus est a superstitibus hodie prorsus diuerso; vt labor hinc non inutilis sit, lacunas, quas in singulis deprehendimus, his omnibus inuicem iunctis sanare

Dispicitur de Hildegarda, Luitgarda vel Engelberga Regina, quam ad Guelficum genus quidam referunt.

l) Etenim quod primus omnium edidit HENRICVS CANISIVS *T. I. Antiqu. Lection.* & ex eo *Scriptoribus rerum Brunsuicensium T. I. p. 781. sqq.* inseri curauit LEIBNITIVS; illud postea Vir Illustris, CHILIANVS SCHRADERVS, qui in itinere in Germaniam superiorem suscepto duos manuscriptos Codices in Monasteriis Weingartensi atque Raitenbuchensi cum Leibnitiana editione ipsemet contulit, ita mancum atque imperfectum deprehendit, vt magnum lectionum variantium & supplementorum manipulum collegerit, quem cum LEIBNITIO communicatum *T. III. p. 658. sq.* insertum deprehendimus. Nemo igitur hactenus curatum huius Genealogiae exemplar typis exscriptum vidit. Vnde cum forte ex PETRI LAMBECII *Comment. de Bibliotb. Casarea Vindobon. L. II. C. 8. p. 975.* didicisset Illustris meus Praedecessor Dn. GRVBER, exstare inter Codices membranaceos Manuscriptos laudatissimae Bibliothecae, volumen Latinum, quo Anonymi cuiusdam Abbatis vel Monachi Weingartensis Genealogia illustrium Principum Guelforum, Monasterii Weingartensis, fundatorum contineatur, omnem is lapidem mouit, vt & huius inspiciendi sibi copia fieret, non male odoratus, fore vt beneficio huius Codicis, ceu etiam spoponderat LAMBECIVS, editio ista non mediocriter corrigi possit atque augeri. Annuit eius precibus ILLVSTRISSIMVS ET EXCELLENTISSIMVS SENATVS noster, qui vti litteras mirifice amat & promouet, ita nulli litteratorum virorum desiderio auxilium suum vmquam denegauit. Itaque eius potissimum iussu & auctoritate factum est, vt, qui tunc negotia POTENTISSIMI REGIS nostri in AVLA CAESAREA cum summa laude procurauit, hodie autem in eodem SACRO SENATV, cui terrarum Electoralium suprema administratio a REGIA MAIESTATE clementissime mandata est, saluti publicae prouidentissime prospicit, Illustrissimus & Excellentissimus DN. DE BVSCH Nobilissimo viro Dn. HINÜBER, Secretario suo, negotium describendi huius Codicis dederit. Ille vero vix manum conferendo Codici admouerat, cum, vt ipse fatetur, comprehenderet, Vindobonensem Codicem cum illo, quem LEIBNITIVS vulgauit, pro eodem haberi omnino non posse. Vt enim plerisque in locis prorsus non idem ordo narrationis seruatur, ita saepicule euenit, vt alter prolixius, concinnius alter vnam eamdemque rem narrauerit, iam quaedam addiderit, iam plura omiserit penitus; taceo nominum disparitatem, quae partim scribendi ratio distinguit, (e. g. vbi Leibnitianus *Leopaldus* habet, in Vindobonensi deprehenditur *Lupoldus*, ille *Virnsperch* hic *Vinsperck*, ille *Floperg* hic *Flochberg*, ille *Machildis* hic *Mathildis* legit:) partim alia sunt; sic pro *Theoderico*, vt LEIBNITIVS legit, in Vindobonensi legitur *Theodebino*, pro *Sanctum Ginesium* hic *Sanctum Benedictum* habet, & sic plura alia; vnde egregie de nobis meritus est laudatissimus Dn. HINÜBER, quod habita harum difficultatem ratione integrum Vindobonensem Codicem describere maluerit, quam frustatim dissectum ad Leibnitianam editionem adsuere. Nos vero vti hanc nobis praestitam operam grato animo agnoscimus, sic libellum ipsum in fine huius operis typis exscribi curabimus.

sanare velle. (m) Is igitur CONRADVS *Hiltegardam*, Henrici, Etichonis filii, sororem facit, *nuptamque* dicit *Ludouico Imperatori*. Quod ne per errorem dici putes, quasi scilicet confudisset CONRADVS nomina, & lapsu memoriae pro illa Iuditha Imperatrice, Ludouico Pio nupta, Hiltegardim scripsisset, quae mox subiuncta est, historia de quatuor millibus mansorum beneficiario iure ab Imperatore in Henricum affinem collatis prohibet. Etenim cum alius hic non intelligatur, quam *Henricus* vulgo *cum aureo curru* dictus, si hoc, quicquid in fabula hac veri est, ad Ludouici Pii tempora referre velles, necesse foret, vt eum vltra centum annos vixisse statueres. Quod sicuti sine temeritate nec dici nec fingi potest, sic rectissime quidem a Dn. ECCARDO animaduersum, turbatum esse in *Weingartensi Chronico* ordinem, & personas quasdam, forte ob nominis similitudinem, confusas. Ast licet ex eius mente Henricum, Etichonis filium, Welfi nepotem, Etichonis, Iudithae Imperatricis fratris pronepotem feceris, nondum tamen quid cum *Hiltegarda* faciendum sit in expedito est. Equidem SCAEVOLA & LVDOVICVS SAMMARTHANI fratres *Geneal. Reg. Francor. T. I. L. VII. p. 265.* MEZERAEVS in *Compendio historiae Gallicae T. II. p. 125.* aliique nonnulli Ludouico II. Imperatori, Lotharii Imperatoris filio, coniugem adscribunt *Engelbergam*, filiam Ethiconis Guelfi, Ethiconis Sueuiae Ducis neptem. Quod si verum esset, solus esset in nomine error, vt, quae a CONRADO *Hiltegarda* dicitur, *Engelberga* dicenda sit. Sed licet stemma *Engelbergae*, *Ingelbergae*, siue *Angilbergae* huius hactenus ignorem, (n) valde tamen mihi suspecta est eorum sententia, qui illam *Guelfico sanguine* natam fuisse dicunt; neque etiam video, quomodo Ludouicus, eius maritus, cui post diuisionem Imperii Carolingici Italia obuenerat, in Germania autem vel Bauaria nihil iuris erat, in vxoris fratrem, Henricum, tam liberalis esse potuerit, vt eum in Bauaria beneficio quatuor millium mansorum locupletauerit. Nec magis forte rem acu tetigit AVENTINVS *Tab. XIV.* quam editioni Germanicae *Annalium Boicorum* subiunctam cernimus, & CRVSIVS *P. II. Annal. Sueu. L. I. c. 13.* caeterique, qui horum vitulo ararunt, qui Ludouico II. Franciae Orientalis Regi, Ludouici Germanici filio, Carolomanni & Caroli Crassi fratri, *coniugem Guelficam* adscribunt, quam *Luitgardim* dicunt. Etenim licet de Ludouico II. Germanorum Rege REGINO *in Chron. ad A. 882.* testetur, quod habuerit matrimonio sibi copulatam Luitgardam, ex qua filium suscepit, quam suo nomine appellauit; nuspiam tamen locorum eam Guelfico sanguine editam inuenimus, immo potius Ludolphi Saxoniae Ducis ex Oda filiam fuisse satis euidenter docemur ex HROSWITHAE carmine *de fundatione Gandersheimensi* ap. LEIBNIT. *T. II. Script. Brunsuic. p. 325.* Vti igitur in re tam dubia nullum ferendi sententiam ius mihi arrogo, sic *Luitgardam* hanc, siue *Hildegardam*, vel *Engelbergam*, aeque ac *Barbonem, fratrem eius*, quem AVENTINVS *l. c.* nominat, & a Danis A. 880. occisum dicit, *in Genealogia Guelfica* hactenus omittere malui, quam loco parum congruo locare:

§. 16.

Idem examen instituitur de Adalberone Abbate Corbeiensi.

Neque magis certus sum de *Adalberone* Corbeiensium Abbate, & *Petronella* vxore Tortulfi vel Tertulli (forte Ordulphi) Andegauorum Consulis (o) vtrum ad

m) Hoc fere, ne quid dissimulem, penitus mihi persuasum est, & CONRADVM VRSPERGENSEM, & VITVM ARENPECKIVM *in Chronico Bauariae*, & AVENTINVM *Annal. Boicor. L. VI.* & CRVSIVM *Annal. Sueuic. P. II.* exemplar quoddam horum *Chronicorum Weingartensium* manuscriptum prae oculis habuisse, quorum aliud alio correctius nomina propria locorum & hominum, & annorum numeros exhibet; vtpote quae omnia in editis valde sunt corrupta, neque vmquam emendari possunt feliciter, nisi his auctoribus simul in consilium vocatis, dictisque eorum sedula cura diligentiaque expensis.

n) Res, vt opinor facilis fuisset MABILLONIO, Angilbergae huius natales detegere, quippe qui in *Museo Italico T. I. P. I. p. 210.* testatur, exstare & a se visa atque lecta esse in Monasterio S. Sixti ab Angilberga Augusta Placentiae condito varia diplomata, quae huius Angilbergae memoriam conseruant, & inter alia libellum dotis, quo Ludouicus II. Imperator eidem *Angilbergae sponsae iuxta legem Francorum dotalitio nomine dedit Curtem iuris sui, quae dicitur Campo Milliaco cum omnibus adiacentiis. Dat. III. Non. Octobr. anno Imperii sui secundo* (A. C. 856.) *Actum Maringo Curta regia.* Verum cum plura non dederit Vir Summus, merito a coniecturis abstinemus.

o) Consulis nomen saepe *pro Comite* ab auctoribus mediae aetatis ac sequioribus vsurpari iam obser-

ad Guelficum stemma pertineant. Sicuti enim recte monuit ad *L. VI. c. 4. §. 65. not. rrrr.* B. Dn. GRVBERVS, ad hunc ipsum *Adalberonem* inter legitima Guelfici sanguinis decora computandum vix sibi sufficere solius ANNALISTAE SAXONIS auctoritatem; sic post argumenta ab ipso in medium prolata non leue mihi contra eumdem dubium mouet silentium ANNALISTAE PADERBORNENSIS, qui Corbeiensium documenta in manibus habuit, & Volcmaro A. 1138. defuncto mox substituit Henricum I. *p. 751.* quem licet ibi *Henrici Ducis fratrem* vocet, mox tamen ad A. 1146. (quo a legato Pontificis ab officio remotus est,) rectius *fratrem Sigifridi Marchionis* appellat; (p) eique statim Wicboldum substituit, de stirpe Dominorum *de Prato* Leodii natum. (q) Equidem non ignoro, successionem Abbatum Corbeiensium, quae in hoc temporis interuallo in vulgatis Chronicis deprehenditur, ita turbidam esse, vt cum eius temporis monumentis vix conciliari queat. Cum tamen in eo Chronica omnia conueniant, Volcmarum Abbatem Anno, vt diximus, 1138. diem supremum obiisse, si Adalbero, Ducis Henrici Nigri filius, huic substitutus fuisset, defunctus demum A. 1144. merito exigeremus monumenta quaedam & diplomata, quae vel hoc eius nomen continerent, vel de gestis sub eo aliquid nobis dicerent, cum iam per sexennium & vltra Monasterium rexisset, idque eo tempore, quo Saxoniae Ducatus *fratri Henrico Magnanimo* vi & iniuria ereptus est. Sed nullam hactenus nec in libris, qui in publicam lucem prodierunt, nec in Collectionibus diligentissimi PAVLLINI, quem *Tabularium Corbeiense* sedulo excussisse constat, & cuius schedae Manuscriptae, nobis ad manus sunt, inuenire potuimus chartam, quae aliquam eius mentionem faceret. Equidem argumentum hoc Celeberrimi Dn. FALCKENII diligentiam exercere scio, cuius *traditiones Corbeienses* iam pridem auide exspectant patriae Historiae cultores, atque hinc spem omnem nondum eieraui, fore vt si in lucem prodierit doctissimum opus, multa exinde discamus, quae ignoramus hactenus. Neque enim puto virum Clarissimum in *delineatione historiae Corbeiensis diplomaticae p. 17.* temere dixisse, eum A. 1147. in Coenobium Vllerheimense, quod ab A. 990. virgines Deo sacratae inhabitauerant, Monachos Corbeienses immisisse; (r) licet iure adhuc desiderentur diplomata & chartae, quae in hoc & in aliis negotiis nomen eius disertim exhibeant.

f 3 §. 17.

obseruauit laudatissimus MABILLONIVS *ad vitam S. Wilhelmi Aquitaniae Ducis in Actis SS. Ordinis S. Benedicti Saeculo IV. P. I. p. 73.*

p) Videtur tamen ANNALISTA PADERBORNENSIS hic cespitasse, cum verius sit, duos fuisse Abbates Henricos, qui inueniuntur in diplomate Conradi Regis dato A. 1145. ad preces *Henrici Abbatis & Henrici Praepositi Corbeiensis Ecclesiae* apud eumdem *p. 763.* Hic enim Henricus Praepositus A. 1146. cum Abbas Henricus, frater Sigifridi Marchionis, hac dignitate exutus esset, in locum eius electus quidem, sed mox eodem anno VIII. Id. Octobris defunctus est, obseruante MARTENAEO ex quodam *Chronico Corbeiensi MSCto* in vita Wibaldi siue Wicboldi *T. II. Collect. Ampliss. p. 170.* qui etiam confirmat, expulsum illum priorem Henricum Sigefridi Comitis, non autem Henrici Ducis fratrem fuisse.

q) Equidem PAVLLINVS *Wicboldum hunc Comitem Northeimensem & Dynastam Bomeneburgi, Theodorici Comitis filium, & alumnum Coenobii Corbeiensis, non Vazorensis* (Walciodorensis in mente habuit,) *in dioecesi Leodiensi, vt* BVCELINVS *vult, fuisse* tradit. Cui quantum ad *natales Wicboldi ex Familia Comitum Northeimensium* succinit Plurimum Reuerendus Dn. IOH. FRIDERICVS FALKENIVS *in delineatione Historiae Corbeiensis diplomaticae p. 18.* qui etiam cum Chronicis Corbeiensibus typis vulgatis vitam Wicboldi vsque ad A. 1174. producit, cum tamen MARTENAEVS *l. c.* euidentissime ostenderit, eum in legatione transmarina Butelliae in Paphlagonia XIV. Kal. Augusti Anno 1158. non sine suspicione propinati veneni interiisse. Sed auctor vitae Wicboldi probat, eum de clara stirpe Dominorum *de Prato* Leodii natum, Walciodori cucullam induisse, (quod etiam probatur diplomate Lotharii Imperatoris infra *L. VI. Probat. n. 78.* adducto) & paullo post ad Stabulenses translatum, primas in eo Monasterio obtinuisse, donec ei Anno 1146. XI. Kal. Nouembr. imponeretur quoque Coenobii Corbeiensis cura.

r) Equidem diploma, quod apud MARTENAEVM *T. I. Collect. ampl. p. 769.* superest, & infra a nobis *in Probat. ad L. VI. n. 84.* productum legitur, *Thietmaro, Verdensi Episcopo* gloriam reformati huius Monasterii adscribit, & nouum quidem Monasterii Abbatem *Sifridum* nominat, A. 1152. iterum ex eodem Monasterio eiectum, (ceu infra *l. c. n. 85. & 86.* ex epistolis Wicboldi Abbatis Corbeiensis docemur,) nullam autem Corbeiensium Abbatis Adelberti mentionem facit. Vt igitur nisi aliae Viro Clarissimo in

§. 17.

& de Petronilla Andegauorum Comitissa.

De *Petronilla* autem vehementer quidem optarem, vt recte se haberet BOVCHETII atque BLONDELLI sententia, qui eam cum Dn. ECCARDO *L. IV. c. 4. §. 9.* Conradi Senioris, Comitis Parisini, Iudithae Imperatricis fratris filiam fecerunt. (s) Licet enim maritus, cui nupserat, nullo natalium splendore celebris fuerit, tamen *per eam multorum Angliae Regum origines ad Guelficum genus commode referri possent.* Etenim Petronillae huius filius fuit *Ingelgerius*, (t) Comes Gastinensis, tempore Ludouici Balbi clarus, qui cumprimis illa Familiae suae potentiae fundamenta iecit, quae auxere postea filius & nepos *Fulcones Ruffus* (u) & *Bonus*, (x) sed omnium maxime pronepos *Gaufridus* vel *Gofridus Grisagonella*, siue a *grisa tunica* nomen referens, vid. *Gest. Cons. Andeg. c. 6. n. 1.*; FVLCO *fragm. hist. Andeg. c. 1. & 2.* Hic enim Signifer & Dapifer Regis factus, multisque honoribus & beneficiis a Roberto Rege ob fidem & praeclaram in bello operam sibi exhibitam auctus est: vtque solus genus propagauit, sic per filiam *Ermengardin* (y) Guilielmi Conquaestoris Angliae Regis per

in promptu sint Chartae, ex quibus participem in hoc negotio fuisse Adelbertum euidentius pateat, reformatio huius Monasterii A. 1142. adeoque eo tempore, quo ipsi in vulgatis Chronicis Regimen Abbatiae adscribitur, suscepta, nihil ad confirmandam ei Corbeiensem infulam faciat.

s) Pater eius fuit *Torquatius* de Armorica Gallia ortus, quem a Carolo Caluo post expulsos Normannos in Andegauensium Prouincia nemorum custodem constitutum dicunt *gesta Consulum Andegauensium C. I.* ap. DACHERIVM *Spicileg. veter. Scriptor. T. III. p. 237. edit. nou.* Egregia autem est, quae l. c. ipsi tribuitur, laus. Posteaquam enim laudatus AVCTOR *gestorum Consul. Andegauens.* commemorasset, quomodo Caroli Calui aetate plerique nobiles ita turpi otio atque ignauia torpuerint, vt ad rempublicam administrandam inepti prorsus fuerint, atque hinc Rex necessitate quasi coactus summos honores ignobilibus contulerit, quos inter etiam Tortulfus noster fuerat, de eo iam dicit *fuisse virum doctum hostem ferire, humi requiescere, inopiam & labores tolerare, hyemem & aestatem juxta pati, nihil praeter turpem famam metuere.* Et mox addit: *Hoc profecto constat, quod Tertullus quidem acer ingenio, fortunam suam & rerum tenuitatem animi amplitudine superuadens maiora se cupere & aggredi ausus sit. Haec ergo & similia faciendo nobilitatem sibi & suo generi peperisse refertur.*

t) Patet hoc ex modo laudatis *gestis Consul. Andegauens. c. 3.* ap. DACHER. *Spicileg. T. III. p. 238.* & FVLCONIS *Fragmento Histor. Andegau. c. 1. ibidem p. 233.* Ingelgerius ducta vxore *Delendi* (BLONDELLO *plenior. assert. genealog. Francic. p. 21. Adelindis* dicitur.) herede castrorum Ambaziaci & Castellionis, dimidiique Comitatus Andegauensis, terrarum harum dominus factus est, sicuti iterum ex *gestis Consul. Andeg. c. 3. n. 8.* docemur.

u) Fulco Ruffus, *Roscillae*, Garnerio nobili Turonensi, Locharum, Villentrasti & Haiae Domino, natae maritus, (confer. *gesta Consul. Andegau. c. 4. n. 1. & 2.* atque FVLCO *l. c.*) mortuus A. 938. BLONDELLO *l. c.* teste, praeter Fulconem bonum, Andegauensium Comitem, etiam Guidonem Episcopum Suessionensem Ingelgerium in iuuentute quidem, sed iam post adeptam militaris laudis gloriam multaque contra Normannos fortiter & praeclare gesta mortuum, genuit. Quod iterum laudata *gesta Consul. Andegau. c. 4. n. 3.* & *c. 5. n. 1.* nec non FVLCO *l. c.* confirmant. Sed nos fratres reliquos praecise non commemoramus; ne nimis prolixi esse cogamur.

x) Fulco Bonus, quem BLONDELLVS *l. c. p. 21. Gerbergae* maritum atque A. 958. mortuum dicit, praeter Gofridum filias habuit Aelidem, Stephani Gabalitae vxorem, si recte vidit BLONDELLVS *in plenior. assert. Geneal. Franc. p. 53.* Adelheidem Blancam, Wilhelmi Arelatensis, & deinde Roberti II. Aruernii Comitis vxorem, vid. ALBERICVS *ad A. 1013.* Constantiae & Ermengardis matrem, vt est ap. BLONDELLVM *Praef. Apolog. LXXII. * 3.* quam tamen *gesta Consul. Andegau. c. 8. n. 19.* per errorem Grisagonellae, cuius soror fuerat, filiam faciunt, vid. ALBERIC. *ad dict. A. 1013. p. 47.* IVON. CARNOT. *Ep. 211.* atque duos filios Guidonem & Drogonem, Episcopos Podienses. conf. *gest. Consul. Andeg. c. 6. n. 1.*

y) Gofridus Grisagonella vxorem habuit *Adelam* Roberti Trecensis Comitis & Adelae Werrae filiam, Lamberti Cabilonensis Comitis viduam, vt est ap. BLONDELLVM *plenior. assert. p. 21.* Filia eius Ermengardis, de qua vide BLONDELL. *Praefat. Apolog LXXII. * 3.* vxor fuit Conani Britanniae Comitis, ex quo suscepit Iuditham Richardi II. Ducis Normanniae vxorem, quae ei Robertum II. Ducem peperit, qui Guilielmi Conquaestoris Pater reliquos Reges Angliae felici stemmate propagauit.

;erius. † iuuenis.

Adelheidis Blanca, vxor I. Wilhelmi Arelatenſis. II.) Roberti II. Aruernii Comitis.

ex 1. matrim.

ER

Conſtantia. vxor Roberti, Regis Galliae Hugonis Capeti filii.

ex 2. mar.

Ermengardis, vx. Odonis II. Comitis Campaniae, qui poſt mortem Rudolfi III. Regnum Burgundiae affectauit.

IV ıdo.

RO s filia Lan- ɔaldi Fortis

GV ndegauenſis, rgis filia He- Mileſendis, ıae.

AMALRICVS, Comes Ioppae & poſt fratrem *Rex Hieroſolymae.* vxor 1. Agnes Curtenacenſis. 2. Maria Comnena, neptis Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani.

s IV. ſo-

Sibylla mar. (1.) Wilhelmus Senior de longa ſpatha Comes Ioppenſis. (2.) Guido de Luſignan.

ISABELLA. mar. (1.) Enfridus de Turono ſeu de Montreal. (2.) CONRADVS, Tyri Regulus, poſt *Rex Hieroſolymae.* (3.) Henricus Campanenſis. (4.) ALMARICVS II. *Rex Cypri & Hieroſolymae.* Frater Guidonis.

W. vxor ONIS, *&*

BALDVINVS V. *Rex Hieroſolymae.*

IOLANTHA. vxor Iohannis de Brienne *Regis Hieroſolymae.*

IOLANTHA. mar. Fridericus II. *Imperator & Hieroſolymae Rex.*

per filium **Fulconem Nerram** (z) vero Fulconis Hierosolymae Regis abauus exstitit. Qui *Fulco* ex duabus vxoribus *Eremburgi*, filia & herede Heliae Comitis Cenomanensis (*liber de Castro Ambasiae c. 5. n. 25.*) fratri Martello quidem desponsata, nondum tamen ab eo domum deducta, & *Milesendi*, filia Balduini II. Regis Hierosolymae, (*Gesta Conf. Andegau. c. 13. n. 11. & 12.*) numerosam prolem tulit. Ex secunda scilicet **Balduinum**, Regem Hierosolymae, & **Amalricum** Comitem Ioppae, qui post fratrem Hierosolymis imperauit, & **Iolanthae** Imperatori Friderico II. nuptae proauus fuit; ex prima vero (a) **Gofridum Plantagenetam**, Comitem Andegauensem, Turonensem ac Cenomanniae, qui ducta Mathildi, filia & herede Henrici I. Regis Angliae & Ducis Normanniae, Imperatoris Henrici V. vidua, (*Gest. Consul. Andegau. c. 13. n. 10.*) **Gaufredum** Comitem Nannetensem, **Wilhelmum** & **Henricum** Ducem Normanniae, Comitem Andegauensem, Turonensem ac tandem Regem tulit, conf. *liber de Castro Ambasiae c. 6. n. 11. 20. & 22. Gest. Conf. Andegau. c. 14. n. 2.* cui Henrico Monachus ille Benedictinus maioris Monasterii *gesta Consulum Andegauensium*, ad quae toties hactenus prouocauimus, inscripsit. Hunc vxor Alienor, Comitissa Pictauiensis & Ducissa Aquitaniae, multorum liberorum patrem fecit, ex quibus solos in praesenti nominabimus filios, **Richardum** dictum **cor Leonis**, & **Iohannem** Reges Angliae & Duces Normanniae, atque filiam **Mathildim**, nostri Henrici Leonis coniugem, quam felicem omnium DVCVM BRVNSVICENSIVM matrem in praesenti Originum Guelficarum argumento primo loco commemoramus. At enim vero licet haec omnia prolixius hic annotasse vel ideo nos non poeniteat, quia ad vberiorem Genealogiam Comitum Andegauensium vetustiorum faciunt, in qua delineanda diligentiam suam desiderare passus est ipse nobilissimarum Galliae Genealogiarum egregius artifex, ANDREAS DVCHESNIVS; (b) tamen, ne quid

z) Duo fuere Gofrido Grisagonellae filii, Fulco Nerra & Mauritius. Mauritius filiam Hamerici Consulis Santonici, neptim Raymundi Comitis Pictauiensis, vxorem habuit *Gest. Conf. Andegau. c. 7.* Fulco Nerra vero, Comes Andegauensis, (quem *Gest. Consul. Andegau. c. 7. n. 1.* per errorem Mauritii filium faciunt, cum tamen FVLCO *l. c. c. 2. & 3.* hunc suum auum ex matre vocet filium Grisagonellae,) pater exstitit Gofridi Martelli Comitis Andegauensis, Agnetis mariti (*Gest. Consul. Andegau. c. 9. n. 19. & 20.*) sine liberis mortui (FVLCO *l. c. c. 1. & 4.*) Adelae (*Gest. Consul. Andegau. c. 8. n. 13.*) & Ermengardis. Haec Ermengardis bis nupta, primo Gofrido de Castro Landono, postea Alberico Wastinensium Comiti, illum priorem suum maritum, vt FVLCO *l. c. c. 1.* docet, non vero hunc posteriorem, vti quidem ALBERICVS Triumfontium Monachus, ORDERICVS, BLONDELLVS & sequaces asserunt, patrem fecit Gofridi Barbati Comitis Andegauensis, simplicis atque imbecillioris ingenii principis, (ALBERICVS *ad A. 1060. p. 99.*) atque huic a fratre Fulcone ob tyrannidem, quam demens exercuerat, Comitatu pulsi omnibusque honoribus exuti, (*Gesta Consul. Andegau. c. 10. n. 9.*) & Fulconis Richim, siue Rechia, Comitis Andegauensis, qui auctor illius Historiae Genealogicae Maiorum suorum, ad quam hactenus saepicule prouocauimus, exstitit. Huic tres fuere vxores, prima *Hildegardis*, filia Lancelini de Baugentiaco, (*Gesta Conf. Andegau. c. 11. n. 12.*) ex qua filiam suscepit Alani Fergani Comitis Britanniae vel Rhedonensis secundam vxorem. (ORDERICVS *p. 544. 310.*) quae vt *Gesta Conf. Andegau. c. 11. n. 12.* dicunt, *post obitum viri sui Ierusalem in Ecclesia Sanctae Annae vitam monialem exercuit.* conf. etiam *libr. de Castro Ambasiae & ipsius dominorum gestis* ap. DACHER. *T. III. p. 273. sqq. c. 5. n. 9.* Secunda Fulconis vxor erat *Ermengardis*, filia Archenbaldi Fortis de Borbono, (*Gest. Consul. Andegau. c. 11. n. 12. liber de Castro Ambasiae c. 5. n. 9.*) quae Gofridum Martellum II. Comitem Andegauensem peperit A. 1106. insidiis nouercae patre, vt fertur, consentiente occisum, conf. *Gesta Conf. Andegau c. 11. n. 12. & c. 12. n. 5. libr. de Castro Ambasiae c. 5. n. 12.* Tertia eius vxor, quam repudiata Ermengardi duxit, *Berta* siue *Bertbreda* de Monte Forti, deserto marito Philippo Franciae Regi nupsit. vid. *libr. de Castro Ambasiae c. 5. n. 17.* ORDERIC. VITAL. ALBERICVS *ad A. 1060.* IVO CARNOT. *cit. ep. 211.* ex hac vero Fulco Comes Cenomannensis, Turonensis & Andegauensis ac Hierosolymae Rex natus.

a) Habuit praeterea ex prima vxore Sybillam Guilielmo filio Roberti Ducis desponsatam, deinde Terrico Comiti Flandriae nuptam (ORDERICVS VITAL. *l. c.*) Mathildim vxorem Wilhelmi Adelini, filii Henrici I. Regis Angliae. & Heliam Comitem Andegauensem (*Gest. Conf. Andegau. c. 13. n. 10.*) in iuuentute ex morbo in carcere, in quem frater Gofridus ob motas turbas eum coniecerat, contracto mortuum. *Gest. Conf. Andeg. c. 14. n. 1.*

b) Ita enim iam schema ab eo *in Scriptoribus Normannicis p. 1072.* prolatum emendandum atque supplendum erit.

quid dissimulem, valde dubito, annon lapsi sint in Petronellae parentibus definiendis Triumuiri Celeberrimi. Etenim *in Chronico Turonensi*, ad quod prouocauit CHIFLETIVS *Vindic. Hispanicis p. 15.* ipsamet dicitur *filia Hugonis M. Ducis Burgundiae, & matertera alterius Hugonis M. Abbatis B. Martini Turonensis*, cum quo consentit IOHANNES, Monachus maioris Monasterii, in saepius a nobis allegata historia veteri, quam *Gesta Consulum Andegauensium*, inscripsit *c. 3. p. 238.* ap. DACHERIVM Petronillam hanc disertis verbis *Ducis Burgundiae filiam* nominans, vnde etiam eius filius *Ingelgerius* ab eodem IOHANNE Monacho, ODONE item, Cluniacensi Abbate, in tractatu *de reuersione corporis S. Martini ab Autissiodoro* ad A. 887. nec non ALBERICO, Trium Fontium Monacho, ad A. 913. *Hugonis Ducis Burgundiae nepos* dicitur; quod occasionem praebuit CHIFLETIO *l. c. p. 12.* & *p. 194.* vt ab Hugone Caroli M. filio notho, *Petronellam* nostram deduxerit, eamque Adelheidis, de qua in superioribus prolixe actum, sororem fecerit (c) hoc modo:

Carolus M. Imperator
Concubina Regina.

Drogo Episcopus Metensis. — Hugo M. Abbas S. Martini Turonensis, Dux Burgundiae.

Hugo M. Abbas: Adelais, Conradi Maioris Ducis Burgundiae & Comitis Parisiensis vxor. — Petronilla, vxor Tertulli Comitis Gastinensis.

Adelais: Robertus Fortis, Dux Francorum; & sic Galliae Reges ex stirpe Capetingica. — Hugo Abbas, Dux Franciae & Burgundiae. — Conradus Iunior, Comes Burgundiae Transiuranae; & sic caeteri Burgundiae Reges.

Petronilla: Ingelgerius, Comes Gastinensis.

Fulco Ruffus, Comes Andegauensis.

Fulco Bonus, Comes Andegauensis.

Quamuis etiam in hoc schemate tot remaneant difficultates, vt certi quid definire non facile liceat.

§. 18.

Iudicium de quibusdam numismatibus in hoc libro recensitis.

Sed haec pro scopo Praefationis dicta sufficiant. Vti enim Lectori Humanissimo iudicium in omnibus saluum esse cupimus, ita cuicumque opinioni hactenus recitatae assensum praebeat, amicum semper nos habebit, quippe qui nihil nobis arrogamus, nullamque aliam laudem affectamus, quam veritatis studium. Atque hinc etiam de multis rebus hoc ipso volumine prolatis iudicium nostrum suspendere maluimus, quam temere iudicare. Quod praecipue *de numismatibus* dictum volumus, quae in praesenti libro frequentiora occurrunt. Cum enim non satis nos ab iis instructos esse praesidiis agnoscamus, quae in arbitrandis numorum medii aeui aenigmatibus pernecessaria sunt, (vbi haut raro omne artificium a coniecturandi studio, merisque ingenii lusibus pendet,) suus per nos cuique sensus, suum iudicium saluum esto. Oedipo enim in plurimis opus esse (d) ii mecum fatebuntur, qui v. g. oculos con-

c) Valde ambigue hic loquuntur *Gesta Consulum Andegauensium*, quando *c. 4. n. 2.* de Fulcone Rufo dicunt, *eum Hugoni Abbati per auiam suam consanguinitate iunctum fuisse*. Siue enim *Petronillam* iam cum BLONDELLO *Adelheidis filiam*, siue cum CHIFLETIO *sororem* dixeris, eadem semper manent Fulconis Rufi cum Hugone Abbate consanguinitatis iura. Vnde hoc testimonio nihil in praesenti argumento iuuamur.

d) Notius est IOH. PAVLI GVNDLINGII, (ast quam docti in rebus Germanicis Viri,) exemplum, quam vt prolixe hic commemorari debeat. Is enim, cum forte in manus eius incidisset numus, in quo solae litterae VI. . ZON. . legibiles erant, eius aspectu ita se decipi passus est, vt dissertationem scripserit *de numo VIZONIS*, *Vizonem*, nescio quem *Heroëm Carolo M. contemporaneum*, auctorem eius fingens. Sed postea com-

coniecerint in numum Conradi Anti-Caesaris, quem Dn. ECCARDVS *L. VI. c. 4. §. 18.* exhibet. Etenim vix puto, quemquam facile tam linceis oculis praeditum esse, vt litteras illas, quae SVEVIAE DVCEM indicent, detegat, quas ibidem tamen deprehendi Dn. ECCARDVS confidenter satis pronunciauit. Id vero doleo, cum domicilio, quod haec scribens apud nos habuerat Vir Illustris, postea etiam oculi aciem paululum ipsi immutatam fuisse. Etenim qui cum ad Leinam & Ouacrum positus esset, in numo hoc acutissime vidit verba CVNRAD SVEVIAE DVX, is in agro Herbipolitano aliis conspicillis oculo admotis abrupte hanc lectionem negat, & in *Cimeliarchio Palatino* veluti ad se rediens *p. 53.* pro certissimo tradit, litteras hasce barbare confusas idem esse, quod SANCTVS SIMON ET IVDAS. Iudicent periti, quid huiusmodi monumentis tribuendum, quorum figurae & litterae, in quamcunque partem velis, conuerti ac detorqueri ab audace interprete possunt. De numo vero, quem idem Dn. ECCARDVS *L. IV. c. 8. §. 3.* magna confidentia Henrico Magnanimo abiudicauit, & Henrico II. siue Heziloni Bauariae Duci, Henrici rixosi filio, Imperatoris impuberis Ottonis III. tutelam affectanti, vindicare voluit, longe rectius censuisse mihi videtur Illustris Dn. KOEHLERVS, cuius eruditas obseruationes non sine fructu me legisse memini. (e) Sane vti Saeculo

comperto errore, quod numus hic *Tobinii ciuitatis Heluetiae*, vulgo *Zouingen* dictae, nomen referret, (de qua IOH. BAPT. PLANTINVS *in Heluetia antiqua & noua p. 61.* & FRANCISC. GVILLIMANNVS *de rebus Heluet. p. 37.* obseruarunt, quod magnae olim dignitatis fuerit, & iam a tempore Caroli Crassi Imperatoris cudendae monetae auctoritatem & licentiam habuerit;) tam vehementer eum scripti huius puduit, vt omnia & singula eius exemplaria, quotquot recuperare poterat, summo studio diligentiaque coëmerit atque suppresserit, ne facile superesset lapsus tam inepti ridiculique testis.

e) Argumenta Viri Summi in obseruationibus litterariis, quae singulis septimanis cum indiculo rerum quotidiani vsus heic prodire solent, nuper typis vulgata sunt. Cum tamen non ita facile huiusmodi schedae in Virorum Doctorum bibliothecis extra pomoeria nostra comparari queant, forte rem gratam multis Lectoribus exhibebimus, si breuiter ea & in compendio hic repetimus. Et primo quidem monemus ectypum alterius numi, quem Dn. ECCARDVS *l. c.* exhibet, ab archetypo, quod ex singulari eiusdem Dn. KOEHLERI cura reliquis DOMVS AVGVSTAE numismatibus adiectum hodie in Bibliotheca Regia asseruatur, aliquantulum labi, vnde operae pretium duximus correctius illud ante omnia oculis Lectorum subiicere.



Sed ecce iam rationes Viri Celeberrimi, qui in studio numismatico omnis aeui, vt in fundo suo habitat. (I.) Inscriptio REGINA CIVITAS dubitare nos non patitur, denarium hunc *Ratisbonae* cusum esse; quippe hoc *antiquum* eius *nomen* apud multos Scriptores & in Chartis etiam atque diplomatibus ipsi tribuitur. conf. *Tabul. Peutinger.* ANTON. *Itinerar.* WILIBALD. *in vit. Bonifac. c. 9.* GEWOLDI *addit. ad* HVNDII *Metrop. Salisb. T. I. p. 247.* Iam vero Ratisbona, antequam proscripto Henrico Leone in libertatem sese vindicasset, Norici Ducatus Metropolis erat, & Ducum Bauariae sedes, OTTO FRISING. *L. II. de gest. Frider. I. Imp. c. 28.* AVENTIN. *Annal. Boior. L. VI. c. 6.* & *L. VII. c. 1.* (II.) Certum est ex eadem inscriptione DVCEM aliquem HENRICVM denarium hunc cudi fecisse. At enim vsque ad Henricum Superbum sex fuere huius nominis Bauariae Duces. *Henricus I. Rixosus*, Henrici Aucupis filius, ab A. 945. ad A. 955. *Henricus II.* siue *Hezilo*, Henrici Rixosi filius, ab A. 955. ad A. 995. *Henricus III.* Hezilonis filius, postea in Regem Germaniae & Imperatorem electus, ab A. 995. ad A. 1004. *Henricus IV.* Comes Luxenburgicus ab A. 1004. ad A. 1027. *Henricus V.* Imperatoris Conradi Salici filius A. 1031. *Henricus VI. Niger*, Welfi IV. filius, ab A. 1120. vsque ad A. 1126. Ex his Henrico II. Dn. ECCARDVS denarium hunc vindicat, eumque cusum dicit eo tempore, quo Henricus Ottonis III. Regis impuberis tutelam affectauit; id quod ea potissimum ratione ductus asserit Vir Doctissimus, quia O in numo hoc conspicuum pro monogrammate Ottonis Regis habet. Verum lapsum esse Dn. ECCARDVM (III.) multa produnt. Vnica enim littera monogramma non est, quippe quod ex omnibus nominis litteris formari consueuit; & quoties Ottonis nomen in numis occurrit, non modo in circuitu legitur DEI GRATIA REX, verum nomen ita exprimi solet



vel

O
T T
O

accedit (IV.) quod figura illa, quam pro littera O habet Dn. ECCARDVS littera non sit, sed globulus potius, quo rudis monetarius pro ornamento vsus est; plures enim occurrunt denarii huiusmodi globulis exornati (exemplum vide p. 40.) denique (V.) si excipias vnicum illud Adelheidis exemplum, quae mater & tutrix Regis numos cudi fecit a Dn. WICHMANSHAVSEN *in Catalogo veterum*

culo XII. Duces aliqui Germaniae argentum signasse leguntur, sic non video quid prohibeat, quo minus idem fecerit Henricus noster Magnanimus, Princeps tantae potentiae & immensarum opum, vt in vniuersa Germania parem sibi & aequalem non habuerit. Ei enim praeter Italicas terras, quae solae Regnum quodcumque Europae diuitiis adaequant, duo amplissimi in Germania Ducatus, Bauariae scilicet & Saxoniae, paruerunt; immo is Imperatorem socerum habuit commodis suis promouendis augendisque intentum satis atque perindustrium; Vt iure omnino dici queat, eius quam maxime interfuisse, ne in vlla re aliis ordinis sui Proceribus inferior videretur; atque hinc vt diuitias suas & Augustae Domus Maiestatem Celsitudinemque ostenderet, numos eum suo nomine insignitos cudi iussisse. Verum enim vero vtcumque haec speciose dici possint, tamen nec illud improbabile est, Fridericum Comitem Bogensem, Ratisbonensis Ecclesiae Aduocatum, qui eidem Duci Henrico Superbo grauis & molestus fuisse legitur, alterum illum numum, quem eodem loco Dn. ECCARDVS exhibuit, & iam ante eum TENZELIVS *Colloquiorum menstruorum Anni 1698. mense Octobri p. 892.* cum orbe erudito communicauit, in cuius antica frontispicium templi est cum monetarii nomine, & circum legitur RATISPONA CIVITAS; in auersa autem caput S. Petri conspicitur, cudi fecisse. Siue id iam fecerit, quod homo arrogantis ingenii in mente haberet, se iure aliquo Ducis potestatem numos Ratisbonae cudendi dubiam reddere posse; siue quod ita ius regale exercere vellet, quod vt aliis Episcopatibus (f) ita etiam Ratisbonensi Ecclesiae, cuius vt dictum, ipse Fridericus Aduocatus erat, ex peculiari priuilegio Imperatorum iam pridem competierat. At in his omnibus timidissimus ego definire aliquid non audeo, cum tale argumentum maiores curas & in re numismatica medii aeui magis versatum hominem postulet.

§. 19.

terum & nouorum numismatum P. II. p. CXLIV. n. 2. 3. 4. & 5. recensitos, nuspiam memoriae proditum legimus; Tutorem aliquem Regis Germaniae impuberis olim pecuniam signasse; immo (VI.) si hoc fecisset Henricus II. Regem potius se dixisset, quam Ducem, quippe qui teste DITMARO *L. IV. p. 346. a suis Rex appellatus.* (VII.) Ipsa monetae figura & typus XII. Saeculum prodit; etenim impressio diuersa prorsus ab aliis numis Ottonis III. aetate cusis, vt igitur & hic denarius sententiam a Dn. ECCARDO ibidem propositam firmare debeat, quod nimirum ante Saeculum XII. supra medium adultum Duces Germaniae nulli argentum signarint. Denique (VIII.) pro numo hoc Henrico Magnanimo vindicando pugnat, quod is iura superioritatis omnia Ratisbonae exercuisse legatur apud AVENTIN. *l. c. L. VI. c. 3.* atque hinc mirum videri non debeat, si etiam ius monetandi vsurpauerit, praecipue cum iam a Dn. DE LVDEWIG *in Com. ad Aur. Bull. P. I. p. 886. sqq.* abunde ostensum sit, primariis illis Germaniae Ducibus ius hoc ob sola superioritatis iura, quae in Prouinciis suis habebant, semper competiisse, nec Caesareo Priuilegio illis opus fuisse, quale etiam nullum hactenus ostendi potuit, cum tamen, vt ait HEINECCIVS *in Sylloge Numor. Goslar. §. 1. p. 4. sexcenta extent Ottonis I. insequentiumque Imperatorum diplomata, quibus Episcopis, Abbatibus & Abbatissis per Saxoniam monetas Regias concedunt.* & licet Dn. SCHLEGEL. *de Numis Abbat. Hersfeld. in not. (g) ad §. 7. p. 8.* existimauerit, haec diplomata Caesarea, vtut hodie haut amplius compareant, olim tamen adfuisse, cum difficulter credi possit, iure territorii ius monetae exercuisse saeculares Principes, Ecclesiasticos non idem, adeoque illis plus, quam his in suis terris licitum fuisse; atque hinc potius concludendum crediderit, hos in conseruandis & custodiendis huiusmodi priuilegiis reliquis Constatibus & saecularibus Principibus multo fuisse attentiores circumspectioresque, concedit tamen Vir Doctissimus, probabile esse, cum tot Sacri Ordinis Principes priuilegiis de iure monetandi muniti fuerint, eadem etiam non vni ex Principibus saecularibus fuisse indulta. Vt igitur ex quocumque titulo illud deriuetur, semper verosimile sit, Henrico Magnanimo ius hoc regale competiisse. (IX.) In subsequentibus ab Henrici nostri aetate non multum remotis temporibus subinde mentio fit monetae Bauaricae Ratisbonensis. Ludouicus I. Dux Bauariae & Conradus Episcopus Ratisbonensis A. 1205. transactione inita de moneta Ratisbonensi statuerunt, *quod stabilis sit, nec vlla vmquam post eam fiat, sed si factum fuerit Dux ad consilium & velle Episcopi prohibeat & retractet* ap. LVNIG *Reichs-Archiv T. IX. p. 124. N. LXXVI.* id quod etiam Imperator Philippus iisdem verbis confirmauit ap. LVNIG *l. c. T. XVII. p. 825. n. 9.* Vt igitur dubium non sit Duces Bauariae Ratisbonae ius monetandi habuisse, quoniam de eius exercitio inter ipsos atque Episcopos subinde lites exortae, de quibus etiam *Chron. Augustense ad A. 1255. ap.* FREHER. *T. I. Script. Rer. German. p. 531. Hainricus*, inquit, *Dux cum Alberto Episcopo Ratisbonensi plene concordans monetam Lantshutensem, quam pater suus fabricauerat, cassauit, & innouatam* monetam Ratisbonensium denariorum *dari sicut prius per suum districtum permisit & praecepit.*

f) Etenim iam a tempore Henrici Aucupis, immo etiam ante eius aetatem, ius monetandi ab Episcopis & Abbatibus Germaniae exercitum fuisse docet TENZELIVS *in Colloquiis menstruis A. 1693. p. 432. sqq.*

§. 19.

Et de pretio historiae de poenitentia Welfi Ducis aliorumque huius commatis librorum.

Vnum adhuc supereſt, quod antequam praefationem hanc finiam, monendum cenſui. Exhibemus *in Probationibus ad Libr. VI.* prolixam *de poenitentia Welfonis Ducis* (vt inſcriptio habet,) hiſtoriam, ſeu potius fabulam, quam vt Scriptoribus ſuis Brunſuicenſibus insereret olim ex Monaſterio Tegernſeenſi communicatam accepit Summus LEIBNITIVS, qui tamen cognita ieiuna & ſterili narratione cum ob dictionem prorſus barbaram & ineptam, tum ob temerarias & nugaciſſimas fictiones eam luce prorſus indignam eſſe exiſtimauit; praecipue quod famam ſimul roderet Welfi Ducis, & homicidii in Auguſtano Epiſcopo commiſſi reum faceret Principem ab hoc ſcelere immunem. Ego vero, pace manium Summi Viri, vetuſtum hoc monumentum e tenebris producendum duxi, vtpote ex quo diſcimus quodammodo, quae facies, quis ſtatus fuerit litterarum in Germania media, licet barbara & inculta. Id vero vehementer doleo, quod non licuerit mihi eſſe adeo felici, vt primaeuum illud exemplar Germanicum nactus ſim, cuius haec Latina eſt interpretatio; quippe cuius editione procul dubio linguae noſtrae amatoribus rem feciſſem longe gratiſſimam acceptiſſimamque. Habuit nimirum olim Germania noſtra Poëtas ſuos atque *Phonaſcos*; omnis generis fabularum inuentores, Gallis *Troubadores*, noſtris *Meiſterſaenger* dictos. Hi ad imitationem *Bardorum*, Cantorum apud veteres Gallos, quorum eos ſucceſſores eſſe putat WAGENSEILIVS, facta ſingularia ingentiaque Principum auſa in cantilenas redigebant, atque hos hymnos ſuos in publicis feſtiuitatibus (g) atque ad menſas Magnatum recitabant. Vt vero eo magis placerent auribus, miraculis pro ſuperſtitione ſaeculi aſſuetis, mirabilia larga manu addebant, atque ita ſaepe inuertebant geſta, vt praeter Herois nomen vix veri quid in plurimis eorum cantaris cognoſci poſſit. Quo ipſo tametſi hiſtoriam veterem miſere corruperint, (h) Principibus tamen & nobilibus viris ita in deli-

g) Egregie hoc probat locus ex *Annalibus Argentoratenſibus* a SCHILTERO productus *in Gloſſario Teutonico p. 88.* vbi de Ruperto Argentinenſi Epiſcopo Anno 1449. ſub ſolemnibus inaugurationis magnifico conuiuio excepto narratur: *Es giengen auch* vor dem Tiſch *acht* Poëten, *die hatten ihre* Reimen und Sprüche, *waren auch bekleidet wie die Propheten, hatten auch in ihren Haenden allerley Seytenſpiel und* ſpielten vor dem Tiſch. Morem hunc Norimbergenſes ſua adhuc aetate ſeruaſſe teſtis eſt WAGENSEILIVS *in libro Germanico de Phonaſcis adiuncto Commentario de Ciuitate Norimbergenſi p. 466.* Bardorum veterum, vt dixi, in iis vmbram aliquam referri videmus: quos licet VALESIVS *in notis ad* AMMIANVM MARCELLINVM *p. 94.* ſcurris Romanorum & mimis ſiue ioculatoribus aſſimilet; honeſtiſſimo tamen loco ab omni tempore habitos fuiſſe, nec tam iocis aut adulationibus indulſiſſe, quam quidem pro ſaeculi barbarie morum magiſtros egiſſe ii non ignorabunt, qui DIODORI SICVLI, STRABONIS, HESYCHII, ATHENAEI, AMMIANI MARCELLINI, immo TACITI ipſius de eorum in republica conditione teſtimonia paullo curatius expenderint; Recitat ea prolixe WAGENSEILIVS *l.c. p. 497. ſqq.* quorum breuitatis ſtudio Lectores remittimus. Nec alia quam honeſtiſſima erat conditio plerorumque illorum verſificatorum, qui medio aeuo in Germania in aulis Principum, vt diximus, claruere, ſuisque cantilenis & poëmatibus famam ſibi & exiſtimationem pepererunt. Qui enim eos homines ex fece plebis credunt, grauiter errant, cum vtique inter eos fuerint viri nobiles, & equeſtri etiam dignitate conſpicui. Vti vero optima maiorum inſtituta a primo ſuo ſcopo & inſtitutione ſenſim degenerare poſſunt, ita etiam ſequior aetas horum Phonaſcorum multos tulit, de quibus dici poterat illud, quod eſt apud SENECAM TRAGICVM *in Medea:*

> Feſta dicax fundit conuicia Feſcenninus.

Vnde a Carolo V. & Rudolfo II. Imperatoribus in *Reformat. Politiae Aug. Vindelicorum 1548. art. 25. & Francofurti 1577. tit. 31.* edictum: Nachdeme auch mancherley leichtfertig Volck befunden, die ſich auf Singen und Sprüche geben, und darinnen den geiſtlich und weltlichen Stand verächtlich antaſten, und zu beyden Seiten gefaßt; ſind ſie bey den Geiſtlichen, ſingen ſie von den Weltlichen, und hinwiederum bey den Weltlichen von den Geiſtlichen, welches zu Zwieſpalt und Ungehorſam gereichet; Iſt unſer ernſtlich Befehl und Meinung, wo ſie betretten, daß ſie von der Obrigkeit geſtraft werden ſolten. Doch wollen wir diejenige, ſo Meiſtergeſang, (i.e. carmina heroica, quale eſt Hiſtoria noſtra de poenitentia Ducis Welfi,) ſingen, hierinnen ausgeſchloſſen haben.

h) Vnde neſcio, qua ratione inductus AVENTINVS *Annal. Boicor. L. IV. p. 186.* poſt recenſitas varias de loco natiuitatis Caroli M. opiniones tandem concluſerit, *ſed vt apud nos* canitur, *certioresque tradunt, natus eſt in Carlsburg, quae arx eſt Superioris Boiariae, & inde hoc nomen retinet, religioſeque adhuc colitur ac monſtratur; nam apud nos ea de re extat* liber verſibus antiquis more maiorum confectus. Etenim ſi

deliciis fuerunt, vt nonnumquam etiam Imperatores & Reges, ceu iam a GOLDASTO obseruatum, certamina instituerint poëtica, in quibus contentio de praemiis propositis erat, quae virgines nobili Familia natae offerebant victori cantus, non secus atque in hastiludiis. Licet autem horum hominum studia litteraria hodie nobis vilia atque prorsus nulla videantur, tamen illo aeuo & delectabant simul, & ad corruptos hominum mores emendandos proderant multum. Neque vero hic digitum solummodo in *Phonascos Norimbergenses*, aut in *Cantorum cohortem*, quam ineunte Saeculo XIII. Hermannus Thuringiae Landgrauius (i) in aula sua atque arce Wartenburgica aluisse legitur, intendo; sed inprimis ad *poëmata vetustiora* respicio, quale (vt alia omittam, a GOLDASTO *in Paraenet. vet. p. 346. sq.* & TENZELIO *in Colloquiis menstruis A. 1691. p. 919. sq.* recensita) v.g. est *historia de Duce Ernesto*, quae iam tempore Alexandri III. Pontificis Maximi ac sub Welfo VI. vel Miti (k) Germanice scripta

si horum Poëtarum fide historia sola niteretur, vix hodie verum a falso dignoscere liceret. Licet forte etiam fuerint aliqui, qui a fictionibus abstinentes ea solum narrarunt, quae vera & explorata habebant. Quorsum fortasse historia illa Auarorum & Hunnorum referenda, cuius meminit HVNDIVS *in Metropoli Salisburgensi p. 302.* quando de Pilegrino, Archi Episcopo Laureacensi narrat, eum auctorem fuisse cuidam sui saeculi versificatori Germanico, vt rhythmis gesta Auarorum & Hunnorum Austriam supra Anasum tunc tenentium & omnem viciniam late depraedantium celebraret, & quomodo barbarae gentes ab Ottone M. profligatae sint, caneret: Famam enim esse Pilegrimum hunc natum fuisse ex Familia Roderici seu Rudigeri de Praeclara hodie Pechlam, eius, qui Auaris & Hunnis praefuisse, & Arnulfo Duci Boiorum Hunnos in Germaniam inducenti suppetias tulisse in eodem & similibus Poëmatibus legitur. Inuenit hunc librum HVNDIVS in Pergameno scriptum in arce Prun ad Altmilam, eumque ab Ioachimo Comite de Ortenberg sibi donatum in Bibliothecam Alberti Ducis Bauariae 1575. dedit. Quod in gratiam eorum, quibus vetusta Germanica poëmata curae sunt, annotare volui.

i) De Hermanno, Thuringiae Landgrauio CHRIST. FRANC. PAVLLINI *in Annal. Isenac. p. 30. Ob sterile*, inquit, *Ludouici connubium cum Margarita Austriaca & Sophia, rerum potiebatur frater eius Hermannus Anno MCXCI. prudens, iustus, castus, fortisque Princeps, & apud reliquos magnae auctoritatis, primusque exauctorato Henrico Leone Comes Palatinus Saxoniae, historiarum sacrarumque lectionum amans. Numquam enim ad lectum secessit nisi lecta prius, seu audita lectione biblica. Fortia veterum Germanorum facta rhytmis comprehensa studiose collegit; ideoque multos cantionum magistralium compilatores Wartburgi aluit, qui versibus inter se inuicem concertantes dicti sunt* das Spiel von Wartberg. - - - *Horum aliquis gente Transsyluanus praedixerat Hermanno, filium suum Hungariae Regis filiam aliquando in matrimonium ducturum.* Vetustior auctor, THEODORICVS TVRINGVS *L. I. vitae S. Elizabeth Vngar. Reginae c. 1. In huius* (Hermanni) *palatio & familia fuerunt sex viri milites, nataliciis non infimi, ingenio excellentes, honestate morum virtuosi,* cantilenarum confectores *summi, sua certatim studia efferentes. Habitabat tunc in partibus Vngariae, in terra, quae septem castra vocatur, nobilis quidam & diues, trium millium marcarum annuum habens censum, vir Philosophus, litteris & studiis saecularibus a primaeuo aetatis apprime imbutus, Nigromantiae & Astronomiae scientiis nihilominus eruditus. Hic Magister Clyncsor (Clingzor) nomine, ad diiudicandas praedictorum virorum cantiones in Thuringiam per voluntatem & beneplacitum Principum est adductus. Qui antequam ad Lantgrauium introisset, nocte quadam in Ysenach sedens in area hospitii sui astra magna diligentia intuitus est. Tunc rogatus ab his, qui aderant, vt, si qua secreta perspexisset, ediceret, respondit, noueritis quod hac nocte nascitur Regi Vngariae filia, quae Elizabeth nuncupabitur, & erit sancta, tradeturque huius principis filio in vxorem, de cuius sanctitatis praeconio exultabit & exaltabitur omnis terra.* Lubentes haec exscripsimus, quia ostendunt, Poëtas nostros non solis versibus pangendis dedisse operam, verum in aliis scientiis, quae tunc supra vulgi captum fuerunt, excelluisse.

k) Non temere ita iudico. Etenim Bertholdus Istriae Marchio, qui ea aetate vixit, & in Instrumento Pacis Constantiensis subscripsit, ad Rupertum Tegernseensem Abbatem, cuius crebra in historia Welfi Mitis, quam L. VI. c. 4. exhibemus, mentio fit, apud Maxime Reuerendum Dn. PEZIVM *Codice diplomat. P. II. p. 13.* ita scripsit: *quoniam amicus in necessitate probatur, & idem, qui est amicus, semper diligit; rogo affabilitatem & pietatem tuam, sicut bene confido de te, vt annuere digneris petitioni meae, & concedas mihi libellum Teutonicum* de Herzogen Ernesten, *donec velocius scribatur mihi, quo perscripto continuo remittetur tibi. Quodsi feceris, parens & promtus in omnibus, quod est amicorum apparebo.* Num Tegernseae adhuc dum lateat vetustissimum illud linguae Germanicae monumentum nescio, valde tamen eo inclino, vt dubitem; quia modo laudatus Dn. PEZIVS, qui omnes eius loci forulos diligenter excussit, multaque & varia ex iis in lucem produxit, nullam eius mentionem facit, quam, vt opinor, facere vix praetermisisset Vir diligentissimus, si notitia aliqua libri, cui merito summum pretium nos Germani statueremus, ad eum peruenisset. Nunc annotasse iuuet, *historiam de poenitentia*

ſcripta circumferebatur, & ad cuius formam *hiſtoria de poenitentia Welfi Ducis* poſtmodum effigiata videtur. Nugarum quidem & ineptiarum plenus eſt vterque liber, & illius quidem compendium exhibet ANDREAS PRESBYTER & MARTINVS CRVSIVS *Annal. Sueuic. P. II. p. 168.* ex quo porro patet, *proſa* oratione ſcriptam fuiſſe veterem illam *Germanicam hiſtoriam*, cuius ille ſpecimen quoddam habet, ſed cultius, quam vt in Saeculum XII. cadat. Interim tamen id non mirum eſt, quod verſificatores hi hiſtoriarum veritatem confuſis inuoluerint fabulis, aut etiam pro re nata nomina Heroum interdum confinxerint, qualia nulla amplius deprehendimus. Ita enim, vt alias rationes taceam ab Illuſtri KOEHLERO *in diſquiſitione de inclyto libro Poëtico Theuerdanck* §. [illegible] adductas, eo ſecurius ſatyras in Principum atque nobilium virorum vitia ſcribere, ac admonitiones de vitae melioris ratione recitare poterant. Referre poſſum in hunc cenſum *Hiſtoriam de Duce Reinfrido Brunſuicenſi*, cuius nominis nullum in FAMILIA AVGVSTA Heroëm nouimus. Huius Codicem Manuſcriptum Saeculo, vt opinor XIII. vel minimum Saeculo XIV. nondum ad dimidium vsque adulto exaratum ex ſplendidiſſima Bibliotheca Ducali Gothana pro inſigni ſua humanitate nobiſcum communicauit Illuſtris Dn. SCHLAEGERVS, Conſiliarius aulicus Saxo-Gothanus & laudatiſſimae Bibliothecae Praefectus, Fautor noſter honoratiſſimus. Fingit Poëta, vt quaedam de libro paucis cognito (l) referam, Ducem Reinfridum, quem Saxoniae, Weſtphaliae atque Brunſuici Dominum dicit, ludo equeſtri in Dania interfuiſſe, ibique virtute ita inter omnes, qui aderant, eminuiſſe, vt palmam tulerit, & praemium, quod victori promiſſum erat, e manu Yrcanae, Fontanagris Regis filiae, receperit. Haec amore capta Reinfridi corporis proceritate, & morum ſuauitate commendabilis, ignem, quem in pectore alebat, diſſimulare diu non potuit; Reinfridus viciſſim Principem hanc & natalibus illuſtriſſimam, & formae pulchritudine incomparabilem, mirifice adamabat, eique de matrimonio fidem dabat. Latere diu non potuit mutuus hic amor, quem inter caeteros animaduertens nobilis quidam Fontanagri Regi commendatiſſimus, accuſauit Yrcanam illiciti cum Reinfrido commercii. Aſt Reinfridus virginis ſuamque innocentiam duello probauit,

 &

nitentia Welfi, & *de Erneſto Duce*, confictam vtramque, in vna eademque officina repertam, forte & procuſam fuiſſe. Poſterior tamen priorem fama ſuperauit, & longe lateque innotuit, ex quo Poëta alius haut infelix eamdem hiſtoriam de Erneſto Duce carmine Heroico, pulchro ſane illo & mediae aetatis barbariem vix olente, atque in octo libros diſpertito, complexus eſt, quod carmen in Turonibus apud Doctorem quemdam Medicum repertum MARTENAEVS *T. III. Anecdotorum p. 308. ſeq.* inſeruit. Auctor carminis ſe ODONEM vocat, librumque ad *Albertum* mittit. Vbi Celeberrimus Editor recte animaduertit, aetatem carminis cognoſci poſſe, ſi conſtitui poſſet, quis ille fuerit *Albertus*? de quo cum nihil definiat, & tamen addat, neminem negare poſſe carmen antiquiſſimum eſſe, ipſumque Codicem, ex quo erutum ſit, *quingentos annos ſuperare*, fallitur ſane atque fallit Vir Doctiſſimus. Etenim quis ille fuerit Albertus, & qua aetate vixerit, ab hiſtoriae Germanicae ſtudioſo facili opera ex introitu carminis colligi, vnaque demonſtrari poteſt, Codicem, cui MARTENAEVS quingentos annos adſcribit, non multum *vltra trecentos annos* habere. Poëta enim cum Clio Muſam inuocaſſet, inuocat quoque *Albertum* his verſiculis:

Tu quoque memorandus auis, cuiusque parentum
Inſignes elata colit Thuringia *laudes*,
Quo Parthenopolis *exultat* Praeſule, quantum
Vtraque *gaudebat* Carolo Germania Rege,
Mitis ades, vatemque hereda ſuccinge ſecunda.

Quis autem ex his non videat, Poëtam alloqui quemdam Parthenopolis, ſeu Magdeburgi Praeſulem, ex nobili Thuringiae Familia oriundum, & Eccleſiam ſuam [illegible] felicitate regentem, qua nuper Carolus IV. Imperator vtramque Germaniam, ſuperiorem & inferiorem, rexerat? Quis porro non videat, haec omnia in nullum alium Archi Epiſcopum Magdeburgenſem vna conuenire poſſe, quam in *Albertum*, Nobilem *de Querfurt*, quod eſt in Thuringia, paullo poſt exceſſum Caroli IV. A. 1382. electum? vide *Chronicon. Magdeburgic.* apud MEIBOM. *Scriptor. T. II. p. 350.* Quae cum ita ſint, per rerum naturam fieri nequit, vt viſus & exſcriptus a MARTENAEO Codex quingentos annos ſuperet. Quod obiter hoc loco annotaſſe hiſtoriae litterariae ſtudioſis forte non ingratum erit.

l) Qui enim libri huius meminerunt TENZELIVS *in Colloquiis menſtruis A. 1691. p. 924.* & B. Dn. CYPRIANVS *in Catalogo Codicum MSCtorum Bibliothecae Gothanae p. 105.* praeter ſolum nomen nihil nobis exhibent. Gratiae igitur referendae ſunt Illuſtri viro, qui nuper in *ephemeridibus Brunſuicenſibus* (Braunſchweigiſchen Anzeigen) prolixam atque doctam libri huius notitiam eruditis dedit; quam nos hic ſecutos eſſe non inficiamur.

& calumniatore prostrato Yrcanam sceleris puram insontemque esse ostendit. Quo nouo fidei & amoris documento ita sibi Principem hanc deuinxit, vt iam clam e patria cum eo aufugere non recusauerit. Rex Daniae raptum filiae suae aegre ferens Reinfridum Ducem coadunatis multis militibus insequitur; hic vero adiutus auxilio Ducum Brabantiae & Vratislauiae, nec non Marchionum Brandenburgicorum & Misnensium, qui omnes eum multis nobilibus in comitatu Ducis Reinfridi erant, singulari stratagemate vsus est, & Regem cum omnibus suis ad deditionem coëgit, neque prius e captiuitate dimisit, quam in nuptias Yrcanae consensisset. Quo facto dilectissimam virginem Brunsuicum deducit. At enim vero cum iam annos nonnullos in amplexibus mariti haesisset Yrcana, suumque foecundari [illegible]rum sitientius, sed frustratis de conceptu desideriis optasset, Reinfridus de coniugis sterilitate vltra modum tristis somnio admonebatur, tunc demum sibi heredem nasciturum, quando iter in terram sanctam suscepisset. Quo diuino quasi oraculo excitatus Dux accedente cumprimis Archi Praesulis Magdeburgici hortatione atque consilio, Palaestinam sine mora petit. Hic nepotem Sultani, siue Babyloniorum Regis, monomachia superauit, cui legem dixit, vt Christiana sacra recepto baptismate amplecteretur; Hanc conditionem vero cum recipere nollet, eo rem redegit Reinfridus, vt Rex pro nepote ex vinculis liberando Hierosolymorum ciuitatem Christianis reddiderit. Postea Reinfridus noster montem Caucasum adiit, & gigantem immensae proceritatis prostrauit, eiusque internecione totam pygmaeorum gentem ipsi hactenus dura seruitutis lege obnoxiam in libertatem vindicauit. Inter haec virtutis atque fortitudinis singularis documenta laetus nuncius e patria auolat, Ducemque certiorem reddit, coniugem eius filium enixam esse, exhibens simul litteras, quibus Prouinciae singulae Duci subiectae vehementer eum exorant, vt quantocyus de reditu in patriam cogitet. Quo accepto nuncio Dux terras suas repetiturus nauem conscendit, quae tamen vi ventorum atque procellis ad insulam appulsa est a nemine mortalium habitatam, e qua cum post refectionem nauis iterum discessissent socii, nescio qua calamitate vel imprudentia reliquorum vectorum solus ibi remansit Dux Reinfridus. Atque hic finit narrationem suam Codex ille manuscriptus, siue Poëtae, siue librarii culpa, non facile dixerim? (m) Plura huius furfuris de *Henrico* nostro *Leone* confinxerunt homines otio suo abutentes, quae ne minimam quidem veri speciem habent. Cum enim iter eius in terram sanctam ipsis quoque placuisset, fabula inde Romantica confecta est, cuius iam BOTHO *in Chronico Picturato* & CRANZIVS meminere. Etenim ex hac peregrinatione errabundam eius, nescio quam, nauigationem nobis obtruserunt; ex *leonis* cognomine, & *statua leonina* Brunsuici a Duce erecta adiunxere ei comitem & amicum *leonem*, quem e terra Sancta secum adduxisse etiam neoterici quidam tradunt, (n) Aduersitates autem ab inimicis sibi obiectas, communi

m) Equidem quo tempore scriptus sit liber hic Poëticus pro certo definire non audeo. Rectissime autem modo laudatus Vir Illustris ex dictione Germanica iudicauit, eum recentiorem esse, *historia Annonis Archi Episcopi Coloniensis* a MARTINO OPITIO cum notis & commentario vulgata, & eodem OPITIO iudice Saeculo XII. vix ad dimidium adulto scripta. Stilus enim in omnibus conuenit illi, quo vsus est Auctor *libri Heroum* (Heldenbuch) A. 1509. typis vulgati, quem WOLFARAMVM VON ESCHELBACH vel ESCHENBACH Goldastus nominauit. Hic WOLFARAMVS fabulae de *Parzinal & Titerol* vel *Titurel* etiam auctor exstitit, cuius subinde mentionem facit Poëta noster in hoc de Duce Reinfrido carmine. Liber hic, vt TENZELIVS *l. c. p. 945.* atque Vir Illustris, qui eum ex locupletissima Ducali Guelferbytana Bibliotheca accuratissime nouit, testatur, A. 1477. in lucem publicam prodiit, nullo tamen neque loci, neque typographi nomine adiecto. Rarissime eum comparere, & vix vni alteriue erudito cognitum esse, etiam exinde colligere licet, quoniam ne quidem GOLDASTO innotuit, vtpote qui subinde manifeste eum confundit cum WINSBEKII *historia Tyrolis Regis Scotorum* a se *in Paraeneticis* vulgata. Caeterum multa habet historia Ducis Reinfridi egregie prorsus & fere supra captum illius saeculi dicta; quorsum illud cumprimis refero, quod Poëta noster narrans, quomodo Reinfridus Regis Babyloniae nepoti a se victo & debellato conditionem quidem proposuerit, vt sacra vnda ablui se curaret; verum cum is eam constanter renuisset, neque vllo modo induci se passus esset, vt Christiana sacra amplecteretur, vltra insistere, vltra vrgere noluerit quod, vt Poëta ait, non ignoraret, *Christianam religionem a praestantia sua commendari, vi autem imperari non posse.*

n) *Leonem* ab Henrico e terra sancta adductum nemo veterum prodidit. Duos eum *Leopardos* a Soldano dono accepisse ex ARNOLDO discimus. Hos forte deinde Luneburgi custodiri fecit. Ibi enim adhuc turris, *fouea Leonum Henrici Ducis* dicta monstratur. Certum tamen est

muni nugiuendulorum illius temporis more *draconi*, noxio animali, compararunt, atque inde Leonem cum hoc dracone commiserunt; (o) addentes, victoriam tandem fauore *Grifonis* (sit venia vocabulo Cranziano) consecutum & ab eodem volucri Ducem cum leone corio equino insutum de naui exportatum esse, atque sic incolumem periculum maris euasisse. Quibus figmentis peregrinationis pericula depicta fuisse rectissime iam olim iudicauit CRVSIVS *l. c. P. II. p. 360. Griso* autem, vt opinor, praecipue historiolae additus, quia *Graeci nautae* Henricum Ducem per mare mediterraneum duxerant, qui illo tempore *Grifones* dicebantur. (p) Plura de huiusmodi carminibus Heroicis fabulosis iam addere non vacat; licet ipsa Bibliotheca Regio-Electoralis vt in aliis, sic in iis etiam commemorandis messem nobis praeberet largissimam. Quid? quod integra fabulosa Chronica habemus, in quibus omnia conficta, quale est illud Sueuicum THOMAE LYRERI Anno 1486. Vlmae excusum, qui confidentius, quam verius se plerisque rebus narratis tamquam seruum Comitis Werdenbergici interfuisse iactitat. Haec Lyreriana deliramenta itidem in compendium misit CRVSIVS *l. c. P. II. p. 359. sq.* Caue tamen putes, fabulas hasce Principum nostrorum famae quidquam detrahere; Hanc enim profecto non minus, quam HOMERI vel VIRGILII poëmata Vlyssis atque Aeneae gloriam augent; cum carmina haec vtcumque rudia & ieiuna, tamen eminentium super caeteros meritorum & laude percrebescentis fortitudinis argumenta sint & testimonia. Quos enim Ilias, quos Aeneis cantat, Heroës fuere.

§. 20.

Verum haec quidem in praesenti praefari volui, vt iniuncto mihi Editoris officio, quantum ob temporis rationem fieri potuit, fungar, nec instar inertis agricolae post labores subigendae terrae impensos messem neglexisse, vel tirocinium in senectutem distulisse videar. Iam fessus praefando calamum e manibus depono & quae dicenda supersunt, in aliud tempus & occasionem reseruo. Exspectare enim, immo

Epilogus cum adiuncto voto pro incolumitate DOMVS AVGVSTAE.

est eius iussu *leonem* ex aere fusum, atque ante domum illius & prope Ecclesiam S. Blasii collocatum esse. LEZNERVS id factum esse post reditum Henrici Ducis putat. Sed crediderim potius *membranae San Blasianae*, in qua, vt etiam Dn. ECCARDVS *L. VII. c. 1.* obseruat, legitur: *A. 1166. Carolus Magnus de tumba leuatur. Eodem anno Henricus Leo Dux super basem erexit Leonis effigiem in Brunswik.* Consentit *Catalogus Episcoporum Hildeshemensium apud* LEIBNITIVM *Scriptor. Brunsuicens. T. II. p. 153. In Brunswik erigitur effigies Leonis per Henricum Leonem 1166.* Hinc corrigendi LERBECIVS & alii, qui factum hoc in alium annum referunt.

o) In Curia Hamelensi ligno incisam esse pugnam Ducis nostri Henrici & leonis cum dracone LETZNERVS etiam refert; quod diu post eius obitum, cum fabula haec iam pridem inualuisset, factum esse oportet.

p) Sic certe Graecos vbique vocat GAVFRIDVS VINISAVF *in descriptione itineris Hierosolymitani Richardi Regis Angliae.* Vt aliqua solum exempla addam *L. II. c. 12.* de Messana agens: *Ciues*, inquit, *nequam, vulgo dicti* Grifones. Eorumdem meminit *c. 14. & c. 20.* infit: *Rex Richardus operam magnam adhibuerat & diligentiam cuiusdam castri constructioni, cui nomen imposuit Mategriffim; vnde nimirum exacerbantur* Grifones, *quod in eorum exitium opprimendorum huiusmodi vacaret aedificio.* Idem ibidem *c. 30.* indigenas insulae Cypri aliquoties *Grifones* appellat, & commemorans, quod illi naufragos Richardi Comites armis spoliatos in custodiam miserint: *Spoliatos*, ait, *omnibus armis similiter intromiserunt in custodiam, eo se intentu id facere allegantes, ne videlicet si armati incederent, viderentur terram exploraturi, vel etiam expugnaturi; asserebant quippe se* Grifones *aliter facere non audere, donec voluntatem Imperatoris sui* (Constantinopolitani) *consulerent. c. 32.* eorumdem Grifonum mentionem facit, eosque etiam expresse ibi Graecos nominat. Praeter VINISAVFVM Graecos quoque *Grifones* appellant MATTHAEVS PARIS *ad A. 1190.* ROGERIVS HOVEDENVS *p. 708.* BROMPTONVS *p. 1189.* VILLHARDVINVS *num. 95. 128. 204.* PHILIPPVS MOVSKES *in Historia Franciae* canit:

A tout lor Griffons *& lor Turs*
S'iroient par la mer as murs.

Confirmauit fabellam apud plebeculam aetatis posterioris *vngula struthionis* ab Henrico Leone inter alia naturae rara apportata, & in Ecclesia deinde S. Blasii suspensa; in cuius sacrario adhuc visitur.

immo exigere a me posse Lectores, vt etiam *de rebus Burgundiae Transiuranae*, cuius *Reges e Gelfico stemmate natos* Liber IV. recenset, aliquid commemorem non ignoro. Et fuit omnino, vbi serio hoc in mente habui. Sed vidi postea ex iis, quae nullo obseruato ordine, prouti mihi veteres recentioresque Scriptores voluenti in manus venerant, in hoc argumento congesseram, & in aduersaria redegeram, prolixiorem instituendam esse disputationem, quam quidem limites Praefationis ferrent; praecipue quod *translato a Guelfis in Germanorum Imperatores Burgundiae Regno* fata eius post haec tempora in compendio recensere, & vbi occasio id exigebat, *vindicias pro Imperio* scribere nec a partibus ciuis Germanici, nec a praesentis muneris mei ratione prorsus alienum putaui. Itaque seponenda haec duxi maiori Annalium Operi, si Deo placet, aliquando inserenda. Vnum adhuc addo, quod iusto serius & nuper demum cum pridem haec scripseram, obseruaui. Nimirum MEGISERVS *in Annal. Carinth. L. VI. c. 57.* Arnulfi Imperatoris coniugem *Dietam* nominat, eamque *filiam* dicit *Welfi Ducis Bauariae.* In quem locum si prius incidissem commentari quaedam non omisissem. Verum cum *Otae* vel *Vtae* (ita enim nominatur in *Annal. Fuldens.* & apud HERMANNVM CONTRACTVM *ad A. 893.* item in diplomate Arnulfi pro Ecclesia Frisingensi A. 898. dato apud HVNDIVM *in Metrop. Salisburg. T. I. p. 87.* & MEICHELBECCIVM *in Histor. Frisingensi T. I. P. I. p. 147.*) Arnulfi Imperatoris vxoris, & Ludouici IV. Regis matris, mentio iterum occurrat in Dn. ECCARDI *diss. de stemmate Gibelingico*, cuius editionem iam supra data fide in nos recepimus & stipulati sumus, quae hac vice dicere neglexinus, tunc plena manu dabimus. Iam vero vt finem praesenti scriptioni imponam, qui cum intimis animi mei sensibus & votis quotidianis conueniat, DEVM OPTIMVM MAXIMVM precor, vt AVGVSTAM DOMVM GVELFICAM vsque ad consummationem saeculi gloria, opibus, potentia florentissimam conseruet. Scribebam Hanouerae d. XVI. Nouembris A. R. S. H. MDCCL.

ORIGI-

ORIGINVM GVELFICARVM

LIBER IV.

QVO

GVELFORVM PRIORVM ET IN HIS IMPRIMIS BVRGVNDIAE TRANS-IVRANAE REGVM SERIES EXHIBETVR.

CONSPECTVS
LIBRI IV.

CAPVT I.

De *Rudhardo*, Misso Regio in Alemannia, *Welforum priorum* satore.

CAPVT II.

De *Welfo*, Rudhardi filio, Patre *Iudithae* Imperatricis.

CAPVT III.

De *Iuditha* Imperatrice, *Etichone*, *Conrado* & *Rudolfo*, liberis Welfi.

CAPVT IV.

De *Conrado II.* caeterisque Conradi I. Ducis liberis.

CAPVT V.

De *Rudolfo I.* Burgundiae Trans-Iuranae Rege, caeterisque Conradi II. liberis.

CAPVT VI.

De *Rudolfo II.* Burgundiae & Italiae Rege, sororibusque & fratribus.

CAPVT VII.

De *Conrado* Burgundiae Rege, caeterisque Rudolfi II. liberis.

CAPVT VIII.

De *Rudolfo III.* vltimo Burgundiae Rege, huiusque ſororibus.

Accedit Tabula genealogica horum Regum & Principum, inde a *Rudhardo*, Miſſo Regio, vsque ad *Rudolfum III.* Burgundiae Trans-Iuranae Regum vltimum, ab Anno 760. ad Annum 1032.

LIBRI



LIBRI IV.

CAP. I.

De *Rudhardo*, Miſſo Regio in Alemannia, Anonymi illius Bauariae Comitis ab Alachi impugnati filio, Welforum priorum ſatore.

§. 1. Repetuntur, quae de Anonymi, Bauariae Comitis ab Alachi impugnati, matrimonio cum filia Adonis, Ducis Foroiulienſis, Libr. I. dicta ſunt.

§. 2. Ex hoc matrimonio natus filius *Rudhardus* Miſſus Regius in Alemannia.

§. 3. Praeter eum tunc in Alemannia eadem dignitate vſus eſt Warinus.

§. 4. Ab his Miſſis Regiis S. Othmarus male habitus eſt.

§. 5. Notatur error eorum, qui a Warino genus Welficum deducunt.

§. 6. Varia a Rudhardo geſta recenſentur.

§. 7. Cognatio eius cum Fulrado Abbate nouo confirmatur argumento.

§. 8. Rudhardi filius *Wulfhardus* vel *Welfus* & Miſſi Regii dignitate in Alemannia gauiſus eſſe & Comitatum Bauaricum rexiſſe videtur.

§. 1.



OBDVXIT quidem rebus praeclariſſimis *a Guelfis* geſtis, quas hactenus expoſuimus, aliquas tenebras temporum, in quae incidunt, vetuſtas, Scriptorum paucitas, & eorum etiam, qui ſuperſunt, in illis, quae aetate ſua euenerant, exponendis ſupina negligentia. Sed, qui aequi fuerint, laboris alieni cenſores, non prorſus ſpernendas eſſe noſtras, quas duobus ſuperioribus libris in medium protulimus, *de inclyta gente ex Bauaria in Italiam trans-*

 lata,

lata, & ibidem tot dignis aeternitate facinoribus nobilitata narrationes animaduertent quam facillime. Iam vero iterum in Sueuiam Bauariamque redeundum eſt. Dixi Libro I. *Comitem Boioariorum ab Alachi Duce Tridentino impugnatum*, qui *Bauzanum* & alia ibi caſtella, circa quae Welfos potentes fuiſſe ſupra iam ſatis oſtendi, regebat, videri in matrimonio habuiſſe filiam Adonis Ducis Foroiulienſis, ab eoque vni filiorum nomen RODOARDVS, ROADHARDVS vel RVDHARDVS dediſſe; quod, vt monui, cum illo *Rodoaldi* idem eſt. Sic promiſcue dictum inuenitur *Richardis* & *Richildis*; *Bertharius* & *Bertaldus*, ſiue *Beraldus* etc.

§. 2.

Rudhardo huic ob progenitorum & ſpeciatim aui Bonifacii merita, bonaque in Alemannia eminentia, *Miſſi Regii* dignitas ibi a Francicis Regibus, Alemannis ipſis parum fidentibus, conceſſa eſt, dum frater Adalbertus Boioariae Comitatum gubernaret.

§. 3.

Gemini eo aeuo Miſſi Regii, ſiue vt etiam vocantur, *Camerae Regalis nuntii*, Alemanniam ſiue Sueuiam adminiſtrabant, *Warinus* & *Roadhardus* hic, ſiue *Ruadhardus*. Walafridus Strabo in Vita S. Othmari Cap. 4: *Warinus & Ruadhardus, qui tunc temporis totius Alemanniae curam adminiſtrabant.* Warinus, ſiue etiam Werinherus, Francus erat: & Warmannus in Vita S. Pirminii C. 15. eum *alta Francorum nobilitate propagatum* dicit. Conceſſit ille, vt idem refert, locum & opes ad condendum in confiniis Treuirenſis & Metenſis dioeceſium Coenobium Horbacenſe. Pater eius in Charta a Frehero Origin. Palat. p. 48. ſq. edita *Wegenlenzo* vocatur, nosque in peculiari libello (a) de *Stemmate Principum Gibelinorum* oſtendimus, cum ſatorem fuiſſe *Regis Conradi I.* & *Conradi Salici Imperatoris.*

§. 4.

Warino & Rudhardo Sueuiam gubernantibus, erat Sidonio Epiſcopo Conſtantienſi controuerſia cum S. Othmaro & S. Gallenſibus. Sidonius, vt Miſſos Regios in ſuas partes pertraheret, Radberto hoc referente in libello de Caſibus S. Galli C. 2. Warino villas *Vinam, Turingam* & *Engi*; Rudhardo vero *Antoluingam* & *Vzinhaham* donauit. Hinc illi S. Othmaro aduerſi erant, eumque exilio damnatum, ad perpetuam coronam

a) Libellus, quem Dn. Eccardus ſtemma Gibelinum inſcripſit, eſt tabula genealogica, qua exhibetur familia Conradi I. Regis Germaniae, & Conradi Salici Imperatoris vsque ad Henricum V. Anno 1125. exſtinctum, probationibus ipſi familiaribus veſtita. Quas, cum huius non ſint arenae, maiori Annalium operi, e quo ſua pleraque conſarcinauit, reſeruamus: id monuiſſe contenti, doctiſſimum Auctorem in Wirceburgicis hic quoque, vt in plerisque aliis, mutaſſe aliquantisper ſententiam.

ronam perducebant. Vexationem hanc S. Othmari Vita eius, a Walafrido Strabone consignata, plenius exponit. Hermannus Contractus eam Anno 759. contigisse ostendit. Et, cum Conradus Rex apud Eckehardum de Casibus S. Galli p. 42. testetur, *suos parentes fuisse, qui S.* Othmarum *vexauerint*, & apud eundem idem Rex feratur, *omni anno censum capitis sui in cera ad sepulchrum* S. Othmari, *vti filius carnificum illorum pro reatu in eum, quasi proprio, misisse;* hinc sequitur, Conradi Regis maiores, qui Franci fuerant, a *Warino*, vt dixi, originem traxisse. Addit Eckehardus statim: *idem & Rodulfum postea, Wolfhardi Comitis patrem, cum eiusdem prosapiae fuerit, in censu Chalybum de metallo Faucium Iuliarum fecisse.* Rudolfus hic erat Itae Oeningensis maritus; *Wolfardus* vero *Welfus* ille, qui *Irmengardem* in matrimonio habebat.

§. 5.

Recentiores ex verbis Eckehardi Welforum Sueuicorum satorem *Warinum* fecerunt: Sed verba: *eiusdem prosapiae*, non ad Conradum, qui Francus erat, verum ad vexatores S. Othmari in genere referenda sunt. *Welfi* enim *Boioarii* erant, atque inde a Warini collega *Rudhardo* eos descendere necesse est. (b) Ipsum autem *Rudhardum* Boioarium fuisse, vel hinc euidens est. Alias enim *Welfus*, ab ipso prognatus, non potuisset a Thegano, qui familiam eius optime norat, dici de *nobilissima stirpe Bauarorum fuisse.* Supra Libro I. vidimus non obscure indicatum, *Fauces Iulias* ad *Cazonem* siue *Caduindum*, vnde posteriores *Gundonium* vel *Gunzonem Ducem* perperam fabricarunt, pertinuisse. Cum vero eaedem a Welfis posterioribus quoque possessae fuerint, hoc etiam *Welfos posteriores* a *Caduindo* illo *in recta linea* descendisse probat.

§. 6.

In chartis Alemannicis apud Goldastum, (Probat. N. I.) quadragesima quinta data est *in anno primo Carlomanni Regis sub Roadharto Comite;* h. e. Anno 768. Post haec nulla eius mentio apud Scriptores Alemannos occurrit. In Francicis vero rebus idem Rudhardus varie commemoratur. Anno 752. cum *Autcharius Dux* & Chrodegangus Metensis

b) Welfis prioribus ab hoc Rudhardo deducendis nonnihil roboris addit locus Conradi Vrspergensis sub Lothario Saxone p. 209. Ibi enim Conradus, vel potius Conrado longe vetustior Auctor, de origine gentis Welficae disserens: *Creduntur*, inquit, *viri illi inclyti fuisse de gentibus illis, quae sub Valentiniano Imperatore de Scythia* (ex mente Dn. Eccardi legendum esset Scyria) *erumpentes, diuersas partes Germaniae occupauerunt, & dominatum obtinuerunt. Licet autem eiusdem generis tyranni & nobiles in genealogia praecesserint, vtpote WARINVS & RVOTHARDVS, qui Beatum OTHMARVM in insulam Rheni relegarunt, in qua hodie consistit Monasterium Monachorum, quod vocatur Steine; primus tamen, de quo legitur, eius generis fuit quidam inclytus Etycho, qui genuit filium Henricum* (Etychonem) *& filiam, nomine Hiltegardam* (Iuditham,) *quam Ludouicus Imperator duxit in vxorem.*

ſis Epiſcopus Romam ablegati eſſent, vt Stephanum III. Papam adducerent, venienti *Fulradus Abbas* & *Rothardus Dux* vsque ad Monaſterium S. Mauritii obuiam miſſi ſunt, Anaſtaſio teſte. Suſpicor, *Autcharium* Burgundis, *Rothardum* vero ſiue *Rudhardum* Alemannis aduerſus Longobardos deſtinatis praefectos fuiſſe. Ita omnis familia Welfica in Papae auxilia concurrebat, tanquam Italiae ob Comitatum & bona caeteris vicinior. Adalberti filius *Bonifacius* inter eos non nominatur, quia forte tunc nondum eius aetatis fuit, vt exercitum ducere, populoque praeeſſe poſſet. Anno ſequenti ſiue 753. Placito Pipini pro Monaſterio S. Dionyſii, iam ſupra Libro I. citato (& Probationibus ad eumdem Librum I. N. IX. inſerto) intererat quoque, cum *Autgario* & aliis, *Chrotardus* ſiue *Rudhardus*. Vide Mabillonii Lib. VI. Rei Diplom. Cap. 40. Eiusdem Pipini alii Placito, pro S. Dionyſio contra Gerhardum Comitem Pariſinum Anno 759. habito, iudex interfuit iterum cum aliis *Rothardus*, vt patet ex eodem Mabillonii Libro Cap. 44. (Probat. N. II.) Anno Pipini Regis XIII. hoc eſt, Chriſti 765. *Chrodardus Comes Fratri Folrado Abbati* vendidit bona quaedam in Alemannia. (Probat. N. III.) *Vindedi,* inquit apud Mabillonium l. c. Cap. 45. *in Ducatu Alamannorum in pago Briſagauienſis, quem dato pretio comparaui, aut colibet modo adtraxi & promtiſſima voluntate vobis firmamus, hoc eſt, in fine vel in marcas Binubhaime ſibi Romanincboua & in alia loca Tontarincboua, in Gotonesuilare, in Walapah, in Haoltingas & in Agimotingas, in Binusbaim, in Eppalincboua, in ipſas locas denominatas, id eſt, cum terris ſeu proterrariis, domibus ...... quantum in ipſas locas ſuperios denominatos viſus ſum habere etc.* Fratrem appellat Fulradum, quia Monachorum San-Dionyſianorum albo, pro temporum illorum more, ſe adſcribi fecerat, vt precibus eorum apud Deum iuuaretur, Sanctoque Othmaro offenſo, alter Sanctus opem ipſi apud Deum ferret. In Teſtamento ſuo Anno 778. compoſito Fulradus huius emtionis meminit. Dum enim varia ſua bona S. Dionyſio legat, inter caetera inquit: *Similiter Fredesbaim & Beniſtbaim, quae* CHRODHARDVS *mibi tradidit cum appendiciis earum.* (Vid. Probat. Lib. II. N. III.) Bona haec *Rudhardum* non admodum legaliter acquiſiuiſſe, patet ex Diplomate apud Mabillonium Cap. 56. (Probat. N. IV.) quo Carolus Rex Anno 790. eadem S. Dionyſio de nouo confirmauit. *Notum eſſe credimus,* ait, *qualiter tempore genitoris noſtri bonae memoriae Pipini quondam Regis, ſeu & auunculi noſtri Carlomanni, res aliquae in Ducatu Alamanniae ſiſci ditionibus redactae fuerunt, quas modo diuerſi homines quaſi iure proprio poſſidebant iniuſte, & aliquis exinde iam per venditiones, donationes, ſeu diuerſos quoslibet modos babebant diſperſas: ex quibus* HRODHARDVS COMIS *quon-*

quondam ab Humido ſeu ab aliis hominibus per cartas vinditionis exinde res aliquas viſus fuit comparaſſe, quae ponuntur in pago Briſigauia in loca nuncupantes Binuzhaim, ſiue Romaningahoba, vel in ceteris locis, cum eorum adiacenciis & appendiciis, quae partibus Sancti Dionyſii Martyris, vbi eius precioſum corpus requieſcit, inlicito ordine viſus fuit vendidiſſe, vel delegaſſe: vnde Mainarius Abba per ſuos wadios legibus nobis viſus eſt reueſtiſſe. Sed nobis conſiderantibus ob amorem Dei & reuerentiam Sancti Dionyſii, pro mercedis augmentum & animae noſtrae remedium, ſeu ſtabilitatem Regni noſtri, deinceps per noſtrum praeceptum praefatas res ad ipſa caſa Dei prumptiſſimo animo & voluntate benigna concedere ac delegare decreuimus.

§. 7.

Fulradus Abbas in Teſtamento ſuo inter alias res etiam *Cellam, quae dicitur Audaldouillare, vbi Sanctus Ipolytus requieſcit*, S. Dionyſio legat, hancque a Fulrado conditam conſtat ex Caroli Magni diplomate dato Anno Regni ſexto. Sita eſt illa in Alſatia, & vulgo *S. Bilt* dicta, prope Seleſtadium hactenus viſitur. Translatio S. Viti a Meibomio edita refert, Fulradum praeter hunc Sanctulum etiam *corpora Beatorum Martyrum Alexandri & Hippolyti transtuliſſe* Roma. At Metellus, non plane ſpernendus Auctor, in Quirinalibus narrat, *Adalbertum* & *Otgarium Duces* a Zacharia Papa impetraſſe Sanctos Quirinum, Arſacium & *Hippolytum*, iisque in Norico, vt ſupra Libr. I. iam indicaui, Aedes ſacras condidiſſe. Verba eius ſunt:

Accelerant reditum
Munere ſanctarum felices diuitiarum,
Pro quibus exierant.
Nam margaritas deportauere beatas
Egregias pretio:
Queis loca fundorum poſt inſtituere ſuorum
In ſacra iura Dei.
Norica fert horum prouincia trina locorum,
Quae prius ediderat,
Nomine primorum Procerum ſub Apoſtolicorum
Laude, Quirine, tua.
Arſacium Cleri thermis ſtatuere foueri
Peruigili ſtudio.
HIPPOLYTVMque choris illuſtrauere canoris,
Quos modo clerus agit. etc.

S. Poelten ab Hippolyto ita dictum in dioeceſi Patauienſi ſitum eſt. At ſi Metellus vera dixit, Fulradus non Roma apportauerit S. Hippolyti

Reliquias; ſed eas habuerit a ſororis marito *Bonifacio;* aut cum *Adelberto* & *Otgario* ipſe Romae fuit; & Hippolytus non apud S. Poeltenum Auſtriae, ſed apud S. Biltenam Alſatiae depoſitus primo fuit. Confirmatur vero hoc modo iterum neceſſitudo & cognatio *Bonifacii* & *Rudhardi* Boioario-Alemannorum cum Fulrado.

§. 8.

Wulfhardus ſiue *Welfus*, Rudhardi filius, Teſtamento Fulradi inter alios Principes viros ſubſcripſit; vnde concludas, hunc poſt *Rudhardum* in Alemannia tunc Miſſi Regii dignitatem adminiſtraſſe; *Bonifacium* vero Comitatum Bauaricum tenuiſſe, qui tandem, cum ille in Italiam translatus & gratia Imperatoris ibi maioribus bonis ditatus eſſet, ad Welfum hunc etiam, eiusque poſteritatem deuenit.

CAPVT II.

De *Welfo*, Rudhardi filio, Patre *Iudithae* Imperatricis.

§. 1. *Welfus*, Iudithae Imperatricis pater, vetus Welforum in Bauaria patrimonium habuit.
§. 2. Patrem eius *Rudhardum* Miſſum Regium in Alemannia fuiſſe denuo probatur.
§. 3. Cur Welfo ab aliis Scriptoribus *Ethiconis* nomen adſcribatur?
§. 4. Welfus hic etiam *Wolfhardus* dicitur.
§. 5. Et Ducis bellici munere apud Carolum M. functus eſt.
§. 6. Eius coniux fuit Hegilwichis, Ecberti Saxoniae Ducis ſoror, quae poſt obitum Welfi mariti Abbatiſſa Calenſis facta eſt.
§. 7. Notatur Cruſius, qui Comites Kyburgenſes a Rudhardo, Welfos vero a Warino deriuat.

§. 1.

SED circa Annum 819. WELFVS Iudithae Imperatricis pater, *nobiliſſima Boioariorum ſtirpe* ortus, *Comes* quidem ab Annalibus Fuldenſibus & Laureshamenſibus, ſed a Thegano *Dux* vocatur, & poſteros habuit, in Boioaria eadem poſſidentes, quae quondam *Welfus*, Odoacri Regis frater, primus occuparat, & *Olfigandus* ſiue *Wolfhardus* Boioariorum ductor ſub Childeberto Rege, *Caduinus* etiam *Dux*, eiusque Succeſſores, ſpeciatim vero *Boioariorum Comes ab Alachi impugnatus*, tenuerant. Vnde & hos & illum ab hoc Welfo, Odoacri Regis fratre, deſcendere ipſe rerum ordo perſuadet. Sed ipſa Thegani, ad quem antea prouocauimus, verba haec ſunt: *Sequenti vero anno* [Imperator Ludouicus] *accepit filiam Welfi Ducis, qui erat de nobiliſſima ſtirpe Bauarorum, & nomen virginis Iudith, quae erat ex parte matris nobiliſſimi generis Saxonici, eamque Reginam conſtituit.* Welſus autem noſter recepiſſe videtur allodia familiae Boioarica, & Maiorum ſuorum Comitatum, cum Bonifacius, vt etiam iam antea dixi, in

in Italiam commigrasset, & *Comitatum Luccensem* siue *Tusciae Marchiam* regendam accepisset.

§. 2.

Welfum vero hunc, Iudithae progenitorem, filium fuisse *Rudhardi*, Missi Regii, vel inde etiam probabile fit, quod ipse & posteri eius possederint *Andeluingam*, Rudhardo a Sidonio Episcopo Constantiensi, vt capite praecedente memorauimus, donatam. Nemo dubitat, & satis superque demonstratum est, S. Conradum Episcopum Constantiensem descendere a Welfo nostro. De huius vero rebus agens Anonymus de Welfis: *Sanctus igitur*, ait, *Conradus, in Episcopatum promotus, patrimonium, quod a patre possederat, Altorf, Wolpseswende, Berge, Fronhouen cum suis attinentiis, & omnia, vltra fluuium nostrum Stutzina sita, sicut ad nos hodie pertinent, fratri suo Rudolfo per concambium donauit, & ipse ab eo remotiora recepit, id est, Eiislingen, ANDILVINGEN, cum omnibus appendiciis suis, & in Alsatia Colmir, & infra Rhetiam Curiensem Amidis fluminis Lugenetz; quae omnia Ecclesiae suae Constantiensi .... contradidit.*

§. 3.

Scio, me olim eo inclinasse, vt putarem, Welfi patrem *Ethiconis* nomen habuisse, hocque etiam Leibnitio suggesseram, quia in Annalista Saxone ad An. 819. legeram: *Imperator, inspectis plerisque nobilium filiabus, Welfi siue Ethiconis, de Principibus Bauuariorum, egregiae libertatis viri, filiam, nomine Iudith, duxit vxorem, quae genuit ei Carolum Caluum.* Botho in Chronico Picturato ad An. 814. eandem rem referens, patrem Iudithae aliquoties Saxonice *Ethico efte Wolpy* vocat. Credebam ergo, illud *siue* forte pro *filii* voce irrepsisse. (c) Sed tempora inter Rudhardum & Welfum mediam quandam personam non patiuntur. A Scriptoribus vero is pater Welfi non nominatus est, vel ideo, quod odiosa eius memoria esset ob vexatum S. Othmarum. Annalista Saxo autem forsitan inuenit Welfum aliquem, dictum *Ethicingum*, siue *e stirpe Ethiconis ortum*, & hinc nostro duplex nomen affinxit. (d) Verum *Ethicingus* dici potuit ab Ethicone, Scyrorum Duce, primo vt L. I. diximus, stirpis suae satore nobis cognito. Nec

 mirum,

c) Sed inanis & parum verisimilis illa coniectura. Non solum veteris scriptoris fragmentum ex Vrspergensi modo adductum filiae illius, quae Ludouico Pio Imperatori nupsit, patrem Etichonem vocat; sed etiam Annalista Saxo sub Lothario Saxone ad Annum 1126. p. 659. aliam antiquioris Chronographi narrationem habet, quam Dn. de Ludewig Reliquiar. med. aeui Tom. VIII. p. 151. e Codice MSCto Seideliano separatim dedit, cuius hoc initium: *De Welphonum progenie ita se res habet: Tempore Pii Ludouici Imperatoris, filii Caroli Magni, exstitit quidam de Principibus Boioariorum qui fuit BINOMIVS: nam & ETICHO & WELFVS dicebatur: cuius filiam, nomine* Iudith, *ipse Ludouicus, post mortem Irmingardis Imperatricis, accepit in coniugium.*

d) Nobis optimum soluendi aenigmatis modum suggessisse videtur Annalista in verbis modo recitatis; neque, quid inde incommodi metuendum, apparet, si credamus, Iudithae patrem binomium fuisse.

mirum, illius notitiam post tot saecula superfuisse. Summus nobilitati honos apud veteres Germanos erat, & hinc Maiorum successio & ordo accurate a veteribus conseruabatur, & de patre in filium per traditionem propagabatur: quod facile pluribus exemplis demonstrare possem, si opus esset.

§. 4.

Welfum de caetero, Iudithae Augustae patrem, etiam *Wolfhardum* (e) dictum, apparet ex Testamento Fulradi Abbatis S. Dionisii, quod his verbis finit: (Probat. Lib. II. N. III.) *Actum publice Haristallio, Anno nono & quarto, regnante Carolo gloriosissimo Rege Francorum & Longobardorum, atque Patricio Romanorum. Ego Folradus Capalanus S. In Dei nomine. Maginarius consensi & S. Signum + Teudrico. Hamerado + consensi. Signum + WLFARDO. Signum + Hadratto. Signum + Gislamaro. Signum + Hildrado Comite. Signum + Baldulfo. Signum + Ebrodone. Signum + Hainrico. Signum + Anselmo Comite Palatii. Signum + Folrado. Signum + Hartgero. Signum + Haribardo Comite. Signum + Ricgauio. Signum + Teudulfo. Signum + Hildrado. Signum + Erleberto. Signum + Gundaccro.* Mabillonius in caeteris eorum, qui subscripsere, nominibus viros Principes agnoscit. Verosimile igitur est, & *Wolfbardum* esse Welfum, Iudithae genitorem.

§. 5.

Testamentum hoc Fulradi Abbatis confectum est *Heristallii* ad Mosam Anno 778. vbi Carolus Magnus tunc bellum, anno sequente Saxonibus inferendum, praeparabat. Huic vero cum *Wlfardus* siue *Welfus Comes* hic subscripserit, interfuit sane is etiam expeditioni Saxonicae, Sueuosque, vt opinor, duxit. Hinc Welfum, quem caeteri *Comitem* vocant, Theganus *Ducem* appellat. Moris enim erat, vt Scriptores eos Comites *Duces* nominarent, qui exercitum duxissent in hostem.

§. 6.

Habebat iam Carolus non vnos inter Saxonum Principes amicos, eosque, vt & caeteros, suasionibus, muneribus atque matrimoniis sibi deuinciebat, vt Aegil in Vita Sturmionis Fuldensis Abbatis, & Auctor Vitae S. Liutbirgis Reclusae produnt. Inter hos erat *Cobbo*, sub Pipino iam Rege Christianis sacris addictus, vt Gregorii Papae Epistola Vitae B. Waltgeri Comitis a Wigando inserta testatur, filiusque eius *Bruno, Princeps Angariorum* & Sator familiae, vnde *Henricus Auceps Rex* & *Ottones* Im-

e) Nomina haec promiscue vsurpantur. Apud Hermannum Contractum ad Annum 1025. 1028. *Welfus* Comes, Ernesti Ducis socius, post praedas & incedia exercita, ad deditionem venit. Apud Hepidannum contra Ernestus Dux Alemanniae & *Welfhardus* Comes Regi rebellant, qui Anno 1028. priuignum Ernestum Ducem & *Welfhardum* Comitem sese dedentes suscepit. Pluribus locis in re plana cumulandis supersedeo.


Imperatores prodiere. *Brunonem* patrem fuisse *Ecberti Ducis, S. Idae mariti*, iam pridem ostendimus in Notis ad Vitam S. Hathumodae Abbatissae Gandershemensis. Ecbertus neptem habuit *Haduigem, Abbatissam Heriuordiensem;* filium vero *Warinum, Abbatem Corbeiensem.* Hunc Ludouicus Pius Imperator in Diplomate Corbeiensibus Anno 838. concesso, quod Schatenius publicauit, *propinquum suum* vocat; illam Translatio S. Pusinnae Cap. 3. *Carolo Caluo*, Ludouici Pii filio, *tertio quartoque cognationis gradu iunctam fuisse* prodit. Hanc cognationem a matre Iudithae Imperatricis deriuandam circumstantiae omnes suadent. Nomen ei HEGILWIGIS erat; & Saxonicum genus, Thegano auctore. Translatio S. Balthildis Reginae Cap. I. hoc eius nomen his verbis prodit: *Anno vigesimo imperante cum magna felicitate HLudouico Serenissimo Augusto in Regno Francorum, venit Kala Monasterium, vbi venerabilis Abbatissa HEGILWICH, genitrix Iudith Imperatricis, magno gregi Sanctimonialium praeerat, actusque & conditionem Beatissimae Baltechildis, quia vera erat Dei cultrix & Sanctorum amatrix, magno desiderio inquirere coepit, sibique reperta recitari iussit. Cuius admirabilem conditionem sanctamque vitae conuersationem miratus, tactus ilico Dei ac Sanctae Baltechildis amore, praedictae Hegilwich Abbatissae, quae tunc octauo anno ipsum sanctum locum sub regimine sancto gubernabat, suadendo praecepit, vt sanctum & venerabile corpus Beatissimae Baltechildis, a loco, vbi iacebat, in sanctam Ecclesiam Dei genetricis Mariae, quo multitudo sacrarum virginum die noctuque laudes Deo personabant, transferret.* Vnde discimus, Anno 833. qui Ludouici Pii Imperatoris *vigesimus* erat, *octauum annum* regiminis *Hegilwigis* in Calensi Monasterio fuisse. Facta ergo est Abbatissa huius loci sacri Anno 825. ante quem necessario Welsus Dux, maritus eius, obiit. Omnibus rite perpensis, *Hegilwigis* soror Ecberti Ducis Saxoniae, & filia Brunonis Angariorum Principis erit. Sic & propinquitas Warini Abbatis cum Ludouico Pio, & Hadwigis Abbatissae cognatio cum Carolo Caluo in tertio quartoque gradu, nec aliter, demonstrari potest. Tertii gradus cognatio haec est:

Bruno Angariae Princeps.

- Ecbertus Dux Saxon. Vx. S. Ida.
  - Warinus Abbas Corbei. *propinquus* Ludouici Pii Imp.
  - Addila Vx. N. Principis Saxonici
    - Haduigis Abbatissa Heruordiensis.
- Hegilwigis, post obitum Welfi mariti, Abbatissa Calensis.
  - Iuditha, Vxor Ludouici Pii Imp.
    - Carolus. Caluus Imp.

In

In quarto vero gradu sic Carolo Caluo eadem Haduigis coniungitur, vt in notis iisdem ad Vitam S. Hathumodae, ad quas modo prouocauimus, probatum dedimus; (neque enim ibi iam dicta repetere hoc loco lubet:)



§. 7.

Crusius in Annalibus Sueuicis *Comites Kyburgenses* deriuat a Ruadhardo Misso Regio, & a Warino *Guelfos:* Nos contrarium asseruimus, nec sine causa. Nec *Wolfeharдus Comes*, qui *Rhinaugiae Monasterium* fundasse dicitur apud Goldastum Rer. Aleman. T. I. pag. 394. Kyburgensis; sed noster erit, & Iudithae Imperatricis pater. Is Anno DCCC. *S. Findanum* in Monasterio hoc a se constructo, Monachum fieri fecit, vt Vita illius Cap. I. indicat. Reliqua Welfi gesta ignorantur.

CAPVT III.

De *Iuditha* Imperatrice, *Etichone*, *Conrado* & *Rudolfo*, liberis Welfi.

§. 1. Inter liberos Welfi primo loco commemoranda *Iuditha*, quae & formae pulchritudine & animi dotibus Imperatoris Ludouici Pii amorem meruit.

§. 2. Fata aduersa, quibus hoc coniugium fuit expositum, breuiter recensentur.

§. 3. Iuditha bona dotalitia in agro Turonensi habuisse videtur.

§. 4. Obiit Iuditha A. 843. & nostro aeuo varios viros doctos nacta est, qui eius elogium & apologiam scripserunt.

§. 5. De Ethicone, fratre Iudithae, obiter.

§. 6. *Conradus* & *Rudolfus* fratres Iudithae cum ea in Galliam venerunt.

§. 7. *Rudolfus* A. 866. & quidem improlis decessisse videtur.

§. 8. *Conradus* vero vxorem habuit Adelheidem.

§. 9. Agitur de stemmate Adelheidis, eiusque secundis nuptiis cum Roberto forti contractis.

§. 10. Reliqua, quae de Conrado scriptis consignata vsque ad A. 863. quo obiit, recensentur.

§. 1.

INTER liberos Welfi Ducis eminet IVDITHA, quae Anno 819. in Ludouici Pii Imperatoris thorum delecta est, pulchritudine corporis ingeniique dotibus insignis: vnde natus *Carolus Caluus Imperator.* Elogium Iudithae &

& Caroli filii hoc Walafridus Strabo a Canisio Antiqu. Lect. T. VI. pag. 620. sq. editum reliquit:

Occurrit trepidae pelagi vastissima prorae
Inluuies, via quam suadet modo coepta secandam,
Sed moles absterret aquae, atque volubilis obex.
Vidi equidem cum pulchra Rachel solamen auorum
Beniamin dextro produceret ordine, cuius
Larga salus sanctam resonet per secla senectam,
Quem pars quinta super, quam laetus percipit alter,
Credo, manet; namque ipse suo splendebit honore
Ipse tribumque genusque pia virtute creabit,
In quo mater ouans, quamuis quid passa doleret,
Gaudia totius promsit felicia mundi.
Gratia quae teneram vestit miranda iuuentam,
Maturos iam format honesto in pectore sensus.
Felix progenies, tali mansura nepote,
Nomine quem sequitur, factis da Christe sequatur,
Moribus, ingenio, vita, virtute, triumphis,
Pace, fide, pietate, animo, sermonibus, ausu,
Dogmate, consiliis, successu, & prole fideli.
Et, si perspicitis, non frustra nomine IVDITH,
At Iudith virtute refert & relligione,
Assyrius cui praedo caput submisit acerbum;
Illa gulam mortis, fidei mucrone trucidans,
Libertatis opem saluatis ciuibus auget.
Tympana raucisona pulsauit pelle Maria,
Organa dulcisono percurrit pectine Iudith.
O si Sappho loquax, vel nos inuiseret Holda,
Ludere iam pedibus, vel ferre futura valeres.
Quicquid enim tibimet sexus subtraxit egestas,
Reddidit ingeniis, culta atque exercita vita,
In qua multa simul nobis miranda videmus,
Semine stat locuples, apparet dogmate diues,
Est ratione potens, est cum pietate pudica,
Dulcis amore, valens animo, sermone faceta,
Laeta cubans, sit laeta sedens, sit laeta resurgens,
Laeteturque poli felix in sede locata.

Scripti sunt hi versus post restitutionem Ludouici Imperatoris. Sed iam ante Freculfus Lexouiensis dedicauerat Chronici sui partem Secundam *Do-*

minae

minae Auguſtarum feliciſſimae Iudith. Vbi de forma eius: *Si*, ait, *de venuſtate corporis agitur, vt absque adulationis fuco proferam quod verum eſt, pulchritudine ſuperas omnes, quas viſus vel auditus noſtrae paruitatis comperit Reginas.* De animi dotibus in dedicatione ita loquitur: *Dum in temporalibus nihil deſit rebus, vt augmento careas, ſtudio ſapientiae dilataris, vt excellentior retro ſeculis Imperatricibus reperiaris. Igitur indita a Deo Tibi ſapientia & naturalis ingenii ſcientia attonitum me reddidit inter ceteros adiudicatores. Quoniam in diuinis & liberalibus ſtudiis, vt tuae eruditionis cognoui facundiam, obſtupui, ſtatimque mecum deliberare coepi, quodnam munuſculum meo labore congeſtum tuae offerrem Almitatis flagrantiae.* Maritus Ludouicus ideo eam tenerrimo amore proſecutus eſt; nec ingens aduerſitatum cumulus, a filiis, Lothario praeſertim, aduerſus Coniuges Auguſtos excitatus, eum opprimere potuit.

§. 2.

De matrimonio eius Scriptores veteres ſupra citati Theganus & Annaliſta Saxo, ac praeterea Aſtronomus in Vita Ludouici Pii, Annales Bertiniani, Laureshamenſes, Metenſesque; Rhegino item, Hermannus Contractus & Anonymus de Guelfis mentionem faciunt. Odium priuignorum incurrit praeſertim, quod filio ſuo Carolo prae illis faueret, & patrem Imperatorem impelleret, vt illi, quoad poſſet, benefaceret. Hinc *Iuſtinae* nomen illi odioſum a Ratberto in vita Walae datum, & crimina non vna obiecta, de quibus ſe publice in Neomagenſi conuentu Anno 831. purgauit. Abrepta nihilominus poſtea eſt a Coniuge Auguſto, ab Imperio ſcelerate depoſito, & in Italiam relegata. Vbi tamen is Anno 834. priſtinam dignitatem reſumſiſſet, honorifice ad maritum reducta eſt a Rataldo Epiſcopo Sueſſionenſi, & *Bonifatio Comite* ſiue *Marchione Tuſciae*, conſobrino, vt Libr. II. oſtendimus, patris eius Welfi. Auctores modo allegati omnia fuſius exponunt.

§. 3.

Bona dotalitia eam apud *Turones* habuiſſe, coniicio non ſolum ex eo, quod confirmationem priuilegiorum *Fredegiſo Abbati* apud maritum Auguſtum impetrauerit; ſed etiam inde, quod apud S. Martinum Turonis deinde ſepulta eſt. Cointius in Annal. Eccleſ. Francor. ad Annum 831. num. 14. diploma Ludouici Imp. producit, quod nos etiam recitabimus (Probat. N. V.) datum Theodonis villae Palatio Regio *II. Non. Nouembris Anno Chriſto propitio XVIII. Imp. Domni Ludouici piiſſimi Auguſti Indictione X.* quo *ſuggeſtu dilectae ſuae Coniugis Iudithae Auguſtae, quae per priuilegium patris ſui Domni Caroli piae recordationis Imperatoris Sereniſſimi habe-*

habebat, seu cetera Regalia, nec non etiam Apostolica priuilegia Monasterii S. Martini Confessoris Christi atque Pontificis [in ciuitate Turonum] *cui Fredegisus Abbas praeerat, confirmauit.* Extat Quedlinburgi inter libros Manuscriptos Bibliothecae templi S. Seruatii vetus Codex, complectens Sulpitii Seueri Vitam S. Martini & alia S. Martinum concernentia, scriptus in gratiam *Fredegisi* huius *Abbatis.* Codex is dono forte Iudithae Imperatricis ad cognatum eius, Ludolphum, Ducem Saxoniae, eiusque haeredes, Quedlinburgensis huius Ecclesiae fundatores & dotatores, peruenit, & ab iis Ecclesiae S. Seruatii traditus est. Filiam Ludolfi Hathumodam singulari cultu S. Martinum honorasse, Vita eius Cap. IV. prodit, & lectione huius Codicis deuotio ipsius in illum forte aucta est. Eodem vero Anno 831. *XIII. Calend. Decembris Anno Christo propitio XIX. Imperii Domni Ludouici Piissimi Augusti, Indictione X.* (Probat. N. VI.) idem Imperator, *suggerente sibi dilecta Coniuge sua Iuditha Augusta, dedit quandam villam suam nomine Cambonem, quae est in pago Blesensi vel Dunensi, Monasterio S. Martini, quod est constructum in pago Turonico super ripam Ligeris & vocatur Maius Monasterium* [diuersum nempe a prius indicato Monasterio,] *in quo ipse praeclarissimus Confessor Christi regulariter cum turma Monachorum Domino militauit,* vbi tunc *venerabilis Theoto Abbas Pater & Rector illius loci erat.* Diploma hoc *Hirminarius Notarius ad vicem Theotonis* recognouit, & Labbeus in Miscellaneis curiosis Cap. VI. §. *6.* edidit. Anno 930. Bernerius Decanus & Firmannus Archiclauus S. Martini Montem villam, *quam quondam gloriosa Imperatrix Iudith ex propria dote sua ad quotidianos vsus delegarat,* sub annuo censu Immae Reginae concesserunt. Diploma ea de re Edm. Martene & Vrsinus Durandus Thesauri Anecdotorum T. I. pag. 67. euulgarunt. (Probat. N. VII.)

§. 4.

Obitus *Iudithae* contigit Anno 843. Ad eum enim Chronicon Sangallense apud Quercetanum & Augiense apud Baluzium Miscell. T. I. p. 497. *Iuditha Regina obiit.* Idem confirmant Chronicon Aquitanicum, Ademarus & Hermannus Contractus. Vetus Chronicon Lemouicense docet, eam sepultam esse *Turonis* in Basilica S. Martini. Mabillonius refert, diem depositionis eius *XIII. Kalend. Maii* notari in Necrologio S. Germani. Sed maior fides diplomati Caroli Calui, Iuditha nati, Anno 871. de Abbatia S. Eligii expedito & a Baluzio in Capitularium Appendice T. II. pag. 1492. euulgato, (Probat. N. VIII.) in quo Engeluuino Parisiensi Episcopo eam Abbatiam concedit, eo pacto, *vt diem depositionis,* vt verba ipsius Caroli sunt, *patris nostri praecellentissimi Imperatoris Ludouici, quod est XII. Kal. Maii & matris nostrae gloriosissimae Imperatricis Iudithae, quod*

est XIII. Kal. Aprilis, diem quoque natiuitatis nostrae Idibus Iunii, nec non & diem a Deo nobis concessae vnctionis, qui post obitum in diem ipsum in celebrando transfundetur, natiuitatemque praeterea amabilissimae Coniugis nostrae Richeldis Reginae Kalendis Augusti, & copulam secundum Dei voluntatem nostrae coniunctionis, insuper & ortum prolis nostrae, si a foecunda virgine impetrando data fuerit, sub continua orationum Missarumque assiduitate cum omni Clero sibi commisso praesens futurusque antistes celebret. Deposita ergo est Iuditha Imperatrix die *XIII. Calend. Aprilis* Anni 843. Caeterum *Iudithae Augustae Francicae Elogium historicum* A. 1720. Lipsiae peculiari dissertatione docte exposuit DN. Georgius Christianus Gebauerus, magnum hodie Goettingensis Academiae ornamentum. Apologiam etiam eius scripsere Ioh. Henricus Boeclerus Historia Saeculi IX. sub Ludouico Pio p. 65. sq. & Nicolaus Hieronymus Gundlingius Opuscul. T. VII. No. I.

§. 5.

De ETHICONE, fratre Iudithae Imperatricis Seniore, eiusque posteritate infra agemus integro libro Quinto.

§. 6.

Reliqui Iudithae Imperatricis fratres, (f) & filii Welfi Ducis, CONRADVS & RVDOLFVS, sororis fortunam in Gallias secuti sunt.

f) Quae de fratribus Iudithae Imperatricis obiter hic traduntur, nonnullis scrupulis laborant, qui ante euellendi sunt, quam progrediamur vlterius. Monachus Weingartensis non nisi vnum Iudithae fratrem agnoscit, *Etichonem: Rudolfum* autem & *Conradum* penitus ignorat. Et nescio annon huius silentium doctissimos nuperae historiae Occitaniae Scriptores in eam sententiam impulerit, vt hac fratrum biga numerum filiorum Caroli Magni naturalium sibi adaugendum putarent. Cum enim Tom. I. p. 501. ad Annum 830. de Iuditha in exilium missa disseruissent, haec addunt: *Conrad & Raoul, freres naturels de l'Empereur, dont les Mecontents s'étoient saisis, furent rasez en même tems, & confinez dans des Monasteres d'Aquitanie à la garde de Pepin;* prouocantes, quod ad natales impuros, ad Nithardum, Lib. I. de dissens. fil. Ludou. Pii ita scribentem: *Patri ad Compendium superueniunt: Reginam velauerunt: FRATRES EIVS, CONRADVM ET RODVLFVM totonderunt.* Atenimuero non de patris, sed de Reginae Iudithae fratribus loqui Nithardum, cum ipsa orationis series, tum Thegani, eiusdem aetatis Scriptoris, euincit auctoritas. Ille enim fratres Ludouici Pii sollicite satis a fratribus Iudithae distinguit. Nam cum C. 24. illos, Drogonem nimirum, Hugonem & Theodoricum tonsuratos nominatim appellasset, non exclusurus Conradum & Rudolfum, si pariter ad filios Caroli Magni naturales referendi essent; C. 36. ad hos conuertitur: *Suscipientes*, inquiens, *Reginam Iudith, eamque vi velantes, & in Monasterium mittentes, & fratres eius, Conradum & Rudolfum tondentes, & in Monasterium mittentes &c.* Monachus autem Weingartensis, successionis Patronorum sui Monasterii dumtaxat rationem habens, dum fratrum horum, qui cum Iuditha forsan ex Etichonis nouerca nati, & pueri in Franciam delati erant, nullam in Sueuiae Annalibus ac sui Monasterii priuilegiis, suo tempore h. e. Saeculo XII. exeunte, memoriam inuenit, silentio suo parum contra nitentibus patrocinatur, cum pluribus exemplis doceamur, domesticos Scriptores plerumque Principum suorum, qui in extera Regna delati sunt, gesta aeque ac nomina ignorasse. Quae caussa est, quod origines Welforum posteriorum, nec non posteriorum Comitum Burgundiae diu latuerint, & Landgrauiorum Thuringiae progenitores nos adhuc fugiant. Namque haec ipsa domesticorum Scriptorum ignorantia certissimum transplantatae ab exteris regionibus in Germaniam familiae indicium est.

ſunt. Et cum illa Anno 830. a priuignis vexaretur; hi etiam ſuam inde partem infelicitatis habuerunt. Annales Bertiniani ad h. a: *Cuius* [Iudithae] *etiam FRATRES, CONRADVM videlicet atque RODVLFVM, tonſurantes per Monaſteria retruſerunt.* Nithardus Lib. I: *Reginam velauerunt; fratres eius CVNRADVM & RODVLFVM totonderunt, atque in Aquitaniam ſeruandos Pipino commiſerunt.* Sed reuocati inde ſunt in aulam Anno 931. vt Aſtronomus & caeteri Annales teſtantur.

§. 7.

RVDOLFI mentio non adeo frequens facta eſt. (g) Legitur ſolummodo Anno 866. deceſſiſſe. (h) Annales Bertin. ad h. a: *RODVLFVS, Caroli Regis auunculus, paſſione colica moritur.* Chronicon Floriacenſe (i) ad eundem annum: *Auunculus quoque eius* [Caroli Calui] *RHODVLFVS, Conſiliarius primasque Palatii, hominem exuit.* Poſteritatem reliquiſſe non videtur.

§. 8.

CONRADVS, Rudolphi frater ſenior, in matrimonio habuit ADELHEIDEM. Hericus de Mirac. S. Germani Autiſſiodor. Lib. II. c. 2: *CHONRADVS Princeps famoſiſſimus, collega Regum, & inter Primates aulicos apprime inclytus, per id temporis regia munificentia maximis & ſua nobilitate condignis fulgebat honoribus. Coniux illi erat ADHELEIS nomine, primorum & ipſa natalium perinde titulis glorioſa, quippe quae, auita antiquorum Procerum oriunda propagine, ſplendorem generis auguſtiſſimae aequiparabat ſtemmate dignitatis. Iunxerat hos cum coniugii charitas, tum ſocialis gratia probitatis, fortunarum amplitudinem & religio-*

g) Immo vero Rudolfus iſte celeberrimum in hiſtoria Francica nomen habet. Non ſolum Sancti Richarii ſeu Centulenſis Monaſterii Rector fuit; ſed etiam maritimae prouinciae a Carolo Caluo praefectus. Ita enim Chronicon Centulenſe Lib. III. c. 9. *Poſt aliquot annorum ſpatia, mortuo Abbate Ludouico, Abbatia Centulenſis Rectorem habuit egregium virum, HRVODVLPHVM, virum Imperialem, & tam diuina philoſophia, quam ſeculari prudentia ornatiſſimum. Qui, cum eſſet AVVNCVLVS glorioſiſſimi Regis CAROLI, & tamen, ſpreta ſeculi gloria, Domino vt nobiliſſimus nobiliter deſeruiret; a fratribus Centulenſibus, quorum ſodalis in propoſito erat, Abbas eligitur. Quique, cum hoc officio Regis precatu functus fuiſſet; eiusdem Regis CAROLI, ſui ſcilicet NEPOTIS, dono & prece Comitatum maritimae prouinciae ſuſcepit, quia erat, vt diximus, non ſolum ſtudiorum ſpiritualium, ſed & humanae prudentiae peritiſſimus. Ornabatur itaque noſtrum Monaſterium HRVODVLFO Abbate: refulgebat res alternatim publica HRVODVLFO Comite.* De Rudolfo, Iudithae Imperatricis fratre, Chronographum loqui, certum eſt, cum ille *Caroli Calui auunculus* appelletur, & *Carolus Caluus* viciſſim eius *nepos*. Idem amplius confirmatur diplomate, quod Carolus Caluus, *ab Rudolfo auunculo* rogatus, dedit Monachis Centulenſibus. Probat. N. IX.

h) Et quidem VIII. Idus Ianuarii, teſte epiſtola a fratribus ad vicinas Eccleſias miſſa Probat. N. X.

i) Cum Ioh. a Boſco in Bibliotheca Floriacenſi plura huius nominis monimenta euulgarit, animaduertendum hic intelligi Chronicon Floriacenſe, a Stephano Baluzio Miſcell. T. II. editum, vbi p. 304. allegata verba leguntur; quamquam id ante Baluzium euulgauerit Cheſnius Scriptor. Franc. T. III. p. 354.

nis in Deum & moderationis in saeculum cultibus exaequantes. Elucebat mira in personis secularibus officiositas, ingens deuotio, inexplicabilis fidei magnitudo, vt difficile iudicare sufficeres, vter eorum in Religionem pronior, in Sanctos feruentior, in pauperum indigentiam copiosior appareret, ita se pietatis certabant officiis praeuenire, cum fastigio dignitatis, tum etiam virtutis aemulandae studio omnibus potiores. Cumque plurimos & secularium hoc tempore videas ambitionis fouendae gratia Ecclesiasticas praelationes inhiare; hos nostra tempestate vel primos vel solos extitisse, pace cunctorum dixerim, qui sacrorum locorum suscepta potestate, non magis praeesse voluerint, quam prodesse, nec aestuanti auaritiae seruorum Dei oppressione satisfacere, verum obrepentes illis indigentias propriis opibus, aut penitus excludere, aut tolerabiliter temperare. Hoc me tacente, vbique terrarum diuersae conclamabunt Ecclesiae, horum deuotione incomparabili, vel rerum copiis auctae, vel ornamentorum competentium gloria notabiliter insignitae. Locus id noster vel maxime contestatur, qui eorundem multiplicibus auctus donariis ordinabili diuinitatis prouidentia huiusmodi coepit exordio insigniri.

§. 9.

Stemmate igitur augustissimae dignitatis, siue ortu ex Ludouico Pio Imperatore aequiparabat ADELHEIS splendorem generis, auita antiquorum Procerum propagine oriunda, per matrem nempe. Filia enim fuit Ludouici Pii ex Irmengarde, Coniuge priore. Id quod indicat Annalista Bertinianus ad An. 864. scribens: *Episcopatum* [Colon.] *a Gunthario Lotharius tulit, &, suo tantum consilio, HVGONI, CONRADI, CAROLI REGIS AVVNCVLI, & MATERTERAE SVAE FILIO, tonsura Clerico, & ordinatione tantummodo Subdiacono, moribus autem & vita a fideli Laico discrepanti, donauit.* Idem ad An. 866: *Episcopium, ab HVGONE receptum, Hilduino, fratri Guntharii, sub prouisionis obtentu committit.* Mabillonius quidem in Re dipl. p. 552. *Adeleidem* Ludouici Pii filiam fuisse dubitat. Sed in Annalibus Benedictinis nostrae est sententiae. Vidimus paulo ante Bertinianum Annalistam *Rudolfum*, qui erat *frater Iudithae*, Caroli Calui *auunculum* vocasse, vnde planum, vocem hanc & hic proprie sumi. Vox *materterae* pro *amita* adhibita est medio aeuo, quod & Buccetius Part. II. C. 7. p. 176. affirmat. Hinc Carolus Caluus & Ludouicus Balbus in Diplomatibus, a Buccetio p. 345. citatis, *Hugonem* modo nominatum *propinquum* suum vocarunt. Hinc etiam in Chronico Senonensi *Welpho*, Hugonis frater, *ex prosapia Regali* fuisse dicitur. Gesta Comitum Andegauensium referunt, eundem *Hugonem* Abbatem & *Burgundiae Ducem* Caroli Simplicis tutorem constitutum: Verba sunt: *Com-*

Conviuui Francorum tractatu electus & accitus HVGO DVX BVRGVNDIAE, QVI ORPHANI ILLIVS EX PARTE MATRIS CONSANGVINEVS ERAT. Quomodo autem ex parte matris consanguineus esse potuit; nisi illa ex eadem Caroli Simplicis stirpe prodiisset? Papa Iohannes literas inscripsit: *Hugoni strenuo, nobili, Regali prosapia edito* (k) *atque excellentissimo Abbati*, Adelheidem deinde

post

k) Admodum vereor, vt huius generis argumenta Criticis seuerioribus satis probent, Adeleidem, Conradi maioris coniugem, filiam Ludouici Pii Imperatoris e priori toro fuisse. Diserto veteris Scriptoris testimonio caremus, & quae inferuntur ex vagis epithetis, quibus Conradi liberi passim ornantur ab Historicis, non stringunt, quia hi plerumque abutuntur nominibus, a veteri Latio ad distinguendos consanguinitatis & affinitatis gradus inuentis. Speciosus quidem locus est Chronici Bertiniani, quo mater Hugonis, Conradi maioris filii, vocatur Lotharii iunioris matertera; si per materteram intelligas amitam, h. e. patris sororem. Nam vti pater erat Lotharius maior, seu primus Ludouici Pii filius; ita huius soror non poterit non esse eiusdem Ludouici Pii filia. Sed cum matertera proprie matris sororem significet; Adelheidis illa, mater Hugonis, soror erit Hermengardis, Lotharii iunioris matris, & Lotharii Imperatoris Coniugis: quam sententiam adoptauit quoque nouissimus, qui nomen suum latere voluit, in Francia Genealogiarum conditor. Caetera propinquitatis & consanguinitatis, nec non Regalis prosapiae elogia eo non valent, vt praeter affinitatem Welforum, per nuptias Iudithae cum Carolingis contractam, aliquid augustius desiderent. Si enim Rudolfus, Iudithae frater, qui nihil sanguinis Carolini in venis habuit, quippe Ludouici Pii non nisi affinis, propter hanc affinitatem, a Monachis familiae Augustae accensetur, & *vir Imperialis* vocatur; cur non alterius fratris liberi, ob eamdem affinitatem, *Regalis prosapiae viri*, *Regum propinqui*, immo & *consanguineorum* vocabulo, improprie sumto, honoris & obsequii causa, siue a Monachis, stilum curiae parum callentibus, siue a Notariis aulicis, adeoque aulae auram captantibus, sint appellati? Equidem recentiores Francici Scriptores plerique, Blondellus, Buccetius, Mabillonius, Viri sane praestantissimi, stant pro Adeleide, Ludouici Pii filia. At enimuero inolita opinio & consensus recentiorum Scriptorum inualida admodum sunt argumenta, agnoscente ipsomet Eccardo de Orig. Sabaud. §. I. Horum enim intererat, Adeleidem illam, quae secundis nuptiis Roberto forti, Regum Capetingicorum satori, copulata erat, Ludouici Pii filiam credi, ne Odo & Robertus, Roberti Fortis filii, & posterioris Roberti gener Rodulfus, qui, viuente Carolo Simplice, Regnum vsurparant, ne porro eiusdem Roberti nepos, Hugo Capetus, eiusque filius Robertus, qui Carolinum sanguinem e solio deturbatum Regno denique eiecerunt, sanguinis Carolini, cui vtut a femina ducto, in Regibus adsciscendis olim multum datum, prorsus expertes viderentur. Atque hanc sententiam instar Palladii defendere occeperunt, ex quo compertum fuit, Buccetio laborem deducendi hos a nescio quo Childebrando tam infeliciter cessisse, vt firmandis, quas interponit, laruis, diplomata nonnulla fictis hominum nominibus interpolarit. Quem fucum, a quouis literas attente inspiciente facile detegendum, pro candore suo primus publice notauit Magnus Mabillonius. Sed in rem praesentem Lector ducendus est, ne ipse fucum sibi a nobis fieri opinetur. Exhibet Buccetius Genealog. Franc. p. 310. diploma Roberti, Roberti Fortis filii, ex autographo, vt ait, Sancti Martini Turonensis, anno octauo Regnante Domino Odone Rege, datum. (Probat. N. XI.) In quo ita loquitur Robertus: *Insuper etiam eiusdem muneris beneficio simul consortem volumus esse Dominum genitorem nostrum Robertum, gloriosum dum vixit in terris Comitem & eiusdem loci Abbatem*, (Adelaidem quoque genetricem nostram, & Robertum Comitem auum nostrum,) *quatenus pietate praedicti Patroni subuentus, perfrui mereatur sempiterna gloria.* Hic primo loco accusandus interpolatoris tumultuarius calamus, qui de emblemate suo vnice sollicitus, reliqua diplomatis verba ad ipsum emblema conformare atque attemperare neglexit. Nunc cuiuis intuenti fraudem in oculos ingerit vel solum vocabulum *subuentus*, alta voce proclamans, pro vno tantum defuncto, non pro pluribus, istam verborum comprehen-

post mortem Conradi, nupsisse *Roberto Forti* Buccetius fuse ostendit P. II. C. 7.

§. 10.

prehensionem laborare, scilicet pro patre Roberto; ac proinde matris Adelaidis & aui Roberti mentionem hic exulare. Et certe exulat. Audi Mabillonium, virum cordatum, Annal. Benedictin. T. III. p. 301. de hoc diplomate ita differentem: *Post verba* **genitorem nostrum Robertum, gloriosum dum vixit in terris Comitem & eiusdem loci Abbatem** *nonnulli recentiores, qui Roberti, cognomento Fortis, patrem Robertum Madriacensem Comitem esse volunt, haec addunt:* ***Adelaidem quoque genetricem, & Robertum Comitem auum nostrum.*** *Quae verba in pancharta nigra Martiniana desunt. Similem interpolationem initio libri primi Aimoini de miraculis Sancti Benedicti obseruauimus. . Et notae Chronicae non bene simul conueniunt &c.* Atque ita passim de hoc conatu Vir Summus loquitur, vt improbare videatur. Quare nec Theodeberti, nec diplomatis Pipiniani ex Anno 837. mentionem vllibi facit, in quo Pipinus Aquitaniae Rex apud Buccetium p. 239. donationem facit *pro incolumitate nostra vxorisque nostrae Ingeltrudae Reginae, & pro remedio animarum Hermeingardae quondam Reginae genitricisque nostrae, Thetberti ac Nebelongi Comitum, Patre & Auo eiusdem Ingeltrudae;* ne posteriora haec verba denuo fraudis accusare teneretur. Quis enim Regum & Principum diplomata vidit, quibus vxoris defunctum patrem & auum, suis quemque nominibus & dignitatibus distinctos, appellarint? quos progenitorum seu maiorum vocabulo in vniuersum denotare satis habuerunt. Sed Buccetio Thetberti atque Nebelungi Comitum laruis opus fuit ad instruendam scenam, quam populo promiserat. Licet autem a plerisque hodie, quoad hanc deriuationem, Buccetius deseratur, nisi quod nouissimus Genealogiae Francicae Scriptor ei inhaeret quidem, Childebrandum tamen ipsum, ad quem Buccetius ascendit, pro Rege Longobardorum in Galliam profugo accipit, argumentis, si verum fateri fas est, admodum e longinquo petitis & parum stringentibus: in Adelaide tamen, Ludouici Pii filia, Regum Capetingicorum genitrice, acquiescunt. Sed vti sanguis Carolinus e feminis, pluribus communis est, vsque adeo, vt Dauid Blondellus assert. genealog. p. 442. non vni, aut alteri, sed Procerum nostrorum citra & vltra Rhenum degentium chiliadibus, immo myriadibus integris ex Carolino traduce id gloriae accedere contendat; ita Welfis nostris satis ad laudem puto, *filiam educasse, Imperiali toro in isto Carolorum fastigio dignum, Regum Franciae omnium a Carolo Caluo descendentium genitricem, & augustae affinitatis fructum tulisse amplissimum Regnum, a Basilea, hinc per Alpium iuga, illinc per Araris litora, vna cum Rhodano vsque ad mare interius excurrens.* Videamus tamen, siquidem diserta testimonia desunt, annon probatione indirecta defungi possimus; ad quam confugere licet, quoties de contrario non constat, quandoquidem coaeuorum nemo patrem atque matrem ADELEIDIS prodidit. Primum argumentum ex eo duci potest, quod in illa stupenda rerum conuersione, quae Caroli Crassi destitutionem & Imperii Occidentis dissolutionem insecuta est, inter Principes illos, qui partem eius aliquam sibi vindicarunt, atque noua Regna instituerunt, nullus fuit, qui non vel per vxorem, vel per matrem aut auiam Carolo Magno cognatione iunctus fuisset: exulante tunc temporis, vel in scriniis tantum latente, certe ad successiones Regnorum nondum traducta *lege Salica.* Numerum eorum ineunt Annales Fuldenses & Hermannus Contractus ap. Canis. ad Annum 888. *BERENGARIVS, filius Eberhardi, in ITALIA Regem se fecit; RODVLFVS, filius Conradi, in BVRGVNDIA; LVDOVICVS, filius Bosonis, & WIDO, filius Lamperti, in GALLIA BELGICA & in PROVINCIA; ODO, filius Rudberti, in GALLIA vsque ad Ligerim.* Cernimus hic singulos suo cuiusque patris nomine circumscriptos, vt distinguerentur ab aliis eiusdem nominis Proceribus, patrumque simul vel ortus vel connubia in memoriam reuocarentur. Ludouicus enim, vt ab hoc potissimum auspicemur, quod in vulgus notum est, matrem habuit Ermengardim, Ludouici II. Imperatoris filiam; vti Berengarius Giselam, filiam Ludouici Pii, ex Iuditha natam, adeoque Caroli Calui sororem germanam. Berengarius autem cum Widone Spoletano, sororis Agiltrudis marito, qui praeterea Pipini, Italiae Regis filiam *auiam,* & Lotharii Imperatoris filiam *matrem* habuisse dicitur Blondello Praefat. apologet. LXXIV. f. 4. b. ita conuenit, vt, saluo sibi Italiae Regno, Widoni permitteret Galliam occupandam.

Liut-

§. 10.

Mabillonius Saeculo IV. Bened. P. II. p. 576. ex vulgato indice Abbatum S. Germani Autissiodorensis refert, Anno 846. Abbatem loci fuisse Con-

Liutprand. L. I. c. 6. Qui Wido non solum ex Italia ocyus in Burgundiam properauit; sed etiam apud Lingonenses (Langres) ab eius vrbis Episcopo, Geilone, Rex Francorum coronatus est. Sed in re parum prouisa testes excitandi sunt. Primus Erchempertus histor. Longobard. circa finem haec habet: *Guido, cognoscens Carolum Augustum feminecem iacere, cupiditate regnandi ductus, deceptusque a contribulibus suis, relinquens Beneuentanum prouinciam sibi subactam, & Spolitensium Ducatum, abiit Galliam regnaturus. - Haec ita gesta sunt Anno Domini DCCCLXXXVIII. mense Octobri. Hoc etiam anno reuersus est Guido ad Italiam, quam principare cupit.* Tum Andreas Marcianensis de Gestis Regum Francorum p. 747. *Diuisi sunt Franci*, inquit, *& aliqui eorum volebant constituere Regem Widonem de Italia; maxime vero illi, qui partibus Fulconis, Archi Episcopi Remensis, fauebant: alii Odonem. --- Pauci vero ex Burgundia apud Lingones ciuitatem per Geilonem, eiusdem ciuitatis Episcopum, Widonem supra dictum Regem sibi creauerunt. Wido vero Rex factus, audiens Odonem in Francia creatum Regem, rediit in Italiam.* Pressior est Hugo Flauiniac. Chron. Virdun. ad Annum 889. *Galliae Principes consilium de magnis rebus ineunt, & Odonem, licet reluctantem, sub Carolo constituunt Regem. --- Wido, per Geilonem Lingonensem Episcopum constitutus Rex, cum audiisset, Odonem Regem factum, cum Berengario Rege Italiae multa bella gessit, & victor reuertens Imperator creatus est.* Cui ex documentis Ecclesiae Lingonensis succenturiatur Vignier. Chron. Lingon. p. 65. *In Gallia delectus est Odo, Comes Parisiorum. At Guido Dux Spoletanus, Crassi gener, ratus, Franciam possessionem Imperatorum esse, Augustum acclamari se primo, Regem inde coronari voluit, & quidem Lingonis, Geilone Remensis Archi Episcopi vices perperam supplente.* Licet autem ad liquidum nondum perductum sit, vtrum Wido Pipini, Italiae Regis, filiam, *auiam*, vel Lotharii I. Imperatoris filiam *matrem*, vel filiam Caroli Crassi, vel, quae nostra est sententia, Berengarii sororem, Agiltrudem, *vxorem* habuerit; haec ipsa tamen cum Berengario conuentio, eamque insecuta Lingonensis coronatio ostendit, fuisse eum aut per vxorem, aut per matrem, aut per auiam Carolo Magno propinquitate iunctum; accedente praesertim Liutprandi testimonio, qui Lib. I. c. 6. de Widone ait: *Traxerat sane & a Francis quandam affinitatis lineam:* & Chronici Sancti Bertini auctoritate ap. Martene Anecdot. T. III. p. 531. quo dicitur: *hi, qui fauebant generi Caroli, volebant instituere Widonem Regem Italiae.* Vt adeo genere Caroli fuerit Wido quocumque modo. Quae cum ita sint; in Odone quoque, Roberti Fortis filio, quia Widoni praelatus, eadem sanguinis ratio fuerit necesse est. Ea vero non in patre, cuius maiores ignorantur; sed in matre Adeleide quaerenda, quam cum Conrado, Rudolfi patre, communem habuit. Vterque autem cum non nisi materni sanguinis fiducia inter aequales emergere, atque ad exemplum Ludouici in Prouincia, Berengarii in Italia, qui ex filiabus Augustorum nati erant, ad Regnum quisque suum adspirare, ac diadema sibi imponere potuerit; Adeleidis sane, Odonis mater, Rudolfi autem auia, quae hisce heroibus tantum reuerentiae inter caetera pares conciliauit, non sine summa specie veri pro Ludouici Pii filia habebitur, praesertim cum cognationis huius vis tanta fuerit, vt paullo post Rudolfus alius e Burgundia ad regnandum in Francia ob aliam caussam non vocaretur, quam quod Emmam, Odonis e fratre Roberto neptem vxorem haberet, eademque felicitas postea huius Roberti nepoti Hugoni Capeto contingeret: cuius posteri regnant etiamnum. Accedit & hoc, quod in Chronico Turonensi ap. Martene collect. ampliss. T. V. p. 975. legimus: *Nec multo post Carlomannus* (Ludouici Balbi filius) *moritur anno Regni quinto. Cui Ludouicus frater eius successit; sed eodem anno obiit. Cui HVGO, qui conseruabat puerum* (Carolum Simplicem) *in Regni regimine successit; non tamen diademate Regni vsus.* Et paullo ante p. 973. *Diuina prouidente clementia nascitur ex legitima vxore Ludouici Balbi filius, qui Carolus* (simplex) *est appellatus. Quem HVGO ABBAS fere per octo annos seruauit.* Hugo Abbas cum ex mente Chronographi Turonensis *diademate* aeque vti potuisset, ac caeteri a feminis Carolini sanguinis orti; necesse est sane, vt mater Roberti & Odonis, eademque auia Hugonis, Adeleidis, Carolini sanguinis femina, & nisi omnia fallunt, Ludouici Pii Imperatoris filia prioris tori fuerit.

Addo

Conradum Comitem, qui non alius est a nostro, & excepit in hac dignitate illum filius *Hugo*. Anno 853. Patres Synodi Wermeriensis *Chuon-*

...rado

Addo argumentum e re ludicra, non minus tamen verisimile & serium. Cum Gisela, quae vltimi Burgundiae Transiuranae Regis sororem matrem habuit, Anno 1027. Romae, cum marito Conrado Imperatore, Augusta coronata, Imperatricis consecrationem & nomen accepisset, quidam de nostris, (non dubium, quin ipse haec scribens Wippo, Imperatoris Sacellanus) filio Henrico versus quosdam obtulit, in quibus duo memorabiles:

Quando post DECIMAM numeratur
linea QVARTA,
De Carolo Magno procedit Gisela prudens.

Explicationis causa Wippo praemittit, Matrem Giselae, Kerbergam, filiam Conradi Regis de Burgundia fuisse, cuius parentes de Caroli Magni stirpe processerant. Carmen integrum Canisius Antiq. lection. T. II. inseruit, vbi p. 197. versus isti paullo aliter fluunt:

Gisela de Caroli procedens sanguine Magni.
Nam si post DECIMAM numeretur
linea QVARTA.
Post Carolum Magnum, nascetur nobilis ipsa.

Qui versus pandunt vulgatam tum per Germaniam opinionem, in Giselae filio Germaniae Regnum quasi postliminio rediisse ad sanguinem Caroli Magni. Ex ista enim persuasione Otto Frisingensis Chron. L. VI. c. 15. cum Ludouici Regis, filii Arnulfi Imperatoris, orbitatem & decessum commemorasset, adiicit, *in ipso fratreque eius Zuendeboldo iuxta quosdam Carolorum genealogiam in Orientali Regno defecisse AD TEMPVS.* Acutissimus ille Palignesius, qui nuperum inconditae Genealogiae Bauaricae conditorem multo sale perfricuit, suoque munere caetera egregie functus est, in hoc solo labitur, quod formulam *ad tempus* in eum sensum detorquet, ac si Otto dixisset, Caroli Magni genus tandem hoc suo tempore in Germania penitus defecisse: multis auctorum classicorum locis veluti fidiculis ad exprimendam hanc sententiam abusus, quasi Otto & reliqua Scriptorum medii aeui turba Ciceronem scribendo imitati, atque ex Cicerone explanandi essent. Ad literam autem Ottonis verba, ac tantummodo de temporaria quadam defectione generis Carolini in Germania accipienda esse, idem aperte indicat c. 32. vbi, cum de Henrico tertio Imperatore, Giselae filio, scribere occepisset, addit: *in ipsoque dignitas imperialis, quae per longum iam tempus* (ad tempus dixerat c. 15.) *a semine Caroli exulauerat, ad generosum & antiquum germen Caroli reducta est.* Stat itaque sententia, sanguinem Carolinum, qui cum Ludouico Puero in Germania *ad tempus* defecerat, elapso eo tempore, quod est Annorum CXXVIII. in filio Giselae, quae genus ad Carolum Magnum referebat, denuo in solium emersisse. Vtut enim Gisela sorores, materteras, consobrinas quoque plures habuit, eodem sanguine cretas; nulla tamen earum Imperatori nupsit, nulla Imperatrix consecrata, nulla filium Imperatorem, vti quidem Gisela, enixa est. Restat, vt dispiciamus, quomodo & quoto gradu Gisela de stirpe Caroli Magni processerit: quandoquidem id proprius ad institutum nostrum pertinet. In quo si praescriptos versus sequimur; sequimur autem tuto veteres, qui ea aetate rem scire poterant; ad Adeleidem, Ludouici Pii filiam, aeque ac ad Carolum Caluum nolentes, volentes, deducimur. Equidem primo intuitu facilis a Gisela ad Carolum Magnum ascensus est per auiam Mathildem, Conradi Burgundiae Regis coniugem, Ludouici transmarini filiam, Caroli Calui abneptem. At in ista linea non nisi VIII. gradus seu generationes sunt a Carolo ad Giselam:

Carolus Magnus.
I. Ludouicus Pius
II. Carolus Caluus
III. Ludouicus Balbus
IV. Carolus Simplex
V. Ludouicus transmarinus.
Conradus Rex Burgundiae = VI. Mathildis
VII. Gerberga
VIII. Gisela

Vnde plures, & in his Leibnitius nostras, vitium in his versibus latere, ac legendum putarunt:

Quando post TERNAM numeratur linea
QVARTA.

Sed cum ex Wippone iidem versus sint in Ottonis Frisingensis Chronicon aliaque veterum scripta, nullo apice mutato, translata; vrentium & secantium manus Medi-

corum

rado inclyto & nobilissimo viro suas literas misere, & prohibuere, ne Monasterium Lebraha S. Alexandro dicatum atque ad S. Dionysii Monasterium pertinens ab eo diuellatur. Quod ipsum instrumentum vel ob adiectam Sirmondi animaduersionem (Probat. N. XII.) exhibere operae pretium ducimus. Lebrahae autem Monasterium in Alsatia, Alemanniae parte, situm, & a Fulrado Abbate Monasterio S. Dionysii donatum erat. Indicio itaque hoc est, Conradum in Alemannia quoque adhuc bona habuisse, vnde ortus erat. *Orba* certe castrum, iuxta quod filius Conradi, Conradus, Huchertum occidit, & quod ab eo possessum videtur, in Pago Bernensi situm fuit. In eodem Pago iacet *Stratlinga* castrum ad lacum Thunensem, vnde denominatus est idem Conradus, Conradi filius. A patre Conrado, de quo iam agimus, haec ad eum venisse necesse est. Ipse Conradus hic in Charta a Vadiano edita, & Anno, vt Blondellus putat, 845. 851. vel 856. scripta *Dux* dicitur. Non tamen Dux Alemanniae constituendus est, vt Blondellus credidit; sed eius solum in ea Charta mentio fit, quia quae in ea comprehensae res in terris, quas in Alemannia possidebat, fiebant. Data est haec charta *in Villa Hostrabun* & quidem *VIII. Id. Octobr. regnante Domino Hludouico Rege Alemannorum & Peioariorum, sub Chunrato Duce nobilissimo, feliciter amen.* (Probat. N. XIII.) Anno 862. Carolus Caluus in controuersia cum Lothario Rege eius consilia secutus videtur. Sane Annales Bertiniani: *Post quam*, inquiunt, *professionem sub bac conuenientia*

corum intempestiua videtur. Dicamus potius, quod res est, Wipponem, eiusque interpretem Ottonem Frisingensem, duplicem viam indicare, qua Gisela de Carolo Magno processerit; altera scilicet per auum; per auiam altera. Nullo enim alio modo, omni adhibita vi ingenii, quatuordecim illas generationes a Carolo Magno vsque ad Giselam eiusque filium Henricum III. Imperatorem exsculpes, quam si per auum simul cum auia ad Carolum Magnum adscendes. Si autem per auum; Adeleidis illa, e qua Burgundiae Transiuranae Reges proseminati sunt, necessario Ludouici Pii filia fuit. Si enim vtriusque lateris lineas computes; habebis earum vtrimque decem & quatuor. Qui est numerus, quem carmina poscunt Wipponis.

I. Carolus Magnus.
II. Ludouicus Pius

III. Adelheidis, Vxor Conradi I.	VIII. Carolus Caluus
IV. Conradus minor	IX. Ludouicus Balbus
V. Rudolfus I. Rex Burgundiae.	X. Carolus Simplex.
VI. Rudolfus II. Rex Burgundiae	XI. Ludouicus Transmarinus
VII. Conradus Rex Burgund. =	XII. Mathildis

XIII. Gerberga
XIV. GISELA.

Sed vel haec ipsa graduum computatio ostendit, Henricum III. Imperatorem, Giselae filium, in generatione XIV. ponendum; Carolum contra Magnum, tamquam communem stipitem, in personis generatis non esse numerandum.

Carolus & Episcopi, qui cum eo erant, in communionem Lotharium receperunt, & scriptas ac Consiliariis recitatas adnuntiationes, quas de illorum Conuentu debuerunt populo nunciare, vsi consilio praecipue Ludouicus & Lotharius CHVONRADI sui Consiliarii, CAROLI AVTEM AVVNCVLI, qui superciliosa, sed friuola, & nec sibi adeo nec pluribus proficua, more sueto, scientia nitebatur, ne innotescerent populo causae, quas Carolus Lothario reputabat, penitus reiecerunt. Vnde apparet *Conradum* tunc a Carolo ad fratres recessisse; filii tamen Conradi Carolo reconciliati sunt. Buccetius obitum Conradi in Annum 862. refert, (l) quod ex numero liberorum Roberti Fortis, qui viduam eius duxit, & ex anno obitus (m) eiusdem Roberti confirmatur.

CAPVT IV.

De *Conrado II.* caeterisque Conradi I. Ducis liberis.

§. 1. Conradus Dux filios habuit *Welfum* Abbatem A. 881. mortuum.

§. 2. Et *Conradum II.* Comitem Parisiensem, benefactorem Monasterii S. Columbae.

§. 3. Cuius gesta recensentur.

§. 4. Is A. 881. mortuus est.

§. 5. Notatur Gundlingii error, qui Conradum nostrum ab illo Parisiensium Comite diuersum esse statuit.

§. 6. Bona is in Heluetia habuit.

§. 7. De eius vxore adhuc inter doctos lis est.

§. 8. Tertius Conradi I. filius fuit *Hugo* Abbas & Dux Franciae.

§. 9. Praeter hos filios Conradus I. Dux filiam etiam habuit *Petronillam.*

§. 10. An Capetingi Franciae Reges orti sint ex Guelfis?

§. 1.

SENIOR filiorum Conradi erat WELFVS. *Frater Conradi* & *Hugonis* in Chronico Senonensi vocatur loco infra citando. Mabillonius eum patri in Abbatis S. Germani Autissiodorensis dignitate successisse refert ex Indice Abbatum huius loci. Anno 864. a Lothario, vt supra indicatum, Archi Episcopatum Coloniensem adeptus est, quem tamen non retinuit. (n) Eodem tamen Anno 864. *Helgaudo, Comiti & Abbati Centulensi 3. Non. Nouembris defuncto, subrogatus est GVELFO vel WELFO, Regii generis, filius scilicet Adelaidis, filiae Ludouici Pii, Con-*

l) Praeeunte Necrologio S. Germani Autissiodorensis, quod ponit XIV. Kal. Mart. Anni 862. vbi tamen pro Anno 862 ponendus videtur Annus 863. quia tertio Nonas Nouembris Anni 862. Conradus conuentui apud Sablonarias interfuit, testibus Bertinianis annalibus.

m) Occisus est Robertus Fortis a Normannis Anno 867. Reginone teste, seu, quod annales Bertiniani volunt, Anno 866. Cum itaque Robertus ex Conradi vidua duos filios susceperit, praetereaque annus luctus viduae non obliuiscendus sit, fieri vix potest, vt Conradus vltra Martium Anni 863. prouixerit.

n) Non Welfus, sed frater Hugo is erat, qui a Lothario Iuniore Coloniensi Ecclesiae praefectus fuit.

Conrado Comiti Seniori desponsatae; frater vero Hugonis, Abbatis nominatissimi, vt Mabillonii verbis vtar, quae in Annalib. Benedictin. T. III. p. 109. ad A. 864. leguntur. Hariulfus in Chronico Centulensi Lib. III. C. 11. eum vocat *virum Regali genere procreatum*, & Cap. 12. diploma Ludouici Balbi affert, (Probat. N. XIV.) in quo *Guelfonem, venerabilem Abbatem, consanguineum suum carissimum* appellat. Carolus Caluus eum Anno 877. in Capitulari Carisiacensi nominat inter *Abbates*, quos filio Ludouico Balbo posuit Consiliarios. *Ex Abbatibus*, inquit, *si alia necessitas non euenerit, assiduo sint cum eo VVLPHO, Gauzlinus & Fulco.* Obiit Anno 881. vt videbimus in loco Chronici Senonensis infra adducendo. (o)

§. 2.

Alter filiorum Conradi CONRADVS *Comes Parisiensis, Iurensium & Rhaeticarum partium Dux, ac Abbas S. Germani Autissiodorensis, & S. Columbae Senonensis* erat. Patri successit Anno 862. Fuit is Anno 866. in partibus Lotharii Regis, & Annalista Metensi & Rhegino ne testibus, Hucbertum, Theutbergae Reginae fratrem, Iuram inter & Alpes Penninas tyrannizantem (p) iuxta Castrum Orbam occidit, suamque in Burgundia potestatem hoc facto stabiliuit. Carolo tamen Caluo tandem reconciliatus est, atque is Anno 876. Carisiaci ei villam *Piredum* donauit. Diploma ex autographo edidit Mabillonius in Appendice Annal. Benedict. T. III. num. XXI. (Probat. N. XVI.) Scribit ibi inter alia Carolus: *Libuit Celsitudini nostrae quemdam fidelem nostrum & parentelae propinquitate coniunctum, Chunradum nobilissimum Comitem, de quibusdam nostrae proprietatis rebus & mancipiis honorare. Concedimus igitur praedicto Chunrado Comiti, nobis carissimo & familiarissimo, villam quae dicitur Piredus, in pago Senonico.* Conradus eandem villam Piredum statim Monasterio S. Columbae contulit diplomate, quod ex apographo Mabillonius l. c. num. XXII. publicauit. Sed vti rem ipsam non nego;

D 2 ita

o) Quid impedit, quo minus & annum & diem, quo Welfus Abbas obiit, iam nunc ob oculos ponamus & stabiliamus. Succurrit ea in re nobis Mabillonius, qui Annal. T. III. p. 232. ad Annum 881. testatur, in Necrologio Sancti Stephani Autissiodorensis ad XVIII. Kal. Decembris notari:

WELFO ABBA.

Itemque in antiquo Necrologio S. Columbae & annum & diem obitus diserte exprimi his verbis:

XVIII. Kal. Decembris depositio Domini Guelphonis Abbatis, Anno DCCCLXXXI.

Addit Mabillonius: *Hic Regii generis erat - Huius in praefectura S. Columbae successores recensentur CONRADVS, Christianissimus Comes, Guelphonis germanus, eodem & ipse anno mortuus - dein HVGO, Conradi & Welfonis pariter germanus, qui monarchiam clericatus in palatio obtinens, Ducatum etiam Regni post Regem nobiliter administrabat.*

p) Seu potius Regi affini Lothario rebellem. Superest rebellionis & confiscatorum huius Hucberti bonorum monumentum, charta scilicet Lotharii Regis, qua coniugi suae Teutbergae multa fratris Hucberti praedia fisco addicta donat. (Probat. N. XV.)

ita diploma ipſum ob plures errores & abſona quaedam pro ſuppoſititio merito habeo. In initio eius legitur: *Chunradus benignitate Dei Vermeriénſis Comes:* quae formula illo aeuo inſolens plane eſt, nec Comites ſe in Chartis a loco aliquo tunc denominabant. Pergitur inter alia: *Nouerit omnium fidelium, tam praeſentium quam futurorum induſtria* (quis vero Comes Saeculo nono de *fidelibus* loquitur? Regius hic Stylus erat) *quod pro amore Domnae Columbae Martyris Chriſti, & pro noſtra ſalute, & vt ſimus participes beatitudinis aeternae, dedimus & contulimus in perpetuam eleemoſynam Eccleſiae praedictae Domnae Columbae Senonenſem villam, quae dicitur Piredus, cum omnibus adiacentiis, iuſtitia & integritate ad ſe pertinentibus, & omne ius, quod habere poteram in dicto loco, ſicut continetur in donatione nobis facta a glorioſiſſimo Rege KAROLO Imperatore Auguſto. Hanc enim donationem laudauerunt heredes noſtri GVILO & GARINNO Comites. Et ne varietate temporum praeſens charta euaneſcat, manu propria eam inſcripſimus, & ſigillo noſtro muniri fecimus. Datum apud Senonas, Anno triceſimo nono Regni glorioſiſſimi Karoli Imperatoris in Francia, & Imperii eius tertio, XVII. Kalendis Auguſti.* Patet ex his, Conradum, qui hic introducitur S. Columbae benefactor, non differre a Conrado, Conradi filio & Welfi nepote. Conradi enim filius, Conradus, vt Chronicon Senonenſe teſtatur, S. Columbae benefactor & Abbas tandem fuit, poſt fratrem Welfum. Cum autem certum ſit, huic Conrado vnicum filium fuiſſe, Rudolfum, Regem Burgundiae; quid hic ſibi *haeredes eius Guilo & Garinnus Comites* velint, non video. Abſonum etiam eſt, quod Conradus hic dicit, ſe chartam praeſentem *ſigillo ſuo muniri feciſſe.* Comites enim tunc nondum ſigillis vtebantur. *Annus Regni Caroli Calui XXXIX. & Imperii tertius* incidunt in Annum Chriſti 878. Carolus vero iam anno praecedente obierat. Quae ſingula Diploma hoc pro ſpurio declarant.

§. 3.

Anno 876. *Chuonradus* cum aliis primoribus ad *Nortmannos*, qui in Sequanam venerant, miſſus eſt, vt cum iis paciſceretur, vt Annales Bertiniani referunt. Anno 877. Carolus Caluus in Capitulari Cariſiacenſi Cap. 12. *Chuonradum Comitem* inter executores Teſtamenti ſui collocat, & ibidem Cap. 15. ordinat, vt *ex Comitibus aut Theudericus aut Balduinus ſiue CHVONRADVS ſeu Adalelmus alternatim cum filio ſuo conſiſtant.* Anno 879. a Gauzlino Abbate ſeductus *Chuonradus Pariſiaci Comes* & ab eodem *ſpe falſa de praecellenti poteſtate deluſus*, ſeceſſit a filiis Ludouici Balbi, & ad Ludouici Iunioris Germaniae Regis partes tranſiit; votis tamen, quantum ex Annalibus Bertinianis intelligere licet,

non

non mactatus est. Interim cum filiis Ludouici Balbi Anno 880. in gratiam rediisse, & quidem Ludouico Germaniae Rege mediatore, ex iisdem Annalibus concludere licet. Haec eorum verba sunt: *Anno incarnati verbi* 880. *Ludouicus Rex Germaniae, vna cum vxore sua ab Aquis in istas partes iter arripuit, & vsque ad Duciacum venit. Vbi Gozlenus & CHVONRADVS obuiam illi venerunt: quamplurimis iam de illorum complicibus ab illorum societate retractis: Indeque Ludouicus & vxor sua ad Attiniacum, indeque ad Ercuriacum, & sic vsque ad Ribodimontem peruenerunt. Et videntes quia Gozlenus & CHVONRADVS, quod ei polliciti fuerant, attendere nequiuerunt, & ipse ac vxor sua, quae sperauerunt obtinere non possent: PERACTIS AMICITIIS CVM FILIIS LVDOVICI & condicto Placito futuro mense Iunio ad Gundulfi villam, reuersi sunt in patriam suam.* Amicitia itaque inter Reges restituta, necesse est & pactis inclusum *Conradum* cum sequacibus. *Spes Conrado de praecellenti dignitate* a Gauzlino iniecta, mihi videtur possessio *Ducatus Burgundiae* plenaria, vel etiam *Regiae dignitatis*, quam filius eius Rudolfus sibi ibi parauit.

§. 4.

Obiit mox Conradus Anno 881. teste Chronico Senonensi a Buccetio pag. 346. citato. Eius ex verbis manifestum est, Conradum Welfi & Hugonis Abbatum fratrem fuisse. Ea vero haec sunt: *Anno* 881. 2. *Nonas Iulii susceptae sunt reliquiae valde preciosissimae in Basilica S. Columbae virginis - - - Erat autem Abbas ipsius Monasterii WELPHO EX PROSAPIA REGALI, qui eodem anno transiens e mundo in Basilica S. Columbae humatus est. Cui successit CONRADVS Christianissimus Comes, GERMANVS EIVS, qui ipso anno diem claudens extremum, cum moerore & gemitu totius Regni, eo praecipiente & admodum obsecrante, in stillicidio S. Columbae ad pedes S. Lupi Confessoris honorifice est sepultus. Cui successit HVGO FRATER EIVS, qui Monarchiam Clericatus in palatio obtinens, DVCATVM etiam REGNI post Regem nobiliter administrauit.* Vides, hic *fratrem* dici *Welphonis* & *Hugonis.* Paulo post vero afferemus Diploma, vbi Hugonis pater *Conradus* & mater *Adelheidis* dicuntur, (q) vt ideo clarum sit, Conradum Comitem Parisinum hoc Conrado genitum.

q) Digitum forte intendit Eccardus in Probation. N. XIX. In eo diplomate tamen neque Conradus pater, neque Adelheidis mater Hugonis nominatim appellatur, sed simpliciter genitoris eius & genitricis fit mentio. Promissum igitur diploma cum nullibi inuenire potuerimus, nec cum Lectore communicare possumus.

§. 5.

Scio, doctissimum Gundlingium Opusculor. T. XX. p. 419. sq. distinguere Conradum, Conradi Welfo nati filium, a Conrado Comite Parisino; sed argumenta eius hoc non euincunt. Maximum sententiae fundamentum desumit a Charta Conradi paulo ante explosa, quam ille Comitis Parisini esse putat, & *Guilonem* & *Garinnum* ibi corrupte nominatos in nescio quos *Gucilionem* siue *Conradum* & *Geronem* aut *Gerbardum* transformat. Sed prius ostendere debuisset, *Conradi* nomen in *Guilo* & hoc in *Gucilio*; ac *Gerhardi* illud in *Garinno* a Francis transmutatum. Huiusmodi enim non gratis dicuntur. Hos suos *Gucilionem* & *Garinnum* ex Conrado nepotes facit Begonis, Alpaidis mariti, & Gucilionem vel Conradum iterum Conradi I. Regis patrem constituit. Sed cum vagae huiusmodi coniecturae non sufficiant, vel aliquod huius rei indicium ex veteribus afferendum erat. Begonis filii *Eberhardus* & *Letardus* nominantur a Frodoardo. Nemo vero veterum Eberhardo *Conradum* filium tribuit. Quod filius Conradi *Hugo Abbas* a partibus fuerit filiorum Ludouici Balbi, & *Conradus Comes Parisinus* ab iis secesserit, non euincit, diuersi eos generis; sed saltem ob graues causas dissensum inter fratres fuisse. Scrupulus ille, quod Conradus fuerit *Dux Iurensium & Rhaeticarum partium*, & ideo non potuerit esse *Comes Parisinus*, nullius momenti est. Magnates enim Regibus chari, vt varias saepe Abbatias diuersis in partibus vsurpandas, ita etiam Comitatus Regni diuersos administrandos hoc tempore accipiebant. Plura huius rei exempla in promptu sunt. Princeps tamen Gundlingii argumentum, quo demonstrare conatur, *Conradum Comitem Parisinum* omnino diuersum fuisse a *Conrado, Conradi filio*, hoc est; Conradum hunc obiisse sub Carolo Caluo; *Conradum* vero *Comitem Parisinum* sub Ludouico Balbo & filiis eius adhuc vixisse. Confirmat sua ex Herici Miraculor. S. Germani Autissiodor. Cap. 5. vbi Auctor hic de filiis Conradi, Welfo & Heigelwige nati, scribit: *Robusta diligentia confectum est* [Orientalis fabricae Monasterii S. Germani Autissiodorensis] *multisque opitulante Deo seculis duraturum Chonrado Principi & eius iugali benignissimae immortalem de caetero ferret memoriam meritorum, quorum primam & incomparabilem in nos locumque nostrum ex animo beneuolentiam, posteritatis quoque illorum hereditaria deuotio comprobauit. Filii scilicet aequissimorum parentum & probitati & pietati quam simillime respondentes, quibus vltra omne, quod humanum est, idem locus & animo, sed & indicibili amore charissimus euidenter apparuit, quos quia iam dudum incipientis felicitatis nostrae successibus torquebaris, acerbo praeuentos occasu sors saeculorum prouectui semper inuida sustulisti.*

Ne

Ne tamen nos omnimoda praesidiorum spe interceptos, vt coeperas, vsquequaque prosterneres, infrenes conatus tuos & dira molimina rerum prudentissimus moderator elusit. Hunc qui superstes adhuc, coelo propitio vitales carpit auras nostrae primum saluti, multorum dehinc vsui, cunctorum postremo profectui reseruando. Is est HVGO, vt absque assentationis fuco verum fatear, & nomine & officio Abbas; de quo quidquid dixero, longe infra meritum ipsius est, praestatque de eo silere per omnia, quam parum dicere; neque enim quidquam de illo tunc tractandum suscepi, nisi quod eximia proles egregiis manans genitoribus hos quam simillime tum dignitate, tum moribus, repraesentat: eo factum est, vt paternis, annuente Deo suffectus honoribus, auitae memor gloriae & potestatis, & probitatis patriae robustissimus heres existat, Beato protegente Germano, votis nostris cunctorumque fidelium ad Sanctae decus Ecclesiae & diutissime & foeliciter floriturus, sed memoriam illius viri omnes anni excipient consequentes, rebus sane suaui lapsu decurrentibus, iucundum fuerat immorari, nisi res ordine secuturae pronos in voluptatem animos auocarent. Dicit Hericus: *memoriam Hugonis Abbatis omnes anni exipient consequentes.* Amplius tamen Hugonis mentio apud eum non occurrit: quod indicio est, Hericum vltra illum annum, quo haec scripsit, nil amplius in literas redegisse. Iam Hugo, vt videbimus, Anno 887. obiit: & *Welfus* ac *Conradus*, Conradi filii, Anno 881. vt Senonensis Chronici verba id sole meridiano clarius reddunt, vitam cum morte commutarunt. Hericus itaque non, vt Mabillonius Rei Dipl. p. 552. & Gundlingius putarunt, sub Carolo Caluo, sed diu post ipsum sub filiis Ludouici Balbi scripsit. Atque hinc ex Herico imaginata distinctio inter Conradum, Conradi filium, & Comitem Parisinum plane concidit. Sed de his satis.

§. *6.*

Conradum nostrum, patrem Rudolfi I. Regis Burgundiae quidam ex recentioribus *Stratlingensem* appellant; quod forte ex antiquioribus hausere. Apparet hinc certe, Conradum bona in Heluetia, vbi Guelforum allodia quaedam erant, paterna habuisse. *Stratlinga* enim, Stumpfio in Chron. Heluet. f. 494. teste, vetus arx est ad lacum Thunensem in Argouia. Comitatum Parisinum post mortem Conradi recepit *Odo*, filius Roberti Fortis, postea Rex Francorum & Conradi nostri frater vterinus, vt ex Annalium Metensium loco infra adducendo patet.

§. 7.

Quam vxorem habuerit *Conradus* iterum dubium est. Quercetanus Hist. Burg. Geneal. Lib. II. c. 21. cum obseruasset, *Rudolphum I. Burgundiae Regem* a Reginone vocatum *nepotem Hugonis Abbatis*, inde conclusit, Con-

radum

radum habuisse in matrimonio *sororem Hugonis* huius. Verum vox *nepotis* hic apud Rheginonem non de *filio sororis*, sed de *filio fratris* intelligenda est, qualis re ipsa Rudolfus erat. Et longius a vero aberrat, vt hoc obiter moneam, Alphonsus Del bene, qui L. II. p. 133. de Regno Burgundiae Transiuranae haec verba in sensu proprio accipiens Rudolfi I. Regis Auum constituit Hugonem Abbatem. Vxorem Conradi recentiores HERMENTRVDEM vocant, & apud Quercetanum eam filiam Luitfridi Comitis Altenburgensis faciunt. Vignierius illam eius ex fratre Adalardo Comite neptem constituit. Nullibi tamen genuinae probationes sententiis hisce adduntur. Vnde nihil definimus.

§. 8.

HVGONEM, tertium Conradi & Adelheidis filium, *clericalem habitum gessisse*, & *Coloniensem Archi Episcopum* constitutum, hac vero dignitate resignata, *Abbatem Autissiodorensem* fuisse, supra vidimus ex Henrici loco. Eundem quoque *Abbatem Sithiensis* (per duos annos,) *S. Vedasti* & *S. Martini Turonensis Monasteriorum* fuisse, Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad Annos 859. 871. 873. & 876. demonstrat ex chartario Folquini Monachi Sithiensis, cuius excerpta inseruit libro de Re Diplomatica p. 605. seq. ex quo apprime notandum, quod Monachus ille ab *Hugone seniori*, Caroli M. filio naturali, quem nonnulli pro patre nostri Hugonis habent, nostrum accurate distinguat, vocans eum p. 613. *Hugonem iuniorem*, *filium Chonradi*, *&* *auunculum Karoli Regis*. Idem Anno 867. num. 83. diploma affert, (Probat. N. XVII.) in quo Carolus Caluus eum *carissimum suum Hugonem* & *reuerendum Beati Martini Coenobii Abbatem* vocat. Eodem Anno 867. testibus Annalibus Metensibus, in praelio aduersus Normannos cecidit Robertus cognomento Fortis, liberis Odone & Roberto adhuc paruulis relictis, vnde Ducatus inter Sequanam & Ligerim *Hugoni Abbati* commissus est. Anno 868. Carolus Caluus Castellaniam Chableiensem Ecclesiae S. Martini *ad deprecationem carissimi sibi Hugonis, reuerendi eiusdem Beati Martini Coenobii Abbatis in diuae recordationis genitoris sui Hludouici excellentissimi Augusti & genetricis suae Iudith gloriosae Imperatricis memoriam & suam seu amantissimae sibi coniugis Hermintrudis gloriosae Reginae atque prolis suae* donauit. (Probat. N. XVIII.) Eodem Anno (Probat. N. XIX.) idem Rex ad petitionem *reuerendi S. Martini Confessoris Hugonis Abbatis*, *propinqui sui*, ordinauit, ne quis Lirado & Marciaco, villis S. Martini, vim inferat. Vtraque Diplomata emisere in lucem Edmundus Martene & Vrsinus Durandus Thesauri Anecdotorum T. I. pag. 42. & 43. Carolus Caluus in Carisiacensi Capitulari

tulari Cap. 15. eum Ludouici filii consiliariis, si vltra Sequanam eat, adiungit: *Si*, inquit, *vltra Sequanam perrexerit*, *HVGO ABBA*, *Waltherus Episcopus*, *Wala Episcopus* etc. Anno 878. Annales Bertiniani eum *Abbatem & Marchionem*, contra Normannos nempe, appellant, & varia eius in negotiis Regni acta recensent. Adelerius Floriacensis Monachus pugnam, ductu eius, e Burgundiae partibus venientis, cum Normannis, quae eodem anno accidit, commemorat. Literae Paparum variae ad ipsum extant. Epistola Iohannis VIII. Papae, quae Tomo Conciliorum generalium IX. est trecentesima quinta, (Probat. N.XX.) inscripta est *Hugoni Strenuo*, *Nobili*, *Regia prosapia edito atque Excellentissimo Abbati*. Antea iam Nicolaus Papa in Epistola apud Quercetanum XLIX. eum vocauerat *Abbatem nobilem*, *spectabili prosapia genitum*. (Probat. N. XXI.) Anno 879. idem Hugo tutor filiorum Ludouici Balbi constitutus est, vt supra ex Gestis Consulum Andegauensium retulimus. *Dux Burgundiae* ibi vocatur. Sed ex iis, quae paulo ante retulimus, clarum est, eum non *Burgundiae*, sed *Franciae Neustricae Ducem* fuisse, cuius & supra *Marchio* vocatus est. Anno 883. Carolomannus Rex Francorum paulo ante obitum suum, postulante *Hugone Monasterii S. Germani Autissiodorensis Abbate*, quem pro fidelitate sibi semper seruata *loco patris* se colere dicit, bona Monasterii confirmauit, & inter caetera res, quas *Hugo Abbas* pro remedio *animae genitoris sui Conradi* (r) *& genetricis suae* donauerat. (Probat. N. XXII.) Edidit id Mabillonius Rei Diplomat. p. 550. In hoc eodem diplomate & Hugonem & patrem Conradum Carolomannus *propinquos* suos vocat. Eadem vere elogia Carolomannus eidem tribuit in alio diplomate pro Ecclesia Aurelianensi, edito in Appendice Baluziana ad Concilia Ecclesiae Narbonnensis, vbi Hugonem *tutorem suum* ac *Regni maximum defensorem* appellat. Obiit demum Anno 887. ad quem Annales Metenses: *Eodem tempore*, inquiunt, *HVGO ABBA*, *magnae potestatis Vir & magnae prudentiae*, *Aurelianis moritur*, *& apud S. Germanum Autissiodoro tumulatur*. *DVCATVS autem*, *quem tenuerat & strenue rexerat*, *Odoni*, *filio Rotberti*, *ab Imperatore traditur*, *qui ea tempestate Parisiorum Comes erat*.

§. 9.

Habuere vero hi fratres sororem quoque PETRONELLAM. (s) Albericus ad An. 913: *Sequitur de relatione Corporis S. Martini ab Autissiodoro*

r) Vox Conradi abest in diplomate.

s) Petronellam hancce e Buccetii argutiis Genealog. Franc. p. 175. adoptauit quoque Blondellus. Princeps quaestio est de Hugone illo Burgundiae Duce, cuius nepos Ingelgerius dicitur. Hugo Abbas Welfus Burgundiae Dux numquam fuit; licet in Gestis Consulum Andegauensium ita appelletur:

ſiodoro ex dictis S. Odonis Cluniacenſis Abbatis: Interea quidam vir inclytus *Comes Gaſtinenſis, Ingelgerius nomine, HVGONIS DVCIS BVRGVNDIAE NEPOS, Loziae & Ambaziae Dominus, factus eſt Conſul Andegauenſium a Rege Franciae. Rollone ergo baptizato per huius Comitis induſtriam relatum eſt corpus Beati Martini Turonum ab Autiſſiodoro* etc. INGELGERIVS Hugonis Abbatis nepos ex fratre non fuit, ergo ex ſorore. Iohannes Monachus in Geſtis Conſulum Andegauenſium eius nomen prodit, & TERTVLLVM maritum ei tribuit. Verba eius ſunt: *Tertullus nobilem duxerat vxorem Ducis Burgundiae filiam, nomine PETRONILLAM, quae hunc filium* [Ingelgerium] *peperit.* Erronee ergo Canonicus S. Martini in Chronico Turonenſi eam facit filiam Hugonis M. Ducis Burgundiae. Patrem enim Petronellae *Ducem Burgundiae* fuiſſe Conradum Seniorem, ex hiſce locis collatis certum eſt. Acquiſiuerat ille Ducatum hunc a Ludouico Pio Imperatore. Plenior tamen in eo potentia filio eius denegata fuiſſe videtur: vnde is a filiis Ludouici Balbi ſeceſſit, vt ſupra monuimus, ſpe praecipue iniecta, ſe Ludouici Iunioris, Germaniae Regis, ope eum adipiſci poſſe; animi tamen falſus eſt.

§. 10.

Fuere quidem, vt & hoc moneam, qui *HVGONEM ABBATEM, Roberti Fortis filium*, & fratres eius *Odonem* & *Robertum*, Reges poſtea factos, conſtituerunt, seducti loco Aimoini a Iohanne a Boſco vulgato in libro de Miraculis S. Benedicti, vbi *Hugo, vt fertur, Rotberti filius* dicitur. Sed haec verba, *vt fertur, Rotberti filius*, vt Mabillonius Rei Diplom. p. 552. obſeruat, abſunt ab optimae notae Codice MSto Patriciacenſi, conſtatque ex Herico, Hugonem hunc *Conradi Comitis* & *Adelheidis* filium extitiſſe. Alii alia via ex Guelfis Robertum Fortem deduxerunt. Nicolaus Vignierius, Regis Galliae Hiſtoriographus, Anno 1587. edidit ſine nomine *Hyperaſpiten*, ſiue librum, quo Petri Saniulianenſis

tur: quae Geſta in eo quoque fallunt, quod eumdem Hugonem, Caroli Simplicis primum tutorem, filium faciunt Hugonis Abbatis, Caroli Magni filii naturalis. Horum ergo auctoritatis in hac controuerſia nullus vſus eſt. Buccetius, ad Canonici Turonenſis teſtimonium prouocans, neſcio quod, p. 176. aſſerit, Petronellam ab eo vocari Hugonis *materteram:* Hugonis ſcilicet Albi, Roberti Regis filii. Ego quidem in Chronico Turonenſi, a Dn. Martene Collect. ampliſſ. T. V. euulgato, praeter elogium nepotis Hugonis Ducis Burgundiae p. 974. nihil huius deprehendo. Argumentemur tamen e conceſſis. Aut matertera matris ſororem ſignificat; aut patris. Si matris; Petronella iſta vel Richardi Iuſtitiarii, Burgundiae Ducis filia fuit, vel Heriberti Viromanduenſium Comitis. Siquidem Hugonis mater, teſte Alberico ad Annum 922. Ducis Burgundiae; aut, ſi Chronicon S. Petri Viui Senonenſis apud Dacher. Spicil. T. II. p. 469. audis, Comitis Viromanduenſis filia erat. Sin patris; Petronella Roberti Fortis, non autem Conradi filia, ac proinde Conradi maioris filiorum non niſi ſoror vterina, & ſic Burgundiae Ducis non filia, ſed priuigna fuerit. Quibus cunctis penſitatis, *Petronellam* illam vel ob nominis inſolentiam e Welforum familia eiiciendam puto.

nensis paradoxam sententiam de Origine Capetinga refutauit. Idem iam in Chronico rerum Burgundicarum, Basileae 1575. edito, ad Annum 887. ex loco quodam Chronici S. Benigni Diuionensis obseruauerat, *Robertum Fortem & Hugonem Abbatem fratres fuisse.* Hugo autem, vt vidimus, Conradi, Welfo nati, & Adelheidis filius fuit. Probauere Vignierii sententiam fratres Sammarthani ac Iohannes Besly; & Io. Iacobus Chifletius eandem propugnauit in Vindiciis Hispanicis, atque ad Vindicias Luminibus & Lampadibus. Chronici S. Benigni, a Vignierio citati, verba sunt: *Supererant duo filii Rotberti Andegauorum Comitis, fratris Hugonis Abbatis.* Sed frater Io. Iacobi, Petrus Franciscus Chifletius, a Philippo Labbeo consultus de lectione Codicis genuina, respondit; legi omnino in eo, non *fratris*, sed *fratres*. Confirmatur haec lectio ex Chronico Bezuensi, & Scriptore Vitae Warnerii Praepositi Ecclesiae S. Stephani Diuionensis, qui ambo ipsis Chronici Diuionensis verbis vtuntur, & similiter *fratres* habent. Filii nempe Roberti Fortis, *Odo* & *Robertus*, nati erant ex Adelheide, quae, defuncto Conrado, Roberto Forti nupserat, atque ita Hugonis Abbatis *fratres* erant; sed *vterini*. Hoc vero modo de *Capetingorum origine ex Guelfis* sententia subuersa est plane. Interim eandem tamen Georgius Violes & Mabillonius in Supplemento Rei Diplom. Cap. X. §. 5. nec non Abbas des Thuilleries in Dissertatione Abbati de Campis opposita, & Diarii Eruditorum Parisini Anno 1721. & quidem mensi Iulio inserta, adhuc susceperunt. Sed nihil praeter coniecturas minutiores referunt, quae rem ipsam nondum in tuto collocarunt. Mabillonius certe modeste admodum profitetur, *huius argumenti dignitatem maiores curas, & in rebus genealogicis magis versatum hominem postulare.* Roberti Fortis parentes ex Germania ortos, & in Galliam sub Ludouico Pio translatos, apud me certum est; & alia occasione meam ea de re opinionem (t) proferam, nondum a quoquam hactenus perspectam. Iam enim coepta continuabimus.

 CAPVT

t) Aperuit DN. Eccardus hanc singularem de Roberti Fortis natalibus sententiam Rer. Wirceburg. T. II. p. 230. sqq. quos e Treuirensi dioecesi deriuat; deriuaturus forsan e Saxonia, si tum in Saxonia scripsisset, propter loca Scriptorum Francicorum plurima, quibus Robertus *vir Saxonici* vocatur *generis* & *Marchio de genere Saxonum extractus*. Vid. Aimoinus Floriac. L. II. C. 1. Albericus ad Annum 988. p. 29. Praesertim cum Adreualdus Lib. I. C. 27. epocham annotauerit, qua Ludouicus Pius, Primores Francorum suspectos habens, Germaniae populos, Saxones videlicet, Thuringos, Boioarios atque Alemannos in Regnum vocauit, eisque, quos pater armis subegerat, Regni statum commisit: & in Vita S. Genulfi Lib. II. C. 6: Robertus quidam magnae potentiae vir & palatii Magister occurrat, cuius sororem duxit Pipinus Rex Aquitaniae: quem Robertum Roberti Fortis progenitorem venditant. Hincmarus Remensis in notitia de villa Nouilliaco, Flodoardi historiae Remensi subiecta, p. 409. asserit, Carolum Magnum, cum defuncto Tulpino Remense Episcopium in suo dominatu tenuerit, villam Nouilliacum Anschero Saxoni in beneficium dedisse: vt adeo Proceres Saxones inde ab Magni Caroli temporibus fortunarum sedem in Francia inuenisse videantur.

CAPVT V.

De *Rudolfo* Burgundiae Transiuranae Rege, eiusque sorore *Adelheide*, Ducis Conradi II. liberis.

§. 1. Conradi II. filius fuit *Rudolfus I.* qui Burgundiae Regnum sibi asseruit.

§. 2. Eius vxor fuit Willa, genere hactenus incerto edita.

§. 3. Filiam habuit Conradus II. *Adelheidem* Richardi Ducis Burgundiae coniugem.

§. 1.

Ex liberis Conradi Comitis Senioris masculis solus *Conradus Iunior* posteritatem habuit, & quidem filium RVDOLFVM I. qui postea *Rex Burgundiae Transiuranae* factus est. Is antequam Rex fieret S. Mauritii Agaunensis Abbas fuit, teste diplomate, quod infra in libro Probationum exhibemus N. XXIII. De Regia dignitate sibi vindicata Annales Metenses ad An. 888. *Per idem tempus Rodulfus, filius Chuonradi, nepos Hugonis Abbatis* [sc. ex fratre] *de quo supra meminimus, prouinciam inter Iurum & Alpes Penninas occupat, & apud S. Mauritium, accitis secum quibusdam primoribus & nonnullis Sacerdotibus, coronam sibi imposuit, REGEMque se appellari iussit.* Arnulfus Imperator licet hoc aegre ferret, in montana tamen se recipientem Rudolfum deiicere Regno non potuit; qui ipse tamen, vt tutius parta tueretur, consilio cum Alemannis, cognatis suis, habito, tandem Ratisbonam sponte venit, seque Arnulfo commendauit, vt Fuldenses Annales indicant, quorum verba digna sunt, quae integra referantur, quia innuunt, Rudolfum post haec cum bona Arnulfi pace regnasse, ipsumque cum posteris Regni Germanici maiestatem comiter coluisse. Ita autem Annalista Fuldensis ad Annum 888. *Rudolfus,* inquit, *inito consilio cum primoribus Alemannorum, sponte sua ad Regem* (Arnulfum) *vrbem Radasponam vsque peruenit, multaque conuenienter inter ipsos adunata, ipse a Rege cum pace permissus, sicut venit, ad sua remeauit.* Et clarius adhuc Hermannus Contractus Canisianus ad h. a. *Multis Regulis emergentibus - Rodolfus, filius Conradi, in Burgundia - Regium nomen inuasit - Itidem Rodolfus Ratisbonam ad eum* (Arnulfum) *veniens, fauore eius peruasam impetrauit Burgundiam.*

§. 2.

Rudolfi vxor WILLA fuit, vt intelligitur ex literis Adelheidis, Rudolfi sororis, mox referendis. Vnde illa descenderit, nescitur. Forte tamen ea fuit ex familia Comitum Baugiaci & Marchionibus Sebusianis, vnde etiam *Hugo Comes & Marchio* ortum duxit, quem Conradus Rex Burgundiae Anno

Anno 943. sq. *consanguineum suum* vocauit. Diplomatum huc spectantium excerpta in Saec. Bened. V. p. 317. Mabillonius publicauit. Obiit Anno 912. vt Capite sequenti ex Hermanno Contracto apparebit, vbi de filio Rudolfo agemus. Eckehardus Iunior in Casibus S. Galli *Hartmuotum*, Abbatem S. Galli, *propinquum Rudolfi Regis* (u) nominat. Vnde Hartmuotum ego ex Guelfica matre natum puto, filia Comitis Etichonis, de quo infra pluribus.

§. 3.

Rudolfi I. Regis Burgundiae *soror* erat ADELHEIDIS, ab auia ita dicta, & *Richardi Ducis Burgundiae*, Buwino Comite nati, & Bosonem Regem Prouinciae fratrem habentis, *vxor*; ac *mater* inde *Rudolfi Franciae Regis.* Frater Rudolfus ei *Monasterium Romanense* in Pago Waldensi concesserat Anno 888. (Probat. N. XXIV.) & Diploma ipsius Mabillonius in Appendice Annal. Bened. T. III. p. 32. affert ex authentico, quod non solum Anno Regis primo datum, sed etiam Sigillo munitum est, in cuius circulo legitur RODVLFVS REX habens caput diademate redimitum. Testis est, qui vidit Mabillon. Annal. T. III. p. 269. Quae satis indicant, illo anno Rudolfum e Ducum classe in Regum ordinem transiisse. Richardo Duce defuncto Anno 921. haec eius vidua Monasterium hoc Romanense Odoni Abbati Cluniacensi subiecit Literis, quarum contenta Mabillonius ad An. 930. in Annalibus Bened. refert. Hanc vero donationem *Adeleydis Comitissa*, vt dictae Literae habent, fecit pro *anima Fratris sui RODVLFI REGIS*, a quo hoc Monasterium habuerat, tum *pro requie piae memoriae Richardi Coniugis olim sui*, ac pro *WILLA REGINA, PRAEDICTI RODVLFI REGIS VXORE; ad haec pro se ipsa, & pro RODVLFO REGE BVRGVNDIAE IVRENSIS NEPOTE SVO*, & pro *filiis suis, Hugone* & *Bosone*, & pro *LVDOVICO NEPOTE*, sed & pro *parentibus & consanguineis suis & DOMNO HVGONE insigni Abbate, ceterisque vtriusque sexus propinquis.* etc. His Literis apponitur *Signum ADELEYDIS COMITISSAE, REGIAE MATRIS ET ABBATISSAE, IVDITTAE FILIAE RODVLFI REGIS, VGONIS* IN-

u) Ex hoc testimonio potius inferendum erat, Hartmuotum stirpi Regiae inserendum esse. Sed quia, obseruante Dn. Eccardo Rer. Wirceburg. T. II. p. 227. huius aeui Scriptores in genere Regio suis Heroibus assignando non admodum parci sunt, ad Etichonem abire visum, vt Regiae propinquitatis vmbra aliqua exhiberetur; quae tamen e linea feminina procedere potuit. Habuit enim Rudolfus Rex vxorem Willam. Cuius frater seu sororis filius si Hartmuotus fuit, maiori iure Rudolfi Regis propinquus dici poterat, quam si ex filia Etichonis natum fingas. Quamquam non nisi Andabatarum more pugnent, qui ex vocabulo tam laxae significationis argumentantur.

INCLYTI COMITIS ATQVE FRATRIS AVGVSTI RODVLFI REGIS, RODVLFI FILII LVDOVICI IMPERATORIS, & aliorum. *Data XVIII. Kalendas Iulii, Anno quinto Regnante Rodulfo gloriosissimo Rege, Indictione II. Actum publice in villa Boiaco.* Sola excerpta, vt dixi, huius Chartae Mabillonius ad An. 930. affert; quam ipsam tamen integram in Actis Ordinis S. Benedicti Saeculo V. edidit, ex quo nos eam infra repetimus. (Probat. N.XXV.) Eadem Mabillonii excerpta, sed corruptius paulo, Vignierius diu ante Bibliothecae Historicae ad An. 921. inseruerat, vbi pro *Boiaco* legitur *Bonalacu*. Mabillonius putat, in ea notari annos Rudolfi Franciae Regis, (x) & sic Datum in Annum 928. incideret: Sed si Indictionem sequamur, Annus 929. ponendus erit. *Ludouicus nepos*, cum *filiis* postponatur, intelligendus per eum filius Rudolfi Regis Franciae ante patrem postea defunctus. *Rodulfus* filius *Ludouici Orbi* etiam ante patrem (y) obiit, quod tamen nullibi annotatum est. *IVDITHA Rudolfi Regis Burgundiae filia* (z) etiam non alibi occurrit. *Hugo Abbas* est Guelficus ille Princeps Anno 887. defunctus, & supra a nobis commemoratus. (aa)

CAPVT

x) Idque rectissime. Si enim notaretur Rudolfi I. Burgundiae Regis annus quintus, donatio incideret in Annum 893. quo Adelheidis vix nupta fuit. Si vero Rudolfi II. annus quintus assumeretur, incideret is in Annum 917. quo vixit adhuc Richardus Adelheidis maritus, quippe Anno demum 921. defunctus,

y) Immo & ante natum fratrem, Carolum Constantinum, quia huius quoque mentio facienda fuerat, si iam extitisset. De caetero cum hoc tempore alius Imperator Ludouicus, praeter Bosonidem illum non occurrat, huius necessario filius primogenitus fuerit oportet Rudolfus ille, ante patrem defunctus; licet eum ignorent omnes omnis aeui annales.

z) Sed vnde constat, Rudolfi Regis Burgundiae filiam indicari? Dicitur simpliciter *Iuditha, Rudolfi Regis filia*, ac proinde Rudolfi Franciae Regis filia aequo iure haberi posse videtur, ac Rudolfi Burgundici nata. Quia tamen Adelheidis liberos ex Rudolfo Franciae Rege genitos, filios suos appellat, Iuditham hanc si Francica esset, pariter filiam suam appellasset. Quod cum factum non sit, per *filiam Rodulfi Regis* non videtur aliam, quam Rudolfi Burgundici filiam designare.

aa) Rudolfus I. Burgundiae Rex anno, qui iam eruendus est, Cluniacensi Abbati, Bernoni, pinguem donationem fecit ad Gigniacum Monasterium, quam (Probat. N.XXVI.) subiicimus, & in qua multum implicatur Doctissimus Mabillonius Act. Ord. S. Benedict. Saeculo V. p. 69. seq. periculum non sentiens asserentis, donationem hanc, quae Anno 904. facta dicitur, fuisse Anno 896. a Formoso Pontifice, & Anno 898. ab Ermengarde Regina, Ludouici Bosonidis matre, confirmatam: id quod per numerorum naturam fieri nequit. Alia autem haec inter se pugnantia conciliandi ratio non est, quam vt dicamus, aut Baluzium, e quo hausit Mabillonius, Annum DCCCCIV. diplomati per errorem adscripsisse, aut huic Baluziano diplomati contigisse, quod aliis nonnullis, vt nimirum autographis ipsis Notariorum sphalmata insint. „Nempe Cancellario, vti eius Amanuensi, excidit in „hac archetypa pergamena numeralis nota „X. ante postremam C. translata deinceps „in numeros Regnum denotantes.„ Ita Clar. Muratorius Antiq. Ital. T. I. p. 281. de exemplo, huic nostro prorsus simili. Quod vt eo clarius pateat, confirmationem Pontificis ex Anno 896. (Probat. N. XXVII.) & Placitum Reginae Ermengardis ex Anno 898. (Probat. N.XXVIII.) addimus.

CAPVT VI.

De Rudolfi I. Regis filio, *Rudolfo II.* Burgundiae & Italiae Rege, huiusque sororibus.

§. 1. Rudolfus I. filium habuit *Rudolfum II.* qui in Regno Burgundiae ipsi successit.
§. 2. Huius coniuges fuerunt Emma & Bertha.
§. 3. Ab Italis ad Regnum occupandum vocatus est; hoc ipso tamen eum iterum exuit Hugo, Dux Prouinciae.
§. 4. Recensentur reliqua eius gesta & mors.
§. 5. Post eius mortem Bertha Hugoni Italiae Regi nupsit.
§. 6. Haec ipsa Bertha Paterniaci Monasterii fundatrix exstitit.
§. 7. Quo tempore diem clauserit, & vbi sepulta sit? disquiritur.
§. 8. Rudolfo I. filia fuit *Waldrada*, Bonifacii Spoletinorum Marchionis vxor.
§. 9. Altera eius filia *Iuditha* fuit.
§. 10. Tertia *Anna* Bertholdo Brisgouiensi Comiti nupta.
§. 11. Addunt alii quartam *Willam* nomine, Bosonis Tusciae Marchionis coniugem.

§. 1.

FILIVM RVDOLFVM II. *Burgundiae & Italiae Regem* habuit Rudolfus I. Rex. Herm. Contractus ad An. 912. *Rudolfus Rex Burgundiae obiit, & Rudolfus, filius eius, Regni illius iura disposuit annos* 25. Alphonsus Delbene tamen de Regno Burgundiae Transiuranae Lib. I. p. 16. ad vetera monumenta prouocans, diem obitus eius ponit VIII. Kal. Nouembr. Anni DCCCCXI. *Decessit*, inquit, *Rodulphus, vt testantur duae peruetustae historiae manuscriptae, Octauo Calendas Nouembris Anno a partu Virginis vndecimo supra nongentesimum.*

§. 2.


Prima eius vxor fuit EMMA, Ludouici, ante patrem defuncti, mater. Diserte id testatur Albericus Monachus Trium fontium ad Ann. 923. *Rudolfo*, inquiens, *in augmentum potentiae hoc accessit, vt potentissimi Sueuorum Ducis Burchardi filiam, nomine Bertam, sibi coniugio copularet. Habuerat antea vxorem aliam EMMAM nomine, de qua tulit filium LVDOVICVM, qui viuente patre decessit.* (bb) Anno itaque 922. duxit BERTAM *Burchardi*

bb) Vereor admodum, ne iam Alberico acciderit, quod nostri aeui Historicis quam plurimis, nec Germanis solum, eisque e prima classe, veluti Pfeffingero, Gundlingio, Eccardo, sed & ipsi Francicae Historiae parenti Quercetano, & post eum Mabillonio contigit, vt fata & gesta, immo & diplomata Rudolforum Burgundicorum non satis discernerent a fatis & gestis & diplomatibus alterius Rudolfi, Richardi filii, qui eodem tempore, quo Rudolfus II. Burgundicus in Transiurana atque in Italia regnauit, Francorum Rex fuit ab Anno 923. ad Annum 936. vxoremque habuit *Emmam*, Roberti Fortis neptem, Roberti Regis Franciae filiam, & Hugonis Magni sororem, ex qua filium *Ludouicum* suscepit, cuius memoria est in diplomate auiae Adelheidis modo adducto, & apud Glabrum Rudolfum Lib. I. C. 2. nec non in Chron. S. Benigni Diuionens. apud Dacher. T. II. p. 380. col. 1. & in Hugonis Flauiniac. Chron. Virdunensi ap. Labbeum Biblioth. MSct. ad Annum 923. vbi, cum de Rudolfo, Richardi Iustitiarii filio, e Burgundia in solium Francicum vocato dissetuisset, addit: *Et vxor eius EMMA, Regis Roberti filia, interim a Seulfo consecratur Regina.* Et ad Annum 936. *Rex Rodulfus absque*

chardi Alemanniae Ducis filiam. Luitprandus Lib. II. C. 16. *Quo tempore Rudolfus, Rex superbissimus, Burgundionibus imperabat: cui in augmentum potentiae hoc accessit, vt potentissimi Sueuorum Ducis Burchardi filiam, nomine BERTAM, sibi coniugio copularet. Igitur Italienses nuntiis directis hunc ad se venire, Berengarium vero expellere petunt.* Addatur Hepidannus ad An. 922.

§. 3.

Hoc ipso etiam anno Rudolfus *Italiae Regnum* acquisiuit, Berengario Rege pulso. Inde ab hoc tempore Cisalpinae Galliae Regis nomen tulit apud Franciae & Germaniae Historicos. Regni Italici epochae figendae, & rebus ibi gestis cognoscendis inseruiunt diplomata, quae infra adiicimus. (Probat. N. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII.) Vidit quoque & delineandum curauit Celeberrimus Muratorius Antiq. Ital. T. II. p. 588. huius Rudolfi Burgundiae & Italiae Regis numum argenteum Ticini cusum, in cuius area monogramma Christi, & circum literae RODVLPO PIVS RX. In alterius faciei area scriptum est PAPIA Ciuitas, & incircuitu XPRISTIANA RELIGio. Ectypon numi subiicimus: Itali tamen moribus eius non



que liberis defungitur. Nam LVDOVICVS, filius eius, quem habuit ex EMMA Regina, ante obitum patris est defunctus. Emma autem Regina ea ipsa *Imma* est, cuius elogium habetur in diplomate Turonensi Anno 930. dato, & infra (Probat. N. XXIX.) producendo; immo & ea *Emma*, quam simili errore Eccardus deinceps Rudolfo III. Burgundiae Regi coniugem attribuit: quod infra ad Cap. VIII. demonstrabimus. Quare *Emmam* hancce vna cum *Ludouico* filio, ringente etiam Gundlingio Opusc. Part. XX. p. 441. vbi quoque Richardum nescio quem stemmati Regum Burgundiae Transiuranae immiscet ac inserit, e Burgundia Transiurana in Franciam migrare iubeo, vnius Alberici testimonio parum motus, quia is plurimis in locis haud satis se instructum ostendit exacta notitia Regiae familiae Burgundicae. Qualis est in Anno 986. vbi ait: *Regnat in Burgundia quidam Rex, nomine Conradus, nepos ex filio superioris Regis Rudolphi.* Quod siue ex filio siue ex filia legas, perinde inconcinnum est. Prodit tamen, Albericum non nisi tres Burgundiae Transiuranae Reges nouisse, Rudolfum I. Rudolfi nepotem, Conradum, & huius filium Rudolfum, quem Rudolfum *secundum* appellat; cum tamen huius nominis tertius fuerit. Cum itaque Rudolfum primum & secundum Burgundiae Reges, aeque ac Rudolfum II. Burgundiae & Rudolfum Franciae Regem, distinctos Reges fuisse ignorauerit, facile contingere potuit, horum Regum vt non gesta solum, sed & familias confunderet. Sed vti Albericus Rudolfo II. Burgundiae Transiuranae Regi Rudolfi Francici Coniugem *Emmam* perperam adscribit; ita Annalista Saxo ad Annum 924. Rudolfo Francico vicissim illius vxorem, *Bertam*, attribuit, scribens p. 248. *Hugo, filius Rotberti - effecit, vt conuocatis Principibus Rodolfus, Richardi Burgundionis filius, satis reclamans Rex leuaretur, vir strenuus & liberalibus artibus eruditus, qui BERTAM, Burchardi Ducis Alemanniae filiam, sibi copulauerat.* Quo nihil potest dici falsius. Sed in huiusmodi affanias eo facilior prolapsus cum Alberici, tum Annalistae fuit, quod non proprio Marte, sed ex centonibus anteriorum Chronicorum interdum male consutis telam sibi pertexendam sumerent; caute propterea legendi.

non contenti, (cc) *Hugonem Ducem Prouinciae* aduocarunt, qui Anno 926. Regnum Italicum occupauit. Reuocato postea iterum Rudolfo, Hugo cum eo pacem iniit, & cum stipulatus esset, se Italiae Regnum relicturum, ab Hugone vicissim *Prouinciam*, & celebris illius *Arelatensis Regni* (dd) titulum accepit.

§. 4.

Anno 929. (ee) videtur Rudolfus cum Henrico Aucupe de controuersa Alemanniae parte conuenisse, eamque obtinuisse, missa in signum obsequii *Lancea sacra*, cuius Luitprandus meminit. Hinc filius eius Conradus se aliquando *Alemannorum* & *Prouinciae Regem* scripsit. (ff) Fortitudo Rudolfi enituit, Hungarorum e Regno suo repulsione; quod Anno 924. factum sociatis armis cum Hugone Viennensi, Flodoardus ad h. a. & Chronicon Virdunense ap. Labbeum Bibl. Manuscript. T. I. p. 124. testantur. Obiit is tandem Anno 937. ac apud S. Mauritium sepultus est, vt ex Hermanno Contracto ad h. a. Continuatore Reginonis, Annalista Saxone, Frodoardo aliisque discimus.

§. 5.

BERTA post mariti mortem *Hugoni Italiae Regi* nupsit Anno 938. Luitprandus Lib. IV. C. 6. *Cuius* [Rudolfi] *viduam nomine Bertam Rex*

cc) In eo culpant mores eius, quod in Italia, viuente vxore Berta, alteri feminae se copulauerit. Flodoardus ad Annum 926. Femina illa Ermengardis fuit, Adelberti Diuitis, Tusciae Marchionis filia, Hugonis Regis soror, & Adelberti Eporediae Marchionis vidua, nouerca autem Berengarii II. Regis. Hanc, vna cum sororis marito, Bonifacio, Spoletinorum & Camerinorum Marchione, non solum inter principes consilarios, quod diploma infra (Probat. N. XXXIV.) producendum docet; sed &, si Castellionaeum ad Tesaurum de Regno Italiae p. 511. n. 341. audis, tori sociam habuit. Namque fragmentum diplomatis adducit, quo Rudolfus *Berengarium & Anscarium, illustres Marchiones*, quorum ille Ermengardis priuignus, hic eiusdem natus ex Adelberto fuit, *dilectos filios nostros* appellat. *Datum XV. Kal. Sept. Anno DCCCCXXIV. regnante Domino Rudolfo Rege pio, in Italia tertio. Actum Papiae in Christi nomine feliciter.* Occasionem & initium amorum exponit Luitprandus Lib. III. C. 3. Verum nihilominus Italiae Regem cum post fata quoque habitum fuisse, varia Regum & Imperatorum diplomata ostendunt, quibus Rudolfum in decessoribus suis numerant, eiusque acta ac priuilegia confirmant. Cuiusmodi vnum producimus Probat. N. XXXVIII.

dd) Idem Luitprandus l. c. C. 13. de *terris, quas Hugo in Gallia tenuerat*, loquitur; de Arelate silet. Quin Arelatem his temporibus Boso Comes tenuit, Bertae maritus, cui patruus Hugo Rex Italiae moriens cunctas diuitias suas reliquit. Tantum abest, vt Rudolphus Burgundus Regis Arelatensis titulum gesserit, qui recentioris aeui partus est. De terris ab Hugone Regi Burgundico cessis doctam disquisitionem habes Histor. Occitan. T. II. p. 551. seq.

ee) Immo Anno 935. Auctore enim Flodoardo ad Annum 935. *Rudolfus, Rex Iurensis, ad Henrici Germaniae Regis colloquium venit, pactaque amicitia discessit.* Concinit Chronicon Virdunense ad h. a. *Rodolfus Rex Franciae & Rodulfus Rex Iurensis cum Henrico Rege amicitiam paciscuntur.* Nam & hastae transmissio, quam Clerici pro sacra lancea venditarunt, clientelae indicium facit. Cuius vim non assecutus Luitprandus Lib. IV. C. 12. de lancea sacra multum nugatur.

ff) Exempla dabimus paullo infra: ex quibus simul patebit, numquam *Arelatensis*, sed tantummodo *Prouinciae* Regni nomen vsurpari in titulis horum Regum.

Rex Hugo, Alda, Lotharii Regis filii sui matre, defuncta, martiali sibi coniugio sociarat: sed & filio suo Regi Lothario, Rodulfi & ipsius Bertae natam nomine Albaidam ----- coniugem tulit.

§. 6.

Berta haec *Paterniacum* Monasterium fundauit. Literae eius hanc super rem confectae, datae sunt *in die Martis Kal. Aprilis Anno XXIV. regnante Conrado Rege, Actum vero Lausana ciuitate.* Dicit in iis, se id fecisse, *consentientibus filiis suis CONRADO GLORIOSISSIMO REGE* & *RODOLPHO DVCE* & quidem *pro anima Domini sui beati RODVLPHI REGIS, & pro anima FILII SVI BVRCHARDI EPISCOPI & eorum, quorum debitor erat, & OTHONIS GLORIOSISSIMI REGIS, nec non pro anima FILIAE SVAE REGINAE ADELHEIDAE & FILIORVM SVORVM CONRADI SERENISSIMI REGIS* & *RODOLPHI DVCIS & pro se ipsa.* Supponitur *Signum DOMINAE BERTHAE REGINAE, quae hanc traditionem cum manibus FILIORVM SVORVM, CONRADI REGIS ac RODOLPHI DVCIS, subtus confirmauit. Signum CONRADI FILII REGIS; Signum Henrici Comitis* etc. ---- *Signum Rudolphi Comitis* etc. Integras hasce literas Guichenonius in Bibliotheca Sebusiana p. 1. sqq. publicauit, ex qua eas descripsimus infra cum Lectore communicandas. (Probat. N. XXXIX.)

§. 7.

Anno 953. Otto Rex in Alsatiam declinans, Bertae huic Abbatiam Erensteinensem, teste Continuatore Rheginonis, donauit. Quercetanus refert, eandem apud S. Mauritium iuxta maritum tandem sepultam. Ioh. Iac. Hottingerus vero Hist. Heluet. Ecclesiast. T. I. p. 492. Rudolfum *Paterniaci* sepultum tradit. Auctor Deliciarum Heluetiae Gallica lingua scriptarum dicit, se ibi sepulchrum hoc Rudolfi II. & Berthae anxie quaesiuisse; sed frustra. *Bertam* tamen etiam non apud S. Mauritium, sed Paterniaci a filia Adelheide conditam esse, Odilo Abbas Cluniacensis in Vita Adelheidis huius testatur. Obitus Bertae annus nondum certus est.

§. 8.

Filia Rudolfi I. vna erat WALDRADA, vxor Bonifacii Camerinorum & Spoletinorum Marchionis. Luitprandus Lib. II. C. 18: *Dederat Rex Rodulfus WALDRADAM sororem suam, tam forma, quam sapientia, quae nunc vsque superest, honestam matronam, coniugem BONIFACIO COMITI POTENTISSIMO, qui nostro tempore CAMERINORVM*

NORVM AC SPOLETINORVM *extitit* *MARCHIO.* Placidus Puccinellus in Vita Hugonis M. Marchionis Tusciae Rudolfum Burgundiae Regem cum Rudolfo Franciae Rege confudit, & huic sororem Waldradam tribuit, atque ideo eam Richardi Ducis Burgundiae filiam fecit, assectamque reperit Doctissimum Gundlingium, Opuscul. Part. XX. p. 438. sq. Sed rite expensa Luitprandi verba de vno Rudolfo Burgundiae Rege loco citato agentia nos, vt in contraria sententia permaneamus, persuadent, cum ne vnici monumenti veteris auctoritate sua praeterea probet Puccinellus; & rem extra omnem dubii aleam ponant tot diplomata huius Rudolfi II. ad preces Bonifacii Marchionis data; ac denique per se clara sint Luitprandi verba, quibus describit victoriam a Rudolfo Rege in Italia ope huius Bonifacii Marchionis reportatam. In Italia, inquam, vbi Rudolfo Francico nihil vmquam negotii fuit. Vt igitur nodum in scirpo quaerat Gundlingius ad auctoritatem vnius Puccinelli prouocans, qui tamen, vt diximus, sine teste loquitur.

§. 9.

Altera Rudolfi I. Regis filia fuit IVDITHA. Vidimus enim supra, literis Adelheidis Comitissae An. 929. datis subscripsisse *Iuditham, filiam Rodulfi Regis.* A Rudolfo primo certe genita ea esse debuit. Nam si Rudolfus secundus pater eius fuisset, nondum ea eius aetatis tunc fuisset, vt literas subscribere potuisset. (gg)

§. 10.

Tertiam his Rudolfi I. Regis filiabus adiungit Nicolaus Chorierius Historiae Delphinatus Libro X. pag. 721. ANNAM (hh) Bertholdi Brisgouiensis Comitis vxorem. Bertholdus is alio nomine in Diplomatibus Ottonis III. Imperatoris *Birchtilo* dicitur, & vulgo Guntramni Diuitis Comitis Altenburgensis filius, ac Comitum Zaeringiorum veterum sator creditur. Nos de eo Originum Habsburgo-Austriacarum Lib. II. Cap. I. §. 3. egimus. Sed vxorem eius vetera monumenta non nominant: vnde de ea merito adhuc haeremus.

§. 11.

Quercetanus Historiae Burgundicae Lib. II. cap. 22. ex coniectura quartam Rudolfo I. filiam tribuit WILLAM, Bosoni Marchioni Tusciae, fratri Hugonis Regis Italiae, nuptam. Sed veteres ea de re silent & prae-

F 2

gg) Haec ratio parum obstaret: quia & liberorum nomina diplomatibus subscripta fuisse constat, quibus nihil praeter signum ✝ pingendum erat. Sufficit, Rudolfi Regis filiam dici.

hh) Non solus Chorierius, sed & Alphonsus Delbene Lib. I. p. 16. & Lib. II. p. 46. in ea haeresi est, forte eo inducti, quod Regni Burgundici magna pars & Alemanniae vicinior successu temporis deuoluta est ad Duces Zaeringenses.

praecipue Luitprandus. Ex Burgundia tamen eam ortam, & misso a Rege fratre in custodiam marito, illuc pulsam esse, idem Luitprandus Lib. IV. cap. 5. prodit. Et nomen illa a matre sua sortita esse potuit. Posteritatem eius & mariti maiores nos in Originibus Habsburgo-Austriacis Lib. I. cap. 8. recensuimus: vbi tamen clare ostendimus, patrem Bosonis non *Lotharium*, vt Quercetanus putat, sed *Thetbaldum* Comitem Arelatensem fuisse.

CAPVT VII.

De *Conrado* Burgundiae Rege, caeterisque Rudolfi II. Regis liberis.

§. 1. Rudolfi II. filius ex Emma coniuge fuit *Ludouicus*, qui ante patrem obiit.

§. 2. Genus igitur propagauit secundo genitus *Conradus*, qui Patri etiam in Regno successit.

§. 3. Falso tamen a Sammarthano Imperator dicitur.

§. 4. Eius coniuges fuerunt Adelania & Mathildis.

§. 5. Tertius Rudolfi II. filius fuit *Rudolfus* Dux Burgundiae.

§. 6. Quartus filius *Burchardus* Archi Episcopus Lugdunensis factus est.

§. 7. Praeter hos a nonnullis quintus Rudolfo II. adscribitur filius *Boso* Comes Arelatensis; sed falso.

§. 8. Quemadmodum & illud erroneum est, quando *Rupertus* Archi Episcopus Treuirensis inter filios Rudolfi II. numeratur.

§. 9. Certior huc referri debet filia *Adelheidis*, primum Lothario Regi nupta.

§. 10. Hanc postea vxorem duxit Otto M. Imperator.

§. 11. Varia quae ad eius vitam pertinent recensentur.

§. 1.

VIDIMVS iam Capite praecedenti Rudolfum II. ex prima vxore Emma filium habuisse LVDOVICVM, ante patrem defunctum. (ii) Reliquos liberos ei Berta peperit.

§. 2.

Bertae huius in literis, quibus *Paterniacum* fundat, filius primogenitus nominatur, vt iam supra retulimus, *CONRADVS Rex Burgundiae*. Puerum nouem annorum, Patre obeunte eum fuisse, nescio qua auctoritate fretus, asserit Alphonsus Delbene Lib. II. p. 45. Puto, eum hunc calculum posuisse ex anno, quo Conradus e tutela dimissus & regnare iussus est; quod is ante aetatem legitimam non contigisse putat: in quo fallitur. Etenim non solum annos Regni statim ab obitu patris numerauit; sed etiam Anno iam 943. sine tutoris auctoritate, vel consensu curatoris, villam Bolliniacum in Sebusiis Monasterio Cluniacensi donauit, (Probat. N. XL.) & Carolum Constantinum, Ludouici Orbi filium, ad resti-

ii) Vidimus quoque, Emmam hancce, cum Ludouico filio, Rudolfo Regi Franciae, qui eodem tempore, quo noster, regnauit, domum remissam.

restituendum ablata Cluniacensibus in iudicio adegit. (Probat. N. XLI.) Hoc vnum igitur verum est, iuuenem eum patri successisse, vnde Otto, Regni Germaniae subiecti curam gerens, eum in aulam suam recepit, (kk) optime ibi educari fecit, & ducta sorore eius Adelheide, ipsum tandem in Regnum suum remisit, quod tranquille gubernauit vsque ad Annum 993. quo 14. Cal. Nouembris decessit; &, Hermanno Contracto teste, apud S. Mauritium sepultus est. In praecepto de Tusiaco in pago Lugdunensi, Anno 944. Viennae dato, & a Menestrierio inter Probationes Historiae Lugdunensis pag. 8. edito, *CHVONRADVS REX FILIVS RODVLFI* vocatur. (Probat. N. XLII.) Idem fit in diplomate, quod ex Bibliotheca Sebusiana adduximus. Probat. N. XL. Grandior factus Conradus Monasterium Grandis Vallis in dioecesi Basileensi sub auspiciis Ottonis I. Imp. instaurauit. (Probat. N. XLIII.) Mabillonius Annal. Benedict. Anno 948. num. XI. affert excerpta tabulae commutationis bonorum, quam Teucinda matrona in vtilitatem Ecclesiae S. Petri in Monte prope Arelatem instituit, datae nonis Octobris *Anno XII. regnante Conrado Rege Alamandorum vel Prouinciae.*

§. 3.

Dionysius Sammarthanus in Appendice Instrumentorum ad Tomum I. Galliae Christianae p. 103. exhibet Regis huius, quem in Inscriptione falso *Imperatorem* vocat, diploma, quo bona Monasterii Montis Maioris confirmat. (vide infra Probat. N. XLIV.) In principio eius scribitur *Conradus diuina opitulante clementia Piissimus Rex.* Deinde decernit, *vt hoc quod Domnus Leo Apostolicus, atque Otto Imperator Augustus, ac soror sua Adelheis Imperatrix, ex terra S. Petri Apostoli ipsum pro Dei amore postularunt, praenominatis Monachis tenere permittatur.* etc. *Data VI. Idus Decembris, Indict. VII. Anno incarn. Dom. DCCCCLXIII.* Monasterium hoc Montis Maioris cum situm sit prope Auenionem, haec charta satis demonstrat, Prouinciam Conrado Regi paruisse. Similem habemus, qua curtem quandam in Comitatu Aquensi & Marsiliacensi donat. (Probat. N. XLV.) Aliam pro Abbate Calmeliacensi. (Probat. N. XLVI.) Denique non omittendum, auspiciis Conradi nostri Monasterium in Valle clusa, Petrarchae postea amoribus & secessu celebri, fuisse conditum. (Probat. N. XLVII.) Immo cum

 Con-

kk) Factum id est Anno 940. quo Otto Rex in Lotharingia versatus Regem Puerum ad se vocatum abduxit trans Rhenum. Quamdiu autem eum detinuerit, haud constat. Chron. Virdun. ad h. a. Caussam huius consilii Otto habuit, quod Berta, Conradi mater, vix dum finito luctus anno ad secundas nuptias, & quidem in torum cupidissimi hominis, Hugonis Italiae Regis, conuolauerat. Qui cum filium non posset, filiam vnacum matre suam in familiam traduxit, ipsius Regni potiundi titulum quaerens. Neque aliam ob caussam Bertam postea ab Hugone male habitam puto, quam quod tanta spe decidisset. Ottonem autem a Conrado & postea comiter cultum scimus.

Conradus Monachis Insulae Barbarae non solum bona confirmarit, in Prouincia & in Delphinatu inferiori sita; (Probat. N. XLVIII.) sed etiam Viennae Regni sedem habuerit, ac ibi, quod infra probabimus, locum sepulturae inuenerit; testimonia Flodoardi, Chronici Virodunensis & aliorum Scriptorum de Vienna Anno 933. in potestatem Rudolfi Regis redacta, non de Rudolfo Franciae Rege, vt vulgo, sed de Burgundico, nostri Conradi patre, accipienda videntur: nisi Rudolfum Francicum a Burgundico mox denuo eiectum statuere malis. Conradus certe iam Anno Regni sexto, h. e. DCCCCXLIII. Viennae diplomata dedit, aulamque habuit. Sic enim Odilo in vit. Adelheidis in Bibl. Cluniac. p. 356. *Paternum decreuit* (Adelheidis) *petere Regnum. Vbi a fratre, Rege scilicet Chuonrado, & nobilissima Mathilde, eius Coniuge, benigne & honorabiliter est suscepta. Tristabatur de absentia eius Germania. Laetabatur in aduentu eius tota Burgundia. Exultabat LVGDVNVS, Philosophiae quondam mater & nutrix, vrbs inclita: nec non VIENNA, NOBILIS SEDES REGIA.* Quo vno loco Conradum habes & Lugduni & Viennae Dominum.

§. 4.

Quercetanus & caeteri recentiores ipsi MATHILDEM, filiam Ludouici Vltramarini Franciae Regis & Gerbergae, Henrico Aucupe natae, vxorem tribuunt. (ll) Constat ex Frodoardo eam Anno 948. natam esse. Et eandem Anno 967. nouendecim annorum virginem Conrado desponsatam dicunt. Sed Anno iam 966. *Churans* [h. e. Conradus] *nutu Dei Rex* Monasterio Cluniacensi donationem faciens, a Guichenonio Bibl. Sebus. pag. 32. publicatam, (Probat. N. XLIX.) *pro remedio*, inquit, *animae nostrae*, [forte omissum: *& coniugis nostrae*] *ADELANIAE videlicet REGINAE & INFANTIVM NOSTRORVM* etc. *Data X. Kal. April.*

ll) Atque in eo non errant. Idem enim faciunt vetustiores, quos nemo falsi reiecerit. Praeter genealogiam Arnulfi, hoc ipso §. citatam, testem habemus Hugonem Flauiniacensem, qui in Chron. Virdun. ap. Labbeum Bibl. Mss. T. I. p. 154. ad Annum 954. ita scribit: *Lotharius Mathildem sororem suam despondit Conrado Regi Burgundiae, & in dotem dedit ei Lugdunum, quae sita est in termino Regni Burgundiae, & erat tunc temporis iuris Francorum.* Et p. 185. ad Annum 1037. *Conradus Burgundiae Rex accepit vxorem Mathildem, sororem Lotharii iunioris Regis Francorum, & data est ei a Lothario in dotem Lugdunum, ciuitas Galliarum nobilissima.* Concinnit Chronicon Sancti Benigni Diuionense ap. Dacher. Spicileg. T. II. p. 393. *In Regni Burgundiae termino sita est Lugdunum ciuitas, quam Lotharius Francorum Rex dedit in dotem sorori suae Mathildae Reginae, quam despondit Conrado Burgundiae Regi.* Et Albericus ad Annum 986. p. 29. *Huic Conrado Rex Francorum Lotharius dederat sororem suam Mathildem, & cum ea ciuitatem Lugdunensem, in matrimonium. De qua Mathilde Conradus iste genuit Rodulfum secundum* (tertium) *& sororem suam Gepam, matrem Imperatricis Giselae.* Et ad Annum 1024. p. 57. *Soror vltimi Lotharii Francorum Regis & Ducis Caroli, nomine Mathildis, post mortem primi mariti, tertii Balduini, Flandrensis Comitis, Regi Burgundiae cuidam Conrado peperit Regem Rodulphum, & sororem eius Gepam, quae fuit mater Giselae.*

April. Anno XXVI. regnante Conrado Rege feliciter amen. Necesse est igitur, errare recentiores, qui omnes Conradi liberos *Mathildi* adscribunt; & aliquos ADELANIAE, prioris eius coniugis fuisse. Grauior est & magis propudiosus error, quem circa Adelaniam hanc errauit Guichenonius in nota ad diploma adductum, *Adelania*, inquiens, *vidua erat Lotharii Regis, Ottonis Alemannorum Regis soror, & Conradi Regis vxor.* Quae potius inuertenda sunt, cum vidua Lotharii Italiae Regis, post Ottonis I. Imperatoris Coniux, Conradi soror fuerit, non *Adelania* sed *Adelheidis* dicta, ac proinde vxor fratris esse haud potuerit. Et tamen ad eundem scopulum offenderunt etiam Auctores Galliae Christianae T. IV. p. 76. *Adelaniam Saxonicam* asserentes *Ottonis Magni sororem:* qui huius nominis sororem non habuit. De hac Adelania Nicol. Chorierius Histor. Delphin. L. X. p. 756. aliqua habet non vulgaria, suspicatus, eam ante in matrimonio vixisse cuiusdam *Anselmi*, eique peperisse Burchardum Archi Episcopum Viennensem, quemadmodum postea Regi Conrado pepererit alium Burchardum, Archi Episcopum Lugdunensem: qui Burchardi inde fratres se nominauerint, quippe vterini erant, iuxta hoc Schema:

Anselmus ═══ 1 ═══ Adelania ═══ 2 ═══ Conradus Rex.

Burchardus ArchiEp. Viennensis. — Vlricus (ex Anselmo)

Burchardus Archi-Episc. Lugdunensis. (ex Conrado)

Ipsa autem Adelania decesserit Anno circiter 966. necesse est; sequenti enim anno, vt audiuimus, Mathildis ducta est, quae Marito *Lugdunum* cum circumsita regione in dotem attulisse dicitur. (mm) Vt autem distinguere possimus, quos liberos Conradus Rex ex *Adelania*, & quos ex *Mathilde* tulerit, considerandus est locus Appendicis Frodoardi, in quo Rainaldus Portiuensis Comes Ducem Aquitanorum de Genealogicis quibusdam rebus certiorem facit. *Mathildis*, inquit, *& Alberada filiae fuerunt Gerbergae. De Mathilde processit Rodulfus Rex & Mathildis soror eius. De Alberada Ermentrudis. De Mathilde, filia Mathildis, Berta. De Ermentrude Agnes. De Berta Geraldus Geneuensis: De Agnete Wido.* His addendus locus Genealogiae S. Arnulfi, vbi dicitur: *Mathildis soror Lotharii Regis Franciae & Karoli Ducis genuit*

mm) De re manifesta & numquam in dubium vocata cur ambigatur, non capio. Nam quod Lugdunum in potestate habuerit Conradus, ipsius & filii diplomata & nummi ostendunt: de quibus infra. Auctor est Menestrier. Histor. Lugdun. p. 262. ex eo tempore, quo Conradus nuptias cum Mathilde celebrauit, nullam esse in toto pago Lugdunensi Ecclesiam, nullum Monasterium, quod non aut ab ipso concessas, aut ex eius annis numeratas donationes acceperit, veluti Athanacense, Insulae Barbarensis, Sapiniacense &c. (Probat. N. L.) Obiit Mathildis Anno 992. postquam Regi marito in mandatis dedisset, vt affectum a se Viennense Sancti Andreae Monasterium perficeret. (Probat. N. LI.)

genuit Rodulfum Regem Burgundiae, Bertam, Guepam [i. e. Gerbergam] *& Mathildam.* Vnde apparet, Rainaldum Comitem non omnes Rudolphi III. Regis ſorores ex matre nominaſſe. Has enim ex Mathilde & non ex Adelania genitas ſigillatim demonſtrabimus. Caeteri Rudolfi liberi ex *Adelania* fuerunt.

§. 5.

RVDOLFVM Ducem Burgundiae fuiſſe filium Rudolfi II. Regis ex Berta, ipſa haec Regina iterum in Fundatione Paterniacenſi declarat. Conradus Rex diplomate Anno Regni XXIV. Lauſannae dato, & a Guichenonio Biblioth. Sebuſianae pag. 395. edito, (Probat. N. LII.) donat quaedam Monaſterio Paterniacenſi *vna cum matre ſua Berta ac FRATRE SVO RODVLPHO:* & facta haec dicit *per interuentum praelibatae matris ſuae ac FRATRIS SVI RODVLPHI & ſororis Aleidis.* Quercetanus eius non meminit; Notus tamen *Rudolfus Dux* iam Guillimanno fuit Antiquitatum Heluet. Libro IV. ex veteri MSto, & Nic. Vignierio in Bibliotheca Hiſtorica ex literis Bertae Reginae.

§. 6.

Tertius Rudolfi II. Regis filius & frater Conradi Regis fuit *BVRCHARDVS*, qui in Literis Bertae iam citatis dicitur *Epiſcopus*, & Guichenonio teſte, fuit primum *Epiſcopus Lauſannenſis*, & poſt *ArchiEpiſcopus Lugdunenſis* factus eſt. Clariſſimus Hubnerus eum erronee *Hugonem* vocauit. Mabillonius in Annal. Benedict. ad An. 949. num. 20. & 21. oſtendit, *Concilium Trenorchienſe* hoc anno aut habitum, aut finitum fuiſſe. Ei praeſedit Wido Lugdunenſis ArchiEpiſcopus, qui tamen mox debuit deceſſiſſe. Eodem enim *anno nongenteſimo quadrageſimo nono Incarnationis, Indictione VII. decimo nono Kalendarum Septembrium* eius Succeſſor *BVRCHARDVS* ſignificat, *quod, dum ipſe in Fratrum Capitulo reſideret, de publica vtilitate tractaturus, coram adſtiterit Badinus, Abbas Coenobii Sauiniacenſis, in honorem Sancti Martini dicati, a deceſſore ſuo Domno Widone ſubrogatus, narrans ipſius Coenobii deſolationem: quo pacto ſcilicet a tyrannis peruaſum, & ab Hungris ſuccenſum defeciſſet, nullumque haberet priuilegium, quo ſe tutari poſſet; addens vereri ſe, ne poſt ſuam ipſius vocationem, labor ab ſe ſuſceptus ad reſtituendam inibi regularem diſciplinam penitus annullaretur. Quapropter BVRCHARDVS pontificali auctoritate eius loci poſſeſſiones confirmat, & liberam eligendi Abbatis facultatem. Subſcribunt, poſt BVRCHARDVM ARCHIEPISCOPVM, Icterius ArchiEpiſcopus, ſcilicet Aquenſis, Childebodus ſeu Hildebodus Epiſcopus Cabilonenſis, Maimbodus Epiſcopus Matisconenſis, Gotiscalcus Epiſcopus Lauſannenſis, aliique quatuor Epiſcopi; & poſt eos RODVLFVS FILIVS REGIS, ſcilicet CONRADI.* Idem

BVR-

BVRCHARDVS, Widonis Succeſſor, Anno DCCCCLI. Eccleſiam S. Petri de Corcellis confert Herueo, Abbati Congregationis Monachorum Sancti Filiberti Trenorchienſis, cui ſe dudum familiaritate ſociauerat. Actum apud Anſam opidum VI. Idus Septembris II. feria, XII. Anno Conradi Regis Iurenſis. Vbi praeferendus videtur annus XIV. Conradi Regis, qui ab Anno DCCCCXXXVII. regnare coepit. Chartae hae ex Chifletii Hiſtoria Tornuſenſi mutuatae ſunt. Burchardus ante annum 978. obiit. (nn) Hoc enim anno Amblardum Lugdunenſem Pontificem res ſuas in pago Aruernico conſiſtentes Cluniacenſibus ad conſtruendam in villa Niſiaco Cellam Monachorum donaſſe idem Mabillonius refert. Amblardo defuncto alius *Burchardus* ſucceſſit ex Guelfica gente, & Rudolfi III. Regis frater, vt Cap. VIII. exponemus.

§. 7.

Nic. Vignierius tradit, notitias quaſdam Prouinciae tribuere etiam Rudolfo II. Regi filium BOSONEM, maritum Bertae, neptis Regis Hugonis, cuius gratia factus is ſit *Comes Arelatenſis.* Idem tradidit Alphonſus Delbene Lib. I. p. 42. & alii complures; ſed ſine auctoritate idonea. Coaetanei enim, quos hactenus vidi, auctores de eo ſilent. Et Boſonem illum Hugonis Regis Italiae fratrem fuiſſe, aliunde ſcimus. (oo)

§. 8.

Rotgero Archi Epiſcopo Treuirenſi Anno 930. defuncto ſurrogatus eſt RVPERTVS, quem Browerus in Annal. Treuirenſibus filium facit Rudolfi II. Burgundiae Transiuranae Regis & Bertae, Burchardo Duce Alemanniae (memoriae lapſu Arnulfum Baioarium ponit) natae. Sed rectius eum Mathildis Reginae fratrem & Theoderici Ducis de genere Witichindi filium facit Albericus Monachus Triumfontium ad An. 921. quem Auctor Chronici Magni Belgici ſecutus eſt. Idem confirmant Geſta Treuirorum, quae ſororem eius *Imperatori*, per quem *Henricum Aucupem* intelligunt, matrimonio iunctam fuiſſe teſtantur. Browerus, cum hoc de

nn) Burchardus, Rudolfi II. & Bertae filius, iam Anno 960. obierat, quia mater in fundatione Paterniacenſi animae eius conſulit, aeque ac defuncti mariti. Cumque Burchardus ibidem Epiſcopus tantum appelletur, euidens eſt, hunc a Burchardo Lugdunenſi Archi Epiſcopo diuerſum fuiſſe, praeſertim cum in huius geſtis nullae occurrant regiae cognationis notae. Vt adeo Archi Epiſcopalis dignitas huius Burchardi, veterum teſtimoniis deſtituta, ſola nitatur Guichenonii auctoritate: qui tamen in explicationibus diplomatum a ſe editorum ſubinde & nonnumquam enormiter lapſus eſt.

oo) Quod Hugo Rex Italiae fratrem Boſonem habuerit, tralaticium eſt. Hic quaeritur de alio Boſone, Boſonis illius genero, qui Bertam, Boſonis Tuſciae Marchionis filiam, & Regis Hugonis neptem, vxorem duxit, cui nepti Hugo diuitias ſuas reliquit, & quae ab obitu mariti, Raymundo Comiti nupſit. Huius, inquam, Boſonis, Arelatenſis Comitis, natales nondum aperti ſunt; licet pro Boſone, Richardi Iuſtitiarii filio, & fratre Hugonis Nigri, noſtra cum celeberrimo Vaiſſetio conſpiret coniectatio.

de Ottone I. interpretaretur, in eum errorem, ac si Rupertus Adelheidis Imperatricis frater fuisset, inductus est.

§. 9.

Filia Rudolfi II. vnica erat ADELHEIDIS, cuius supra in praeceptis fratris Conradi Regis & matris Bertae pro Monasterio Paterniaco mentio facta est. Cum *Bertha*, eius mater, marito Anno 937. viduata in thorum Hugonis Italiae Regis transiret, Adelheidis quoque *filio* eius *Lothario Regi* desponsata est. Tabulas dotalitias inuenimus secundo Bullarii Casinensis Tomo pag. 41. editas. Repetiit easdem doctissimus Gundlingius, &, non tamen indicato loco, vnde eas depromserat, Gundlingianorum Parti XVI. pag. 446. inseruit. *Datae eae sunt pridie Idus Decembris Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXXXVIII. Indictione IX.* & res acta *in Burgundia in Corte, quae Columbaris dicitur.* Vnde manifestum, Hugonem cum filio in Burgundiam iuisse, ibique sibi matrem & filio filiam despondisse. Nos integras tabulas inter Probationes damus. (Probat. N. LIII.) Bona vero, quae receperat in dotem Regina, fere omnia deinde Monasterio S. Saluatoris Papiensi, quod condidit, liberalissime contulit.

§. 10.

Lotharius Rex Anno 950. veneno, vt fertur, a Berengario II. necatus est, & Adelheidis eius vidua nuptias Adelberti Berengario nati oblatas respuit. Captiua itaque Papiae detenta est Anno 951. a XII. Kalendis Maii vsque ad XIII. Kal. Septembris, quo inde profugam Canusiique obsessam Otto Germaniae Rex liberauit, & in coniugem sibi assumsit, testibus Frodoardo, Continuatore Reginonis, Witichindo, Ditmaro, Annalista Saxone, Annalibus Hildeshemensibus, Lamberto Schafnaburgensi, Chronico Noualiciensi & aliis. Magnus Ottonis Regis & Imperatoris diplomatum numerus eius & intercessionis ipsius pro variis locis sacris mentionem facit.

§. 11.

Hoc defuncto, Ottonis II. filii sui offensam aliquando incurrit, seque ad fratrem in Burgundiam recepit. Poenituit tamen tandem filium offendisse matrem. Rogata itaque Ticinum venit, & cum eo reconciliata est. Eo vero fatis functo, & Theophania nuru etiam mortua, Ottonis III. pueritiam auia moderata est. Paterniacum Coenobium a matre coeptum perfecit. Ticini Monasterium S. Saluatoris, vt diximus, construxit, vt & Selzense Argentoratensis Dioeceseos, in cuius Ecclesia, Anno 999. die 16. vel 17. Kal. Ianuarii defuncta, sepulta est. Vide Necrologia Fuldense, Hildeshemense, Weissenburgense, Annales Hildeshemenses, Ditmarum, Annalistam Saxonem, Chronographum Saxonem, etc. *Vitam illius*

illius peculiari libro descripsit *Odilo Abbas Cluniacensis*, eius, dum viueret, familiaris, cui Sueuus, vt videtur, quidam appendicem miraculorum adiecit. Captiuitas eius & liberatio per Ottonem M. fabulis confingendis ansam non vnam dedit, & Crusius Annal. Sueuicorum Part. II. Lib. VI. cap. 8. *libri poëtici Germanici* ac typis olim excusi *de Vita eius* meminit. Prodiit etiam Mediolani Anno 1650. *Adelheidis vita* Italice conscripta, auctore *Alberto*.

CAPVT VIII.

De *Rudolfo III.* vltimo Burgundiae Rege, huiusque fratribus & sororibus, Conradi Regis liberis.

§. 1. Conradi Regis ex prima coniuge Adelania filius fuit *Conradus*, ante Patrem mortuus.

§. 2. Eiusdem Adelaniae filius ex mente Eccardi etiam fuit *Burchardus* Lugdunensis Archi Episcopus.

§. 3. *Gisela* quoque, Henrici Bauariae Ducis vxor, illam matrem nacta est.

§. 4. Ex secunda coniuge Mathilde Conradus filium suscepit *Rudolfum III.* Burgundiae Regem.

§. 5. Eius coniuges fuere Agiltrudis & Irmengardis.

§. 6. Rudolfus III. quod liberis careret, Regni sui heredem scripsit Henricum S. & hoc defuncto Conradum Salicum, Imperatores. Vnde Burgundia ad Germanos delata.

§. 7. Praeter Rudolfum III. Mathildis Conrado peperit *Bertam*, Odoni Campaniae Comiti, & post eius mortem Roberto Regi Franciae nuptam;

§. 8. A quo secundo suo marito tamen ob consanguinitatem, iussu Pontificis, iterum separata est.

§. 9. Secunda Conradi ex Mathilde filia erat *Gerberga* vel *Guepa*, Hermanni Sueuiae Ducis vxor.

§. 10. Tertia Mathildis filia matri cognominis fuit, de cuius matrimonio dubia sunt, quae tradunt Scriptores.

§. 11. Exhibetur stemma Regum Burgundiae Guelficorum.

§. 1.

OSTENDIMVS Capite antecedente *Conradum* Regem duas habuisse coniuges *Adelaniam* & *Mathildem*. Ex Adelania natus est CONRADVS II. Bertae enim, auiae eius, fundationi Paterniacensi suppositum est *Signum Conradi, filii Regis.* Paulo tamen post is defunctus est, nec vlla eius alibi mentio reperitur.

§. 2.

Adelaniae filius quoque fuit BVRCHARDVS, *Archi Episcopus Lugdunensis.* (pp) Patet hoc ex Charta a Menestrierio inter Probationes Historiae Lugdunensis pag. 38. edita, (Probat. N.LIV.) qua *Anno nongentesimo septuagesimo nono, Indictione septima, regnante Chonrado glorioso Rege*

pp) In eadem sententia Dionysius Sammarthanus est Gall. Christian. T. IV. p. 76. At Burchardus ille non ex iusta vxore natus est. Quare si ex Adelania natum dicis, Adelaniam Regis concubinam facies. Hugo enim Flauiniacensis ad Annum 974. p. 157. ita scribit: *Regebat tunc temporis Burgundiae Regnum Rodulfus, Conradi filius. In Lugdunensi Ecclesia promotus erat ad Episcopatum Burchardus, Rodulfi Regis frater, CONRADI*

Rege Klodeberto Abbati Monasterii S. Martini Insulae Barbarae immunitates & praecepta ab *Imperatoribus vel Regibus Ludouico, Karolo, vel in praesentiarum regnante CHONRADO, glorioso suo genitore, Rege* sui priuilegii auctoritate corroborat. Meminit eiusdem Burchardi ArchiEpiscopi Hugo Antistes Geneuensis in Literis Fundationis Abbatiae S. Victoris Geneuensis Anno 1019. datis, quae in Guichenonii Bibl. Sebusiana p. 35. & Mabillonii Annal. Benedict. Tom. IV. pag. 694. extant. Dicit ibi Hugo, se fundatam Abbatiam Odilonis Cluniacensis ordinationi commisisse, *permissione Domini Rudolphi Regis, consensu etiam fratris eius BVRCHARDI Lugdunensis Archi Episcopi.* (Probat. N. LVII.) Ibidem apud Guichenonium p. 97. est praeceptum Rudolphi III. Regis de Talueriis *petitione Irmingardis Reginae Coniugis suae dilectae, & BVRCHARDI Archi Episcopi, fratris sui,* confectum. (Probat. N. LIX.)

§. 3.

Ex eadem Adelania nata est Conrado Regi GISELA, quae Henrici Baua-

RADI EX CONCVBINA FILIVS. --- Hic Episcopatum Lugdunensem in infantia adeptus est. Anno 981. per manus eius ordinatus est Bruno, Lingonensis Episcopus, in Ecclesia Sancti Stephani. Chron. Sancti Benigni Diuion. p. 381. Augeat itaque Burchardus noster numerum Episcoporum infantium simul & illegitimorum natalium. Lugdunensi infulae puer admotus est Anno 979. quo ipso Insulae Barbarae *priuilegia* confirmauit, *ab Imperatoribus vel Regibus Ludouico, Karolo, vel inpraesentiarum regnante CHONRADO, glorioso nostro genitore, Rege, concessa.* (Probat. N. LV.) Ex quibus vltimis verbis misere conclusit Seuertius in Archiep. Lugdun. p. 198. Burchardum hunc fuisse Conradi Salici Imp. filium, fratremque Henrici Nigri. Quo dogmate sibi multum placet. Didici tamen ex eo, annum hunc fuisse Archi Episcopi primum, quia annus 984. in alio instrumento a Seuertio adlato est Archi Episcopi sextus. (Probat. N. LVI.) Porro Laburerius Ruder. Insulae Barbarae T. I. c. 21. p. 95. seq. cum ex concessione priuilegii, tum ex formula: *cum fidelium nostrorum vtriusque ordinis consilio;* aliisque indiciis infert, Burchardo huic atque Collegio Canonicorum Lugdunensium a Conrado Rege collatam fuisse vrbis agrique Lugdunensis ciuilem potestatem seu *Comitatum.* Vnde Canonici Lugdunenses *Comites.* Contra, ipsi Canonici Lugdunenses Comitatum suum tamquam donum Friderici I. Imperatoris reuerentur. Sed vt Fridericus renouare potuit, quod temporum vetustas obliterauerat; ita facile intellectu est, Canonicos Lugdunenses sine eximio quodam dono & infantem & spurium Archi Episcopum obtrudi sibi haud passos fuisse, praesertim cum maiorum ciuitatum Comitatuum in Episcopos translatio non fuerit insolens, & Rudolfus III. Viennensem Comitatum contulerit alii Burchardo, Viennensi ArchiEpiscopo, eiusque Successoribus, & Tarantasiensem eius vrbis ArchiEpiscopo: reseruato sibi scilicet supremae maiestatis iure. Nec dissentit Lugdunensium Historicorum princeps Menestrier. Histor. Consul. p. 265. vbi firmandae, quam adoptauerat, sententiae Statutum Ecclesiae Lugdunensis de bonis Ecclesiae non alienandis Instrum. p. 3. adfert, in literas redactum Anno Domini DCCCCLXXXIV. Indictione XII. Praesulatus quoque Domini BVRCHARDI Anno sexto. A fratre Rege Abbatiam quoque Agaunensem impetrauit, nec lutulenti natales impedierunt, quo minus genealogiae Regum insereretur. Obiit Burchardus Anno MXXXI. (Probat. N. LVIII.) sed non in odore sanctitatis, quia teste Hugone Flauin. p. 186. *hoc solum fecit nobile, quod periit.* Equidem Dionysius Sammarthanus Gall. Christian. T. IV. p. 82. pro Episcopatu eum periisse ex hoc ipso loco refert. Sed verba *pro Episcopatu* non ad Burchardi mortem esse referenda, ipsa lectio docet. Verba haec sunt: *Fuit dissensio maxima, post mortem Burchardi Lugdunensis Archi Episcopi, qui hoc solum fecit nobile, quod periit, pro Episcopatu ipso, quem multi superbe appetebant.* Quam *dissensionem de Praesulatu* appellat Glaber L. V. c. 4.

Bauariae Ducis, Ottonis I. Imperatoris ex fratre Henrico nepotis, vxor peperit *Henricum Sanctum Imperatorem.* Ditmarus Lib. V. de Henrico S. canit:

Huic pater Henricus Dux, & genitrix erat eius
GISLA, suis meritis aequans vestigia *Regis*
Conradi patris, Burgundica Regna tenentis.

Ditmarus a Leibnitio integritati suae restitutus in recensione rerum Anno 1007. gestarum addit: *Gisla venerabilis Regina matrona, Regis mater, obiit XII. Cal. Aug. & Ratisbonae sepelitur.* Henricus maritus Giselae iam Anno 995. decesserat. Hermannus Contractus ad h. a: *Heinricus Dux Boioariae obiit, & filius eius ex GISELA, CONRADI REGIS BVRGVNDIAE FILIA, itidem Heinricus, Imperator postea futurus, Ducatum interim obtinuit: huius soror Gisela Stephano Regi Vngariorum, cum se ad fidem Christi conuerteret, quasi vere iuxta nomen suum fidei obses, in coniugium data, eleemosynis caeterisque bonis operibus inibi intenta consenuit.* De morte Henrici & sepultura, quam Gandershemii nactus est, addere adhuc libet verba Ditmari, qui Libro IV. pag. 75. scribit: [Henricus Dux Bauariae, Magdeburgo] *pergens ad Gandersheim, vbi Domina Gerberg, suimet soror, erat Abbatissa, aegritudine premitur subitanea, & tunc vocans ad se AEQVIVOCVM EIVS talibus instruit: Vade celeriter ad patriam, ac nunquam Regi ac Domino resistas tuo: multum enim me poenitet hoc vnquam fecisse. Patris memor sis tui, quia nunquam a modo in hoc seculo videbis. Filioque mox abeunte Dux praeclarus in infirmitate sua semper Kyrie eleison ex corde clamans, migrauit ad Christum V. Calend. Septembr. Sepultus ibidem in medio Ecclesiae coram Sanctae Crucis altari. Quod cum filius eius comperiret, electione & auxilio Bauariorum patris bona apud Regem obtinuit.* Chronographus Saxo ad Annum 995. *Idem Henricus igitur, vt superius diximus, mortuo Imperatore secundo Ottone, aliena potius quam propria voluntate ad inuadendum Imperium eotenus illectus est, vt comprehenso Imperatore iuuenculo Rex eligeretur; sed ante consecrationem poenitentia ductus Regnum respuit, & Regi humiliter subiectus, Bauarico honorifice donatus est Regno. In quo pro componenda pace ita vltra priores effloruit, vt ab illius incolis Regni Henricus PACIFICVS & PATER PATRIAE appellaretur.* Inuasionem Imperii, specie tutelae Ottonis III. iuuenis, anno 984. tentauerat; sed mox anno sequenti in se rediit, & Ottoni se subiecit, fidelisque per omnem vitam permansit. Asseruat Reuerendissimus Abbas Luccensis Gerhardus duos numos. In vna parte anteriore est Crux punctulis circumdata & circum legitur: HEMRICVS DVX. In postica est frontispicium Ecclesiae, in cuius medio extat: ELLIN, quo Monetarii nomen designari puto: nam & EENVL vel EELVN

in alio numo Ratisbonae excuſo, quem infra exhibemus, & qui vix interpretationem aliam admittit, occurrit. In circuitu vero ſcriptum eſt: REGINA CIVITAS. Alter numus itidem crucem exhibet cum tribus punctis, quorum anterius magnitudine ſua literam *O* refert: Circum iterum HENRICVS DVX cernitur. In auerſa vero parte barbare ſatis exprimitur circa frontiſpicium templi & in medio eius: REGINA CIVITAS TV. Hoc monogramma Ottonis eſſe puto, cuius nomen etiam in anteriore parte numi per O expreſſum videtur. Cum vero (ſi Bernhardum Ducem Saxoniae excipias) nullum exemplum habeatur, quo Duces in Germania, ante Saeculum duodecimum declinans, numos cudi feciſſe oſtendi poſſit; ego crediderim Henricum Anno 984. tanquam tutorem Ottonis, Ratisbona hoſce procudi curaſſe. Vtriusque figuram in aere adiicio, & moneo, eos a quibusdam falſo Henrico Superbo, Bauariae Duci, attributos eſſe.



§. 4.

Ex *Mathilde* vero Conradus Rex pater fuit RVDOLFI III. *Regis Burgundiae.* In Chronico Virdunenſi p. 154. & p. 185. legimus: *De hac Mathilde, Lotharii Francorum Regis ſorore, genitus eſt RODVLFVS, Rex Burgundiae, qui poſt patrem ſuum Conradum ſuſcepit Burgundiae Regnum: Berta etiam, quam accepit Odo, Tetbaldi Carnotenſis filius, ex qua genuit Odonem, qui apud Barrum obiit.* Hermannus Contractus ad Annum 994.(qq) *Con-*

qq) Immo potius Anno DCCCCXCIII. & quidem XIV. Kal. Nou. obiit Conradus, cuius tumulus iuxta altare maius Eccleſiae Monachorum Sancti Andreae Viennae ad cornu epiſtolae viſitur, ita inſcriptus:

Qui veſtes geritis pretioſas, qui ſine fine
Non profecturas accumulatis opes,
Diſcite, quam paucis opibus poſt funera ſitis
Contenti. Saccus ſufficit atque lapis.
Conradus iacet hic. Qui tot caſtella, tot vrbes
Poſſedit, tumulo clauditur iſte breui.
Mente Dei famulus, habitu Princeps trabeatus
Citerius, (forte *exterius*) veſtis aſpera ſubtus erat.
Qui iacet, eccleſiam gemmis reparauit & auro,
Andreae Sancti promeriturus opes.
Is Rex Conradus Monachos ſtabiliuit ibidem.
Corpore qui fertur dudum tumulatus ibidem.

Ita lego in Vienna Sancta p. 83. cuius editor Ioannes a Boſco in eo turpiter labitur, quod hoc

Conrado Rege Burgundiae mortuo, & apud Sanctum Mauritium sepulto, RVDOLFVS FILIVS, licet ignarus, regium ibi nomen per annos circiter XXXVIII. occupauit: sub quo, cessante iure, violentia & rapinae, nullo Regno [lego: *in illo Regno*] *vt non facile propelli possint, adoleuere, ibique, vt hodie apparet, cum suis complicibus Regnum obtinuere.* Matrem suam *Mathildem* ipse Rudolfus Rex vocat in Praecepto II. Id. Ian. Anno 994. Regni vero sui primo dato, (Probat. N. LXV.) quo confirmat, quae Monasterio S. Andreae Viennensis Conradus, Pater eius, *pro remedio Matris suae Mathildis Reginae & animae suae* donauerat. Addit, se *per consilium Agiltrudis Reginae, ac fratris sui, Burchardi Lugdunensis ArchiEpiscopi,* donis Patris addere quoque Villam, Crisinceacus nominatam. Dacherius Spicilegii Tomo XIII. pag. 272. & Menestrierius in Probat. Hist. Lugdunensis pag. 8. sq. hoc Praeceptum edidere. Eiusdem Matris ac Patris Conradi memoriam recolit, dum Monasterii Sancti Andreae Viennensis donationes auget Ecclesia Sancti Symphoriani, quae est in villa, medio itinere Lugdunum ac Viennam interiecta. (Probat. N. LXVI.) Ecclesiae autem Viennensi Cathedrali curtem Comminiacum, (Probat. N. LXVII.) & denique vrbis ipsius Comitatum, cum castro, in quo Comes habitare solebat, contulit. (Probat. N. LXVIII.) Cuius rei memoriam in schedula mortuali Burchardi ArchiEpiscopi conseruarunt Canonici. (Probat. N. LVIII.)

§. 5.

Prima itaque Rudolfi III. Regis coniux fuit AGILTRVDIS vel EGIL-

hoc Epitaphium ad Conradum Salicum Imperatorem refert, eumque Viennae sepultum inde demonstrare nititur, quem Spirae tumulatum & pueri norunt, qui nec dum aere lauantur. Turpius labuntur Lehmannus, Baronius & ab vtroque seductus Hahnius noster, Conrado III. Regi Germaniae hoc attribuentes, quos vel sola in eo Ecclesiae S. Andreae mentio redarguere posset. Vltimos duos versus adiectos a recentiore manu iudico. Nicolaus Chorierus antiquit. Viennens. L. III. c. 9. in eodem loco Mathtildis Reginae tumulum exstare asserit, hanc eius schedulam mortuariam exhibens: *V. Kal. Decembr. obiit Magtildis, vxor Regis Conradi, qui obiit XIV. Kal. Nouembr. Et dedit Sancto Mauricio villam Luscitiacum* (Rossignole) *cum seruis & ancillis, & omnibus appendiciis. Et dicta Regina dedit thuribulum magnum, totum aureum, & crucem auream, & dedit coronam lampadarum, totam argenteam, ante Domini sepulcrum. Quae Regina iacet intus parietem ante Capellam Beatae Mariae Virginis.* Regnum itaque iniit Rudolfus III. Anno Christi DCCCCXCIII. quo primum diploma dedit pro fratre, qua Monasterii Auganensis Abbate, (Probat. N. LX. & LXI.) & sequenti DCCCCXCIV. electioni Odilonis Abbatis Cluniacensis interfuit, (Probat. N. LXII.) Monasterioque Cluniacensi pristina priuilegia confirmauit: (Probat. N. LXIII.) nec minus Anno Regni tertio Amizoni, Tarantasiensi Archiepiscopo, eius vrbis Comitatum donauit. (Probat. N. LXIV.) Anno MI. cum Agauni degeret, in Sanctum Bernwardum, Hildesheimensem Episcopum, liberalis fuit. Ita enim Auctor vitae, Tangmarus, ap. Leibnit. Scriptor. Brunsuic. T. I. p. 454. de Sancto viro: *Alpibus superatis* (ex Italia rediens Bernwardus) *Octodurum praetergressus, Agaunum adiit, ibique a Rudolfo Rege Burgundiae liberalissime excipitur. Qui tradidit Episcopo in proprietatem infra Papiam cum manuscripto tres cortiles, & sua subscriptione annulique impressione roborauit. Inde -- prospero itinere Hildenesem -- in sancta festiuitate heroicae coenae intrauit.* Supererant itaque praedia Italica, ab auo vel proaui fratre ad hunc Rudolfum deuoluta. At diplomatis Regii nullum in monumentis Hildesheimensibus vestigium superest.

EGILTRVDIS. Guichenonius Bibliothecae Sebusianae pag. 35. exhibet fundationem Abbatiae S. Victoris Geneuensis ab Hugone Episcopo Geneuensi peractam, quam nos iam supra commemorauimus. (Probat. N. LVII.) In ea dicit Hugo, rem peractam *Seniore suo Rodulpho, Domna quoque REGINA EGILTRVDE praesentibus.* Hac Egiltrude defuncta, Rudolfus duxit IRMENGARDEM, quae Anno 1025. Prioratum Talueriarum fundauit. Guichenonius in Bibliotheca Sebusiana pag. 97. producit Praeceptum Dato carens, (Probat. N. LIX.) quo Rudolfus Rex motus petitione *IRMINGARDIS REGINAE, coniugis suae dilectae, & Burchardi ArchiEpiscopi fratris sui, & Burchardi Viennensis Archi Episcopi, caeterorumque suorum fidelium dat in pago Albanense Talueris villam cum appendiciis & cum Ecclesia in honore S. Mariae & S. Petri & S. Mauricii consecratam ad S. Martinum & Monasterium Sauiniacense.* Idem Guichenonius inter Probationes Historiae Sabaudicae pag. 3. Literas Fundationis Talueriarum exhibuit, quae incipiunt: *Ego ERMENGARDIS DOMNI RODVLPHI REGIS CONIVX humilis.* (rr) (Probat. N. LXIX.) Quercetanus indicat, Irmengardem marito diu superuixisse: (ss) dedisse enim Ecclesiae Beatae Virginis & S. Vincentii Gra-

rr) *Ermengardis* Reginae nomen inde ab ineunte nouo Saeculo iam in Rudolfi chartis conspicuum est. Vnde *Agiltrudis* Saeculo decimo exeunte diem oppetiisse videtur. Ne superius allata repetamus, iuuat subiicere donationem, Anno 1018. *Ermengardis* interuentu factam. (Probat. N. LXX.) *Bertoldi* nomen huic cartae insertum, (quo nonnulli Ducum postea Zaeringensium prosatorem; alii Sabaudiae Comitum patrem, intelligunt,) occasionem dedit fingendo diplomati, (Probat. N. LXXI.) quod editores habent pro genuino. Sed falsitatis notas tanto numero in eo offendit Dn. Eccard. orig. Sabaud. p. 2. sq. vt in eo explodendo otium nobis fecerit.

ss) Superuixit omnino *Ermengardis* non Coniugi solum; sed etiam Successoribus eius, Conrado Salico & filio Henrico Nigro, Imperatoribus Romanis & Burgundiae Regibus. Cum enim Anno 1056. Guitgerius, Sancti Petri Viennensis Abbas, Monasterium suum instauraret, *ERMENGARDA Regina* vineas quasdam ei restituit, praesentibus & cunctas loci possessiones confirmantibus *HILDEBRANDO, Victoris PP. II. Vicario* (qui postea Pontifex fuit Gregorius VII.) *Leodegario Viennensi, Humberto Lugdunensi, Bartholomaeo Turonensi, Aymone Bituricensi ARCHIEPISCOPIS; Pontio* Valentino, *Artaldo* Gratianopolitano, *Petro* Diensi, *Geraldo* Viuariensi, *Martino* Tricariensi, *Reinardo* Aletensi, *Brunone* Andegauensi *EPISCOPIS; Hugone* Cluniacensi, *Sifredo* Sancti Petri Cabilonensi, *Dalmatio* Sauiniacensi, *Humberto* Insulae Barbarensis, *Geraldo* Athanacensi, *Barnardo* - - - - *Raimundo* Dulensi, *Odone* Flauiacensi, *Richardo* Iurensi, & *Aimone* Augustodunensi *ABBATIBVS*; adiecta est chartae formula notatu dignissima: *DOMINO REGNANTE ET REGEM EXSPECTANTE.* Has instrumenti subscriptiones ad Annum. 1037. retulit Ioannes a Bosco Vienn. Sanct. p. 66. translatas deinceps a Mabillonio, suppresso licet Ioannis a Bosco nomine, in Annales suos Benedictinos, & quidem ad Gesta Anni 1055. nulla subscriptae Epochae ratione habita. Haec vero cum *nota Interregni* fit; Henricus autem III. Imperator, quem pater viuens Burgundiae Regem coronari iusserat, demum Anno 1056. III. Nonas Octobris, & Victor PP. II. per cuius Legatum haec gesta dicuntur, V. Kal. Augusti 1057. obierit; euidens est, in Vienna Sancta pro Anno 1057. non nisi typorum vitio scribi 1037. Vt adeo *Ermengardis* Annum 1057. viuendo attigerit, & Claudius Laburerius Ruder. Insul. Barbar. T. I. p. 70. ex aetate Praesulum hic nominatorum nobiscum sentiens, recte subduxerit calculos suos, vbi de Vimberto, sui Monasterii Abbate, qui huic panegyri pariter interfuisse memoratur, haud vulgaria tradit.

Gratianopolitanae Anno 1057. bona quaedam, nisi in dato chartae error existat. In Bibliotheca Cluniacensi pag. 410. extat diploma Rudolfi Regis Anno 9. datum, (Probat. N. LXXII.) quo Chauinias, Blenoscum, Sanctum Victorem & alia Monasterio Cluniacensi donat, *ad deprecationem EMMAE sui Imperii consortis:* vbi nota, *Emmae* nomen contractum (tt) ex *Ermengarde* esse. Ibidem pag. 411. eiusdem Regis Charta exhi-

tt) Quod Rudolfus III. vsque ad extremum vitae halitum Reginam Ermingardim tori sociam habuerit, eamque viduam reliquerit; non solummodo adlata, sed etiam vltima Regis & Reginae diplomata docent: quae simul potestatem eius in Burgundiam Superiorem manifestant. Quod autem *Ermengardis* nomen in *Emmam* contractum sit, ante asseri credique nequit, quam probetur, diploma, de quo sermo est, & in quo Rex Rudolfus *Emmae* suae Reginae mentionem facit, nostri Rudolfi esse. Cum enim Eccardus supra Rudolfo II. Burgundiae Regi *Emmam* vxorem attribuerit; huic prae Rudolfo III. diploma hocce adscribere rationis esset. At si hoc factum esset, ignoraremus fortassis, *Emmae* nomen aliud non esse ab nomine *Ermengardis* contracto. Quae deliciae ne deperirent, Rudolfum tertium potius, quam secundum in scenam producere visum. Equidem si solis auctoritatibus hic standum foret, res in expedito foret. Non solum Quercetanus, vir harum literarum peritissimus, Biblioth. Cluniac. p. 411. Rudolfi III. Burgundiae Regis indubitato diplomati praescripsit, quod eumdem auctorem habeat cum eo, de quo agimus; sed etiam doctissimus Mabillon. tam Act. Ord. S. Benedicti Saecul. V. p. 317. quam Annal. Benedictin. T. IV. p. 183. huic Regi id adscribit, refertque ad Annum 1005. At enimuero in promtu sunt compluria argumenta, quibus demonstrari potest, non ad Rudolfum quemdam Burgundiae Transiuranae Regem, sed ad Rudolfum Regem Franciae, de quo toties diximus, hoc diploma pertinere, scriptumque fuisse annis septuaginta tribus prius, quam Mabillonius putauit. Primum enim Burgundicorum Rudolforum neuter, sed solus Francicus Rudolfus coniugem habuit, cui *Emmae* nomen: vt supra demonstrauimus. Deinde *Ansauilla*, in qua diploma datum, non in potestate Burgundiae Regum Transiuranae, sed Francorum fuit. Ansauilla enim e regione Nouaeuillae paullo supra Lugdunum prope Treuoltium sita est, ita vt Araris vtramque interfluat. Araris autem supra Lugdunum limes vtriusque Regni, & postea Imperii fuit. Equidem Gundlingius Opusc. VIII. p. 269. vbi de Burgundico Ducatu Imperio Germanico numquam subiecto agit, Comitatum Matisconensem, licet cis Ararim situm, Burgundiae Transiuranae partem facit, Conradoque, Rudolfi II. filio, paruisse affirmat, tanta asseueratione, vt p. 282. rem extra omnem dubii aleam positam iactitet. Sed alia omnia, nostrisque simillima, docere eum poterat Philippi Bugnonii Chronicon vrbis Matissanae, breue illud quidem & paruae molis, sed ex meris vrbis eius & Ecclesiae diplomatibus contextum. Nam quae diximus, tam firma sunt, vt hodienum Transararensis regio, a sinistra Araris ripa protensa, *terra Imperii, Païs d'Empire*, vel simpliciter *l'Empire;* Cisararensis autem *terra Regni*, scilicet Francici, appelletur. Quemadmodum igitur Nouauilla, trans Ararim more Romano loquentibus posita, Transiuranae Burgundiae Regum fuit, quippe in qua degit iam Rudolfus I. cum Anno 894. Balmam ad Gigniacum adiiceret; ita Ansauilla, cis Ararim more Romano loquentibus sita, in Francorum Regum potestate semper fuit, partem faciens terrarum Regni. Tum *Reamundus*, Rotmundus siue Rosemundus Notarius, & *Ansusus* Cancellarius, ignota Burgundiae Transiuranae nomina, Franciae familiaria sunt, quippe quae *Ansusum* habuit Trecensem Episcopum, Anno 912. institutum, Mabillon. Annal. T. III. p. 341. nec Rudolfi solum Francici, sed & Ludouici Transmarini Cancellarium. Quod diplomatum subscriptiones docent productae ab eodem l. c. p. 405. & 425. Illic enim priuilegio Rudolfi Regis pro Monasterio Tutelensi Anatiaco dato sublinitur: *Gotefredus Sacerdos ad vicem ANSEGISI Episcopi Anno X. regnante Rodulfo gloriosissimo Rege.* Hic confirmationem priuilegiorum Ecclesiae Aeduensis, datam *Autisiodoro V. Kal. Augusti Anno 936. Indict. IX. Anno primo regnante Ludouico gloriosissimo Rege, Odilo Notarius ad vicem ANSEISI Episcopi summique Cancellarii recognouit.* Apud Stephanum Perardum Monum. Burgund. p. 163. Rudolfus Rex, rogatus ab *Ansuso* Episcopo, & Gauz-

exhibetur, (Probat. N. LXXIV.) data Anno Regni eius 31. qua Monasterio Cluniacensi confert Ecclesiam S. Blasii in Viculis, *petente atque exoptante dilectissima coniuge sua IRAINSANDA.* Sic scriba oscitans *Irmingardae* nomen exhibuit.


§. 6.


Ex vtraque coniuge Rudolfus Rex nullam prolem tulit. Vnde Regni sui haeredem primo instituit *Henricum S. Imperatorem* ex sorore nepotem; & deinde, hoc defuncto, *Conradum Salicum*, qui *Giselam* eiusdem ex Gerberga sorore neptem in matrimonio habebat. Ipse Romae Coronationi Conradi Salici in Imperatorem interfuit Anno 1027. vna cum Canuto Danorum & Angliae Rege: id quod praeter Wipponem & Adamum Bremensem confirmat Canuti epistola ad Anglos data, qua tam Pontificis, quam Rudolfi nostri Burgundiae Regis in se liberalitatem & comitatem dilau-

Gauzfredo Comite, donationem facit e bonis, Senonicae ciuitati contiguis, ita subscriptam:

Signum RODVLFI gloriosissimi Regis.
Hugo Cancellarius ad vicem ANSVSI Episcopi recognouit.
Datum V. Kal. Ianuarii, Indictione VI. Anno VIII. regnante Rodulfo Rege.
Datum Autissiodoro.

Qui nouerit, Burgundiae Transiuranae Regibus nihil negotii in terris & ciuitatibus Tutelensi, Senonensi & Autissiodorensi fuisse; non repugnabit, quo minus haec diplomata Rudolfo Francico attribuantur, coarctenturque intra spatium temporis, quod effluxit ab Anno 923. vsque ad Annum 936. Ne quid tamen dubii restet, subiicimus (Probat. N. LXXIII.) diploma Rudolfi Regis non solum eodem anno atque in eodem loco datum; sed etiam ab eodem *Rosemundo Notario* ad vicem eiusdem *Ansusi* Episcopi subscriptum. Quod quia de terris in dioecesi Carcassonensi & Ausensi agit, per rerum naturam Rudolfo nostro Burgundico tribui nequit. Cum itaque in rebus humanis contingere haud soleat, vt duo eadem aetate viuentes diuersarum prouinciarum Principes cognomines eiusdem nominis coniugem, filium primogenitum, ante patrem defunctum, eiusdemque nominis cum Notarium, tum Cancellarium, cunctaque haec coniunctim, habeant, vnoque & eodem tempore ex eadem villa diplomata edant; ignoscent mihi magnorum virorum manes, si in alia omnia abeo, &, vt supra C. VI. not. bb. *Emmam* cum filio *Ludouico*, ita nunc iterum eamdem *Emmam*, cum *Rotmundo* Notario, & *Ansuso* Episcopo e Burgundia Transiurana in Franciam Cisiurarensem remitto. Quemadmodum autem Quercetanus, Mabillonius & Eccardus Rudolfo nostro Burgundico chartam & vxorem attribuunt, quae est Rudolfi Franciae Regis; ita nescio, an non Menestrierius referendus sit inter eos, qui Rudolfo Francico attribuunt, quae sunt Rudolfi III. Burgundiae Regis. Exhibet ille Histor. Lugdun. p. 258. solidos duos argenteos, quos subiicio,





perquam nitidos, quibus altera facies *Rodulfus;* altera *Lucudunus* est inscripta. Numos hosce Rudolfo suo Francico vindicat; licet Lugdunum vmquam in eius fuisse potestate nulla idonea constet auctoritate. Facilior Dn. Blancus est Opusc. de Monet. Franc. p. 140. qui, cum priorem ex his numis delineatum dedisset, in eius explicatione, quae pariter pro Rudolfo Francico laborat, subiungit, se non repugnaturum, si quis eum Rudolfo III. Burgundiae Regi adscribendum putet. Quod suadent omnino, quae diximus ad C. VII. not. mm. In eo tamen Menestrierio, qui S. solidum significare ait, adstipulamur contra Blancum, qui Segusianos eo indicari autumat.

dilaudat. (Probat. N. LXXV.) Tandem Anno 1032. VIII. Idus Septembris obiit, vt in veteri Chartario Viennensi Mabillonius legit, (uu) Ermengardis vero eius coniux VI. Kalendas Septembris; qui ambo puellare S. Andreae Superius Monasterium, ad Apostolos dictum, Viennae instaurasse perhibentur. Ermengardis vidua hoc ipso Anno 1032. Viennensi S. Andreae Monasterio, quod Inferius vocant, & Abbati eius Iterio Ecclesiam quandam in Episcopatu Gratianopolitano contulit *pro redemptione animae Senioris sui Rodulfi Regis*. Extat ea in Dacherii Spicileg. Tom. XIII. pag. 276. sq. (Probat. N. LXXVII.) Caetera ad hanc familiam pertinentia diplomata subiicimus Probat. N. LXXVIII. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. LXXXVI. LXXXVII. Ex eo igitur tempore quo Rudolfus III. diem clausit, Burgundia, quae per annos centum & octoginta suos Reges habuerat, Germanici Imperii Prouincia facta est. Odo quidem Campaniae Comes, Rudolfi Regis etiam ex sorore nepos, ea re offensus, Conrado expeditione Polonica detento, Regnum Burgundiae, tanquam sibi debitum, inuasit. At sequenti anno Conradus ipsi vicem retulit, Campaniam vastauit, Odonemque eo adegit, vt supplex ad ipsum veniret, & iure Burgundici Regni cederet.

§. 7.

Nunc de filiabus Conradi Regis ex *Mathilde* dispiciendum est. Prima harum fuit BERTA, cuius iam supra §. 4. ex Chronico Virdunensi mentionem fecimus. Haec primum coniuncta fuit ODONI *Comiti Campaniae*, vnde filium habuit *Odonem II.* Burgundica haereditate, vt modo diximus, per Conradum II. Imperatorem exclusum; Regis tamen titulo a quibusdam Burgundici Regni Proceribus honoratum, & Conrado multum negotii facessentem. Quod vel solus Wippo testetur, & quae subiicimus diplomata Probat. N. LXXXVIII. LXXXIX. XC. XCI. ex quibus praeterea hominis ingenium & mores innotescunt. Caeterum si vera sunt, quae Nicol. Chorierius Histor. Delphinatus L. X. p. 754. sq. vbi Regis huius historiam, sed multis forte confictis fabulis conspersam persequitur, scribit, Berta ista fratris impotentiae caussa fuit. Adscribam, quae vir ille siue ex ingenio, siue aliunde habet de Rudolfo III. *Ce qui l'avoit rendu si meprisable, êtoit principalement qu'il n'avoit point d'enfans: les Princes, qui n'en ont pas, & que l'on ne croit pas capables d'en avoir, n'êtant jamais sans ennemis domestiques, quelques bons & prudents qu'ils soyent. Quoiqu'il eut eu diverses femmes, il est certain qu'il êtoit impuissant, n'y ayant point d'hommes si*

 ardens

uu) Fons allegationis est in Vienna Sancta, vnde praestat integram ex Obituario Viennensi notitiam transcribere; quam infra (Probat. N. LXXVI.) inserendam duximus.

ardens après le ſexe que ceux, qui ne ſont pas entierement hommes. Berthe, mariée à Eudes Comte de Champagne lui avoit procuré ce mal. Elle étoit plus agée; deſorte que ſe jouants un jour enſemble, comme il étoit encore enfant, elle l'avoit preſſé malicieuſement en la partie qui fait la difference des ſexes, avec tant de rudeſſe, qu'il fut depuis incapable d'engendrer. Le Iuriſconſulte Paulus donne le nom de Tlibies, & d'autres de Tlaſſies à ces ſortes d'impuiſſants. Le deſſein de cette Princeſſe étoit de faire ainſi tomber un jour la ſucceſſion du Royaume de Bourgogne en la maiſon, où elle entreroit par le mariage. Mais ayant été trop heureuſe en l'un, elle ne le fut pas en l'autre, comme elle ſe l'étoit promis. Rudolſe mourut ſans enfans, & neantmoins ceux de Berthe n'eurent point de part en ſa ſucceſſion. Ayant compris, quand il fut dans un âge plus avancè, d'où venoit la cauſe de ſon impuiſſance, il conçut pour Berthe & pour ſes enfans une ſi forte averſion, que pour les priver de toute eſperance de lui ſucceder, & pour ſe venger pendant ſa vie, il nomma ſes heritiers premierement Henry & après luy Conrad Empereur. Ipſa autem Berta poſt mortem Odonis Campaniae Comitis iterum *Roberto Franciae Regi* nupſit, a quo tamen ob conſanguinitatem ſeparata. Odonis, primi eius mariti, pater fuit Tedbaldus; mater vero *Luitgardis*, filia & haeres *Heriberti Comitis Trecaſſini.* Mabillonius Saec. V. Benedict. p. 285. Chartam affert, qua Luitgardis, ſiue, vt ſe ſcribit, *Ledgardis Comitiſſa* Eccleſiam de Geſeico regali ſede cum aliquot praediis Wiberto Abbati & Monachis Carnotenſibus concedit *pro nobiliſſimi Senioris* ſui *atque glorioſi Comitis Tetbaldi & pro anima patris ſui Heriberti Trecaſſini Comitis, conſentientibus Hugone Archipraeſule* (Bituricenſi) *& excellentiſſimo Comite Odone filiis ſuis .... Data nona Februarii die, regnante Hlothario Rege Anno XXIV.* Ibidem Mabillonius adducit Chartam aliam Rodberti militis, qui tradidit locum *Aurion,* vulgo *Euron,* Wiberto Abbati *cum conſenſu Odonis Comitis, ſimulque eius matris Ledgardae, & vxoris BERTAE.*

§. 8.

Sed ad Bertam reuertamur. Haec ſecundis nuptiis *Roberto Regi Franciae,* vt dixi, coniuncta, verum Anno 996. ab ipſo ſeiuncta fuit. Cauſam Fragmentum Hiſt. Floriacenſis hanc prodit: *Idem vero Rex* [Robertus] *in vxorem ſibi aſſumſit MATREM ODONIS COMITIS, BERTAM nomine, qui eodem tempore puerulus erat. Illa autem COMMATER eiusdem fuerat Regis. Idem namque Rex filium ipſius de ſacro ſuſceperat lauacro. Quod agnoſcens Papa Gregorius totam Franciam anathemate percuſſit. Porro Rex amore eiusdem mulieris plus iuſto detentus, nequaquam eam dimittere voluit, donec Omnipotens per ſe corrigere eundem Regem ſtuduit. Dum enim*

de

de eodem Rege eadem mulier concepiſſet, credens ſe parituram filium, peperit monſtrum. Quae res Regem perterruit, & librum repudii eidem mulieri dare compulit. Quo facto cum toto ſuo meruit Regno. Sed ex Gregorii ipſius verbis apparet, non ob *commatritatem*, ſed ob *conſanguinitatem* Bertam a Roberto ſeparatam. Concilium Romanum V. praeſidente Ottone III. Auguſto Caeſare & D. Gregorio V. Papa Anno 998. celebratum de hoc matrimonio ita decernit: *Vt Rex Robertus CONSANGVINEAM SVAM, BERTAM, quam contra leges in vxorem duxit, derelinquat, & ſeptem annorum poenitentiam agat .... idemque de eadem BERTA fieri praeceptum eſt.* Canon II. eiusdem Concilii excommunicat Epiſcopos, *qui conſentientes interfuerunt his inceſtis nuptiis Regis & BERTAE CONSANGVINEAE SVAE.* Leo quoque Papa IX. in Epiſtola ad Henricum Regem, Roberti filium, cuius fragmentum Iuo Carnotenſis Part. IX. c. 8. conſeruauit, ſcribit: *Pater tuus Robertus laude & conſultu Epiſcoporum Regni tui, Bertam matrem Odonis Comitis ſibi duxit vxorem: ob quam rem, quoniam ſibi erat CARNIS AFFINITATE CONIVNCTA, ab Anteceſſore noſtro cum Epiſcopis, qui placito interfuerunt, excommunicati.* Conſanguinitas autem illa ab Henrici Aucupis filiabus hoc modo deducenda eſt:

Henricus Auceps.

Hadwigis Hugonis M. Vxor.	Gerberga Ludouici Vltramarini Vxor.
Hugo Capetus Rex Franciae.	Mathildis Vxor Conradi Regis Burgund.
Robertus Rex ═══	Berta.

Ex quo ſtemmate ſimul etiam clare apparet, debuiſſe Bertam neceſſario fuiſſe Mathildis filiam; alias enim conſanguinitas eius cum Roberto conſtare non poſſet. Quae de partu Bertae monſtroſo Fragmentum ſupra citatum garrit, fabulam a Petro Damiani, naeniarum eiusmodi captatori, Lib. II. Epiſt. 15. euulgatam ſapere videntur, cum Helgaudus praeſertim in Vita Roberti eius ne verbulo quidem mentionem faciat. Magis veritati conſentaneum eſt, quod grauis hic auctor & Aimoini quoque Continuator habent, Abbonem Floriacenſem Abbatem Roberto perſuaſiſſe tandem, vt Bertam dimitteret. Amauit nihilominus eam tenere, & *Conſtantiam*, quae in locum Bertae ſucceſſerat, non aeque magni fecit. Odorannus in Chronico auctor eſt, Bertam omni ſtudio quaeſiuiſſe, vt *decreto Apoſtolici, in thorum Roberti, vnde expulſa fuerat, reſtitueretur.* Et habetur Carmen Anonymi Poëtae Tomo III. Analectorum Mabillonii pag. 534. *de Temporibus Roberti,* ex quo

apparet, Landricum, Bodonis Comitis Niuernensis filium, promissione accepta a Berta de possessione oppidi Pruuini, si eam Regi iterum coniungere valeret, Roberto Regi concubitum cum Berta post separationem procurasse, non tamen ideo Pruuinum obtinuisse. Verba Poëtae sunt:

Herodiadis nuptias renouauit illicitas,
Incesta propter basia sperat Pruuini moenia,
Architriclinus impius gauisus est pro moenibus:
Potentiorem fieri se credidit pro nuptiis.
Dormiuit Rex in lectulo Landrici Pontificio.
Dormit Berthae promissio, irascitur Burgundio.
Eglou noster nouissimus, cuius vt non turpissimus
Multis & fartus dapibus; non placet Pruuinensibus;
Secundam lunam patitur, spe varia confringitur:
Pruuinum numquam perdidit, quod habere non potuit.
Plumbi scribatur lamina, ne transeat memoria.
Vt posteri sint prouidi, si post mortem surrexerit
Achitophel, prosperitas est Europae captiuitas.
Qui peior fit quotidie, periturus tardissime.

Licet autem Rex Robertus Anno 998. vt Bertam dimitteret, a Concilio iussus esset, habuit tamen eam secum adhuc *Anno* 1000. *Indictione XIII. Anno vero Regni inclyti Roberti XII.* quo donationem Fossatensi Coenobio fecit, *suggerentibus ac interuenientibus dulcissima genetrice sua Adelaide atque CONIVGE SVA BERTA.* Mabillonius, qui nobis haec indicauit, addit literas Adelaidis Comitissae, vxoris Willielmi quondam Prouinciae Ducis, Anno millesimo primo pro Monte Maiori datas haberi, quibus *Constantia*, nondum Regina, subscripserit. Tempus ergo, quo Robertus se a Berta separauit, accurate non scitur; & annus etiam obitus eius incertus est.

§. 9.

Altera Conradi filia ex *Mathilde* erat GERBERGA vel GVEPA, *vxor Herimanni Ducis Sueuiae*, vt ex Genealogia S. Arnulfi manifestum est. Hermannus Contractus ad An. 997. *Conradus Alamannorum Dux obiit, & pro eo Herimannus Ducatum accepit, qui & ipse filiam Conradi Regis Burgundiae GERBIRGAM in matrimonio habuit, ex qua filium aequiuocum & tres filias reliquit.* Inter has notanda hic est GISELA, cuius ratione eius maritus Conradus II. Imperator Burgundiam acquisiuit.

§. 10.

Tertia Conradi filia ex eadem matre tandem memoranda est MATHILDIS, Rainaldo Comite Portiuensi & Genealogia S. Arnulfi id asse-

asserentibus. (xx) Duobus viris iunctam fuisse ex Genealogia hac concludi posset. Ea enim: *Mathildis*, inquit, *soror Guepae & Bertae genuit Arnulfum Comitem Flandrensem, Godefridum Ducem, Gozelonem Ducem, fratres.* Ex *Balduino* nempe hoc modo esset Arnulphus; ex *Godefrido* Godefridus & Gozelo. Sed prior eius putatiuus maritus *Balduinus* Anno 961. decessit, Vredio attestante, cum nondum nata esset *Mathildis* nostra. Mater enim eius Mathildis Anno demum 967. Conrado Regi desponsata fuit. Vnde apparet falso Mathildi nostrae tribui maritum Balduinum Flandrum. Nec potuit habere maritum *Godefridum Comitem Virdunensem.* Hic enim certo habuit vxorem *Mathildem, filiam Hermanni Saxoniae Ducis, & viduam Balduini Flandri*, quae Anno 1009. decessit. Genealogia itaque S. Arnulfi confudit *Mathildem Burgundam* cum *Mathilde Saxonica.* Haec plurium liberorum mater fuit; cum Burgundae Rainaldus Portiuensis (yy) Comes vnicam faltem

xx) Vtraque genealogia habetur Scriptor. Franc. T. II. p. 622. & p. 642. Vtrumque scriptum prohibet, quo minus possimus adstipulari doctissimo Gundlingio, qui Mathildim hancce, quod fata eius & nuptias peruestigare non valuit, e genealogia Burgundica deletam mallet.

yy) *Portinensem* maluit appellare Io. Beslius Histor. Comit. Pictau. & Aquitaniae Ducum p. 339. verius tamen *Pontiuensis* appellandus. Occurrit enim Guido Comes de *Pontiuo* in Sugerii vita Ludouici Grossi p. 433. Equidem Rainaldi fidem eleuare videtur Gundlingius, eo quod non constet, qua aetate vixerit, & quod tradita eius Chronico Flodoardi non inserta, sed aliunde desumta eidem tantummodo subiecta sint. Sed prius expediuit Beslius l. c. & p. 96. sq. vbi ostendit, eum Aquitaniae Ducem, cui Reinaldus respondit, fuisse Guidonem Guilielmum, Imperatricis Agnetis fratrem minorem, qui regnare coepit Anno 1058. & per matrem Gerbergae Reginae pronepos fuit. Posterius nemini negotium facessiuerit, scienti, veterum sapientiam non tam in libris, quam in memoria hominum haesisse, ac senes vti de iure, ita etiam de illustrium familiarum gradibus consultos e memoria respondisse: id quod in caussa diuortii inter Ludouicum Grossum & Alienoram factum fuisse narratur in eius gestis c. 29. Scriptor. Franc. T. IV. p. 411. Quae autem Rainaldus de genealogia filiarum Gerbergae, Ludouici Transmarini Coniugis, respondit, haec sunt: *Mathildis & Alberada filiae fuerunt Gerbergae. De Mathilde processit Rodulphus Rex, & Mathildis, soror eius: de Alberada Ermentrudis. De Mathilda filia Mathildis* processit *Berta. De Ermentrude Agnes: de Berta* processit *Geraldus Geneuensis: de Agnete Wido:* vt adeo Mathildis haec sit posteritas:

Conradus Burgundiae Rex.
Vxor Mathildis, filia Gerbergae & Ludouici Transmarini.

- Rudolfus III. Burgundiae Rex.
- Mathildis nupta viro ignoto.
  - Berta, nupta Comiti Geneuensi.
    - Geraldus seu Geroldus, Princeps Geneuensis regionis.

Alberadae autem hoc schema format Beslius l. c.

Gerberga vxor Ludouici Transmarini.

- Mathildis. vxor Conradi Burgundiae Regis.
- Alberada.
  - Ermentrudis.
    - Agnes: vxor Guilielmi IV. Aquitaniae Ducis.
      - Guido Guilielmus.
      - Agnes vxor Henrici III. Imperatoris.
        - Henricus IV. Imp. de cuius genere materno quaerebatur.

tem filiam tribuat *Bertam, matrem Geraldi* (zz) *Geneuensis. Geraldus* hic a Wippone *Geroldus* & *Princeps regionis Geneuensis* ad An. 1034. dicitur. Subegit eum hoc ipso anno Conradus Imperator vna cum Archi Episcopo Geneuensi Burchardo, Geraldi auunculo, qui, iuncti Odoni Campaniensi Comiti consanguineo, Regnum Burgundicum Conrado controuersum reddebant. Credibile est *Geroldum Comitem Geneuensem* fuisse filium *Comitis Geneuensis.* An *Roberti,* cuius chartam Anno 1019. vel 1020. datam affert Guichenonius in Bibliotheca Sebusiana p. 88. sq.? Nominat is *Episcopum Geneuensem Geroldum* tanquam cognatum suum; nominat *patrem Conradum;* filium autem non *Geroldum,* sed CONRADVM; quod dubium, in re alias non improbabili, mihi iniicit. An *Conradus* hic obierat forte iam, vt eius tanquam defuncti meminerit, & filii *Geroldi* superantis nomen praeterierit? Geroldus de caetero circa Annum 1034. vix iuuenis 19. ad summum 20. annorum fuisse potuit, si rationes ab eius proauiae nuptiis cum Conrado Rege initis subducamus. Ex matrimonio autem *Bertae* cum Comite Geneuensi apparet, matrem eius *Mathildim* in vicinia nobili Burgundo iunctam fuisse; nomen tamen eius hactenus ignorari.

§. 11.

Haec sunt, quae de Regibus Burgundiae Guelficis commentanda fuerunt. Iam reuertendum nobis est ad *veteres Guelfos, in Bauaria & Sueuia celebres,* atque a Welfo patre Iudithae Imperatricis etiam ortos, quorum hereditatem Azo Marchio Tusciae, ducta Cunigunda, suae stirpis Principe vltima, tandem collegit, & ad posteros, Serenissimae ac Potentissimae Familiae Brunsuico-Luneburgensis Satores, transmisit. Antequam vero ad illos pergamus, en tibi *Stemma Guelficorum Burgundiae Regum,* secundum ea, quae hactenus demonstrauimus, delineatum.

PROBA-

zz) Geraldi mentio est apud Wipponem ad Annum 1034. vbi: *Augustus veniens ad Geneuensem ciuitatem,* GEROLDVM, *Principem regionis illius, & Archi Episcopum Lugdunensem atque alios quamplures subegit:* & apud Hermannum Contractum ad Annum 1045. *Reginoldus & GEROLDVS Burgundiones Regi apud Solodurum ad deditionem venerunt.* Praeter hos apud Wipponem ad Annum 1033. celebratur *HVPERTVS* Comes, qui cum pluribus Burgundionum, quod recta via non posset, directo per Italiam itinere Imperatori ad Turegum occurrit. Ex hoc *Huperto,* Mauriennae Comite, Serenissimam Sabaudiae Ducum familiam prodiisse certissimum est; sed Hupertum iam tum Sabaudiam possedisse non credo Samueli Guichenonio T. I. p. 184. licet ad Rudolfi III. Regis diploma, ad Aquas Sextias V. Idus Maias Anno 1000. ea de re datum, prouocanti; quod vtinam inter probationes suas in medium protulisset! Nunc ista omissio indicium facit malae caussae, cui ipse diffidisse videtur Guichenonius. Ego Sabaudiam *illam Burgundiae prouinciam* fuisse putauerim, cuius cessione transitum per Montem Iouis in Italiam redemisse dicitur Henricus IV. Imperator apud Lambertum Schaffnaburgensem ad Annum 1077. Nam & caetera huius Regni pari modo sub Henricis penitus distracta & dissipata fuerunt, vt eorum haeredibus praeter inuestituras Episcoporum vix quidquam relictum fuerit. Hinc Fridericus I. Imperator, de recuperando Regno Burgundico desperans, initio Bertoldo Zaeringensium Duci, cui Sueuiam debebat, loco eius *Burgundiae & Prouinciae terram* occupandi copiam fecit; (Probat. N. XCII.) mox ex nuptiis cum Beatrice minoris Burgundiae haerede occasionem nactus, cuncta recuperandi, ni fata obstitissent. Legatur Otto Frising. de gestis Friderici I. L. II. c. 29.

PROBATIONES
LIBRI QVARTI
DE ORIGINIBVS GVELFICIS.

SERIES DIPLOMATVM

QVORVM LIBRO IV. INIECTA EST MENTIO.

No. I.

Charta ſub Roadharto Comite ſcripta. ex GOLDASTI Scriptor. Rer. Alemann. T. II. Part. I. p. 54. *edit. de A.* 1606.

No. II.

Placitum Pipini Regis Compendienſe, cui aſſedit Rothardus. ex MABILLON. Rei diplomat. L. VI. c. 44. p. 493.

No. III.

Charta venditionis a Chrodardo Comite Fulrado Abbati facta. ex MABILLON. l. c. L. VI. c. 45. p. 494.

No. IV.

Charta Caroli Regis memorans venditionem a Hrodhardo Comite Monaſterio Dionyſiano factam, quam Rex confirmat. ex MABILLON. l. c. L. VI. c. 56. p. 502.

No. V.

Diploma Ludouici Pii, quo ſuggeſtu Coniugis Iudithae Turonenſibus priuilegia confirmat. ex COINTII Annal. Eccleſ. Francor. ad A. 831. n. XIV.

No. VI.

Charta donationis Ludouici Pii ad ſuggeſtionem Iudithae Coniugis facta. ex LABBEI Miſcellan. Curioſ. C. VI. §. 6.

No. VII.

Charta memorans donationem a Iuditha Imperatrice factam. ex EDM. MARTENE & VRS. DVRANDI Theſauro Anecdotor. T. I. p. 67.

No. VIII.

Diploma Caroli Calui, quo dies obitus Iudithae, Matris ſuae, manifeſtatur. ex BALVZII Capitularium Tom. II. Append. Actor. veter. p. 1492.

No. IX.

Diploma Caroli Calui ad preces Rudolfi auunculi, Centulenſis Coenobii Rectoris, Monachis S. Richarii datum. ex Chron. Centul. L. III. c. 9. ap. DACHER. Spicileg. Scriptor. T. II. p. 316. *edit. nou.*

No. X.

Fratrum Coenobii S. Richarii epiſtola, qua vicinis Coenobiis dies obitus Ru-

 dolfi

dolfi Comitis & Abbatis eorum significatur. *ex* Chron. Centul. L. III. c. 9. ap. DACHER. l. c.

No. XI.

Roberti Ducis, postea Regis, Charta regnante fratre Odone in Francia Monasterio S. Martini Turonensis data, qua Maiores suos nominatim appellat. ex Pancarta Nigra Turonensi a BVCCETIO Genealog. Franc. (la veritable origine de la seconde & troisiême lignée de la Maison Royale de France) p. 310. *inter probationes in scenam producta, & valde interpolata.*

No. XII.

Episcoporum iussu Caroli Calui in Vermeriensi Palatio congregatorum dehortatoria ad Conradum Seniorem epistola, ne Monasterio Lebrabaënsi in Alsatia auaras manus iniiciat. ex LABBEI Concil. T. VIII. p. 100.

No. XIII.

Charta manumissionis regnante Ludouico Germanico signata per Wolfardum Comitem, Missum Regium, sub Conrado Duce Nobilissimo. ex GOLDAST. Scriptor. Alemann. T. III. p. 74. *edit. cit.*

No. XIV.

Ludouici Balbi diploma pro Centulensi Monasterio, quo Welsonem Abbatem suum vocat consanguineum. ex Chron. Centul. L. III. c. 13. ap. DACHER. Spicil. T. II. p. 318.

No. XV.

Charta donationis a Lothario Rege Teutbergae Coniugi factae. ex MVRATOR. Antiquit. Italic. T. II. p. 122.

No. XVI.

Diploma Caroli Calui, quo Conrado Comiti, fideli suo & parentelae propinquitate coniuncto, *villam Piredum donat. ex* MABILLON. Annal. Benedict. T. III. Append. n. XXI. p. 680.

No. XVII.

Diploma Caroli Calui deprecante Hugone, S. Martini Abbate, datum. ex MABILLON. l. c. Tom. III. ad A. 867. n. LXXXIII. p. 146.

No. XVIII.

Aliud eiusdem Regis diploma eodem Hugone Abbate deprecante datum. ex EDM. MARTENE & VRS. DVRANDI Thesauro Anecdotor. T. I. p. 42.

No. XIX.

No. XIX.

Aliud eiusdem Regis diploma, quo Hugo Abbas Regis propinquus appellatur. *ex* eod. p. 43.

No. XX.

Epistola Iohannis VIII. Papae ad Hugonem Abbatem data. ex LABBEI Concilior. T. IX. p. 95.

No. XXI.

Epistola Nicolai Papae ad Hugonem Abbatem data. ex DV CHESNE T. III. Scriptor. p. 893.

No. XXII.

Diploma Karolomanni, quo confirmat data ab Hugone pro anima genitoris & genitricis suae. ex MABILLON. Rei diplomat. L. VI. p. 550.

No. XXIII.

Rudolfus Comes & S. Mauritii Agaunensis Abbas Angelbergae Imperatrici in precariam concedit villas duas in Tuscia. ex MVRATORII Antiquit. Ital. T. III. p. 156.

No. XXIV.

Diploma Rudolfi I. Burgundiae Regis primum, quo sorori Adelheidi donat Monasterium Romanis. ex MABILLON. Annal. Benedict. T. III. Append. n. XXXII. p. 690.

No. XXV.

Adelheidis Burgundicae diploma nobilissimum, quo in Cluniacenses transfert Monasterium Romanis a fratre donatum. ex MABILLONII Elogio S. Odonis Abbatis Cluniacensis, *quod* Actis SS. Ordinis S. Benedicti Saec. V. *inseruit* p. 135. sq.

No. XXVI.

Rudolfi I. Burgundiae Transiuranae Regis donatio Balmaë & aliorum bonorum ad Gigniacum Monasterium. ex BALVZII Miscell. T. II. p. 161.

No. XXVII.

Formosi Pontificis Maximi confirmatio Balmae Bernoni Abbati donatae. ex MABILLONII Actis SS. Benedict. Saec. V. p. 72.

No. XXVIII.

Notitia Iudicati Reginae Ermengardis pro Balma Bernoni Abbati restituenda. ex MABILLON. l. c. p. 71.

No. XXIX.

Fratres S. Martini Turonensis Emmae Reginae, Rudolfi Franciae Regis

 Con-

Coniugi villam Montis pro annuo censu elocant. ex MARTEN. & DVRANDI Thesauro Anecdot. T. I. p. 67.

No. XXX.

Rudolfus Burgundiae atque Italiae Rex Parmensi Episcopo confirmat Abbatiam de Berceto. ex MVRATOR. Antiquit. Ital. T. VI. p. 325.

No. XXXI.

Rudolfi II. Burgundiae & Italiae Regis diploma pro Adelberto, Bergomensi Episcopo, quo vrbs ipsi subditur. ex VGHELLI Ital. Sacra. T. IV. p. 430. *edit. nou.*

No. XXXII.

Rudolfus Burgundiae atque Italiae Rex confirmat Ecclesiae Parmensis Canonicis bona & iura omnia. ex MVRATOR. Antiquit. Ital. T. III. p. 53.

No. XXXIII.

Rudolfus Rex Cremonensis Ecclesiae priuilegia confirmat. ex MVRATOR. l. c. T. VI. p. 49.

No. XXXIV.

Rudolfi II. Burgundiae & Italiae Regis diploma, quo rogatus ab Ermengarde Comitissa & Bonifacio Marchione, Consiliariis suis, Parmensi Episcopo Hercardo curtem Padi donat Sablonetam. ex VGHELLI Ital. Sacra T. II. p. 153.

No. XXXV.

Rudolfi Burgundiae & Italiae Regis diploma pro Sanctimonialibus S. Sixti Placentinis sigillatum. *ex* MVRATOR. Antiquit. Italic. T. II. p. 41.

No. XXXVI.

Rudolfus Italiae & Burgundiae Rex confirmat Ecclesiae Patauinae priuilegia & iura. ex MVRATOR. l. c. T. III. p. 55.

No. XXXVII.

Rudolfi II. Burgundiae & Italiae Regis diploma pro Zenoniano Coenobio Veronensi. ex VGHELLI Ital. Sacra T. V. p. 740.

No. XXXVIII.

Conradus Salicus Episcopo Cremonensi confirmat priuilegia a decessoribus, & in his a Rege Rudolfo impetrata. ex MVRATOR. Antiquit. Italic. T. I. p. 417.

No. XXXIX.

Fundatio Ecclesiae Paterniacensis in pago Bernensi (*vulgo* Peterlingen) *per Ber-*

Bertam Reginam. ex GVICHENONII Bibliotheca Sebusiana Cent. I. p. 1. sq.

No. XL.

Conradus Burgundiae Rex Cluniacensibus Boliniacum, vulgo Boulignieux, *vicum in Sebusia iuxta Villarii oppidum, confert. ex* GVICHENONII l. c. Cent. II. p. 269.

No. XLI.

Notitia Iudicati Conradi Burgundiae Regis pro Cluniacensi Monasterio. ex GVICHENON. l. c. Cent. II. p. 239.

No. XLII.

Conradi Burgundiae Regis donatio Monasterio Cluniacensi, rogatu Hugonis Comitis, pro anima Patris Rodulfi de Tussiaco facta. ex Biblioth. Cluniacens. p. 267. *repetiit* CLAVDIVS FRANCISCVS MENESTRIER Histor. Lugdun. Probat. p. 8.

No. XLIII.

Eiusdem Conradi Burgundiae Regis instauratio Monasterii Grandis vallis, vulgo Münsterthal, *Dioecesis Basileensis. ex* DACHER. Spicil. T. III. p. 375. *edit. nou.*

No. XLIV.

Conradi Regis Praeceptum pro Monasterio Montis Maioris. ex DIONYSII SAMMARTHANI Appendice Instrumentorum ad T. I. Galliae Christianae p. 103.

No. XLV.

Charta Conradi Burgundiae Regis pro Carlutto. ex MARTENE & DVRANDI veterum Scriptor. & Monument. Collect. ampliss. T. II. p. 292.

No. XLVI.

Conradus Burgundiae Rex in Waldum Calmeliacensem Abbatem beneficus. ex DIONYSII SAMMARTHANI Append. Instrument. ad T. II. Galliae Christian. p. 260.

No. XLVII.

Conradi Burgundiae Regis auspiciis fundatur Monasterium Vallis Clusae. ex MARTENE & DVRANDI Collect. ampliss. T. I. p. 330.

No. XLVIII.

Conradi Burgundiae Regis diploma pro Heldeberto Insulae Barbarae apud Lugdunenses Abbate. ex autographo habet LABOVREVR Ruderib. Insulae Barbarae *Gallice scriptis* T. I. p. 64.

No. XLIX.

No. XLIX.

Conradi Burgundiae Regis donatio Cluniacensis pro anima Adelaniae Reginae & infantium. ex GVICHENON. Bibliotheca Sebusiana Cent. I. p. 32.

No. L.

Conradi Burgundiae Regis Praeceptum de Ecclesia Sauiniacensi. ex GVICHENON. l. c. Cent. I. p. 122.

No. LI.

Conradi Burgundiae Regis donatio facta Monasterio S. Andreae Viennensi ab obitu coniugis Mathildis. ex DACHER. Spicil. T. III. p. 380

No. LII.

Conradi Regis donatio ad Ecclesiam Paterniacensem, qua mentionem facit matris Bertae, fratris Rodulfi & sororis Adelheidis. ex GVICHENON. l. c. Cent. II. p. 395.

No. LIII.

Pacta dotalia inter Regem Lotharium II. Hugonis Regis Italiae filium, & Adelheidem Rudolfi Regis Burgundiae filiam. ex Bullario Cassinensi T. II. p. 41.

No. LIV.

Burchardi Lugdunensis Archi Episcopi charta pro Monasterio Insulae Barbarae. ex MENESTRIERII l. c. p. 38. & LABOVREVR l. c. T. I. p. 67.

No. LV.

Statutum de bonis Ecclesiae non alienandis Lugdunense. ex veteri chartulario Ecclesiae Lugdunensis habet MENESTRIER. l. c. p. 3.

No. LVI.

Burchardi Lugdunensis Archi Episcopi instrumentum super electione Hugonis Abbatis Sauiniacensis. ex MABILLON. Annal. Benedict. ad A. 984. n. LII. T. IV. p. 22.

No. LVII.

Fundatio Abbatiae S. Victoris Geneuensis, qua mentio fit Burchardi Lugdunensis Archi Episcopi. ex GVICHENON. l. c. Cent. I. p. 35. & MABILLON. l. c. Append. n. XVII. T. IV. p. 694.

No. LVIII.

Schedula mortualis Burchardi Archi Episcopi, Rudolfi Regis fratris, quam ex chartulario Viennensis Ecclesiae edidit IOHANNES A

BOSCO

BOSCO in Viennae Sanctae & Senatoriae Antiquitatibus sacris & profanis, *Bibliothecae Floriacensi subiunctis*, p. 65.

No. LIX.

Rudolfus III. Burgundiae Rex ad preces Irmingardis Coniugis Prioratum Taluerienseni subiicit Monasterio Sauiniacensi. ex GVICHENON. Biblioth. Sebusiana Cent. I. p. 97.

No. LX.

Rudolfi III. Burgundiae Regis charta, e qua patet Burchardum fratrem etiam Agaunensis Ecclesiae Abbatem fuisse. ex GVICHENON. Hist. Sabaud. Libr. VI. *qui Probationes continet*, p. 3.

No. LXI.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio ad Monasterium Agaunense pro anima Patris Conradi. ex GVICHENON. Bibl. Sebus. Cent. I. p. 12.

No. LXII.

Rudolfus III. Burgundiae Rex interfuit electioni Sancti Odilonis, Maioli Successoris, Abbatis Cluniacensis. ex DACHER. Spicileg. T. III. p. 379.

No. LXIII.

Rudolfi III. Burgundiae Regis priuilegium Cluniacense. ex GVICHENON. Biblioth. Sebus. Cent. I. p. 118.

No. LXIV.

Rudolfi III. Burgundiae Transiuranae Regis diploma, quo Amizoni, Tarantasiensi Archi Episcopo, Comitatum eius vrbis tribuit. ex apographo vetusto habet MVRATOR. Antiquit. Ital. T. I. p. 415.

No. LXV.

Rudolfi III. Burgundiae Regis confirmatio donationis paternae Sancto Andreae Viennensi factae, in qua mentio fit matris Mathildis, Coniugis Agiltrudis, & fratris Burchardi, ArchiEpiscopi Lugdunensis. ex DACHERII Spicileg. T. III. p. 380.

No. LXVI.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio Monasterio S. Andreae Viennensi facta, de Ecclesia Sancti Symphoriani. ex DACHER. Spicil. T. III. p. 386.

No. LXVII.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio ad Ecclesiam Viennensem facta de curte Comminiaco. ex IOH. A BOSCO Antiquit. Viennae Sanctae etc. p. 61.

No. LXVIII.

Eiusdem alia donatio ad Ecclesiam Viennensem de Comitatu Viennensi. ex IOH. A BOSCO l. c. p. 63.

No. LXIX.

Donatio Ermengardis Reginae facta Talueriensi Monasterio a se constructo in ipsa dedicatione Ecclesiae. ex GVICHENON. Hist. Sabaud. Libr. VI. p. 3.

No. LXX.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio ad Monasterium Agaunense. ex GVICHENON. l. c. Libr. VI. p. 2.

No. LXXI.

Charta Beroldi de Saxonia, Pro Regis Arelatensis, pro Taluerienfi Monasterio. ex MARTEN. & DVRANDI Thesaur. Anecdot. T. I. p. 140.

No. LXXII.

Rudolfi Regis diploma pro Cluniacensibus ab Emma Regina impetratum. ex Bibliotheca Cluniacensi p. 410.

No. LXXIII.

Rudolfi Franciae Occidentalis Regis diploma pro Monasterio Montoliuensi in Dioecesi Ausensi. ex Histor. Occitan. T. II. docum. p. 68. BALVZII Capitular. T. II. Append. Actor. veter. p. 1536.

No. LXXIV.

Rudolfi Burgundiae Regis donatio Cluniacensibus ex agro Geneuensi facta petente Iransaida Coniuge. ex Biblioth. Cluniacens. p. 411.

No. LXXV.

Canutus Angliae & Danorum Rex Romae a Conrado II. Imp. & Rudolfo III. Burgundiae Rege impetrat pro Clericis, mercatoribus, & aliis hominibus suis Romam per terras eorum tendentibus libertatem ab omnis generis vectigalibus. ex LABBEI Concil. T. IX. p. 861.

No. LXXVI.

Notitia de obitu Rudolfi Regis & Ermengardae Reginae. ex veteri Chartario habet IOH. A BOSCO l. c. p. 67.

No. LXXVII.

Charta Ermengardis Reginae pro anima defuncti mariti Rudolfi. ex DACHERII Spicileg. T. III. p. 389.

No. LXXVIII.

Borchardi Comitis donatio facta Monasterio S. Andreae Viennensi pro salute familiae Regiae Burgundicae. ex DACHER. l. c. T. III. p. 391.

No. LXXIX.

No. LXXIX.

Rudolfi Burgundiae Regis confirmatio datorum ab Ottone Wilhelmo eiusque filio Raynaldo Comite ad Cluniacum. ex STEPHANI PERARDI Docum. Burgund. p. 177. *qui id habere ait ex autographo,* MARTEN. & DVRANDI Thes. Anecdot. T. I. p. 147.

No. LXXX.

Rudolfi Regis & Ermengardis Reginae notitia donationis villae Lemensis ad Monasterium Athanacense. ex GVICHENON. Histor. Sabaud. Libr. VI. p. 4.

No. LXXXI.

Rudolfus III. Burgundiae Rex confirmat Hugonis Vesontionensis Archi Episcopi donationem S. Benigno Diuionensi factam. ex PERARDI Document. Burgund. p. 181.

No. LXXXII.

Notitia donationis Ecclesiae Maltacenensis ad Cluniacum, testibus Rudolfo Rege & Ermengardi Regina, factae. ex GVICHENON. Histor. Sabaud. Libr. VI. p. 8. ALPHONSI DELBENE Regn. Burgund. Transiur. L. III. p. 216. & Biblioth. Cluniacens. p. 412.

No. LXXXIII.

Rudolfi III. Regis auspiciis Monasterio S. Pontii Miro & Odila, coniuges ac nobiles Nicienses, Castri Rocca quartam partem donant. ex PETRI IOFFREDI Nicaea sacris monumentis illustrata. *apud* GRAEVIVM Thesauro Antiquit. & Histor. Ital. T. XXVIII. p. 156.

No. LXXXIV.

Pro anima Conradi & Rudolfi Regum Episcopus Mauriensis donat villam Erbins Sauiniacensi Monasterio. ex GVICHENON. Biblioth. Sebusiens. Cent. I. p. 58.

No. LXXXV.

Rudolfi III. Regis auspiciis facta donatio Ecclesiae Cathedrali Niciensi. ex IOFFREDI Nicaea sacris monumentis illustrata apud GRAEVIVM l. c. T. XXVIII. p. 157.

No. LXXXVI.

Rudolfus III. Burgundiae Rex cum coniuge Ermengarda confirmat donationem a femina viro suo factam. ex PETRI FRANCISCI CHIFLETII *rarissima epistola* de Beatrice, Cabilonensi Comite, *Gallice edita.* p. 152.

No. LXXXVII.

Donatio Rudolfi III. Alemannorum Regis auſpiciis Monachis S. Pontii facta. ex IOFFREDI Nicaea &c. apud GRAEVIVM l. c. T. XXVIII. p. 158.

No. LXXXVIII.

Odonis Comitis Campanenſis epiſtola ad Robertum Regem Franciae Hugonis Capeti filium. ex DV CHESNE Scriptor. Francic. T. IV. p. 187.

No. LXXXIX.

Odonis, Campaniae Comitis, Regnum Burgundiae affectantis fundatio Eccleſiae S. Martini Sparnacenſis, Diocceſis Remenſis. ex DACHER. Spicileg. T. III. p. 391.

No. XC.

Donatio Raimbaldi Archi Epiſcopi Arelatenſis regnante Odone Alemannorum & Prouinciae Rege. ex MARTENE & DVRANDI Collect. Ampliſſ. T. I. p. 400. ſq.

No. XCI.

Notitia donationis Athauacenſi Monaſterio factae Oddone Campaniae Comite Regnum Burgundicum ſibi vindicante. ex Chartulario Athanacenſi retulit MENESTRIER Hiſtor. Lugdun. Probat. p. 7.

No. XCII.

Conuentio inter Fridericum I. Imperatorem & Bertoldum Ducem Zaringenſem de recuperando Regno Burgundico. ex MARTENE & DVRANDI l. c. T. II. p. 523.

No. I.

No. I.

Charta ſub Roadharto Comite ſcripta. Anno 768. Ex Goldaſti Script. Rer. Alemann. Tomo II. Part. I. pag. 54.

PERPETRANDVM eſt vnicuique, quod Euangelica vox admonet, dicens: date & dabitur vobis. Ego in Dei nomine Scalcomannus cogitans de animae meae remedio, vel de aeterna retributione, talis mihi decreuit voluntas, vt res meas ad aliqua venerabilia loca Sanctorum dare deberem: quod ita & feci. Dono atque trado omnes res meas, quas *ex paternico* mihi *de alode legitima* contingit, ad Monaſterium S. Gallonis, vbi eius ſacrum requieſcit corpus, qui eſt conſtructus *in pago Arbonenſe*, hoc quod dono in loca denominata, id eſt in Laimauuia & in Apſalaga, & in Entinesburugo, & in Operindoraf, & in Oboroſtindoraphe prata, & in Piparrori prata, & in Liutrates-uuilare, in his locis ſuper nominatis trado atque transfundo ad ipſum ſuperius nominatum Monaſterium, donatumque in perpetuum eſſe volo, & me ipſum ad ipſum Monaſterium ad Monachum trado, & rogo, & teſtifico coram Deo & Sanctis eius, vt nec me poſt obitum meum nullus ex ſuccedentibus Abbatibus vel Epiſcopis ad nullum vnquam hominem nullum concambium aut commutationem faciant, ſed ipſas res ipſum Monaſterium & Rectores ipſius Monaſterii perennis temporibus in ſua dominatione poſſideant. Et ſi quis vero, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut vllus de heredibus meis vel proheredibus meis, aut quislibet vlla oppoſita perſona, qui contra hanc cartulam traditionis, quam ego ſpontanea voluntate fieri rogaui, veniret, aut eam infrangere voluerit, non ſolum quod ei non liceat, ſed damnum incurrat, id eſt tantum & aliud tantum, quantum cartula iſta continet, ad ipſum ſuperius nominatum Monaſterium reſtituat, & in diſcutiente fiſco mulctam componat, id eſt auri vncias duas & argenti pondus quatuor coactus exſoluat, & qui repetit nihil euindicet, & praeſens cartula iſta omni tempore firma & ſtabilis permaneat cum omni ſtipulatione ſubnexa.

Actum *Laimaugauuilare*, in quo cartula iſta ſcripta eſt, quod fecit menſis Martius dies XV. in Anno primi Regni Carlomanni Regis, ſub *ROADHARTO Comite.*

✝ Signum *Scalcomanni*, qui hanc cartulam traditionis fieri rogauit.

✝ Signum Taltoni patris eius.

✝ Signum Vuclimanni fratris eius.

✠ Signum Fateri fratris eius.
✠ Signum Selparati fratris eius.
✠ Signum Takarichi.
✠ Signum Huodelrich.
✠ Signum Lantulfi.
✠ Signum Vssoni
✠ Signum Bossonis.
✠ Signum Gramanni.
Ego Moathelmus Clericus scripsi & subscripsi.

No. II.

Placitum Pipini Regis Compendiense, cui assedit *Rothardus*. Anno 759. Ex Mabillon. Rei Dipl. Lib. VI. Cap. 44.

PIPPINVS Rex Francorum vir inluster. Venientes Agentes Sancti Dionysio & Follerado Abbate Aderulfus & Rodegarius Compendio palacio sub die decimo Kalendas Nouembris, Anno octauo Regni nostri, vbi nos ad vniuersas causas audiendas, & recta iudicia determinandum resederemus, vbi visi sunt interpellasse Gerardum Comitem, eo quod malo ordine recontendebat & retinebat telones infra Parisiis ex nauibus, & pontis volutaticos ac rotaticos, quem ab ipsa die missa Sancto Dionysio semper ab antiquo accipiebant Agentes Sancti Domni Dionysio. Vnde praedictus Gerardus Comes dedit in responsis, quod ipsum teloneum aliter non contendebat, nisi quomodo antecessores illius, qui Comites fuerant ante illum, id ipsum ad suam partem retinebant. Supra dicti autem Agentes Sancti Dionysii ita contra eum intendebant & ostendebant praeceptum Dagoberti Regis, qualiter ipsum mercatum stabilisset in ipso pago, & postea ipsum cum omnes teloneos ad partem Sancti Dionysii delegasset ac firmasset. Et ipse Domnus Rex Pippinus adfirmabat, quod semper a sua infantia ipsos teloneos partibus Sancti Dionysii habere & colligere vidisset. Sed Gerhardus Comes hoc nullo modo consentiebat. Et tunc talem Placitum statuerunt, vt iterum simul ad noctes legitimas concurrerent in eodem palatio, & ante iam dictum Domnum Pippinum ipsam intentionem deffinire debuissent, sicut lex edicebat. Denique venientes iam dicti Missi & Aduocati Sancti Dionysii Adrulfus & Rotgarius ad condictum Placitum quarto Kalendas Nouembris; tales testes ibi praesentauerunt, qui ipsos teloneos in Parisius acceperunt cum omni eorum integritate ad partem Sancti Dionysii.

Tunc

Tunc illis iudicatum fuit a Widone, Raulcone, Milone, Helmengaudo, *ROTHARDO*, Gislehario, vel reliquis quam plures, seu & Wicberto Comite Palatii nostro, vt pars Sancti Dionysii, vel supra dicti Aduocati hoc comprobare debuissent, quod & de praesente visi sunt fecisse. Praedictus namque Gerardus Comes ita dedit in responsis, quod aliter non volebat facere, nisi quomodo lex erat, & Domno Rege placebat, ac suis fidelibus, qui ibi residebant. Vnde & ipse Gerardus ex praedictos teloneos se exitum dixit coram eis. Quapropter tunc illis oportunum fuit & necessarium, talem notitiam ex hoc facto accipere debuissent, vt ab hodierno tempore & die pars Sancti Dionysii vel agentes ipsius de ipsos teloneos securi & quieti residere valerent, vt sit inter ipsos in postmodum omni tempore quieta & subita causatio.

Signum ✠ gloriosissimo Domno Pippino Rege.

Eius iussu recognouit & subscripsit - - -

Datum tertio Kalendas Nouembris Anno supra scripto in Dei nomine feliciter.

No. III.

Charta venditionis a Chrodardo Comite Fulrado Abbati facta. Anno 765. Ex Mabillon. Rei Diplom. Lib. VI. Cap. 45.

...... FRATRI *FOLRADO* Abbate emtore ego *CHRODARDVS Comes* venditor. Quae contra actus sola ..... porcione & rei ipsius tradicione consistat ac tabularum aliorumque documentorum ad hoc tantum interponatur instructio, vt fidei rei factae & iuris ratio comprobatur. Idcirco vindetur, vindedisse me tibi constat, & ita vindedi in Ducato Alamannorum in pago Brisagauiensis, quem dato precio comparaui, aut colibet modo adtraxi & promptissima voluntate vobis firmamus, hoc est in fine vel in marcas Binubhaime sibi Romaninchoua, & in alia loca in Tontarinchoua in Gotones-vilare in Walaspah, in Haoltingas, & Agimotingas, in Binushaim, in Eppalinchoua, in ipsas locas denominatas, id est cum terris seu proterrariis, domibus, aedificiis, mancipiis, vineis, siluis, casis, casalis, campis, pratis, pascuis, peculis, apenticiis, farinariis, aquis, aquarumue, decursibus, sexus vtriusque maiore vel minore, mobilibus & immobilibus cum omni adiacentia ad ipsas res pertenente aut vndecumque locas mihi obtinuit, tam de comparato, seo de conquaesto, vel de concamiato, quantum in ipsas locas superius denominatos visus sum habere totum & ad integrum a die praesente de

meo

meo iure in vestra trado dominatione, atque transfundo perpetualiter possedendum. Vnde accepimus a te in precium, sicut inter nos placuit atque conuinit, solidus probus apensates numerum quinque milia: ea vero conditione, vt ab hac die ipsas res superius denominatas habeas, teneas, atque possedeas, vindas, conmutas, & tuis quoque posteris ad possedendum derelinquas; vel quicquid exinde facere volueris liberam ac firmissimam in Dei nomine in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero, quod fieri non credimus, si forte nos ipsi aut heredes nostri aut vlla oposita extranea persona, vel quaecumque contra hanc donacionem seo & vindicionem a nobis factam, sicut superius dictum est, venire temptauerit, aut aliquam calumniam facere, aut ipsam vindicionem inrumpere voluerit, tunc inferat tibi aut tuisque heredibus duplum tantum quantum haec vindicio in se continet superscriptum, & insuper inferat partibus fisco auri libras X. argentum pondus XII. coactus exsoluat, & quod repetit euindicare non valeat, sed praesens haec vindicio circa te vel heredes tuos omni tempore firma & stabilis permaneat stipulatione subnexa.

Actum in villa quae dicitur Marleia puplici.

Dato XVI. Kal. Aug. Anno XIII. Regni Domni gloriosissimo Pippino Regis. *Subscriptiones corrasae sunt.*

No. IV.

Charta Caroli Regis, memorans venditionem illam. Anno 790. Ex Mabillon. Rei Diplom. Lib. VI. Cap. 56.

CAROLVS gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum. Notum esse vniuersis nostris credimus fidelibus, qualiter tempore genitoris nostri bonae memoriae Pippini quondam Regis, seu & auunculi nostri *CARLOMANNI*, res aliquae in Ducatu Alamanniae fisci ditionibus redactae fuerunt, quas modo diuersi homines quasi iure proprio possidebant iniuste, & aliqui exinde iam per venditiones, donationes, seu diuersos quoslibet modos habebant dispersas: ex quibus *HRODHARDVS* Comes quondam ab Hunnido seu ab aliis hominibus per cartas vinditionis exinde res aliquas visus fuit comparasse, quae ponuntur in pago Brisigauia, in loca nuncupantes Binuzhaim, siue & Romaningahoba, vel in certis locis, cum eorum adiacenciis & appendiciis, quae partibus Sancti Dionysii Martyris, vbi eius preciosum corpus requiescit, inlicito ordine visus fuit vendidisse, vel delegasse: vnde Mainarius Abba per suos wadios legibus nobis visus est reuestisse.

uestisse. Sed nobis considerantibus ob amorem Dei & reuerentiam Sancti Dionysii, pro mercedis augmentum & animae nostrae remedium, seu stabilitatem Regni nostri, deinceps per nostrum praeceptum praefatas res ad ipsa casa Dei prumptissimo animo & voluntate benigna concedere ac delegare decreuimus. Propterea hoc nostrae firmitatis praeceptum iussimus conscribi, vt memoratas res cum omni integritate, cum terris, domibus, aedificiis, mancipiis, vineis, siluis, vel cunctis ibidem adiacenciis vel appendiciis in quibuslibet locis, sicut antea ipsa casa Dei visa fuit possedere, ita & deinceps per nostrum praeceptum plenius in Dei nomine confirmatum, & ab hac die praefatae Basilicae Sancti Dionysii habeat, teneat atque possedeat, & in nostra aelemosyna ibidem omni tempore in augmentis proficere. Et vt haec auctoritas firmior habeatur, vel per tempora melius conseruetur, manu propria firmauimus, & de anulo nostro sigillare iussimus.

Signum *CAROLI* gloriosissimi Regis.

Erkmbaldus de vicem Radonis subscripsi.

Data pridie Kal. Septemb. Anno XXII. Regni Domni nostri Caroli excellentissimi Regis.

Actum *Copsistaino* in Dei nomine feliciter.

No. V.

Diploma Ludouici Pii, quo suggestu Coniugis Iudithae Turonensibus priuilegia confirmat. Anno 831.

Ex Cointii Annal. Eccles. Francorum ad dictum Annum N. XIV.

In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. *LVDOVICVS* diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Si locis Deo dicatis quiddam honoris conferimus, & Deo in eis famulantium pacis & tranquillitatis curam gerimus, ac ad Ministerium suum liberius exequendum opem ferimus, hoc nobis procul dubio ad statum Regni terreni corroborandum, & ad aeternae vitae beatitudinem capessendam profuturum esse credimus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae & nostris, praesentibus scilicet & futuris, quia ad petitionem Fratrum in Monasterio Sancti Martini Confessoris Christi atque Pontificis Deo fideliter deseruientium, dilecta Coniux nostra Iudith Augusta nobis suggessit, per Priuilegium Patris nostri Domni Caroli piae recordationis Imperatoris Serenissimi, seu cetera Regalia, nec non etiam Apostolica Priuilegia, quomodo idem Monasterium a dominatione Episcopi Turonicae vrbis liberum nunc vsque erat, qualiterque procul dubio licentiam habuerit eligendi ex se ipso Abbatem dignissimum, petiit

culmen Dignitatis nostrae, vt propter honorem & amorem Domini nostri Iesu Christi, & ob reuerentiam Beati Martini Pontificis, Patroni nostri peculiaris, eadem nostra authoritate Imperiali firmare dignaremur. Nos quoque eiusdem dilectae Coniugis nostrae Iudith salubri suggestione commoti, simul & oratu atque interuentu venerabilium nostrorum ad hoc perficiendum commoniti, hanc nostrae authoritatis confirmationem memorato Monasterio atque Fratribus in eodem Deo deseruientibus conscripsimus, ac dare decreuimus, per quam constituimus ac perenniter firmum fore decernimus, vt in supra fato Monasterio, siue Fratribus, praesens Episcopus Turonicae vrbis non plus dominari praesumat, aut licentiam dominandi habeat, vel aliquid certe non introducat, aut in vicis vel villis mansionaticos accipiat, seu quicunque vrbis eiusdem successor extiterit, quam praedecessores sui, tempore eiusdem genitoris nostri Domni *CAROLI*, siue aui nostri gloriosissimi Regis, fecerunt, sed sub ipso eodemque modo charitatis siue dilectionis cum iam memoratis Fratribus in Deo viuat absque qualibet nouitatis molestia. Similiter sine dubio statuimus, atque perpetuo firmissimum esse volumus, vt memorati Monasterii Fratres licentiam habeant de se ipsis eligendi Abbatem, qui eis praeesse & prodesse possit in omni morum honestate & Scripturarum eruditione, ea tantum conditione praemissa, vt quandiu Fredegisus Abba, cuius ex consultu actum est, vt hanc confirmationem fieri statuerimus, vixerit, memoratum Monasterium nullum praeiudicium aut inquietudinem de quibuslibet causis patiatur: post illius vero decessum memorati Fratres habeant facultatem eligendi de ipsis Abbatem, quem optimum & nobilitate generis & probitate morum & in Scripturis eruditum iudicauerint: &, si talis inibi, quod non optamus, reperiri non poterit, tunc Imperiali potestati id reseruandum statuimus. Monemus quoque omnes, qui nobis in Imperio a Deo nobis commisso successuri sunt, vt sicut illorum statuta a Successoribus suis conseruari velint, ita in omnibus hanc nostram Constitutionem perpetuis temporibus conseruare studeant, ad illorum & nostram communem salutem. Et vt haec nostrae authoritatis Praeceptio & Constitutio Priuilegii firmior habeatur, & per futura tempora melius conseruetur, manu propria eam subscripsimus, & annulo nostro subter sigillari iussimus.

Signum *LVDOVICI* Serenissimi Imperatoris.

Hirminarius Notarius ad vicem Fridugisi recognouit.

Data II. Non. Nouembris, Anno Christo propitio XVIII. Imperii Domni Ludouici Piissimi Augusti, Indictione X.

Actum Theodonis villa Palatio Regio in Dei Nomine feliciter Amen.

No. VI.

No. VI.

Charta donationis Ludouici Pii, ad ſuggeſtionem Iudithae Coniugis facta. Anno 831.

Ex Labbei Miſcellan. Curioſ. Cap. VI. §. 6.

Dilecta *Coniux* noſtra *IVDITH* Auguſta ſuggeſſit nobis, vt quandum villam noſtram, nomine Cambonem, quae eſt in pago Bleſenſi vel Dunenſi, Monaſterio Sancti Martini, quod eſt conſtructum in pago Turonico ſuper ripam Ligeris, & vocatur Maior Monaſterium, in quo idem ipſe praeclariſſimus Confeſſor Chriſti regulariter cum turma Monachorum Domino militauit, &c. Vbi praeſenti tempore Venerabilis Theoto Abbas Deo ſeruientis Congregationis Pater & Rector eſſe dignoſcitur, &c.

Signum Ludouici Sereniſſimi Imperatoris.

Hirminarius Notarius ad vicem Theotonis recognoui.

Data XIII. Kalend. Decembr. Anno Chriſto propitio, XIX. Imperii Domni Ludouici Piiſſimi Auguſti, Indict. X.

Actum Caduppauilla, in Dei nomine feliciter. Amen.

No. VII.

Charta memorans donationem a Iuditha Imperatrice factam. Anno 930. Ex Edm. Martene & Vrſ. Durandi Theſaur. Anecdotorum Tom. I. pag. 67.

In nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Nos enim Fratres praeclariſſimi Confeſſoris Chriſti B. Martini poſt Apoſtolos praecipui, Bernerius ſcilicet Decanus atque Firmannus Aedituus praecognitum atque manifeſtum eſſe volumus ſucceſſoribus noſtris, aliisque omnibus Confratribus, quoniam expetiit nos egregius & venerabilis Domnus *HVGO Abbas* & *Senior noſter*, quatenus villam, *Montis* nomine, quam quondam glorioſa *Imperatrix IVDITH* ex propria dote ſua nobis pro remedio animae ſuae ad quotidianos vſus delegauit, pro cuius abſolutione animae quotidie in feſtis diebus tres pſalmos, videlicet, Deus miſereatur noſtri, & Inclina, Domine, aurem tuam, atque De profundis decantamus; quamque poſtmodum Reges & Apoſtolici per praecepta & priuilegia nobis aeternaliter habendam confirmauerunt, glorioſae Reginae, Domnae *IMMAE*, Domni *ROBERTI Regis filiae, ſorori ſuae*, per noſtrae auctoritatis teſtamentum diebus tantum vitae ipſius ſub annuali cenſuum inſtitutione concederemus: cuius petitionis imperium

ſpernere nolentes, conſiderantes tantae Reginae bonitatem, atque dapſilitatis erga noſtrum profectum exhibitionem, conceſſimus ei per conſenſum Fratrum, & praefati Senioris noſtri Domni *HVGONIS* praetitulatam cortem noſtram, noſtrae propriae ditioni & vſibus ſubiectam, Montem nomine, ſitam in pago Melidunenſe, cum Eccleſiis VII. domibus, aedificiis, vineis, ſiluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, farinariis, mobilibus, cum omnibus ſupra poſitis, & mancipiis vtriusque ſexus deſuper commanentibus, vel ad ipſam cortem pertinentibus, ſuisque omnibus aliis appenditiis, vel adiacentiis, & quidquid ad ipſum praedium adſpicit vel pertinere videtur, cultum & incultum, quaeſitum & ad inquirendum, totum & ad integrum, de iure noſtro in poteſtatem praeſcriptae Domnae Immae Reginae tradimus atque transfundimus ad poſſidendum: eo ſiquidem tenore, vt promtiſſima voluntate ex omnibus praeſcriptis rebus ſtudeat reddere annis ſingulis nobis vel ſucceſſoribus noſtris in vſus Fratrum *in die obitus praedictae Imperatricis, qui euenit XIIII. CALENDAS MAII,* aut in miſſa Sancti Martini, cenſum nobis ſolidorum XXX. & Archiclauo S. Martini in vſus luminum ſolidos X. & ſic, quamdiu aduixerit, quieto illam ordine teneat atque poſſideat. Poſt ſuum quoque digreſſum cum omni emelioratione, ſine alicuius expectata conſignatione, in eius dominio eſſe deſinat, & dominium integerrime reuocetur Fratrum. Vt autem huius noſtrae auctoritatis teſtamentum a nobis certius factum eſſe credatur, & a ſucceſſoribus noſtris inuiolabile conſeruetur, manibus propriis Domnum *HVGONEM* Abbatem noſtrum ſub ſigno Sanctae Crucis ipſum firmantem vidimus, noſtrisque manibus ſubſcripſimus, & Fratres noſtros ſubſcribere rogauimus.

No. VIII.

Diploma Caroli Calui, quo dies obitus Iudithae matris manifeſtatur. Anno 846. Ex Baluzii Capitularium Tomo II. Append. Actor. vet. p. 1492.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *KAROLVS* gratia Dei Rex. Si Eccleſiarum negotiis conſulendo, eorum ſtatum ad emendationem ob Chriſti amorem deducimus, ab ipſo non dubitamus accipere retributionem, pro cuius haec peragimus honore. Nouerit itaque omnium Sanctae Dei Eccleſiae fidelium noſtrorumque ad praeſens & ſubſecutura ſagacitas, quoniam Engeluuinus venerabilis Sanctae Eccleſiae Pariſienſis Antiſtes ad noſtrae humiliter accedens ſublimitatis manſuetudinem deprecatus eſt, vt ob noſtrae mercedis, Coniugisque Reginae noſtrae Richeldis, ac virginis intemeratae genitricis Dei Mariae emolumentum Abba-

 tiam

riam Sancti Eligii in poteſtate Eccleſiae ſibi creditae ſitam, eique iure beneficiario noſtra munificentia conceſſam, iam dictae Eccleſiae genitricis Dei Sanctae Mariae, ſibique, & poſt ſe Dei nutu futuris Paſtoribus in poteſtatem & ius Eccleſiaſticum habendum concederemus, & concedendo inpraeuaricabili noſtrae auctoritatis praecepto confirmaremus. Cuius petitionibus conceſſimus libentius, quo noſtrae vtilitati profuturum perſpeximus amplius, & ob Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſuaeque matris, virginis Mariae, amorem, atque ob vtrarum Eccleſiarum olim a paganis deuaſtatarum inuicem emeliorationem, & vtiliſſime nobis in ſalutem populi Chriſtiani a genitrice virgine prolis attributionem, hoc noſtrae priuilegitatis praeceptum fieri & ſigillari iuſſimus, per quod ſupra dictam Abbatiam cum omni ſuarum integritate rerum iam dictae Eccleſiae praeſenti futurisque Paſtoribus delegando perpetualiter ad habendum concedimus, & concedendo inuiolabiliter manere decernimus, atque de noſtro iure in ius ac dominationem Dominae meae, genetricis Dei mei Mariae, ſollemni more transferimus, taliter vt quicquid exinde ſtatutus a Deo Praeſul ſecundum Dei ſuamque voluntatem facere voluerit, quemadmodum ex aliis ſibi creditis Eccleſiaſticis rebus, Canonico in faciendo potiatur arbitrio. Eo ſiquidem pacto, vt *diem depoſitionis* Patris noſtri praecellentiſſimi Imperatoris Ludouici, quod eſt XII. Kal. Maii, & *Matris noſtrae glorioſiſſimae Imperatricis Iudith, quod eſt XIII. Kal. Aprilis*, diem quoque natiuitatis noſtrae Idibus Iunii, nec non & diem a Deo nobis conceſſae vnctionis, qui poſt obitum in diem ipſum in celebrando transfundetur, natiuitatem praeterea amabiliſſimae Coniugis noſtrae Richeldis Reginae Kalendis Auguſti, & copulam ſecundum Dei voluntatem noſtrae coniunctionis, inſuper & ortum prolis noſtrae, ſi a foecunda virgine impetrando data fuerit, ſub continua orationum Miſſarumque aſſiduitate cum omni Clero ſibi commiſſo praeſens futurusque Antiſtes celebret, & refectio in vtraque congregatione in die ortus prolis noſtrae, ſi, vt diximus, a genitrice Dei data fuerit, ſtudioſiſſime peragatur. De cetero vero, pro hac vtriusque Eccleſiae maiorata emendatione, omnis Praeſul pro nobis, Coniuge, & prole, Regnique ſtatu, Dei miſericordiam exorare indeſinenter accedat. Vt autem huius noſtrae piiſſimae largitionis auctoritas potiorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem, de Bulla noſtra inſigniri iuſſimus, & manu propria eam ſubter firmauimus.

Signum *KAROLI* glorioſiſſimi Regis.

Adalgarius Notarius ad vicem .... recognouit.

Datum IV. Idus Maii Indictione IV. Anno VI. regnante Karolo glorioſiſſimo Rege.

Actum Siluagio Palatio in Dei nomine feliciter Amen.

No. IX.

Diploma Caroli Calui ad preces Rudolfi auunculi, Centulensis Coenobii Rectoris, Monachis Sancti Richarii datum. Anno 856. Ex Chron. Centul. L. III. C. 9. ap. Dacher. T. II. p. 316.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. Carolus gratia Dei Rex. Si seruorum Dei iustis & rationabilibus petitionibus benignitatis nostrae assensum praebemus, Regiae celsitudinis opera frequentamus, ac per hoc facilius nos aeternae beatitudinis gloriam adepturos liquido confidimus. Quocirca nouerit omnium Sanctae Dei Ecclesiae fidelium atque nostrorum, tam praesentium, quam futurorum solertia, quia voluntate & licentia dilecti *Auunculi nostri HRVODVLFI*, Rectoris Centulensis Sacri Coenobii, Monachi ex eodem Monasterio, praeclarissimi scilicet Confessoris Christi Richarii, culminis nostri adeuntes Serenitatem, obtulerunt praecellentiae nostrae gloriosae memoriae Domini & genitoris nostri Caesaris Augusti Hludouici auctoritatem, qua continetur, qualiter idem Dominus & genitor noster quasdam villas ex eadem Sancti Richarii Abbatia vsibus & stipendiis eorundem Monachorum constitutas eis concesserit, atque vt nullius quandoque Abbatis vel cuiuscumque personae minoratione illis subtrahantur, imperiali praeceptione pleniter confirmauerit. Ac proinde orauerunt iidem Monachi magnitudinem nostram, vt eandem Domini genitoris nostri imperialem auctoritatem nos denuo reconfirmare vel renouare dignaremur per praecellentiae nostrae rescriptionem. Quorum denique preces diuino nutu tacti, & deprecatione praefati *Auunculi nostri HRVODOLFI* Abbatis, clementer audiuimus, & ita illis in omnibus concessisse cunctis notum esse volumus. Quin etiam reuerentiae nostrae scriptum hoc speciali conditione fieri iussimus, per quod memoratas villas, hoc est Ciuini curtem cum Broniolo, & Arcouillare, Hardulfi curtem, Valles Drusciacum cum Ecclesia Cardordense & appendiciis suis, Nouam villam, Montem Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crucem, Langoratum, Alteiam, quae Abbatisam vocatur, Verculsum, Concilium cum manso in Vertunno, quem Teutdradus pro quodam Concambio Sancto Richario dedit; Niallam cum Mansionile Filcariis, Roconis montem cum seticis & terris in Masflariis, Sacrocampo, & Petronutio consistentibus: nec non etiam & Sidrudem cum omnium rerum plenitudine. Insuper & hoc quod quidam homo, nomine Ragenbertus, iure beneficiario quodam tenuit

pro

pro commutatione Foreſtenſis Cellulae, quam hactenus per auctoritatem praecepti noſtri habentes tenuerunt, ſecundum oportunitatem, eorumque petitionem, atque conſenſum iam dicti *Auunculi noſtri HRVODVLFI:* id eſt, Argubium cum appenditiis ſuis, Longum ſuperiorem, Spaniam, Hadardi villarem, Habacurtem, & in Hambaica villa Eccleſiam vnam, cum manſis duobus, Manſionilem vnum, qui dicitur Ponticulis, & in Buxide manſum vnum cum ſua integritate, & quidquid ad iſta aucta vel commutata, ſupra dictaque loca praeſenti tempore iuſte & legaliter aſpicere videtur, ſicut a Domno & genitore noſtro ſtatutum eſt, vſibus & ſtipendiis Monachorum in praefato loco Chriſto famulantium concedimus atque firmamus, videlicet, vt nulli vnquam liceat ab eorum dominio ex eisdem villis aliquid abſtrahere, aut minuere, aut in alios vſus conuertere, nec paratas, aut *lidimonium*, aut *hoſtilicium*, aut alias quaslibet redhibitiones praeſumat vllo modo exigere; ſed ſicut dictum eſt, eo modo atque tenore, quo a piiſſimo Imperatore genitore noſtro ſtatutum eſt, ita noſtris & futuris temporibus ſecure illas teneant, & quiete poſſideant. Quatenus eosdem Dei ſeruos, in praemiſſo Monaſterio Domino militantes, pro ſalute eiusdem genitoris noſtri, & felicitate noſtra, & Coniugis, proleque, ſiue ſtabilitate Regni noſtri, inceſſanter piiſſimi Iudicis miſericordiam implorare delectet. Et vt haec auctoritas per futura tempora inuiolabilem & inconuulſam obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmauimus, & annuli noſtri impreſſione aſſignari iuſſimus.

Signum *KAROLI* glorioſiſſimi Regis.

Aeneas Notarius ad vicem Hludouici recognoui & ſubſcripſi.

Data II. Kal. Martii, Indict. III. Anno XVI. Regni Karoli glorioſiſſimi Regis.

Actum in Germiniaco Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

No. X.

Fratrum Coenobii Sancti Richarii epiſtola, qua vicinis Coenobiis dies obitus Rudolfi Comitis & Abbatis eorum ſignificatur. Anno 866. Ex Chron. Centul. L. III. C. 9.

FRATRES Coenobii Sancti Richarii glorioſae memoriae omnibus Chriſti militibus. Petimus obnixe paternitatem veſtram pro noſtris fraterne geri defunctis, & veſtrorum aeque dirigi vocabula mor-

mortuorum, diemque aduentus praesentis cursoris ad vos venientis per monimenta Kalendarum significari, ne fallaciae suae praestigiis nobis possit mentiri. Officio vero Abbatico, seu Praepositurae, vna cum Decania, qui fungi videntur, pariter intimare sciat. Obiit itaque apud nos Domnus *HRVODOLFVS Comes, Abbasque* simul *noster VIII. Idus Ianuarii.* Ideoque quatenus pro eo decertetis apud Dominum, vt & vos mercedem habeatis, & ille in congregatione iustorum aggregetur, vestris suffultus sanctissimis opitulationibus. Statuimusque, iustum esse, vt, quem Patrem habuimus piissimum, dulci filiorum amore pro eo pium Dominum incessanter rogemus.

No. XI.

Roberti Ducis, postea Regis, charta, regnante fratre Odone in Francia, Monasterio S. Martini Turonensis data, qua Maiores suos nominatim appellat, Anno 897. ex Pancarta Nigra Turonensi a Buccetio Genealog. Franc. p. 310. inter Probationes in scenam producta & valde interpolata.

EGO in nomine summi Saluatoris *ROBERTVS*, misericordia Dei Comes & Abbas inclytae Congregationis Beati Martini, notum fieri volumus. Igitur pro amore Dei omnipotentis, & eximii Confessoris sui Martini reuerentia, reddimus Domino nostro Sancto Martino suisque Canonicis quoddam praedium, situm in pago Pictauensi, Dociacum scilicet, cum omnibus suis appendiciis. In qua mercede gloriosum & a Deo electum Regem, Dominum & Seniorem ac *germanum nostrum*, *ODONEM* participem volumus adesse. Insuper etiam eiusdem muneris beneficio simul consortem volumus esse Dominum *genitorem nostrum ROBERTVM*, gloriosum dum vixit in terris Comitem, & eiusdem loci Abbatem, [*Adelaidem* quoque *genitricem* nostram, & *Robertum* Comitem, *auum nostrum*] quatenus pietate praedicti patroni *subuentus* perfrui mereatur sempiterna gloria.

Data VI. Kal. Aprilis in die Sanctissimae Paschae, Turonis coram corpus Beatissimi. Anno VIII. Regnante Domno Odone R.

Arcanaldus Leuita, Scolae S. Martini Secundicerius.

No. XII.

No. XII.

Epiſcoporum iuſſu Caroli Calui in Vermerienſi Palatio congregatorum dehortatoria ad Conradum Seniorem epiſtola, ne Monaſterio Lebrahaënſi in Alſatia auaras manus iniiciat. Anno 853. Ex Labbei Concil. T. VIII. p. 100.

CVONRADO Inclyto & Nobiliſſimo Viro (*) praeſentem & aeternam optamus in omnium Saluatore ſalutem.

CVM inter cetera Eccleſiaſtica negotia de ordinabili diſpoſitione Monaſterii Sancti Dionyſii diſponeremus, venerunt Monachi ipſius Sacri Coenobii in praeſentiam venerandae Synodi, deferentes auctoritates, videlicet teſtamentum, quod ſanctae recordationis Abbas *Fulradus* de Monaſterio *Lebraha*, vbi Sanctus Alexander Martyr quieſcit humatus, & de Cella, quae ad Sanctum Hippolytum nominatur, ſeu de rebus aliis, quas per idem teſtamentum isdem venerabilis Abbas Sancto Dionyſio contulerat, nec non & priuilegium, quod exinde Sancta Sedes Apoſtolica per Beatum Stephanum Papam eidem Monaſterio ſuper praefato teſtamento fecerat, dicentes, quod venerabilis Abbas illorum, Domnus *Hludouicus*, (**) ex praecepto glorioſi Regis Domni noſtri *Caroli*, eos conſuluiſſet, ac conſenſum eorum quaeſiſſet, quatenus praeſcriptum Monaſterium vobis in precariam, acceptis rebus veſtra traditione ad eamdem caſam Dei delegandis, conceſſiſſet: quod conſentire ſine conſultu ſui Epiſcopi atque Archi Epiſcopi, imo ſacrae Synodi, non auderent. Quam cauſam ſubtiliter inueſtigantes, & ad liquidum cognoſcentes, diffiniuimus iuxta ſacram & diuinam auctoritatem, atque ſecundum teſtamentum praefati piae recordationis *Fulradi*, nec non & ſecundum decretum Apoſtolicae Sedis, nullo vnquam tempore iam dictum Monaſterium Sancti Alexandri, cum rebus ſibi pertinentibus, a maiore Monaſterio Sancti Dionyſii quocumque ingenio diuellendum, nec beneficiario neque precario iure diſtrahendum. Subiunxerunt etiam iidem Monachi, quod veſtra commendatione ac iuſſione, imo etiam actione, idem

*) *Idem, qui primo loco inter Proceres numeratur Tit. XXVI. Capitul. & a Walafrido Strabo NOBILITATIS APEX dicitur in carmine ad Conradum Comitem. Quo fit, vt de Conrado coniicere liceat, Iudith Reginae fratre, de qua qui ſcribunt, Welfonis nobiliſſimi Comitis filiam tradunt fuiſſe.* Nota Iacobi Sirmondi p. 1945.

**) De hoc loquuntur Annales Bertiniani ad Annum 867. quod miror non vidiſſe vel legiſſe Sirmondum, vel alium: *Hludouicus Abbas Monaſterii Sancti Dionyſii, & nepos Caroli Imperatoris ex filia maiore natu Rotrude, V. Idus Ianuarii obiit, & Carolus Rex Abbatiam ipſius Monaſterii ſibi retinuit &c.* Ergo Rotrudis nupta fuit; ſed neſcitur cui?

idem Monasterium cum rebus ipsi subditis in vestram ditionem redactum & assumptum; quin etiam vsurpatum habuissetis. Quod quam absurdum & contra legem atque iustitiam sit, si tamen ita se res habet, ipsi etiam peruidetis. Vnde Vestram paterna & caritatiua, seu auctoritatiua, cum interpositione diuini nominis & Episcopalis auctoritatis, Nobilitatem hortamur & obtestamur, vt hoc nullatenus agere vlterius attentetis, sed &, si molitum est, ab huiusmodi molitione Vos vestrosque compescatis: quia & contra Deum, & contra omnem auctoritatem, contraque vestram salutem esse dignoscitur. Sciatis etiam, qui Domnum & Seniorem nostrum, Regem gloriosissimum *Carolum*, & humili suggestione, & diuina auctoritate obsecrauimus, praefatoque venerabili Abbati & Monachis suis praecepimus, vt in hoc nulli assensum praebeant, quoniam nec Vobis, nec cuiquam fidelium expedit talia postulare. Valete, Vir Nobilissime, & admodum nobis in Christo carissime!

No. XIII.

Charta manumissionis regnante Ludouico Germanico signata per *Wolfardum* Comitem, Missum Regium, sub Conrado Duce nobilissimo. Anno 856. Ex Goldast. Scriptor. Aleman. T III. p. 54.

AVCTORITAS Ecclesiastica patenter ammonet, insuper & potestas regia Canonica religioni adsensum praebet, vt quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promouere Ecclesia quaeque elegerit, in praesentia Sacerdotum Canonicorum, simul & Nobilium Laicorum, & eius, cui subiectus est, manumissione sub libertatis testamento solemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine *Engildruda* quondam ancilla Dei, cum manu Aduocati mei Richolfi, quendam meum famulum, nomine Sigimarum, sacris ordinibus dignum, in praesentia nobilium virorum, liberum ab omni vinculo seruitutis dimitto. Cui Romanae per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita vt ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque securus permaneat, tanquam si ab origine fuisset parentibus procreatus vel natus: eandem pergat partem quamcunque volens Canonice elegerit, habensque portas apertas, ita vt deinceps nec mihi, nec successoribus meis vllum debeat noxiae conditionis seruitium, neque aliquod libertatis obsequium, sed omnibus diebus vitae suae sub certa ingenuitate sicut alii ciues Romani, per hunc manumissionis aut ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat, suumque peculiare, quod habet, aut quod adhuc adquiri poterit, faciat

faciat inde secundum canonicam libertatem, quicquid voluerit. Et vt haec testamenti ac ingenuitatis auctoritas inuiolabilem obtineat firmitatem, Ego Engiltruda, & Richolf Aduocatus meus, amborum manibus subter firmauimus. Sacerdotes quoque ita nominati manus suas in praesentem ingenuitatis chartulam miserunt, Pero, Adalman, Hiltiger, Rodpot, Baldolt, Rantolf.

Actum in villa, *Hostrahun* nuncupata, in praesentia Salomonis & Reginolfi, Missis Domini Ludouici Regis.

Signum Hiltibaldi Missi *Honorati* Comitis.

✠ Signum Ockis. ✠ Signum Liutprecht. ✠ Signum Hadpert. ✠ Signum Liutram. ✠ Signum Oro. ✠ Signum Adeicoz. ✠ Signum Ruadmunt. ✠ Signum Wilihelmi. ✠ Signum Dioterich. ✠ Signum Reginolt. ✠ Signum Rathelm. ✠ Signum Pitro. ✠ Signum Hemmo. ✠ Signum Liutpold. ✠ Signum Adalhelm. ✠ Signum Walfart. ✠ Signum Ellinbold. ✠ Signum Egibrecht. ✠ Signum Fromant. ✠ Signum Henno. ✠ Signum Nordeloh. ✠ Signum Sigmar. ✠ Signum Warmunt. ✠ Signum Eferich. ✠ Signum Danker. ✠ Signum Ruodhart. ✠ Signum Subo. ✠ Signum *Wolfhart*. ✠ Signum Ratpert. ✠ Signum Altebrot.

Ego itaque Wato Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notaui diem Iouis in VIII. Id. Octobr. regnante Domino Hludowico, Rege Alemannorum & Peioariorum.

Sub *Chunrato Duce Nobilissimo* feliciter, Amen.

No. XIV.

Ludouici Balbi diploma pro Centulensi Monasterio, quo Welfonem Abbatem suum vocat consanguineum. Anno 877. Ex Chron. Centul. ap. Dacher. Spicil. T. II. p. 318.

In nomine Domini Dei aeterni, & Saluatoris nostri Iesu Christi. *HLVDOVICVS* misericordia Dei Rex. Notum sit omnibus Sanctae Dei Ecclesiae Fidelibus, & nostris, praesentibus scilicet atque futuris, quoniam *GVELFO*, Venerabilis Abbas, & *consanguineus noster* carissimus, ad nostram accedens Serenitatem, precatus est, vt propter hospitum oppressionem facere iuberemus praeceptum nostrae auctoritatis, ex villa Fratrum Sancti Richarii, nomine Ciuino curte, quatenus

 nemo

nemo ibi mansionaticum faciat, nec in hostem vadens, nec itinerans, sed libera sit iam dicta villa ab omni oppressione hospitum, & libere possit suis Senioribus deseruire. Nos itaque eius petitionibus assensum praebentes, propter amorem Dei, & reuerentiam praedicti loci, & remedio animae nostrae, & ob iam dicti Abbatis *GVELFONIS*, carissimi *consanguinei nostri*, dilectionem, ita & fecimus. Praecipientes igitur iubemus per hoc praeceptum nostrae auctoritatis, vt nullus in praedictam villam ex omni Regno nostro introëat causa vllius mansionatici, sine voluntate praedictorum Fratrum, sed libere ab omnium hospitum oppressione maneat sine vlla resultatione. Si quis vero hoc nostrum praeceptum infringens, quidpiam sine licentia Fratrum ex praedictis fecerit, argenti libras XXX. coactus exsoluat. Et vt haec nostrae concessionis auctoritas per omnia tempora inuiolabiliter conseruetur, annuli nostri impressione subter eam sigillari iussimus.

Audacher Notarius ad vicem Gauzlini recognouit & subscripsit.

Datum III. Kalend. Ianuarii. Indictione XV. Anno II. Regnante Ludouico gloriosissimo Rege.

Actum Compendio Palatio in Dei nomine feliciter, Amen.

No. XV.

Lotharius Rex coniugi Teutbergae varia & inter haec praedia Hucberti, fratris eius, ob rebellionem occisi donat. Anno 868. Ex Murator. Antiquit. Ital. T. II. p. 122.

In nomine omnipotentis Dei & Saluatoris nostri Ihesu Christi. *Hlotharius* diuina preueniente clementia Rex. Regalis celsitudinis moris est, fideliter sibi famulantibus donis multiplicibus & honoribus ingentibus honorare, atque Regiae sublimitatis liberalitate ditare. Proinde nouerit omnium Fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, ac nostrorum, praesentium videlicet & futurorum solertia, quia placuit largitati nostrae celsitudinis, *Theotbergae*, dilectissimae Coniugi nostrae, quasdam res nostrae proprietatis ad proprium conferre: id est in pago Gracianopolitano, Bellinsua, in Mauriacense, Ianuensi, Lausonensi, Amausensi, Scudensi, (*forte* Secusiensi) nec non & in pago Lugdunense, Villas, quarum sunt haec vocabula: Cauurnum, Lemningum, Nouelicium, Mariacum, Aquis, Ariacum, Sugenadum, Primiacum, & Montem Sancti Martini, Anersiacum, Belmontem, Talgurium, Ducziadum, Marlindum, Virilgum, Durerium, Toducium, Co-

Columnari, Haltingum, Montiniacum, & quicquid ex ipsis rebus, quae in Grosona sitae sunt, omnesque res quondam *HVBERTI* Abbatis, *fratris ipsius*, quas pro eius *infidelitate* nostra Regni dignitas sortita est, illi tradimus atque transfundimus, quatenus eas perenni iure ad proprium retineat. Sed vt liberalitatis largitio rata & inconuulsa permaneat, hos excellentiae nostrae apices fieri iussimus, per quos memoratae *Teotbergae*, dilectissimae nostrae, praefatas Villas, in iam dictis pagis constitutas, sub omni eorum integritate, appendiciis videlicet, Ecclesiis, domibus, ceterisque aedificiis, terris, cultis & incultis, vineis, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, exitibus & regressibus, totum & ad integrum, quicquid ad easdem Villas pertinere dinoscitur, ad proprium tribuimus, de iure nostro ad dominationem ipsius transferimus, ita videlicet, vt quicquid ab hodierno die & deinceps ex eisdem rebus facere voluerit, liberam ac potissimam in omnibus habeat potestatem faciendi quicquid elegerit. Et vt haec nostrae largitionis auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter firmauimus, & anuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum Hlotharii gloriosi Regis.

Corimblandus Regiae dignitatis Cancellarius.

Data VIII. Kalendas Decembris, Anno, Christo propitio, Regni gloriosissimi ac piissimi Regis Hlotharii XII. Indictione I.

Actum Dodiniaco.

No. XVI.

Diploma Caroli Calui, quo Conrado Comiti Piredum donat. Anno 876. Ex Mabillonii Annal. Benedictin. Tomo III. Append. Num. XXI.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, *KAROLVS* eiusdem Dei Omnipotentis misericordia Imperator Augustus. Imperialis celsitudinis mos est, fideles Imperii sui donis multiplicibus & honoribus ingentibus munerari atque sublimes efficere. Proinde ergo morem parentum, Imperatorum scilicet praedecessorum nostrorum, sequentes, libuit Celsitudini nostrae, quemdam fidelem nostrum & *parentelae propinquitate coniunctum*, *CHVNRADVM nobilissimum Comitem*, de quibusdam nostrae proprietatis rebus & mancipiis honorare. Concedimus igitur praedictio *CHVNRADO Comiti, nobis carissimo & familiarissimo*, villam,

quae dicitur Piredus, in pago Senonico, & concedendo eidem confirmamus, ac de noſtro iure in ius & proprietatem ipſius transfundimus cum omni ſua integritate, & omnibus rebus, mancipiis, & adiacentiis ad ſe pertinentibus, eo ſcilicet tenore & ordine, vt huiusmodi poteſtatem inde habeat dandi, venundandi, atque transmutandi, ſicut & ex aliis rebus ſuae proprietatis habere viſus eſt, tam ipſe, quam & ſua progenies, quibus iam dictas res cedere, vel tradere voluerit. Vnde etiam hoc munificentiae noſtrae praeceptum fieri, & dari iam dicto *CHVNRADO Comiti* ſanciuimus, atque per idem praedictas res in ſuam poteſtatem, vel quorumcumque voluerit, libere poſſidendi delegamus. Et vt hoc per omnia tempora inuiolabiliter conſeruetur, manu noſtra ſubter firmauimus, & anulo noſtro inſigniri iuſſimus.

Signum *KAROLI* glorioſiſſimi Imperatoris Auguſti.

Audacher Notarius ad vicem Gauzlini recognouit, & ſubſcripſit.

Data II. nonas Septembris, Indictione IX. Anno XXXVII. Regni Domni Karoli Imperatoris in Francia, & in ſucceſſione Hlotharii VII. & Imperii eius primo.

Actum Cariſiaco Palatio Imperiali in Dei nomine feliciter, Amen.

Hildoinus Abba & Richardus Comes ambaſciauerunt.

No. XVII.

Diploma Caroli Calui, deprecante Hugone, Sancti Martini Abbate, datum. Anno 867. Ex Mabillonii Annal. Benedictin. ad dict. An. Num. LXXXIII. atque Edm. Martene & Vrſ. Durandi Theſauro Anecdotorum Tom. I. pag. 42.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *CAROLVS* Dei gratia Rex. Quidquid pro Dei Sanctorumque amore & reuerentia, efficere ſatagimus, profuturum nobis ad praeſentis vitae curricula felicius tranſigenda, & ad futurae beatitudinis praemia facilius obtinenda non dubitamus. Comperiat igitur omnium fidelium Sanctae Dei Eccleſiae, noſtrorumque praeſentium ac futurorum ſolertia, quia ob Dei amorem, & Beati Martini egregii Confeſſoris atque Pontificis reuerentiam, ad deprecationem cariſſimi nobis *HVGONIS, reuerendi eiusdem Beati Martini Coenobii Abbatis*, in diuae recordationis genitoris noſtri *HLVDOVICI* excellentiſſimi Auguſti, & genitricis noſtrae *IVDITH* glorioſae Imperatricis eleemoſynam & noſtram, ſeu amantiſſimae nobis Coniugis Hermintrudis glorioſae Reginae, atque prolis noſtrae, complacuit Serenitati noſtrae quamdam fiſci noſtri Cellam nomine Capleiam in pago Tornadrinſi

ſuper

ſuper fluuium Sedenae ſitam, in honorem Sancti Lupi Confeſſoris dedicatam, cum omnibus ſibi pertinentibus rebus & mancipiis, eidem Beatiſſimo egregio Confeſſori atque Pontifici, in vſus Congregationis Clericorum in eius Coenobio Deo iugiter famulantium largiri, & largiendo perpetim habendam confirmare. Vnde hoc altitudinis noſtrae praeceptum fieri, eidemque ſancto loco dari iuſſimus, per quod praefatam Cellam, cum omnibus villulis & appendicibus ſuis, tam in eodem pago, quam in Aualenſi, in villa Neriniaco & Vltiſiaco, & in pago Auguſtodunenſi, in villa Guiſio, & in aliis villulis ad eamdem Cellam iuſte pertinentibus, cum eccleſiis, domibus, aedificiis, vineis & ſiluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue decurſibus, farinariis, mancipiis vtriusque ſexus deſuper commanentibus, vel ad eaſdem res iuſte & legaliter pertinentibus, plenaque integritate in vſus & ſtipendia eiusdem Congregationis deputamus, ita vt eaſdem res praefata Congregatio vt in aliis ſuis rebus habeat, & pro ſuo libitu, absque alicuius contradictione obtineat atque poſſideat, & nulli Rectorum eiusdem Coenobii liceat ex iisdem rebus quicquam minuere, aut ſubtrahere, aut in alios, praeter quos conſtituimus, vſus retorquere, vt pro abſolutione peccaminum praefati genitoris & genitricis noſtrae, noſtrorumque, Coniugis & prolis, totiusque Regni noſtri ſtatu Dei miſericordiam iugiter exorent, & quotidie unaquaque ſeptem horarum Canonicarum ſecundum conſuetudinem expleta, vnum ſeptem pſalmorum poenitentialium ordinabiliter cum tribus capitulis & collecta, noſtris futurisque temporibus decantent. Vt autem haec largitionis noſtrae auctoritas inuiolabilem obtineat firmitatem, manu propria eam ſupter firmauimus, & impreſſione bullae noſtrae ſigillari iuſſimus.

Signum *KAROLI*, glorioſiſſimi Regis.

Leotgarius, Notarius ad vicem Goslini, recognouit.

Datum ſexto Calendas Ianuarias Indictione prima, Anno XXVIII. regnante *CAROLO*, glorioſiſſimo Rege.

Actum in Monaſterio S. Germani Autiſſiodorenſis in Dei nomine feliciter, Amen.

No. XVIII.

Vide Diploma praecedens p. 95.

No. XIX.

No. XIX.

Aliud eiusdem, quo Hugo Regis propinquus appellatur. Anno 868. Ex eodem Thesaur. Anecdot. p. 43.

IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CAROLVS* Dei gratia Rex. Cum fidelium Regni nostri ratis petitionibus aurem clementiae nostrae dignanter accomodamus, Regiae celsitudinis morem exercere videmur, ac per hoc promtiores erga nostrae fidelitatis obsequium eosdem procul dubio reddimus. Igitur nouerit omnium Sanctae Dei Ecclesiae fidelium nostrorumque, tam praesentium, quam futurorum industria, quod veniens quidam *reuerendus S. Martini Confessoris Christi HVGO Abbas, noster propinquus,* nostrae Celsitudini innotuit, qualiter quidam praefatae Ecclesiae sibi commissae villae, id est, in pago Bituricensi Liradus, & in Aruernico Marciacus, saepissime a non recte volentibus inuaderentur, ac tamquam sub hostili militia mansiones ibidem acciperentur, & nimia credulitate se absente depredarentur: vnde quia praefati Coenobii venerabiles Canonici in iam dictis villis, ob infestationem paganorum, refugium habere saepius consuescunt; petiit humiliter magnificentiam nostram, quatenus ab ejsdem villis, cunctisque sibi pertinentibus finibus, talia infanda, talesque praesumtiones nostrae auctoritatis praecepto remoueremus. Cuius humillimam petitionem cognoscentes, libenter suscepimus, atque hoc nostrae praecellentiae praeceptum fieri iussimus, per quod praecipimus, atque iubemus, & firmamus, vt nemo fidelium totius Regni nostri in praefatis villis, seu in omnibus ad eas iuste legaliterque pertinentibus finibus mansionem, more hostili, aut alia qualibet occasione, iter agens accipere praesumat, nec aliquam depredationem, aut vim inferat, quae iustis legibus agi prohibentur; sed omnibus inquietudinibus remotis, liceat memoratis successoribusque eorum in eisdem villis propria ordinatione, Domino adiuuante, securiter perfrui. Vt autem haec nostrae iussionis auctoritas firmior per futura tempora habeatur, anuli nostri subter eam impressione iussimus sigillari.

Signum *CAROLI*, gloriosissimi Regis.

Hildebaldus, Notarius, ad vicem Gauslini Archi Cancellarii.

Data III. Calendas Februarii, Indictione I. Anno XXVIII. Regni *CAROLI* Regis.

Actum Coneda, vico super Ligerim, in Dei nomine feliciter, Amen.

No. XX.

No. XX.

Epiſtola Iohannis VIII. ad Hugonem Abbatem data. Ex Labbei Concilior. Tom. IX. p. 95.

HVGONI ſtrenuo, nobili, regali proſapia edito atque Excellentiſſimo Abbati.

QVANTO vos, cariſſime fili, amore diligimus celeberrima veſtri boni operis recordatione circumquaque accenſi, explicare verbis nullatenus poſſumus. Quapropter, vt noſtro deſiderio praeſentiae veſtrae capiamus effectum, mature volumus hortemini Ludouicum Regem filium noſtrum, vosque cum eo ad nos concite properare; quatenus, Chriſto cooperante, exaltationem totius Chriſtianitatis communiter operemur. Sic agat veſtra dilectio, vt triſtitiam, quam animo de veſtra abſentia nuper Papia intuliſtis, lenire moderatiſſime valeatis. Inter haec ab omni te conſortio Formoſi anathematizati optamus, fili cariſſime, ſeparare, Ioannis Archi Epiſcopi Rodomenſis, Adelardi Turonenſis, Frotarii Bituricenſis. Data vt ſupra.

No. XXI.

Epiſtola Nicolai Papae ad Hugonem Abbatem data. Ex Du Cheſne T. III. Script. p. 893.

HVGONI Abbati nobili, ſpectabili proſapia genito.

QVIA multum vos diligimus, ideoque congratulor, animae veſtrae proſpicimus, commonere curamus quoque quae inter Abbonis Epiſcopi parentes, & Rotbertum, atque Rodinum exorta eſt regali potius, quam vindicta corrigatur; quoniam malum ſemel neceſſitate patratum, non debet ſecundum neceſſitudinem expiari ad delictum, ſed miſericordius remitti ad veniam: agat veſtra glorioſa nobilitas, vt decet tantae naturae decentiam. Data vt ſupra.

No. XXII.

Diploma Karolomanni, quo confirmat data ab Hugone pro anima genitoris & genetricis ſuae.

Anno 883. Ex Mabillonii R. Diplom. pag. 550.

IN nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, *KARLOMANNVS* miſericordia Dei Rex. Si petitionibus ſeruorum Dei, quas nobis pro ſuis vtilitatibus inſinuauerint, benignum aſſenſum praebemus; Regiae praecellentiae opera imitamur, & per hoc aeternae beatitudinis gloriam

facilius nos adepturos non dubitamus. Itaque notum sit omnibus Sanctae Dei Ecclesiae fidelibus & nostris, praesentibus atque futuris, quia illustrissimus *HVGO*, Abbas Monasterio Sancti Germani Autisiodorensis, quem pro fidelitate ad nos semper conseruata loco patris colimus, ipsis Fratribus deprecantibus, ad nostram accedens sublimitatem, deferens Priuilegium Domni Nicolai Papae Sedis Apostolicae, Priuilegium quoque omnium Episcoporum, nec non & Praeceptum Serenissimi Augusti Domni *KAROLI* Imperatoris gloriosissimi, Aui nostri, deuotus expetiit, vt omnia quae ad portionem Fratrum supra dictorum pertinere videntur, quaeque indulgentia perpetuo recolendi Aui nostri, Domni *KAROLI* Imperatoris, eidem loco concessa noscuntur, seu quaeque a fidelibus Dei & nostris pro remedio animarum suarum ipsi loco diuerso modo tradita vel commutata sunt, & praeceptione genitorum nostrorum firmata consistunt, perpetua lege habenda denuo innouantes, auctoritatis nostrae praecepto concedere & confirmare dignaremur; cuius petitionem clementer nos audisse & libenter accepisse omnibus Dei nostrisque fidelibus notum volumus esse. Sunt autem nomina vel situs ipsarum rerum vel villarum ad ipsos seruos Dei pertinentium, in primis mansella in gyro Monasterii sita, & omnes clausi indominicati, scilicet ille qui adhaeret Monasterio, & campaniae, plantae, habundantia, curticanus & clausellus cum aliis vineolis de Parriniaco, Parriniacus cum integritate, cum Ecclesia & manso indominicato & omnibus suis appendiciis, quam de rebus Sancti Stephani ad Comitatum pagi Autisiodorensis pertinentibus cum *CONRADO Comite propinquo nostro* & Christiano Episcopo pro Festiniaco, Lestralio, Grauiolo, praecepto Domni *KAROLI* Imperatoris, Aui nostri, commutauerunt; Ariacus ad integrum cum Ecclesia & manso indominicato, & omnibus suis Appendiciis; Altaripa cum Capella & suis appendiciis, mansella quae Hildeburgis dedit. Item Mansellum quod Heribaldus dedit; Monasteriolum medium cum Ecclesia & manso indominicato quod ipsi fratres habent &c. Pauliniacus cum suis appendiciis, quam praecellentissimus *Comes CONRADVS* ex rebus ad Abbatiam pertinentibus ipsis fratribus dedit, & vt Aui nostri, gloriosi *KAROLI* Imperatoris, praecepto confirmarentur obtinuit &c. Sed & ad thesaurum mansella quae sunt in Rogrado & Castaneto, & mansum vnum in Siliniaco cum terris & vineolis &c. Res quoque quas dedit Herimarus vir nobilis ad stipendia matriculariorum, quos Nonnones vocant, hoc est in Nigronte & in Lagunis seu Linerolis & Ferrolis &c. Sunt praeterea & aliae res, quas supra dicto loco gloriosae memoriae Auus noster per praeceptum suum dedisse & concessisse dignoscitur, quarum nomina vel situs huiusmodi

sunt.

ſunt. In primis Villaris, quam cum Agliniaco villa Camerae eorum deputata praecepto ſuo commutando eis habere decreuit, cum Eccleſia & manſo indominicato, & eius appendiciis, cum manſellis qui ſunt in Mariaco. Praeterea Hurum, Melogum cum integritate, Vulturiacum cum integritate, Luciacum, Motemalum cum integritate, Magniacum, Feutengiacum, Matriscum, Villarem Puſcionum, & in Abundiaco villa manſum vnum ad ſaliuias per alueum Ligeris ducentas, quas villas vel manſa iam dictus ſemperque dicendus Auus noſter Sancto Germano in translatione ſacri corporis ipſius regia liberalitate contradidit. Bernacum etiam cum omnibus appendiciis ſuis, quas idem glorioſiſſimus Auus noſter, *KAROLVS* Imperator, pro ſepultura ac aeterna memoria filii ſui *LOTHARII* auunculi noſtri, quondam Abbatis eiusdem loci, dediſſe per Praecepti ſui auctoritatem cognoſcitur; cellamque Sanctae Mariae Meleredenſis, quam eis deprecantibus, faciente hoc bonae memoriae *CONRADO Comite venerabili propinquo noſtro*, ipſis Monachis in perpetuum ſociauit: cum quibus & vnam villam, Abundiacum nomine, pro Oloniaco villa commutauerunt. Sunt praeterea & aliae res, quas ſupra ſatus *HVGO* Abba pro remedio animae *genitoris* vel *genitricis* ſuae, nec non & diuina ſibi clementia cum Fratribus ſuis obtinenda eidem loco contulit, quas ſimiliter huic noſtrae auctoritatis praecepto inſeri iuſſimus. Tilium ſcilicet cum omnibus appendiciis ſuis; Buculiacum etiam, quam domo infirmorum ex rebus Abbatiae cum praecepto & conſenſu Domni *LVDOVICI* glorioſiſſimi ac Sereniſſimi Regis, genitoris noſtri miſericorditer contulit; Bandiliacum quoque cum integritate, quam cum iam dicto ſemperque dicendo Abbate ipſi Fratres commutauerunt pro alodo, quem venerabilis Comes Rutbertus, pro remedio animae ſuae ac loco ſepulturae, Deo Sanctoque Germano contribuiſſe dinoſcitur; ſed & illas res, quas iidem Fratres ab Iterio fideli noſtro per praeſtariam quarundam rerum ſuarum de proprio ipſius alodo poſt eius deceſſum nobis concedentibus ſimul & adiuuantibus ſuſceperunt, placuit huic praeceptioni ſubnotari: Siuriacum videlicet cum integritate, cum Eccleſia, & eius omnibus appendiciis, vel quidquid ad eam pertinere videtur in pago Senonico: in pago etiam Niuernenſe Macerias ad integrum cum Eccleſia & eius omnibus appendiciis; vel quidquid in pago Tricaſſino iidem Fratres in loco, qui dicitur Oratorium, adquiſiuiſſe noſcuntur. Reuiſiaco quoque in pago Senonico & Sarmaſia alodium Adalberti, quod memoratus Domnus Auus noſter per praeceptum ſuum ſupra dicto loco miſericorditer tradidit: quidquid etiam ipſi Fratres in Vlmeto fiſco adquiſiere, vel vmquam adquirere poterunt. In pago etiam Tricaſſino manſus vnus,

N 2 in

in loco, qui dicitur Cidirniacus, cum terris & culturis ad ipſum manſum pertinentibus: quem vir nobilis *TEDALDVS* pro loco ſepulturae ac diuina ſibi clementia obtinenda dediſſe cognoſcitur. In Carmedo quoque medietatem villae cum manſo indominicato, quaeque dedit filius ſupra dicti Tedalti pro remedio animae ſuae ac loco ſepulturae. Praeterea quatuor manſa, quae ſunt in pago Gaſtinenſi, in villa quae dicitur Grandiscampus, quae a nobilibus viris Northgaudo & fratribus eius pro remedio animarum ſuarum vel loco ſepulturae data ſunt. Sunt & aliae res quamplures, quas boni homines eidem Monaſterio pro elemoſyna nuper contulerunt diuerſis in locis, quas omnes res habitas vel in futurum habendas cum familia & omni integritate vſibus & ſtipendiis memoratorum ſeruorum Dei ſine aliqua ſubtractione aut minoratione perennibus temporibus altitudinis noſtrae teſtamento conſtituimus habendas & confirmamus. Detulit etiam idem *HVGO* venerabilis Abba iam dicti Monaſterii atque *propinquus noſter* obtutibus Serenitatis noſtrae auctoritatem praeceptionis Domni *Aui* noſtri Karoli Sereniſſimi Auguſti, in qua erat inſertum, qualiter idem piiſſimus Auguſtus conceſſiſſet eidem Monaſterio omne teloneum de negotiatoribus vel de hominibus eorum, qui ad ipſam caſam Dei ſpectare videntur, vel de hoc quod homines ad eorum dorſa deferunt; & vt in villis eorum, ſeu ſuper terras vel cinctus infra aut foris aduenerit, & negotiatum fuerit, omne teloneum per eamdem auctoritatem eidem conceſſiſſe Monaſterio. Aliam deſuper detulit auctoritatem immunitatis eiusdem Domni Aui noſtri, in qua habebatur inſertum, qualiter idem Coenobium ob amorem Dei & tranquillitatem Fratrum ibidem conſiſtentium ſub pleniſſima tuitione & immunitatis defenſione ſuſcepiſſet: quae omnia rogante ſimul & cooperante praefato Abbate *HVGONE* denuo auctoritatis noſtrae Sanctione confirmamus, & ſub pleniſſima defenſione ipſam Congregationem cum omnibus rebus eiusdem Monaſterii, vel ad eumdem locum pertinentibus benigne ſuſcepimus: ita vt ſub noſtra defenſione liceat eis quiete viuere, & nullus Epiſcopus vel aliquis ex Epiſcopalibus Miniſtris ibidem aliquod praeſumat exercere iudicium: & nullus iudex publicus, nec quilibet exactor iudiciariae poteſtatis, vel vllus ex fidelibus noſtris in omnibus rebus eidem loco ſubditis ad cauſas audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut fideiuſſores tollendos, aut homines eiusdem Monaſterii tam ſeruos, quam ingenuos ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec vllas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris vel futuris temporibus ingredi audeat, vel aliquid horum exigere praeſumat: ſed liceat memorato Abbati & omnibus eius Succeſſoribus res praedicti Coenobii ſub hac immunitatis defen-

defenſione quieto ordine poſſidere. Iubemus ergo per hanc praecepti noſtri auctoritatem, vt nec in ciuitatibus, nec in mercatibus, aut vicis, ſeu villis, vel portubus aut portis, ipſi Monachi aut negotiatores eorum, aut homines qui ad ipſam caſam Dei ſpectare videntur, vllum teloneum perſoluere cogantur, ſicut in praecepto Domni Aui noſtri Sereniſſimi Auguſti continetur. Praecipientes autem iubemus & iubentes confirmamus, vt nulli Abbatum eiusdem loci, aut cuilibet alteri perſonae liceat ex praeſcriptis omnibus rebus aliquid in alios, praeterquam conſtituimus, vſus redigere aut retorquere, aut alicui habendum conferre; neque cenſum aut honorem, aut dona quaelibet, aut paſtos ab eisdem ſeruis Dei vllatenus praeſumat requirere: ſed quidquid exinde fieri poteſt, iuxta quod praeſcriptum eſt, regulari amminiſtratione vſibus & vtilitatibus eorum, auctore Deo, omnibus habeatur temporibus. Interea volumus & confirmamus, vt quidquid de Saeculo in idem Monaſterium ad regularem conſeruationem agendam fauente Deo venientes, ex poſſeſſionibus ſuis obtulerint ſiue contulerint; vel alii quicumque hominum, ſicuti eorum voluntas, & collatio facta apparuerit; ſine Rectoris eiusdem loci aliqua immutatione inuiolabiliter ſemper perſeueret atque permaneat. Vt autem haec noſtrae praecellentiae confirmatio meliorem ſemper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu noſtra eam ſubter firmauimus, & de anulo noſtro ſigillari fecimus.

Datum III. Idus Iunii Anno VI. regnante *KARLOMANNO* glorioſiſſimo Rege, Indictione II.

Actum Meldis ciuitate in Dei nomine feliciter. Amen.

No. XXIII.

Rudolfus Comes & Sancti Mauritii Agaunenſis Abbas Angelbergae Imperatrici in precariam concedit villas duas in Tuſcia. Anno 870. Ex Murator. Antiq. Ital. T. III. p. 156.

PRISCARVM legum auctoritates conceſſerunt, vt qualiscumque perſona res Eccleſiaſticas ſub vſu Beneficii in ſuis neceſſitatibus procurandis vel adſequendis adquirere voluerit, ſub ipſius munificentia, qui caput Eccleſiae praeeſſe dinoſcitur, in nomine Praeſtariae ſiue Libelli, eas tenere ſub Cenſo decem & nouem annis debeat, atque his expletis aut ipſum Libellum renouare ſtudeat, aut Rector Eccleſiae ipſas res in ſuo iure ac dominatione recipiat. Quapropter ego in Dei nomine *RVDOLFVS humilis Comes*, nec non & Monaſterii Sancti

Mauricii Agaunenſis Abba, dum non eſt incognitum, quod in Regno Tuſciae Villam nuncupatam Paterno & Aciano cum appendiciis ſuis Rectores iam ſati Monaſterii ſemper tenuerunt, & nos adhuc tenere dinoſcimur; & poſtea vos, Illuſtriſſima *INGELBERGA* Auguſta, a nobis expetiiſtis, vt ipſam Villam cum omnibus ad ſe appendiciis pertinentibus in nomine Libelli ſiue Praeſtariae vobis concedere deberemus; quod ita in Dei nomine & fecimus vna cum conſenſu omnium Fratrum in praefato Monaſterio Domino militantium. Igitur, ſicut ſuperius diximus, peticionem veſtram libenti animo conſencientes has litteras Libelli nos in vobis conſcribere placuit, eo videlicet tenore, vt iam dictam Villam cum omnibus appendiciis vel adiacenciis, diebus vitae veſtrae ad meliorandum vel excolendum in Beneficium habere debeatis, & annis ſingulis ad praefatum Monaſterium, ſeu etiam ipſius Monaſterii Rectoribus, Solidos quindecim in cenſum perſoluere debeatis. Si vero, quod abſit, ex ipſo cenſo negligens fueritis, aut reddere recuſaueritis, vel, quod non credimus, ipſas res pageraueritis; auro Libras XXV. ad ipſum Monaſterium, eiusque Rectoribus perſoluere debeatis: & alicubi ipſas res nec dare, nec vendere, nec alienare, nec naufragare Pontificium, non habeatis. Et quamuis longeua ſit veſtra poſſeſſio, nullum praeiudicium contra nos, nec contra partem praedicti Monaſterii generare non debeatis, ſed poſt veſtrum diſceſſum, quandoquidem Deus voluerit, ipſas res cum omni re meliorata aut ſupra poſita, nos, aut gentes ipſius Monaſterii absque vlla iudiciaria poteſtate, vel cuiuscumque contradictione, recipere debeamus. Et, quod ſupra inſerere debuimus, nunc emendantes, annis ſingulis in luminaribus Sancti Mauritii pro ſalute animae veſtrae ad ſupra memoratum placitum oleo modium vnum dare ſtudeatis; & inſuper huius Libelli conſcripcio veſtro in tempore, Chriſto propicio, inuiolabilem obtineat firmitatem cum ſtipulatione ſubnixa.

Signum ✠ *RHODVLFI Comitis*, qui huius Libelli paginam firmaui, atque Canonicis Monaſterii noſtri firmare rogaui.

Erifredus Diaconus atque Praepoſitus conſenſi & ſubſcripſi.




No. XXIV.

No. XXIV.

Diploma Rudolfi I. Burgundiae Regis primum, quo ſorori Adelheidi donat Monaſterium Romanis.

Anno 888. Ex Mabillonii Annal. Benedict. Tom. III. p. 690.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis, *RODVLFVS* diuina fauente clementia Rex. Cum conueniat Regiam eminentiam, vt erga ſubditos benignum praebeat auditum, & iuſtam petitionem eorum ad effectum perducat; decet maxime, vt qui promptiſſima deuotione in eius ſeruitio intendunt, liberalitatem clementer impertiat. Ac per hoc nouerit omnium Sanctae Dei Eccleſiae fidelium, tam praeſentium videlicet quam futurorum ſollertia, quoniam acceſſit ad clementiam magnitudinis noſtrae dulciſſima ac dilectiſſima *ADALEYDIS ſoror noſtra*, petens & ſupplicans, vt Abbatiam Romanis, quae conſtructa habetur in honore Beati Petri Apoſtolorum principis, & eſt ſita in Comitatu Waldenſe, per praeceptum noſtrae Regalis dignitatis ei in vita ſua concederemus, & vt haberet poſt diſceſſum ſuum poteſtatem relinquendi cuicumque voluerit heredum ſuorum. Quam petitionem intimo ex corde ſuſcepimus, & per auctoritatem, quam habemus principalem, iam dictam Abbatiam Romanis eidem largimur dum vixerit: cum autem Deus eam a corpore vocare dignatus fuerit, habeat licentiam & omnem facultatem relinquere eam quemcunque elegerit de heredibus ſuis. Atque vt haec noſtra largitio firmior habeatur, & per cuncta ſaecula inconuulſe ſeruetur, manu noſtra ſubter firmauimus, & de anuli noſtri impreſſione ſigillari praecepimus.

Signum piiſſimi  Rodulfi Regis. (*)

Berengarius Notarius ad vicem Theoderici Archi Epiſcopi & Cancellarii recognoui.

Data IV. Idus Iunias Anno Chriſto propitio *RODVLFI* Regis primo, Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXXVIII. Indictione VI.

(*Locus ſigilli affixi.*)

Actum Vabreuilla in Dei nomine Amen.

No. XXV.

*) Monogramma, de quo ſilet Mabillonius, habet Andreas Quercetanus in *notis ad vitam Sancti Odilonis, Abbatis Cluniacenſis V. p. 72.* vbi hoc diploma itidem exhibet non quidem ex autographo, ſed ex Chartulario Cluniacenſi, quod Pariſiis tum aſſeruabatur in Bibliotheca Thuana.

No. XXV.

Adelheidis Burgundicae diploma nobilissimum, quo in Cluniacenses idem Monasterium Romanis a fratre sibi donatum transfert. Anno 928. Ex Mabillon. elogio Sancti Odonis, Abbatis Cluniacensis. p. 135. seq.

Cunctis sane considerantibus liquet &c. Igitur omnibus in vnitate fidei viuentibus, Christique misericordiam praestolantibus notum sit, quod ego *ADELEYDIS*, dono Dei *Comitissa*, res iuris mei, quae mihi per praeceptum Domini *RVDOLFI Regis*, *mei* videlicet dulcissimi atque dilectissimi *germani*, obuenerunt, hoc est, Monasterium quod *Romanis* vocatur, quod situm est in pago Waldense, cum omni Abbatia, & omnibus rebus & adiacentibus, ad ipsam Abbatiam pertinentibus, dudum a Sanctis Patribus illic praeordinatis; quod sane Romanis praefatum Monasterium olim in honore Apostolorum principis, Petri scilicet, & Pauli, sub Monastica professione fuerat constructum, sed modo ab eorum habitatione priuatum penitus; pro amore Domini nostri Iesu Christi, ac eorumdem Apostolorum, de meo iure & dominatione ipsa ego iam dicta *ADELEYDIS* in dominium & prouidentiam Monachorum per omnia transfundo, id est, *Odonis* venerabilis ac reuerentissimi Abbatis, omniumque Fratrum ac cateruae Monachorum, sub eius regimine Cluniacensis Coenobii degentium; ea dumtaxat ratione, vt Monachi, prout potuerint, ipsum Monasterium, per intercessionem Apostolorum, Christo propitiante, in priorem studeant reformare statum. Praedictus vero Abbas, dum aduixerit, & ipsi Monachi idem Monasterium ita possideant, vt quamuis Apostolicae Sedi, sicut & Cluniacum, delegatum sit, semper tamen velut vna congregatio sub vno agant atque disponantur Abbate; in tantum, vt, cum ipse discesserit, non illis, aut istis liceat sine communi consensu Abbatem sibi praeficere: nec priuati, quod absit, isti alium, nisi ipsum, quem illi habuerint, substituere praesumant, quoniam valde iniustum esset, si illi qui forte velut filii *Romanis* Monasterio succreuerint, socialitatem Cluniacensium, qui veluti patres locum resuscitant, aliquando disciderint. Sane in ordinando Abbate constitutio Sancti *Benedicti* semper emineat, adeo vt si vel illius, vel istius congregationis minima pars saniori consilio meliorem personam eligere voluerit, ceteri iuxta Regulam eis consentiant. De fratribus vero, vel hinc illic, vel inde huc pro vtilitate transmutandis, siue etiam de subsidiis, quae forte vni loco plus, quam alteri, abundauerint, vicissim ex altero

in

in alterum transferendis, in poteſtate Abbatis ſit. Et vt inter eos germanior ſocietas perſeueret, ipſas quoque diuinae ſeruitutis, aut eleemoſynarum, ſeu cuiuslibet boni operis ſanctiones ita communiter teneant, vt, quod pro bonae memoriae *WILHELMO*, vel certe aliis, aut viuis, aut defunctis apud Cluniacum geritur, nobis atque noſtratibus proficiat: & quod *Romanis* Monaſterio pro nobis, iuxta voluntatem Domini, geſtum fuerit, ipſi adaeque participentur. Hanc ergo donationem, pro Dei amore, & Sanctorum Apoſtolorum inprimis facio; deinde pro anima *germani* & dulciſſimi *mei*, Domni *RODVLFI Regis*, harum videlicet rerum largitoris; tum vero pro requie *Domni mei* piae memoriae *Principis RICHARDI*, ac pro *WILLA Regina*; dehinc pro *me* & Domno *RODVLFO Rege*, *filio meo*, & item *RODVLFO Rege*, *nepote meo*; pro aliis quoque *filiis meis*, *HVGONE*, *BOSONE*; & *LVDOVICO nepote*; ſed & pro ceteris conſanguineis noſtris, atque his, qui ſeruitio noſtro adhaerent; pro genitore etiam ac genetrice mea, & Domno *HVGONE* inſigni *Abbate*, ſeu ceteris noſtris vtriusque ſexus propinquis; proſtremo pro illis, qui adiutorium vel defenſionem Monachis ibi conſiſtentibus praeſtiterint; pro ſtatu quoque totius religionis, & pro omnibus Catholicis, vel viuis, vel defunctis. Monachi vero inibi conſiſtentes modum conuerſationis iſtius, quae nunc ad informandum eos, qui futuri ſunt, de Cluniaco transfertur, ita conſeruent, vt eumdem modum in victu atque veſtitu, in abſtinentia, in Pſalmodia, in ſilentio, in hoſpitalitate, in mutua dilectione & ſubiectione, atque bono obedientiae nullatenus imminuant. Placuit etiam huic teſtamento inſeri, vt ab hac die nec noſtro, nec parentum noſtrorum, nec faſcibus Regiae magnitudinis, nec cuiuslibet terrenae poteſtatis iugo ſubiiciantur iidem Monachi ibi congregati; neque aliquis Principum ſaecularium, non Comes quisquam, nec Epiſcopus quilibet, non Pontifex ſupra dictae vrbis Romanae, (per Dominum & in Domino, omnes Sanctos eius, & tremendi iudicii diem conteſtor & deprecor) inuadat res ipſorum Dei ſeruorum, non diſtrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui, non aliquem Praelatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat. Et vt hoc nefas omnibus temerariis & improbis arctius inhibeatur, adhuc idem inculcans ſubiungo: Obſecro vos, o Sancti Apoſtoli & glorioſi Principes terrae, Petre & Paule, & te, Pontifex Pontificum Apoſtolicae Sedis, vt per auctoritatem Canonicam & Apoſtolicam, quam a Deo accepiſti, alienos a conſortio Sanctae Dei Eccleſiae, & ſempiternae vitae faciatis praedones & inuaſores atque diſtractores harum rerum, quas ſupra dictis ſeruis Dei hilari mente promtaque voluntate dono: ſitisque tutores ac defen-

ſores iam dicti loci *Romanis*, & ſeruorum Dei ibi commorantium & commanentium, harum quoque omnium facultatum, propter eleemoſynam & clementiam ac miſericordiam piiſſimi Redemtoris noſtri. Si quis forte, quod abſit, & quod per Dei miſericordiam & patrocinia Apoſtolorum euenire non aeſtimo, vt ex propinquis, aut extraneis, vel ex qualibet conditione, ſiue poteſtate, qualicumque calliditate contra hoc teſtamentum, quod pro amore Dei Omnipotentis, ac veneratione Principum Apoſtolorum, Petri & Pauli, fieri ſanciui, aliquam concuſſionem inferre tentauerit; primum quidem iram Dei Omnipotentis incurrat, auferatque Dominus partem eius de terra viuentium, & deleat nomen eius de libro vitae, fiatque pars illius cum his, qui dixerunt Deo: Domine recede a nobis, &c, cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit, & viuos infernus abſorbuit, perennem incurrat damnationem; ſociusque Iudae proditoris Domini effectus, aeternis cruciatibus retruſus teneatur. Et ne ei in praeſenti ſaeculo humanis oculis impune videatur, in proprio quidem corpore futurae damnationis tormenta patiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter diris verberibus coërcitus vix ſemiuiuus euaſit; alter vero nutu ſuperno percuſſus, putreſcentibus membris, & ſcatentibus vermibus, miſerrime interiit; ceterisque ſacrilegis, qui aerarium domus Domini temerare praeſumſerunt, particeps exſiſtat: habeat, niſi reſipuerit, Archiclauum totius Monarchiae Eccleſiarum, iuncto ſibi Sancto Paulo, obſtitorem, & amoeni Paradiſi aditus contradictorem, quos ſibi, ſi vellet, habere poterat piiſſimos interceſſores. Secundum vero *mundialem legem* his, quibus intulerit calumniam, centum auri libras cogente iudiciaria poteſtate compulſus exſoluat, & congreſſio illius fruſtrata nullum omnino obtineat effectum; ſed huius firmitas teſtamenti omni auctoritate ſuffulta ſemper inuiolata ac inconcuſſa permaneat cum ſtipulatione ſubnixa.

✠ Signum *ADELEYDIS Comitiſſae*, (*) *Regiae matris* & *Abbatiſſae*, hoc teſtamentum auctorizantis, fierique iubentis.

+ Signum Hildegangi indigni Sacerdotis.

+ Signum Hulrici.

+ Signum *IVDITHAE*, filiae *Rudolfi* Regis.

+ Signum Albradae. + Signum Widonis. + Signum Einrici.

+ Signum *VGONIS* incliti Comitis, atque *fratris* Auguſti *Rodulfi* Regis.

+ Signum

*) *Comitiſſam* ſe vocat, licet maritus *Marchio* audiret. Flodoard. ad Annum 921. *Richardus MARCHIO DE BVRGVNDIA obiit.* Quemadmodum Beatrix & Mathildis in Italia Comitiſſae elogio vt plurimum appellabantur, licet Ducum viduae eſſent.

✠ Signum Gofredi.

✠ Signum *RODVLFI filii LVDOVICI Imperatoris.*

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ Signa Stephani, Christiani, Gonfredi, Vnberti, Bosonis, Bauonis, Leodfredi, Wlitgerii, Rodulfi.

Data XVIII. Kalend. Iulii.

Ego Hildebrannus Sacerdos ad vicem Cancellarii scripsi & subscripsi, Anno quinto regnante *RODVLFO* gloriosissimo Rege, Indictione II.

Actum publice in Villa Boiaca.

No. XXVI.

Rudolfi I. Burgundiae Transiuranae Regis donatio Balmae & aliorum bonorum ad Gigniacum Monasterium. Anno 894. Ex Baluz. Miscell. T. II. p. 161.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* ordinante diuino munere Serenissimus Rex. Si seruorum Dei iustis postulationibus Serenitatis nostrae aurem accommodauerimus, &, quod pie & rationabiliter petunt, benigne & clementer concesserimus; hoc nobis profuturum in praesenti vel in futuro, minime dubitamus. Idcirco notum esse volumus omnium fidelium nostrorum sollertiae, tam praesentium, quamque futurorum, qualiter vir venerabilis, *Berno* videlicet, reuerentissimus Abbas, adiit nostram magnitudinem, petens nos, vt quemdam locum *Gigniacum*, quem ipse Abbas & sui Confratres tenent vel construunt regulariter, rebus proprietatis nostrae ditaremus: quod libenter fecimus. Donamus itaque pro aeterna retributione ad iam dictum locum, in honore Beati Petri Apostoli constructum, vel ipsi Apostolorum Principi Romae subditum, res, quas postulauit Abbas praedictus, hoc est, in Comitatu Scutindis quamdam Cellam, nomine *Balmam*, vbi fluuius Salliae surgit, quam ipsi Monachi praelibati ad fundamentum reaedificauerunt: in praefato etiam Comitato Cellulam quampiam, in qua Sanctus Lauterius Confessor pretiosus requiescit: in ipso etiam Comitato quamdam villam, nomine Cauanacum, & Clamenciacum, cum omnibus suis appendiciis, quae ad dictas villas iuste & legaliter pertinere videntur, vel ad dictam villam, in rebus vel mancipiis, cum omni integritate ad saepe dictum locum Gigniacum donamus, & de nostro iure in ius habendum praefati Abbatis, Bernoni videlicet vel Successorum eius, qui ipsum locum dominaturi sunt sub instituta Regula, sollemni more transferimus, nullo ipsis iam dictis Monachis contradicente, sed quiete hoc possideant in perpetuum. Vt autem huius nostri praecepti auctoritas firmius cre-

datur, & ab omnibus inuiolabiliter ſemper obſeruetur, & in Dei nomine totius firmitatis obtineat vigorem, manu propria ſubter eam firmauimus, & anuli noſtri ſignum ſubtus in ea mandauimus affigi.

Signum Domni *RODVLFI* piiſſimi Regis.

Data IV. Idus Decembris Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCIV. (*) Indictione VI. regnante Domno *RODVLFO* Rege Anno XVI. (**)

Actum Noua-villa in Dei nomine feliciter. Amen.

No. XXVII.

Formoſi Pontificis confirmatio Balmae Bernoni Abbati donatae. Anno 896. Ex Mabillon. Saec. V. Benedict. p. 72.

Formoſus ſeruus ſeruorum Dei, Bernoni religioſo ac venerabili Abbati Coenobitarum, ſito in territorio Lugdunenſi, quod in honore Beati Petri Apoſtolorum Principis conſtructum eſſe dinoſcitur, in loco, qui *Gigniacus* perhibetur, ac in eodem venerabili Monaſterio in perpetuum.

CONVENIT Apoſtolico moderamini, pia religione pollentibus benigna compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri deuotione impertiri aſſenſum. Ex hoc enim lucri potiſſimum pretium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint ſine dubio ſtatum perducta. Igitur proſperans ipſe, Berno venerabilis Abbas, ad Beatorum Apoſtolorum limina noſtramque adiens Apoſtolicam praeſentiam, retuliſti nobis, ipſum memoratum Coenobium a te tuoque conſobrino, nomine Laiſino, de propriis rebus veſtris dumtaxat in honore Sancti Petri conſtructum atque dicatum exſiſtere: & vt ab omnibus immutilatum ſeruetur, per teſtamenti paginam, quod nobis ſeruandum contuliſtis, eidem Beato Petro, coeleſtis Regni clauigero, nobisque per Dei gratiam Vicario obtuliſtis, ad ſempiternum vobis remedium conferendum. Ideo ſuggeſſiſtis noſtro Apoſtolatui, vt Apoſtolici noſtri priuilegii illud ſanctione muniremus. Quapropter quod ſtatuiſtis deuote admittentes, petitionem veſtram ratam arbitrantes, inclinati precibus veſtris, per huius praeceptionis ſeriem praedictum venerabile Coenobium, cum cellis ſeu caſis, terris, vineis, caſalibus, fundis, pratis, ſiluis, vna cum colonis & colonabus, nec non & cellulam, quae vocatur *Balma*, cum adiacentiis ſuis, omnia & in omnibus, quae tam a glorioſis Regibus, quam ab aliis Deum timentibus inibi data vel praecepta ſunt, vel

*) Scribendum erat *DCCCXCIV.* **) Scribendum *VI.* Cauſas indicauimus in nota.litt.aa.p.38.

vel deinceps Domino adiuuante donanda erunt, hac praesenti tertia decima Indictione Apostolica auctoritate confirmamus, munimus, & in perpetuum sub iure & ditione atque potestate Beati Petri Apostoli & nostra confirmatum stabilimus, ita scilicet, vt nulli homini, qualibet dignitate fulcito, licitum sit, aut etiam de ipsis donatoribus, quamcumque vim aut aliquam oppressionem ibidem inferre, aut res donatas, vel a modo deuote donandas, quoquo modo auferre; potius autem firmum & ab omnibus immutilatum custodiatur ad ius & protectionem Beati Petri Apostolorum principis. Si autem (quod humanum est) Abbas praedicti Coenobii obierit, Congregatio ipsius Monasterii ex se ipsis secundum Deum & Regulam Beati Benedicti, quem idoneum praeuiderint, concordi voto habeat semper eligendi, & secundum morem in Abbatem sibi praeficiendi. De decimis autem questi estis, eo quod de propriis vestris a vobis persolui quaerantur. Quodsi ita se res habet, hoc ne fiat interdicimus; maxime cum scriptum sit, ne Sacerdotes decimas dare cogantur. Quisquis autem (quod non optamus) tam ex ipsis donatoribus, quam ex aliis temerario ausu de donatis rebus, vel donandis aliquid auferre praesumpserit, siue quamlibet (calumniam) eidem Monasterio ipsiusue Monachis ingerere tentauerit, & contra hoc nostrum Apostolicum priuilegium agere non formidauerit; sciat, se anathematis vinculis innodandum, &, nisi resipuerit, a Regno Dei alienandum. Qui autem verus custos & obseruator huius pii nostri statuti exstiterit, benedictionem & gratiam a Domino Deo nostro consequi mereatur. Scriptum per manum Sergii Scriniarii Sanctae Romanae Ecclesiae in mense Nouembrio, Indictione supra scripta, per manum Stephani Cancellarii Sanctae Sedis Apostolicae, imperante Domino piissimo Augusto *ARNVLFO* a Deo coronato. Bene valete.

No. XXVIII.

Notitia iudicati Reginae Ermengardis pro Balma Bernoni Abbati restituenda. Anno 898.

Ex Mabillon. Saecul. Benedict. V. p. 71.

ANNO ab Incarnatione Domini DCCCXCVIII. Indictione VIII. cum conuenisset *ERMENGARDIS* Regina, & cuncti Principes *LVDOVICI*, filii *Bosonis*, in loco qui dicitur *Rauennas* (*Varennae*) ad Placitum; accesserunt ad eius praesentiam Monachi ...... ex *Gigniaco* Monasterio, Berno videlicet Abbas, aliique sub eius regimine positi, conquerentes, & monachili humilitate conclamantes, quod Bernardus, eiusdem Reginae Vassallus, eorum res iniusto ordine inuadendo

possedisset, hoc est, Balmam cellam, quam olim a *RADVLFO* Rege per Praeceptum adquisierant. Quod tam benignissima & venerabilis Regina, quam omnes vndecumque confluentium Principes diligenter intendentes, diligentiusque audientes, praedictum Bernardum in medium vocauerunt, &, cur easdem res teneret, interrogauerunt. Ipse autem respondit, per donum *Ludouici* praedictas res se tenere credere. Cuius responsionibus nec Regina consensit; nec alii consentire dignum fore adiudicauerunt. Et tunc ipse, per iussionem Reginae, iam dictum locum in praesentia omnium vuerpiuit, &, vt vltra easdem res non inuaderet, spopondit, &c. His ita expletis, iussit Dominatrix Regina tam Abbati, quam Fratribus ceteris hanc firmitatis scribere Notitiam, vt, nullo deinceps contradicente, praescriptum locum quieto teneant ordine. Et vt haec Notitia manere valeat firma per multa temporum curricula, manu propria, manibusque tam Episcoporum, quam Procerum, inibi vndique confluentium, firmauit, firmarique rogauit.

Signum Bernardi, qui vuerpituram istam fecit.
Signum *ERMENGARDIS* Reginae, quae fieri iussit, & firmare rogauit.
Signum Rostagnus Archi Episcopus Arelatensis.
Signum Ardradus Sanctae Cabillonensis Ecclesiae Episcopus.
Signum Isaac Gracinopolicensis Episcopus.
Ricardus gloriosus Comes firmauit.
Wido Comes firmauit.
Teutbertus Comes firmauit.
Ragenardus Comes firmauit.
Ansigis firmauit.
Rainbaldus Numiculator firmauit.
Gormarus firmauit.
Adelardus firmauit.
Adelmarus firmauit.
Actum *Varenna.*

No. XXIX.

Monachi S. Martini Turonenses Emmae Reginae, Rudolfi Franciae Regis coniugi, villam Montis pro annuo censu elocant. Anno 930. Ex Marten. Anecdot. T. I. p. 67.

Vide supra Diploma VII. p. 83.

No. XXX.

No. XXX.


Rudolfus Burgundiae atque Italiae Rex Parmensi Episcopo confirmat Abbatiam de Berceto.

Anno 922. Ex Murator. Antiq. T. VI. p. 325.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis, *RODVLFVS* diuina fauente clementia Rex. Si sanctis & venerabilibus locis augmentum Regio conferimus donatiuo, & apud Deum veniam promereri, nostrique Regni stabilimentum coelitus tueri non diffidimus. Id circo omnium Fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque praesentium & futurorum comperiat vniuersitas, Domnum Lampertum venerabilem Archi Episcopum, & *Adelbertum*, gloriosissimum *Marchionem*, dilectissimos fideles nostros, suppliciter nostram exorasse clementiam, vt praecepta nostrorum Antecessorum Regum & Imperatorum, quibus Abbatiam de Berceto, in honore Sancti Remigii constructam in Comitatu Parmensi, cum omnibus suis pertinentiis per diuersa loca & vocabula infra Italicum Regnum nobis a Deo collatum, adiacentibus, iuri & Dominio Parmensis Episcopii perpetualiter donantes subiecerunt, nos quoque pro aeterna remuneratione per nostrae concessionis & confirmationis paginam roborare dignaremur. Quorum precibus acclinati, & deuotam fidelitatem Aichardi ipsius Sedis venerabilis Praesulis attendentes, hoc nostrum donationis & perpetuae confirmationis praeceptum scribi iussimus, per quod praenominatae Sanctae Parmensi Ecclesiae praetaxatam Abbatiam de Berceto cum omnibus casis, & rebus mobilibus & immobilibus, cum curtibus mansis, Capellis, vineis, pratis, siluis, stalareis, oliuetis, mirtetis, cultis & incultis, montibus, vallibus, planiciebus, ripis, rupinis, molendinis, piscationibus, fiscatis, redditionibus, aquis, aquarumque decursibus, cum seruis & ancillis, Aldionibus & Aldianis vtriusque sexus, & omnibus, quae dici aut nominari possunt, ad ipsam Abbatiam pertinentibus vel aspicientibus, sine aliqua diminoratione concedimus & perpetua firmitate roboramus. Ita sane, vt nemo nostrorum fidelium quicquam ei contradicere, aut quoquo modo eum exinde, suosque Successores molestare, aut inquietare presumat; sed tam ipse praelibatus Aichardus Pontifex, quam hi, qui post eum in saepe dicta Parmensi Sede Praesules extiterint, de eadem Abbatia habeant potestatem tenendi, regendi atque ordinandi, prout illis melius secundum Deum visum fuerit, omni molestatione, & inquietudine vel inuasione remota. Si quis autem hoc nostrae dominationis, & nullo in tempore violandae confirmationis praeceptum

vio-

violarè temptauerit, centum Libras auri optimi componere cogatur, medietatem Palatio noſtro, & medietatem ſaepe dictae Parmenſi Eccleſiae. Quod vt verius credatur, diligentiusque ab omnibus obſeruetur in perpetuum, manu propria roborantes, ex annulo noſtro iuſſimus inſigniri.

Signum  Domni *RODVLFI* piiſſimi Regis.

Locus Sigilli.

Hieronimus Notarius iuſſu & praeceptione Domni Regis recognoui.
Data II. Nonas Februarii. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCXXII. Indictione X. Regnante Domno noſtro *RODVLFO Rege* anno in Burgundia XI. in Italia I.
Datum Ticini ciuitate in Dei nomine feliciter. Amen.

No. XXXI.

Rudolfi II. Burgundiae & Italiae Regis diploma pro Adelberto Bergomenſi Epiſcopo, quo vrbs ipſi ſubditur. Anno 922. Ex Vghell. Ital. Sacra T. IV. p. 430. edit. nou.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* diuina fauente clementia Rex. Si ſanctis & venerabilis locis --- Idcirco omnium --- nouerit induſtria, Dominum Lambertum, Sanctae Mediolanenſis Eccleſiae Archi Epiſcopum, Guidonem quoque Placentinum, & Benedictum Terdonenſem venerabiles Epiſcopos, & *Gilbertum* (forte Giſelbertum) illuſtrem Comitem, dilectos Conſiliarios noſtros, noſtram adiiſſe manſuetudinem vice *Adelberti*, Reuerendi Sanctae Bergomenſis Eccleſiae Epiſcopi, innoteſcentes nobis, eandem vrbem Bergomum hoſtili quadam impugnatione deſtructam: vnde nunc maxime etiam ſaeuorum Vngarorum incurſione turbatur, poſtulantes, vt turres & muri ipſius ciuitatis reaedificentur, & labore & ſtudio praefati Epiſcopi ſuorumque conciuium ibi confugientium ſub defenſione eiusdem matricis Eccleſiae Beati Vincentii in priſtinum deducantur ſtatum. Nos autem, iuſtam praefati Epiſcopi per praedictos fideles noſtros petitionem compenſantes, ſtatuimus, vt pro imminenti neceſſitate, & paganorum incurſu ciuitas ipſa Bergomenſis reaedificetur, vbicumque praefatus Epiſcopus & conciues neceſſarium duxerint, turres quoque, & muri, ſeu portae vrbis

vrbis labore & studio ipsius Episcopi & conciuium, ibidemque confugientium sub potestate & defensione praefatae matricis Ecclesiae, & ipsius Episcopi, suorumque Successorum perpetuis consistant temporibus; domus quoque in turribus, & super muros, vbi necesse fuerit, potestatem habeat aedificandi, vt vigiliae, & propugnacula non minuantur, & vt sint sub potestate eiusdem Ecclesiae. Confirmamus etiam ipsi Ecclesiae praecepta & cuncta instrumenta Chartarum, quae ab Antecessoribus nostris, & reliquis hominibus Deum timentibus, eidem Ecclesiae collata sunt. Inquisitionem etiam secundum consuetudinem ipsius Ecclesiae, immunitatem quoque, & quae iuste & legaliter acquisiuit, sub nostra tuitione teneat, possideat, atque defendat. Si quis igitur hoc nostrae authoritatis pragmaticum quandoque violare tentauerit, centum libras auri optimi componere cogatur, medietatem Palatio nostro, & reliquam medietatem praetaxato Pontifici, & praelibatae matrici Ecclesiae, suisque Successoribus. Quod vt firmitatem & stabilitatem per futura tempora obtineat, manu nostra roboratum, & anulo nostro subter praecepimus assignari.

Signum ✠ Domni *RODVLFI* Serenissimi Regis.

Manno Cancellarius subsc.

Gilbertus (Giselbertus) Archi Cancellarius subsc.

Data 3. Non. Decemb. Anno Incarnationis Dominicae 922. Domni vero *RODVLFI* piissimi Regis in Italia I. in Burgundia XI. Indict. XI.


Actum Papiae in Dei nomine feliciter.

No. XXXII.

Rudolfus Burgundiae atque Italiae Rex confirmat Ecclesiae Parmensis Canonicis bona & iura omnia. Anno 922. Ex Murator. Antiq. Ital. T. III. p. 53.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* gratia fauente diuina Rex. Omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque, praesentium scilicet & futurorum, comperiat sollicitudo, quia, venientibus nobis in ciuitatem *Parmam*, Canonici ipsius Sanctae Parmensis Ecclesiae per *ADALBERTVM* inclitum *Marchionem*, dilectum fidelem nostrum, petierunt nostram clementiam, quatenus Praecepta decessorum nostrorum in ipsa Canonica de illorum rebus & familiis emissa, quae in repentino incendio cremata noscuntur, nos denuo easdem res & familias ipsis Canonicis nostro confirmaremus edicto. Quorum petitionibus pro affectu consulentes, & eorum erga nos deuotionem attendentes,

iussimus illis hoc nostrum fieri Praeceptum, per quod ipsos Canonicos, & eandem Canonicam de ipsis rebus & familiis nostra Regali auctoritate inuestimus, sicut a nostris Praedecessoribus inuestiti fuerant. Et praecipue eos ex rebus illis inuestimus, quae de parte quondam *Wibodi* Episcopi, & *Vulgundae* Deo dicatae, traditae & concessae illis fuerunt, & sicut ab ipsis Wibodo & Wulgunda ipsae res possessae, & in illorum dominio tenuerunt: nec non etiam res illas, quas *BERTA* dignae memoriae *Comitissa* & *Wifredus* filius eius *Comes*, & caeteri Deum timentes homines in praedicta Canonica contradiderunt, praecipientes per hoc nostrae auctoritatis Regale Praeceptum, tam eadem Praecepta, quamque vniuersa .... omnesque res mobiles & immobiles, seruos & ancillas, Aldiones & Aldianas, & omnia, quae a principio institutionis eius a fidelibus quibusque animabus inibi collata sunt, & quaecumque in posterum per fideles animas adeptura est, confirmamus, concedimus atque roboramus, tenere, possidere, ac perfrui iure perpetuo sine qualibet inquietudine. Et quoniam quaedam ipsius Canonicae munimina improuiso incendii periculo periere, statuimus, vt de rebus suis, tamquam pars nostra publica, per vicinos inquistum habeant, aut per sacramenta eas defendant. Similiter eodem modo concedimus & confirmamus praefatis Canonicis, morem Praedecessorum nostrorum sequentes, vt nemo fidelium nostrorum vel illorum homines, aut quisquam de parte publica in illorum mansiones vel proprietates per vim introire, aut quicquam auferre, vel de Mansis eorum aliquam redibitionem exigere, aut illorum homines distringere quoquo modo praesumat; sed volumus & iubemus, vt a suis Patronis districti iustitiam faciant & adimpleant. Si quis igitur hoc nostrae auctoritatis & confirmationis & concessionis Praeceptum infringere, vel violare, aut in supra dictis rebus se intromittere temptauerit, sciat, se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Camerae nostrae, & medietatem praedictis Canonicis, suisque Successoribus. Quod vt verius credatur, diligentiusque ab omnibus obseruetur, manu propria roborantes, ex anulo nostro iussimus insigniri.

Signum manus  Domni Rodulfi Serenissimi Regis.

Locus ✠ *Sigilli cerei deperditi.*

Manno Cancellarius ad vicem Giselberti ArchiCancellarii recognoui & subscripsi.

Data

Data VI. Idus Decembris, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXXII. Domni vero *RVODVLFI* piissimi Regis in Italia I. in Burgundia XII. Indictione X. (*)

Actum Papiae, in Dei nomine feliciter. Amen.

No. XXXIII.

Rudolfus Rex Cremonensis Ecclesiae priuilegia confirmat. Anno 924. Ex Murator. Antiq. Ital. T. VI. p. 49.

In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei eterni. *RODVLFVS* diuina annuente clementia Rex. Quoniam quidem Imperatorum & Regum consuetudo fuit, est, eritque, Christo propitiante, diruta solidare, & ad statum bone ordinationis dirigere, & sanctarum Dei Ecclesiarum defensionem illius amore, qui pro omnibus passus est, firmiter instare; idcirco notum sit omnibus fidelibus Sancte Dei Ecclesie, nostrisque, presentibus atque futuris, quia Iohannes, Sancte Cremonensis Ecclesie Episcopus, nosterque per omnia fidelissimus, innuit & retulit modestie nostre per Reuerentissimum Sancte Tertonensis Ecclesie Episcopum, & Archi-Cancellarium nostrum, nec non & Heicardum, venerabilem Sancte Parmensis Ecclesie Episcopum, summumque Auricularium nostrum, quatenus eumdem Iohannem Episcopum cum omnibus facultatibus sue Ecclesie, suoque Clero & Canonicis ibidem Deo famulantibus, suisque Libellariis absque proprietate consistentibus, eiusdemque Ecclesie familiis, pro Dei amore, & remedio anime nostre, sub nostra Regali defensione recipere, & omnia iura sue Ecclesie, & proprietates atque possessiones sub integritate sui, per nostri Precepti inscriptionem confirmare vsque in perpetuum dignaremur, sicut iuste & legaliter inferius fuerit declaratum. Nos autem, eamdem Ecclesiam a Paganis, & quod magis est dolendum, a pessimis Christianis desolatam, multisque calamitatibus & miseriis attritam, intelligentes, & prefati Episcopi Iohannis fidelitatem intuentes, consilio predictorum Episcoporum libenter annuimus, atque pretitulatam Ecclesiam cum suo Episcopo, suoque Clero, suisque Libellariis & familiis, sub nostra tuitione recepimus, & omnia sua queque iusta moderamine confirmauimus. Precipientes & omnibus modis statuentes, vt nullus Dux, Comes, Vice Comes, Sculdasio, Decanus, aut aliqua publice partis persona infra muros & fossatos pretitulate Ecclesie & prediis eius atque Castellis & Curtibus, Titulis, Cellis, atque Plebibus, Placitum custodiat, aut aliud ali-

*) Congruit Indictio.

aliquod contra Pontificem eiusdem Ecclesie agat. Curaturam denique & teloneum, quod iniuste ad partem publicam exigebatur de infra muris & Ciuitate, ad prenominatam Ecclesiam pertinentibus, simul cum annuali Mercato & Curatura, que dicitur Sancti Mazarii, prout bone memorie *Berengarius* Imperator & *Predecessor* noster eidem Ecclesie concessit & restituit, cum omni publica functione concedimus & confirmamus ipsi Sancte Cremonensi Ecclesie. Piscariam quoque, sicut per precepta eadem Ecclesia possidet, a loco scilicet, in quo Addua in Padum defluit, cum omnibus Insulis & Pollicinis in Padum existentibus, seu & molendinis, atque Ripaticum vsque ad Portum de Vulpariole, de eadem Ecclesia pertinente, simul cum terra posita infra eamdem Ciuitatem, que olim pertinuit de Curte iuris Regni nostri, que dicitur Sex-pilas ex integro, prout iam nominatus Berengarius Imperator eidem Ecclesie tribuit, concedimus, & per omnia ipsi Sancte Cremonensi Ecclesie confirmamus, ad habendum, tenendum, & quicquid Episcopus eiusdem Ciuitatis, qui pro tempore fuerit, ad vtilitatem eiusdem Ecclesie voluerit, faciendum. Sancimus preterea, & Regali nostra auctoritate decernimus, vt Libellarii & Manentes pretaxate Ecclesie, qui absque proprio sunt, & proprium non habent, placitum non celebrent publicum. Et si aliqua fuerit orta contentio, & adclamati fuerint, volumus & determinamus, vt cum Episcopo sepe dicte Ecclesie, aut cum suo Misso ad Placitum pergant, & legem faciant atque recipiant, omni mala & publica occasione sopita, penitusque remota. Interea precipiendo precipimus, vt quicquid telonei aut curature exigi possit a negotiatoribus eandem Ciuitatem adeuntibus, nemo publicus Ministerialis exinde se intromittat, aut inuenta occasione aliud aliquid infra aut extra muros tollat, sed pars prenominate Ecclesie eandem curaturam & teloneum, per hanc nostram auctoritatem & concessionem, extra & infra muros eiusdem Ciuitatis ad partem pretaxati Episcopii tollat & vindicet, absque tocius potestatis contradictione. Denique negotiatores eiusdem Ciuitatis, insidiose contra prefatam Ecclesiam agere temptantes, si voluerint Portum predicte Ecclesie dissoluere, & diabolica suasione in alia aliqua parte transmutare; diuino amore succensi funditus hoc contradicimus: sed sicut iam nominatus Iohannes Episcopus eandem Ecclesiam de eodem Portu inuestitam inuenit, ita vsque in perpetuum presenti deliberatione teneat & possideat; & quoscumque & quantoscumque inibi Episcopus, qui pro tempore fuerit, aduenire & mercari cum qualicumque negotio absque omni contradictione recipiat, & negotiari dimittat, saluo & non temerato iure sue Ecclesie. Si quis igitur hoc nostre concessionis & confirmationis preceptum infringere

gere temptauerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi Libras centum, medietatem Camere noſtre, & medietatem predicte Eccleſie ſuisque Pontificibus. Quod vt verius credatur & diligentius obſeruetur, manu propria roborantes, & anulo noſtro ſubter iuſſimus inſigniri.

Signum ✠ Domni *RODVLFI*, incliti Regis.

Manno Cancellarius, ad vicem Beati Epiſcopi & Archi Cancellarii recognoui.

Data V. Kalendas Octobris, Anno Dominice Incarnationis DCCCCXXIIII. Domni vero *RODVLFI* Sereniſſimi Regis in Burgundia XV. in Italia III. Indictione XIII.

Actum in Pratis de Grannis, in Chriſti nomine feliciter. Amen.

No. XXXIV.

Rudolfi II. Burgundiae & Italiae Regis diploma, quo rogatus ab Ermengarde Comitiſſa & Bonifacio Marchione, Conſiliariis ſuis, Parmenſi Epiſcopo Hercardo curtem Padi donat, Sablonetam. Anno 924. Ex Vghell. Ital. Sacr. Tom. II. p. 153.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLPHVS* . . . . fidelitatis augmentum reddere conſueuit. Quapropter nouerit fidelium omnium Sanctae Dei Eccleſiae, noſtrorum ſcilicet praeſentium & futurorum deuota ſolertia, *HERMENGARDAM*, inclytam *Comitiſſam*, nec non *BONIFACIVM*, ſtrenuiſſimum *Marchionem*, noſtrae Regiae poteſtatis *Conſiliarios*, humili prece noſtram adiiſſe clementiam, quatenus quandam curtem iuris Regni noſtri, quae dicitur *Subloneta*, adiacentem iuxta regionem *Heredani*, qui alio nomine *Padum* vocatur, ſub omni integritate ſua, *Hercardo*, reuerendiſſimo Praeſuli Sanctae Parmenſis Eccleſiae, chariſſimo ſcilicet fideli noſtro, iure proprietario concedere noſtri praecepti auctoritate vsque in perpetuum dignaremur. Quorum dignis petitionibus annuentes, & libentiſſime aſſenſum praebentes, ſeruitia praetitulati Pontificis noſtri chariſſimi condigna & promptiſſima ſerius conſiderantes, praelibatam Curtem de *Subloneta*, quae ſemper noſtrae Regiae & publicae parti pertinuit, iam praefato praeſuli *Hercardo* concedimus, & iure largimur perenni, ac de noſtra poteſtate, & dominio in eius poteſtatem & dominium omninò transfundimus ac delegamus, vna cum caſis, ſuaque domo, terris, vineis, campis, pratis, paſcuis, hortis, ſyluis, ſalicetis, ſationibus, piſcationi-

tionibus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, ſeruis & ancillis, aldionibus vel aldiariis, diſtrictionibus, penſionibus, ripaticis & teloneis, cultis & incultis, diuiſis & indiuiſis, montibus, vallibus, planitiebus, omnibusque ad ſe iuſte & legaliter pertinentibus, ad habendum, tenendum, vendendum, commutandum, alienandum, pro anima lucrandum, vel quidquid ſuus decreuit animus, faciendum, remota & ſopita totius publicae partis inquietudine, vel contradictione. Si quis igitur hoc noſtrae legalis inſtitutionis & conceſſionis praeceptum aliquo modo infringere, vel violare tentauerit .... irritus fiat, ſciatque, ſe compoſiturum auri optimi libras CCC. medietatem Camerae Palatii noſtri, & medietatem praeſati Praeſuli Hercardo, noſtro ſcilicet fideli chariſſimo, vel cui ipſe inde aliquid habere, aut poſſidere conceſſerit. Quod vt verius credatur, & diligentius ab omnibus obſeruetur, manu propria roborantes, annuli noſtri impreſſione fideliter inſigniri decreuimus.

Signum ✠ Domini *RODVLFI* Sereniſſimi Regis.

Marinus Cancellarius ad vicem Beati, Archi Cancellarii recognoui iuſſus.

Data VIII. Idus Octobris Anno Dom. Incarnat. 924. Domini vero *RODVLFI* piiſſimi Regis in Burgundia XIV. hic in Italia IV.

Dat. Papiae in Chriſti nomine feliciter. Amen.

No. XXXV.


Rudolfi Burgundiae & Italiae Regis diploma pro Sanctimonialibus Sancti Sixti Placentinis *ſigillatum*. Anno 924. Ex Murator. Ant. Ital. T. II. p. 41.

In nomine Domini Dei aeterni. *RODVLPHVS* diuina fauente clementia Rex. Si petitionibus fidelium noſtrorum libenter annuimus, deuotiores eos ad noſtrae fidelitatis obſequia reddimus. Quo circa omnium vniuerſalis Eccleſiae fidelium noſtrorum, videlicet praeſentium ac futurorum, nouerit induſtria, qualiter Lantpertus, Mediolanenſis Archi-Epiſcopus, & Adalbertus Sanctae Sedis Bergomenſis Epiſcopus, nec non & *Bonifacius* Marchio inclitus, noſtram ſuppliciter exorauerunt Maieſtatem, quatenus ob amorem ſupernae remunerationis per noſtri Praecepti paginam quoddam Monaſterium infra Ciuitatem Placentinam, a beatae videlicet memoriae *Angilberga Imperatrice* conſtructum, & in honorem Sancti Xyſti dedicatum, *BERTAE glorioſiſſimae Abbatiſſae, Conſanguineae noſtrae*, cum omnibus ſuis pertinentiis confirmare dignaremur,

mur, simul quoque roborantes, & in perpetuum concedentes eidem Monasterio quasdam Curtes, Wardestallam scilicet, Luzariam, Lectora, Paludana, Villolae, Piguniarias cum adiacentiis eorum, & omnia quaecumque memorata Imperatrix per institutionis suae paginam vbique idem Coenobium deffiniuit habendum. Quorum petitionibus tota deuotione fauentes, id fieri annuimus, hoc nostrum Praeceptum scribi iubentes, per quod praelibatae *Bertae* idem Monasterium confirmamus, quatenus in sua sit potestate & dominio, quousque vixerit, & ibidem dominatrix & ordinatrix atque rectrix inuigilet ac permaneat, donec eius fuerit vita. Per quod etiam iam praescriptas venerabili loco concedimus ac confirmamus omnes res ac possessiones mobiles ac immobiles, tam per cartulas, quamque extra cartulas, vel cuicumque inscriptionis titulo ad partem ipsius Monasterii legibus adquisitas & adquirendas, seu quidquid per Regum vel Imperatorum Antecessorum nostrorum praecepta ad eumdem sacrum locum collatum est: atque Cellulam quamdam, quae antiquitus Monasterium dicebatur, non procul a Placentina vrbe situm, loco qui caput Trebiae vocatur, in qua Ecclesia Apostolorum Principis honori dicata consistit, cum omnibus inibi pertinentibus, quemadmodum *KARLOMANNVS* Serenissimus Rex antiquitus eamdem Cellulam cum vniuersis suis appendiciis eidem Monasterio proprietario iure largitus est, praenominato venerabili loco per hoc nostrae Regalis auctoritatis Praeceptum ex integro perdonamus, largimur, confirmamus ac modis omnibus corroboramus. Familias quoque vtriusque sexus & conditionis cum curtibus & capellis, earumque appendiciis, cum omnibus Castellis, casis, vineis, campis, pascuis, pratis, salictis, sationibus, paludibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, fluminibus, piscationibus, ripis, rupinis, montibus, collibus, vallibus, ac planitiebus, cultis & incultis, diuisis & indiuisis, mercationibus, vectigalibus, districtionibus, seruis & ancillis, Aldiis & Aldianis, & omnibus, quae dici & nominari possunt, ad idem Monasterium iuste & legaliter respicientibus, in integrum confirmamus. Ita videlicet, vt praelibata Abbatissa *Berta*, quousque vixerit, hac nostra auctoritate roborata, de praescriptis rebus eidem Monasterio pertinentibus tam per Praeceptorum paginam, vt diximus, quamque aliarum Instrumenta Cartarum & adquisitis & adquirendis potestatiue faciat, omnium magnarum paruarumque personarum molestatione remota. Si quis vero hanc nostram auctoritatem violare temptauerit, centum quinquaginta Libras auri optimi componere cogatur, medietatem Camerae nostrae, & medietatem saepe fatae Berthae Abbatissae. Quod vt verius

cre-

credatur, diligentiusque ab omnibus obseruetur, manu propria roborantes de anulo nostro iussimus insigniri.

Signum Domni  Rodulfi piissimi Regis.



Manno Cancellarius ad vicem venerabilis Beati Episcopi & Archi-Cancellarii recognoui & subscripsi.

Data pridie Idus Nouembris Anno Incarn. Dom. DCCCCXXIV. Domini Rodulfi piissimi Regis in Italia III. Indictione XII.

Actum Veronae in Christi nomine feliciter. Amen.


No. XXXVI.

Rudolfus Italiae & Burgundiae Rex confirmat Ecclesiae Patauinae priuilegia & iura. Anno 924. Ex Murator. Antiq. Ital. Tom. III. p. 55.

In nomine Dei aeterni. *RODVLFVS* diuina fauente clementia Rex. Si Antecessorum nostrorum, Regum videlicet siue Imperatorum, Ecclesiasticæ concessa Priuilegia etiam nostrae largitatis auctoritate roboramus, plurimum nobis ad aeternam remunerationem, Regnique stabilitatem prodesse confidimus. Ideoque omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, praesentium scilicet & futurorum, nouerit vniuersitas, *Adelbertum*, venerabilem Bergamensem Episcopum, nostram exorasse clementiam, quatenus pro Dei amore Praeceptum auctoritatis atque emunitatis nostrae Sanctae Patauensi Ecclesiae & *Sibicboni* eiusdem Sedis Episcopo, suisque Successoribus, fieri iuberemus, per quod omnia Praecepta ac Priuilegia Antecessorum nostrorum, Imperatorum videlicet atque Regum, inuiolata permaneant. Quorum petitionibus iustis & rationabilibus adquiescentes, hoc Praeceptum auctoritatis atque emunitatis nostrae circa ipsa sancta loca fieri decreuimus, per quod iubemus atque praecipimus, vt omnia Praecepta ac Priuilegia Antecessorum nostrorum, Imperatorum videlicet atque Regum, inuiolata permaneant, & vt nullus ex iudiciaria potestate in Ecclesias, Cortes, loca, vel agros, seu reliquas

possef-

possessiones rusticas siue vrbanas, ad partem ipsius Ecclesiae confirmantes, siue eas, quas moderno tempore per donationes Imperatorum vel Ducum vel ceterorum fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nec non de comparationibus & commutationibus, vel de quolibet adtractu iuste & rationabiliter ad praedictam Sedem Sanctae Patauensis Ecclesiae in quibuslibet pagis & territoriis infra dictionem Regni nostri iuste & legaliter possident, vel quae deinceps diuina pietas voluerit augere, Rectoribus eiusdem Ecclesiae, vllam molestiam vel inquietudinem facere praesumat; sed liceat eis sub nostrae emunitatis tuitione ac defensione quieto ordine tenere ac possidere. Confirmamus praeterea Praecepta, quae a Berengario Imperatore concessa fuerunt praedicto Episcopo in Valle Feltrense, seu in Comitatu Vicentino, & in ceteris locis. Insuper concedimus in integrum praedicto Sibichoni Episcopo, suisque Successoribus totum Episcopatum, sicut a Petro Episcopo, auunculo Iunioris Petri, fuit detentum atque possessum. Si quis igitur, quod fieri non credimus &c.

Signum  Domni Rodulfi Serenissimi Regis.

Locus Sigilli ✠ *cerei deperditi.*

Manno Cancellarius ad vicem Beati Episcopi Archi Cancellarii recognoui & subscripsi.

Data Pridie Idus Nouembris, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXXIV. Domni vero Rodulfi piissimi Regis in Italia III. Indictione XIIII. (*leg.* XII.)

Actum Veronae, in Christi nomine feliciter. Amen.

No. XXXVII.

Rudolfi II. Burgundiae & Italiae Regis diploma pro Zenoniano Coenobio Veronensi. Anno 924.

Ex Vghell. Ital. Sacr. T. V. p. 740. edit. nou.

In nomine Domini Dei aeterni. *RODVLPHVS* diuina ordinante clementia Rex. Si sanctis & venerabilibus locis subleuamen nostrae auctoritatis impendimus, & ad Ministerium diuinum exequendum opem ferimus; pro cuius amore id agimus, aeternae remunerationis nobis praemia largiri, non ambigimus. Idcirco omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque praesentium scilicet & futurorum comperiat solertia, *Widonem*, venerabilem Episcopum, dilectumque fidelem & Con-

ſiliarium noſtrum, ſuppliciter noſtrae pietatis exoraſſe clementiam, quatenus Monaſterium Beati Zenonis, vbi eius corpus ſacrum humatum quieſcit, ſub noſtrum mundeburdium recipere dignaremur. Ad cuius preces noſtras aures inclinantes, idem Monaſterium cum omnibus iuribus vndecumque conquiſitis, & in futurum conquirendis, ſub noſtro mundeburdio recepimus. Videlicet cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, ſeſeque mouentibus, famulis & ſeruis, vtriusque ſexus mancipiis, colonis, libellariis, cartulariis, eiusque commenditis: praecipientes, vt nullus Dux, Comes, Vice Comes, nullaque magna paruaque perſona in poſſeſſiones praedicti Monaſterii, commenditorumque eius, ſe deinceps intromittere valeat, aut aliquo ingenio de eisdem vſurpando, vel inuadendo ſubtrahere absque *imperiali* & *noſtrorum iudicum palatinorum* iudicio. Inſuper etiam & noſtro bando bandimus, vt, ſi quis fortaſſe aliquid de praedictis rebus hactenus detinuit, & in ſuos vſus ſua poteſtate & temerario auſu poſſedit .... ſe a tali violentia ſubtrahat, & ſe funditus ſuosque homines remoueat. Omnia quoque praecepta & priuilegia eiusdem Monaſterii, quae conceſſa ſunt, confirmata, & funditus delegata priſcis temporibus ab Imperatoribus & Regibus Longobardorum & Francorum, ſeu omnes inſcriptiones, vniuerſasque res, vnde ipſum Monaſterium iuſte & legaliter inueſtitum permanſit, & quicquid ei legaliter pertinere dinoſcitur, tam per communitates & precaria, quam offerſiones & oblationes bonorum hominum, ſiue alias traditiones, & quascumque donationes, quae dici & nominari poſſunt, per hanc praeſentem noſtrae munificentiae auctoritatem perpetuo confirmamus, & modis omnibus corroboramus: quatenus, ſicut inferius ſcriptum eſt, praedictum Monaſterium in integrum aeternaliter poſſideat, & teneat iure proprietario iam dicto ſine contradictione, moleſtatione, vel minoratione omnium hominum. Concedimus & donamus etiam, vt, ſicut a piae memoriae Berengario Imperatore, & aliis Anteceſſoribus noſtris per praecepti paginam conceſſum eſt, liceat Abbatibus praedicti Coenobii, qui pro tempore fuerint, duas naues in Pado & in flumine Atheſis, & per cetera flumina habere ad nauigandum, & eundum, vbicumque neceſſe fuerit, absque vlla publica exactione & datione. Si quis igitur contra hoc noſtrae conceſſionis & corroborationis praeceptum inſurgere, aut contra ire temptauerit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras mille, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem ad partem .... cui violentia fuerit illata. Quod vt verius credatur, & diligentius in perpetuum obſeruetur, manu propria roboramus, ac annuli noſtri impreſſione ſubter inſigniri praecipimus.

Signum

Signum ✠ Domini *RODVLPHI* gloriosissimi Regis.

Marino Cancellarius ad vicem Beati ven. Episcopi, & Archi Cancellarii recognoui, & subsc.

Dat. pridie Idus Nouembris, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXXIV. Regni vero Domini *RODVLPHI* Sereniss. Regis Italiae III. Ind. XIII.

Actum Veronae in Christi nomine feliciter. Amen.

No. XXXVIII.

Conradus Salicus Episcopo Cremonensi confirmat priuilegia a decessoribus, & in his a Rege Rudolfo impetrata. Anno 1031. Ex Murator. Antiquit. Ital. T. I. p. 417.

In nomine Sancte & indiuidue Trinitatis. *CHVONRADVS* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si sancta & venerabilia loca &c. Quocirca omnium Sancte Dei Ecclesie fidelium, nostrorumque presentium scilicet ac futurorum nouerit vniuersitas, Hubaldum, venerabilem Sancte Cremonensis Ecclesie Antistitem, obtentu dilecte Imperii nostri Consortis Gisle Imperatricis gratissime, Celsitudinis nostre clementiam obnixe humiliterque postulasse, quatinus pro Dei amore, nostrique Imperii salute, nostra Imperiali auctoritate Precepta a Decessoribus nostris, Regibus atque Imperatoribus, maxime Berengario, *RODVLPHO*, nec non diue memorie Ottonibus, ac Henrico, Magnificis Imperatoribus Augustis, sue Ecclesie concessa confirmaremus & roboraremus. Cuius dignis petitionibus annuentes, prout iuste & legaliter &c. confirmamus, & corroboramus eidem Sancte Cremonensi Ecclesie quidquid Curature, Telonei, atque portatici, seu Ripatici, alico ingenio de iam fata Cremonensi Ciuitate ad publicam functionem pertinuit tam de parte ipsius Ciuitatis Comitatus, quam de parte Cortis Sexpilas, nec non ripas & piscarias a Vulpariolo vsque ad Caput Abdue cum molendinis & molatura eorum, scilicet per vnumquemque molendinum grani modios Cremonenses quinque; atque cum vniuscuiusque nauis solito censu, per vnamquamque nauim videlicet salis orales quatuor, sicut continetur in Notitiis ante presentiam Cessonis Diaconi, & Domni Ottonis Imperatoris Missi, & Heriberti Cancellarii, Cremone in Placito residentium factis, & auctoritate ac iussione prelibati Domni Ottonis Imperatoris legaliter roboratis; & palisicture denariis quatuor, seu cum persolutione omnium nauium, & cum curatura omnium negotiorum, qui

fiunt in predicta ripa tam ab incolis Ciuitatis, quam ab aliis aliunde ad negotium venientibus; seu cum omnibus Ecclesie rectitudinibus ac consuetudinibus. Districtionem vero Ciuitatis intus & extra per quinque Miliariorum spatia &c. Si quis igitur &c.

Signum Domni *CHVONRADI* Serenissimi Imperatoris Augusti.

Bruno Cancellarius ad vicem Aribonis Magontini Archi Episcopi & Archi Cancellarii recognoui.

Datum III. Kalendas Martii, Anno Dominice Incarnationis MXXXI. Indictione XIV. Anno autem Domni *CHVONRADI* II. Regnantis sexto, Imperii vero IV.

Actum Goslare feliciter. Amen.

No. XXXIX.

Fundatio Ecclesiae Paterniacensis per Bertham Reginam. Anno 962. Ex Guichenonii Bibliotheca Sebusiana pag. 1. sqq.

CVNCTIS sane considerantibus patet, quod ita Dei dispensatio quibusque diuitibus consulit, vt ex rebus transitoriis quae possidentur, si eis bene vtantur, semper mansura praemia valeant promereri; Quod videlicet diuinus sermo possibile ostendens, atque ad hoc omnino succedens dicit, Diuitiae viri, redemtio animae eius; Quod ego *BERTHA* dono Dei *Regina* sollicite perpendens, ac propriae saluti, dum licitum est, prouidere cupiens, ratum imo per necessarium duxi, vt ex rebus, quae temporaliter mihi collatae sunt, ad emolumentum animae meae aliquantulum impertiar, quippe quae adeo in his videor excreuisse, ne fortassis totum ad curam corporis in supremo redarguar expendisse, quin potius cum suprema sors cuncta rapuerit quiddam mihi gaudeam reseruasse. Quae scilicet causa nulla specie vel modo congruentius posse fieri videtur, nisi vt iuxta praeceptum ad tempus, sed continue peragatur, monastica professione congregatos ex propriis sumptibus sustentem, ea siquidem fide, ea spe, vt quamuis ipsa contemnere nequeam; tamen dum mundi contemptores, quos iustos credo, susceperim, iustorum mercedem accipiam. Igitur omnibus in vnitate fidei viuentibus, Christique misericordiam praestolantibus notum sit, quod ob amorem Dei & Saluatoris Iesu Christi, res iuris mei, Sanctae Mariae videlicet, & Sancto Petro, Sancto Ioanni & Sancto Mauricio cum Sociis suis, & illis Sanctis, qui in isto loco requiescunt, qui dicitur *Paterniaca*, consentientibus *Filiis* meis, *CONRADO* gloriosissimo *Rege*, nec non & *RODOLPHO*

Duce

Duce de propria trado dominatione, ipsum oppidum *Paterniacum*, cum omnibus rebus ad ipsum pertinentibus, mancipiis vtriusque sexus, cum praediis suis, quorum nomina hic tenentur scripta, (excepto vno prato ad domum Petri,) campis, pratis, syluis, aquis, aquarum decursibus, farinariis, exitibus & regressibus, cultis & incultis, vnam Ecclesiam ad Carcerem cum appenditiis suis, & aliam Ecclesiam ad Pulliacum, tertiam id est Capellam ad Pibirsin cum omnibus illuc pertinentibus; & tale praedium quale acquisiui in Votone & Vocilino, & Itispurga & Filiis eius, cum omni integritate, dono Sanctae Mariae & supra dictis Sanctis Ego *BERTHA* gratia Dei *Regina*, primum pro amore Dei; deinde pro anima Domini mei Beati *RODVLPHI Regis;* & pro anima *Filii mei BVRCHARDI* Episcopi; & eorum quorum debitores sumus; & *OTHONIS* gloriosissimi *Regis;* nec non pro anima *Filiae meae Reginae ADHELEIDAE;* & *Filiorum* meorum *CONRADI* Serenissimi *Regis,* & *RODOLPHI Ducis;* & pro me ipsa; & pro salute animarum nostrarum & Corporum, & omnium qui propter amorem Domini istud templum Dei gubernare aut augere volunt; pro statu etiam & integritate Catholicae Religionis; eo siquidem dono tenore, vt in honore Sanctae Mariae & supra dictorum Sanctorum Monasterium regulare construatur, ibique Monachi iuxta Regulam Beati Benedicti viuentes congregentur, qui ipsas res perenni tempore possideant, teneant, habeant, atque ordinent; ita dumtaxat vt ibi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus fideliter frequentetur, conuersatioque coelestis omni desiderio & ardore intimo perquiratur & expectetur; sedulae quoque orationes, postulationes atque obsecrationes Domino dirigantur, tam pro me, quam pro omnibus, sicut eorum memoria supra digesta est, sintque ipsi Monachi cum omnibus praescriptis rebus sub potestate & dominatione Maioli Abbatis, qui quandiu vixerit secundum suum scire & posse eis regulariter praesideat, post discessum vero eius, habeant iidem Monachi potestatem & scientiam quemcunque sui Ordinis, secundum placitum Dei atque Regulam Sancti Benedicti promulgatam, eligere maluerint Abbatem atque Rectorem, ita vt nec alicuius potestatis contradictione contra Religiosam dictionem impediantur, per quinquennium autem Romae X. solidos ad limina Apostolorum ad concinnanda luminaria praefati Monachi persoluant: habeantque tuitionem ipsorum Apostolorum atque Romani Pontificis defensionem, & ipsi Monachi corde & animo pleno praelibatum locum pro posse & nosse suo aedificent. Volumus etiam, vt nostris Successorumque nostrorum temporibus, prout opportunitas atque possibilitas eiusdem loci sese dederit, quotidie misericordiae opera pau-

pauperibus, indigentibus, aduenis, peregrinantibus ſumma intentione ibidem exhibeantur: (*) Placuit etiam huic teſtamento inſeri, vt ab hac die nec noſtro, nec parentum noſtrorum, nec faſcibus regiae magnitudinis, nec cuiuslibet terrenae poteſtatis iugo ſubiiciantur Monachi ibidem congregati. Nec aliquis Principum ſaecularium, non Comes quisquam, nec Epiſcopus quilibet, nec Pontifex ſupra dictae Sedis Romanae, (per Deum & in Deum omnesque Sanctos eius, & tremendi Iudicii diem conteſtor, & deprecor,) inuadat res ipſorum Dei ſeruorum, non diſtrahat, non minuat, non praecambiat, non beneficiet alicui, non aliquem Praelatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat. Et vt hoc nefas omnibus temerariis ac improbis arctius inhibeatur; adhuc idem inculcans ſubiungo, & hoc obſecro vos, o Sancti Apoſtoli & glorioſi Principes terrae, Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum Apoſtolicae Sedis, vt per auctoritatem Canonicam & Apoſtolicam, quam a Domino accepiſti, alienes a conſortio Sanctae Dei Eccleſiae, & ſempiternae vitae, praedones & inuaſores atque diſtractores harum rerum, quas Sanctae Mariae & praedictis Sanctis hilari mente promptaque voluntate dono, ſitisque tutores ac defenſores iam dicti loci Paterniaci, & ſeruorum Dei ibi commorantium ac commanentium, harum quoque omnium facultatum, propter eleemoſinam & clementiam ac miſericordiam piiſſimi Redemptoris noſtri; Si quis forte, quod abſit, & quod per Dei miſericordiam & patrocinia Apoſtolorum euenire non aeſtimo, vel ex propinquis aut extraneis, vel ex qualibet conditione vel poteſtate qualicumque calliditate contra hoc teſtamentum, quod pro Dei amore Omnipotentis, ac veneratione Sanctae Mariae Matris Domni, & praedictorum Sanctorum fieri ſanciui, aliquam concuſſionem inferre tentauerit: Primum quidem iram Dei Omnipotentis incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viuentium; fiatque pars illius cum his qui dixerunt Domino Deo, recede a nobis, & cum Dathan & Abyron, quos terra aperto ore deglutiuit, & viuos infernus abſorbuit, perpetuam incurrat damnationem: Socius quoque Iudae Domini proditoris effectus aeternis cruciatibus retruſus teneatur; & ne ei praeſenti ſaeculo humanis oculis impune tranſire videatur, in corpore quidem proprio futurae damnationis tormenta experiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter acris verberibus coërcitus,

*) Quae iam ſequuntur vsque ad finem huius inſtrumenti, de verbo ad verbum reſpondent clauſulae illi, qua Adelheidis Burgundica diploma ſuum Cluniacenſibus A. 928. datum, & a nobis ſupra N. XXV. relatum, muniri voluit; vt pateat ex his exemplis, quam pro ſimplicitate, prope dixerim irreligioſitate illorum temporum Clerici & Monachi in comminationibus & maledictionibus aduerſus priuilegiorum ſuorum & immunitatum temeratores faciles fuerint; alieni prorſus a CHRISTI exemplo, qui diſcipulos ſuos pro inimicis orare iuſſit. Sed haec obiter.

citus, vix femiuiuus euafit, alter vero fuperno nutu percuffus putrefcentibus membris & fcatentibus vermibus miferrime interiit, caeterisque facrilegis, qui aerarium domus Dei temerare praefumpferunt, particeps exiftat, habeatque, nifi refipuerit, Archiclauum totius Monarchiae Ecclefiarum iuncto fibi Sancto Paulo obftitorem & amoeni Paradifi aditus contradictorem, quos fi vellet, habere poterat per fe piiffimos interceffores; fecundum mundialem vero legem his, quibus intulerit calumniam, centum auri libras cogente iudiciaria poteftate compulfus exfoluat; & congreffio illius fruftrata nullum omnino obtineat effectum, fed huius firmitas teftamenti omni auctoritate fuffulta femper inuiolata ac inconcuffa permaneat, cum omni ftipulatione fubnixa.

Signum Dominae *BERTHAE Reginae*, quae hanc traditionem cum manibus *Filiorum fuorum CONRADI Regis*, ac *RODOLPHI Ducis* fubtus confirmauit.

Signum *CONRADI Filii Regis.*

Signum Henrici Comitis. Signum Eleardi. Signum Gausleni.

Signum Abo. Signum Wandalrici. Signum Azzonis.

Signum Hiuonis. Signum Buraewardi. Signum Engescaldi.

Signum Merii. Signum *Rudulphi Comitis.* Signum Anshelmi.

Signum Adelgohhi. Signum Woradi. Signum Borno.

Ego Sunfhardus (forte *Gunthardus*) hanc cartam ad vicem Ponchoni Cancellarii fcripfi.

Data in die Martis Kal. Aprilis Anno XXIV. regnante Conrado Rege.

Actum vero Laufana Ciuitate.

No. XL.

Conradus Burgundiae Rex Cluniacenfibus Boliniacum confert. Anno 943. Ex Guichenon.

Bibl. Sebuf. Cent. II. c. 21. p. 269.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CHVNRADVS* diuino munere largiente Sereniffimus Rex. Quidquid iufte & recte nobis agere videtur, fatis poffumus corroborare & confirmare. Idcirco notum fit omnibus fidelibus noftris, praefentibus ac futuris, qualiter *HVGO, Comes & Confanguineus nofter*, petiit Regalem Celfitudinem noftram, vt quandam villam, nomine *Boliniacum*, cum Ecclefia, in pago *Lugdunenfi*, cum villis, terris, vineis, pratis, fyluis, pafcuis, aquis, atque aquarum decurfibus, feruis vtriusque fexus, & omnibus adiacentiis & pertinentiis fuis, quaefitum & ad inquirendum, per noftram auctoritatem

ad

ad Monasterium Cluniacum, quod est in honore Beati Petri, concederemus; quod & ita fecimus pro Dei amore. Volumus vero & per hoc nostrum praeceptum firmiter decreuimus, vt dictus locus omnem obtineat futuris temporibus potestatem, sine vlla inquietudine vel contradictione. Vt autem hoc nostrum praeceptum omnem obtineat vigorem, manu nostra firmauimus, ac sigillum nostrum in id affigi (iussimus.)

Data IX. Kal. Maii Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCCXLIII. Anno VI. regnante Domino *CHVNRADO* Rege, *Filio RODVLPHI.*

No. XLI.

Notitia iudicati Conradi Burgundiae Regis pro Cluniacensi Monasterio. Anno 943. Ex Guichen. Biblioth. Sebus. Cent. II. c. 5. p. 239.

In nomine Dei aeterni. *CONRADVS* nutu Omnipotentis Dei Serenissimus Rex. Notum sit omnibus fidelibus nostris, qualiter Dei famuli ex Cluniaco Monasterio Monachi proclamauerunt se in praesentiam nostram in pago *Viennense*, quod *CAROLVS*, *Consanguineus noster*, illorum res, quas *Ingelbertus* per cartam donationis ad dictum locum tradidit, idem Carolus locum iniuste contendebat. Ille autem, vbi vidit & audiuit, non se hoc recte tenere, praesentialiter dimisit omnem quaerelam, & illico ipsas cartas, quas *Ingelbertus* fecerat, corroborauit, & iterum in manu Regis firmauit. Et tunc iussit Dominus Rex hoc iudicium scribere, per quod omni tempore dictae cartae inuiolabiliter permaneant; & subtus fidelium nostrorum nomina iussimus inserere, ac de Sigillo nostro sigillare.

Aymo Episcopus (Valentinus.)
Wido Archi Episcopus (Lugdunensis.)
Sobo Archi Episcopus (Viennensis.)
Bero Episcopus.
Hugo Comes.
Odoricus Comes Palatii.
Gimio, filius Ludouici. Anselmus. Oldoricus Comes. Vmbertus Attonis. Vassi Dominici maiores & minores, qui praesentes fuere.


Ego Henricus Notarius hoc iudicium scripsi, dictaui V. Kal. Iulii Anno VI. regnante Domino *CONRADO.*

No. XLII.

No. XLII.

Conradi Burgundiae Regis donatio, Monaſterio Cluniacenſi, rogatu Hugonis Comitis, pro anima patris Rodulfi, de Tuſſiaco facta. Anno 943. Ex Biblioth. Cluniac. p. 267. repetiit Meneſtrier. Hiſtor. Lugdun. Probat. p. 8. ſed ſine monogrammate.

IN nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CHVONRADVS* nutu Omnipotentis Dei Sereniſſimus Rex. Conuenit, vnumquemque noſtrum Eccleſiae Dei pro ſe, ſuisque omnibus Deo fideles ſublimare ac ſubuenire. Quatenus nouerit omnium fidelium noſtrorum memoria praeſentium ac futurorum, qualiter *HVGO Comes*, *Conſanguineus* noſter, adiit Regiam magnitudinem noſtram, vt hoc, quod nobis reddit, videlicet *Thoſiacum* villam, in pago *Lugdunenſi*, & quicquid ad hanc legitime pertinere videtur, terras, vineas, prata, ſyluas, aquas, aquarumque decurſus, piſcatorias, omnes ſeruos vtriusque ſexus, pro noſtro *Seniore*, bonae memoriae *RODVLFO Rege*, & remedio animae noſtrae, ad Monaſterium *Cluniacum*, quod eſt conſtructum in honore Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, per Praeceptum, ſecundum morem Regium, concederemus: quod & fecimus. Volumus namque ac firmiter decernimus, vt ſuper inſertus locus omnem obtineat vigorem, & quicquid hic aſpexerit ad ſuper memoratam villam, cum omnibus ſuis adiacentiis & appendiciis, quaeſitum & inquirendum, totum & ad integrum, ſine vllo obſiſtente & contradicente. Vt autem hoc noſtrum Praeceptum ab omnibus obſeruetur, & a nemine vmquam violetur, manu propria firmauimus, & de ſigillo noſtro confirmare iuſſimus.

Signum Domni piiſſimi  *CHVONRADI* Regis.

Einricus ad vicem Aimonis Epiſcopi ſſ.

Data VIIII. Kal. Maii. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCXLIII. Anno ſexto regnante Domno *CHVONRADO Rege*, *filio RODVLFI* feliciter. Amen.

No. XLIII.

Conradi Iurensis Burgundiae Regis instauratio Monasterii Grandis vallis, vulgo Munsterthal, in Dioecesi Basileensi. Anno 957. Ex Dacher. Spicil. T. III. p. 375.

In nomine Dei Omnipotentis & Saluatoris nostri Iesu Christi. *CONRADVS* Dei clementia Rex. Deum vtilitatibus Ecclesiarum cum pio fauore consequimur; morem praedecessorum exequimur Regum; atque in emolumentum totius Regni a Deo nobis commissi congruere liquido credimus. Nouerit itaque Sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque fidelium, praesentium ac futurorum, industria, quod auribus nostris allatum est de quodam Monasterio, quod Grandis-vallis nuncupatur. Hoc quippe secundum antiquam constitutionem Regum, per conscriptionem praestructum, & sub ipso priuilegio, vsque ad tempus genitoris nostri in Dei seruitio, Sanctorumque eius constitit bene. Ipsius vero patris nostri culpis exigentibus, cuidam *Lutfrido* nomine praedictum Monasterium concessum est in beneficium; sed non post longa tempora non per beneficium, sed per proprietatem in posteram eius progeniem diuisum, quae crescens multiplicata, praefatum Monasterium & eius adiacentia destruxit. Tunc enim inuenta est conuentio *OTHONIS Imperatoris*, & *filii sui Regis*, & nostra, Ducibus ibidem praesentibus, Episcopis, Comitibus multis, caeterisque compluribus. Illic nos, percunctantes, si Monasterium, quod per priuilegia constructum est, per manum Regiam in proprietatem dari liceret? Illis cunctis communiter iudicantibus, quod nullatenus licitum esset, consilium dederunt nobis, vt praedicti *Lutfridi* filium legaliter ad palatium nostrum vocaremus, & per iudicium fidelium nostrorum ipsam-Abbatiam per priuilegium acquireremus. Quo ita peracto, iudicante populo, ipsam Abbatiam & priuilegium secundum legem nobis reddidit. Et nunc vero nos, considerantes, praedictum Monasterium restaurare, & omnia illi ab antiqua constitutione data per hoc nostrum Praeceptum reddimus. Haec sunt loca & villae ad eumdem locum pertinentes. In ipsa valle Capellae duae in honore Sancti Stephani, & Sancti Martini; villa in Burgensi Comitatu, quae Nugerolis dicitur, cum Capella Sancti Vrsicini, & Capella Apostoli Petri, cum villa Vluigen nomine, in eodem Comitatu; villa Summavallis, quae censetur cum Capella sibi subiecta, & alia Capella cum villa Thesuenna nomine; Capella Sancti Imerii & curtis Alerici, cum Capella Reconuillare; & alia plura, quae partim in originali prima littera con-

scripta

ſcripta ſunt; imo & partim, pro ſenio & ruptura eiusdem litterae, euanuerunt. Haec omnia ſuper inſerta ad praedictum locum & Monaſterium, in vſus & ſtipendia Fratrum ibidem Deo deſeruientium tradimus atque transfundimus, vt nullus Succeſſorum noſtrorum, nec Rex, nec Imperator, nec Dux, nec Epiſcopus, neque Comes, nec vlla perſona, neque in beneficium dare, neque in precariam, neque alienare poteſtatem habeat, ſed ſub omni integritate ad praedictum locum permaneat. Vt autem haec noſtri Praecepti auctoritas firmiorem obtineat vigorem, manu noſtra confirmando ſubſcripſimus, & de ſigillo noſtro ſubtus ſigillare mandauimus.

Data VII. Idus Martii, Anno a natiuitate Domini Ieſu Chriſti DCCCCLVII.

No. XLIV.

Conradi Regis Praeceptum pro Monaſterio Montis Maioris. Anno 963. Ex Dionyſ. Sammarthani Appendice Inſtrumentorum ad Tomum I. Galliae Chriſtianae p. 103.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CONRADVS* diuina opitulante clementia piiſſimus Rex. Notum ſit omnibus S. Dei Eccleſiae fidelibus praeſentibus atque futuris, qualiter Monachi ex Monaſterio S. Petri Apoſtoli de Monte-maiore, petiere noſtram Regalem auctoritatem, vt omnia quae habent ad praefatum adquiſita per inſtrumenta cartarum ſiue concambiorum, vt illis per noſtrae firmitatis praeceptum corroboraremus; quod & ita pro Dei amore fecimus. Volumus namque ac firmiter per noſtros apices decernimus, vt hoc quod Domnus .... Apoſtolicus atque *OTTO Imperator Auguſtus* ac *ſoror noſtra ADELHEIS Imperatrix* ex terra S. Petri Apoſtoli nos pro Dei amore poſtulauerunt praenominatis Monachis tenere permittatur. Et inſuper hoc quod *Boſo, Arelatenſis Comes*, nobis reddidit, illis concedendum de terra S. Remigii de Francia, & in ceteris locis taliter nuncupatis, Aurilino Monaſterio, & in Inſula Maris Montium Lirinis vocatum; & in Comitatu Vapincenſi cellam, quam vocant Alamunto S. Martini; & in alio loco cellam, quam nominant Antunnaua, & in Comitatu Aquenſe cellam, quam vocant Roca-frunduſa; & ad Caſtellum quod dicunt Iſtio Eccleſias duas, vna ſcilicet S. Petri & altera S. Martini, & ſunt terras quas nominant S. Mariae Antibolenſi cum ſeruis & ancillis; & villam quam vocant Cataroſeo cum ſalinariis; & caſtrum quod nominant Foſſas cum terris & ſalinariis ..... & locum qui dicitur Eyras cum ſalinariis

riis & piscationibus: villam scilicet S. Remigii cum turribus & Ecclesiis.... Vt autem hoc nostrae auctoritatis praeceptum obseruetur, & a nemine vnquam violetur, manu propria confirmando subscripsimus, & de sigillo nostro subsignare mandauimus.

Data VI. Idus Decembris, Indictione VII. Anno Incarnationis Dominicae DCCCCLXIII.

Signum *KVNRADI* piissimi Regis &c.

No. XLV.

Charta Conradi Burgundiae Regis pro Carlutto. Anno 951. Ex Marten. Collect. Ampliss. T. I. pag. 292.

In nomine Sanctae Trinitatis. *CHVONRADVS* gratia Dei Rex ..... iustis postulationibus perspectum est, illi impendere curemus, quoniam quidem notum sit omnibus nostris fidelibus, qualiter quidam homo, nomine *Carluttus*, petiit Regiam magnitudinem nostram, petens nos, vt quasdam res illi concederemus, quod & facimus. Hoc est in curte de Tresia, quae est pertinens ex Comitatu *Marsiliacense*, & iacet in Comitatu *Aquense*, cum omnibus appendiciis, qui inibi pertinent de Comitatu Marsilia, cum turre ..... de nostro iure & potestate in illius tradimus dominatione, quicquid agere voluerit ..... & habet hos terminos dinominatos: de vno latus vsque in loco, que vocant Vntinos & vsque in Paleria, ita & in monte Bagde vsque in flumen Belone & de .... vsque in valle Restones, item in monte Bed .... praeceptum ..... obseruetur & a nullo vmquam ....tur, manu nostra firmauimus.

Signum Domni *CHVONRADI* Regis.

..... ad vicem Amonis Episcopi recognoui.

Data XV. Calendas Septembris, Anno regnante Domno *CHVONRADO* Rege XIII. feliciter. Amen.

No. XLVI.

Conradus Burgundiae Rex in Calmeliacensem Abbatem beneficus. Anno 956. Ex Gall. Christian. Tom. II. instrum. p. 260.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CHONRADVS* diuina largiente clementia Rex &c. Nouerit igitur industria virorum nobilium, atque simul omnis Ecclesia fidelium, quoniam Abbas venerabilis Calmiliacensis Monasterii, nomine Waldus, cum aliquibus Monachis,

chis, noſtram adiit praeſentiam, poſcens humiliter, vt praedia terrarum ac villarum, quas inclytus vir & Martyr Theofredus, munere nobilium virorum Dilonis Comitis & Argidii praeſulis, Syluii atque Teuberti, & adiutorio atque eleemoſyna Geilini Comitis, in pago *Dienſi* atque *Valentinenſi* poſſidet, praecepti noſtri corroboratione firmarentur, vt Rector Monaſterii, cui ſubiacent, & ſucceſſores eius ac Monachi, regulariter ibidem ad praeſens & in futurum degentes, ipſarum rerum ſtabili adepta firmitate, debita obſequia almo Martyri valeant exhibere. Talis ergo petitio in conuentu omnium noſtrorum laudabilis extitit, & viſa eſt placuiſſe nobis. Volumus igitur auctoritate noſtri regiminis, & Succeſſorum noſtrorum, cum conſenſu Geilini Comitis, & Aymonis Epiſcopi, & Waldi petitoris, firmum conſiſtere, vt omnia, quae ad Monaſterium Sancti Theofredi in pago Dienſi atque Valentinenſi nunc videntur pertinere, aut hic de fiſco Regali, aut de poteſtate Epiſcopali, aut de poteſtate Comitali, ſiue de franchiſia, & quae inpoſterum ibidem ipſi Monachi poterunt acquirere, omnia Regali poteſtate deffendantur. Simul autem ipſa res ſiue in Comitatu Dienſi atque Valentinenſi in loco, qui prius dictus eſt Stuenna, cum Eccleſia Sancti Stephani, & modo dicitur ad Pontem, ſcilicet ex vtraque parte fluminis, quod dedit Odilo Comes, & in adiacente loco, quod dicitur Chaorouolis, & in alio loco villa de Cleua, & iſta de Motta ſubteriore, cum portu haec omnia, quae nunc ipſi Monachi poſſident, & quae inpoſterum potuerint acquirere, & ſemper totius firmitatis obtineant vigorem, & nullius temeritate poſſint violari. Has litteras Regali auctoritate corroborauimus, & annuli noſtri impreſſione ſignauimus, & noſtrorum fidelium manu roborari iuſſimus, quorum nomina deſcripta ſunt.

Signum *CONRADVS* Rex.
Signum Gelli Comitis.
Signum Aimoni Epiſcopi.
Signum *Amedei* Comitis.
Signum *Vmberti* Comitis.
Signum Arnaldi.

No. XLVII.

Conradi Burgundiae Regis auſpiciis fundatur Vallis Cluſa. Anno 979. Ex Marten. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 330.

EGO Walcaudus diuino fauente iuuamine Cauellicenſis Eccleſiae humilis Praeſul, vt om .... B. Confeſſoris Verani .... abſoluere

dignetur ab omni vinculo deliĉtorum, & ad gaudia perducere aeterna, cum consilio Senioris mei, *CHVONRADI Regis* atque inclyti *Marchionis Willelmi*, Consulis .... atque .... Monasterium infra meum .... quae in *Valle-Clusa* sita fore videtur, vbi etiam quosdam religiosos ex mihi a Deo commissa Ecclesia mitto Sacerdotes, qui huius saeculi abrenuntiantes pompam, ardenter gliscunt religiosorum imitari vestigia Monachorum, eosque informo, quatenus inibi deinceps desudent implere officium: quibus etiam ad victum tribuo medietatem ..... supra dictae vallis, & duos molendinos, ea instante ratione, vt tam ipsi, quam posteri illorum sic regulam firmiter teneant, absque vllius hominis interpellatione, eosque iubeo sub pia ditione Episcoporum Cauellicensium ...... ipsi ceu boni Pastores super eos inuigilent, & si forte aliquis eorum aberrauerit, pastorali coërceant .... supra dicti loci iuxta Sanctorum Canonum instituta suis se subiiciant Episcopis ...... humilitate religionis in illorum potestate consistant. Sin autem, quod absit, aliquis ex Successoribus meis, seu quislibet homo, huiuscemodi donum aliquo tempore irrumpere .... proficiat, sed Omnipotentis Dei iram & maledictionem incurrat, & post istius vitae finem, in inferno cum Iuda traditore damnetur perpetuo anathemate, ac decem libras auri Monachis in ipso Monasterio Deo famulantibus coactus componat .... postea haec in ..... obtineat vigorem.

Facta est haec donatio seu institutio Auenione IIII. Idus Maii Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXXVIIII. Indictione VII.

Tribuo namque ad supra dictam Ecclesiam S. Mariae & Sancti Verani Confessoris Christi, de mea parte, medietatem de vineis, quae in praesenti in illa valle esse videntur, & in antea quantum ipsi in suo do ...... re potuerint absque vllius contradictione teneant eo tenore, quod supra insertum esse videtur ..... hereditatem seu donationes quod homines qui .... sub tuclera mittere ...... in ante obtulerint hoc

Signum Walcaudi Episcopi, qui donationem istam scribere iussi, & testibus firmare rogaui.

Signum Siluestri Archi Episcopi Aquensis Ecclesiae.

Signum Warnerii Auenionensis Ecclesiae.

Signum Willelmi Comitis.

..... Chanonicus S. Mariae vel .... vit. Dodo firmauit .... Auraui .... ricus firmauit. Rod.... firmauit. Durandus Presbyter ....

No. XLVIII.

No. XLVIII.

Conradi Burgundiae Regis diploma pro Heldeberto, Insulae Barbarae apud Lugdunenses Abbate.

Anno 971. Ex autographo habet Labur. Ruder. Insulae Barbarae Tom. I. p. 64.

In nomine Omnipotentis Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. *CHVNRADVS* diuina praeueniente clementia Rex. Quandoquidem Regiam opportet dignitatem locis Deo sacratis largitatis suae iuuamina conferre, & necessitates seruorum Domini proprio releuari munimine, vt pro hoc pietatis opere merces illis a Domino recompensetur. Idcirco notum esse volumus cunctis Sanctae Dei Ecclesiae fidelibus ac nostris, Episcopis scilicet, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, vice Dominis, Vicariis, Centenariis, Telonеariis, & omnibus rempublicam gubernantibus, praesentibus videlicet & futuris, quia *Heldebertus* Abbas, & Monachi ex Monasterio Sancti Martini, *Insulae Barbarae* constructo, ad nostram accedentes clementiam, postulauerunt, quatenus institutiones immunitarias de rebus, ab antecessoribus nostris, seu a quibuslibet fidelibus Dei in supra dicto Monasterio concessis, nostra renouaremus auctoritate. Quorum petitionibus, ob diuini cultus amorem, aurem clementiae nostrae accommodantes, hoc Serenitatis nostrae fieri decreuimus Praeceptum. Per quod iubemus atque sancimus, vt, sicut hactenus quieti resederunt, Abbates videlicet praefati Monasterii & Monachi eorum, secundum antiquam auctoritatem, ita & temporibus nostris & deinceps absque vlla inquietudine resideant. Et quia rerum illorum positio secundum fidelium virorum donationem per diuersa adiacent loca; Ideo illorum nomina huic auctoritati nostrae inscribi praecipimus, quatenus eas liberius ac licentius absque vlla inquietudine retinere valeant. Id est iam dictum Monasterium & quicquid ad ipsum pertinere videtur. Ecclesiam Sancti Florentii apud Vismiacum, ipsamque Villam cum portu, vel omnibus, quae ad ipsam Ecclesiam Villamue aspiciunt. Ecclesiam Sancti Petri, in Montaneisio sitam. Ecclesiam quoque Sanctorum Marcellini & Petri in Bressola. Nec non Ecclesiam Sancti Ioannis apud Noioscum, Villamque ipsam; Religiacum vero atque alterum Religiacum cum villis. Ecclesiam denique Sanctae Mariae in Openaco, Villamque vniuersam. Ecclesiam Sancti Cypriani in Beo, Sanctique Andreae in Cimaloco. Ecclesiam Sancti Genesii in Floriaco, & Sancti Petri in Amodo. Nec non Cellam Sancti Martini in Forense. Atque Ecclesiam Sancti Bonniti in Claipiaco cum Villa, & quae eam aspicere videntur. Cellam quoque

que

que de Occiaco cum Ecclesia Sancti Andreae, capellamque iuxta eam, in honorem Sancti Cosmae dicatam, & Nouellis, vniuersaque illis adiacentia. Cellam vero Sancti Martini de Pirminiaco, atque Ecclesiam Sanctae Mariae de Coustantia. In *Prouincia* deinde Abolenam villam, cum Ecclesia, in honorem Sancti Saluatoris dicata, & omnibus appendiciis ad ipsam villam pertinentibus. Capellam quoque Sancti Benedicti, ab ipsis nuper Monachis aedificatam. Et quicquid in *Gapincensi* ab Hugone Episcopo seu ab aliis fidelibus Dei praescripto Monasterio in quibuslibet nostri regiminis partibus deuote concessum est. Praefatas denique res cum omnibus appendiciis suis volumus atque iubemus, vt absque vlla inquietudine vel diminutione deinceps teneant. Praecipimus igitur atque statuimus, nostra quoque auctoritate decernendo confirmamus, videlicet, quod annis singulis ab eodem Coenobio Quaestoribus proprii Antistitis argenti libra persoluatur, & nullus quilibet amplius ab eis exquirere, aut de rebus ad eos pertinentibus exigere praesumat; Nec non Mansionaticos vel Paratas vel quaslibet alias redhibitiones exactare audeat. Sed liceat Monachos illic Deo militantes eandem cellam, cum omnibus rebus sibi iuste competentibus, ac nauibus, ad eorum stipendia integrum absque diuisione aut diminutione perennibus temporibus possidere. Suoque Praesuli, vt decet, libere & synceriter Domino suffragante honorem conseruent. Habeant etiam potestatem eligendi Abbatem ex eorum Coenobio, & electos ante praesentiam Lugdunensis ciuitatis Episcopi deducere, vt, ab eo benedictione accepta, Congregationem sibi commissam regulariter gubernare studeat. Volumus etiam, atque per hanc nostram auctoritatem praecipimus, vt nullus iudex publicus, vel quilibet ex iudiciaria potestate, ad causas audiendas, vel fraeda exigenda, vel fideiussores tollendos, aut homines praefati Monasterii super eorum immunitate commanentes iniuste distringendos, aut vllum censum, vel loca & res memoratae Ecclesiae ingredi, aut ea, quae supra notata sunt, exigere vllo vnquam tempore praesumat. Quatenus pro nobis, vel stabilitate Regni nostri, a Deo nobis commissi, Monachos illic Domino seruientes attentius, imo liberius, Domini misericordiam exorare delectet. Et vt haec nostra auctoritas inuiolabilis permaneat, manu propria eam subter signauimus, & annuli nostri impressione insigniri iussimus.

Datum XIII. Kal. Septembris, Anno scilicet Incarnationis Christi nongentesimo septuagesimo primo. Indictione decima quarta. Anno vigesimo nono Imperii *CHONRADI* inuictissimi Regis.

Actum apud *Viennam* ciuitatem, publice. In Dei nomine feliciter. Amen.

No. XLIX.

No. XLIX.

Conradi Burgundiae Regis donatio Cluniacensi Monasterio pro anima Adelaniae Reginae & infantium facta. Anno 963. Ex Guichenon. Bibl. Sebus. p. 32.

In nomine Dei aeterni. *CHVNRANS* nutu Dei Rex. Quisquis pro Dei amore impendere aliquid curauerit, meritum sibi in futuro confidat. Quapropter notum sit omnibus fidelibus nostris, praesentibus & futuris, qualiter pro Dei amore, atque remedio animae nostrae, *ADELANIAE* videlicet *Reginae* & infantium nostrorum, res nostras, quae sunt sitae in Pago Moriense, videlicet locum qui vocatur Croatus, cum omni appenditia, vna cum molendino, ad Monasterium S. Petri Cluniacensis & Monachorum suorum per praeceptum concedimus: quod & libenter fecimus. Volumus namque & firmiter per hoc nostrum Praeceptum decernimus, vt S. Petrus vel Monachi ipsius famulantes omnem obtineant vigorem perpetualiter absque vllo obsistente vel contradicente. Vt autem hoc nostrum Praeceptum ab omnibus obseruetur, & a nemine vnquam violetur, manu nostra firmauimus, & de sigillo nostro sigillari iussimus.

Data X. Kal. Aprilis Anno XXVI. regnante *CONRADO* Rege foeliciter. Amen.

No. L.

Conradi Burgundiae Regis Praeceptum de Ecclesia Sauiniacensi. Anno 976. Ex Guichen. Bibl. Sebus. Cent. I. c. 57. p. 122.

In nomine Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi. *CONRADVS* diuina ordinante prouidentia inuictissimus Rex. Si petitionibus seruorum Dei pro cuiuslibet Ecclesiasticis necessitatibus aurem Serenitatis nostrae libenter accommodamus; ideo nobis & ad mortalem vitam temporaliter deducendam, & ad aeternam foeliciter obtinendam, profuturum liquido recidiuus (*lego* credimus.) Idcirco notum fore volumus cunctis fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae, & nostris, praesentibus scilicet & futuris. Quia *Amblardus*, Sanctae *Lugdunensis* Ecclesiae Praesul, cum caeteris nostrorum fidelium Episcopis, seu Comitibus, supplex nostrae Serenitatis adiit Maiestatem, quo per largitionis nostrae scriptum, quoddam Monasterium, quod *Sauiniacus* vocatum est, in quo Gausmarus praeesse dignoscitur Abbas, praesentialiter ac perpetuo faceremus munitum, me-

tuensque, ne futuris temporibus ea, quae pro diuino amore, vel ab ipso, vel a Christianis fidelibus ei concessa sunt, aut in futuro concederentur, a suis Successoribus parui pendendo annullarentur, deprecatus est nostram Sublimitatem, vt, *paternum morem* seruantes, nostrae immunitatis praeceptum fieri censeremus, per quod declaretur, quatenus nullus Pontifex *Lugdunensis* Ecclesiae ex praedicti rebus Monasterii seu possessionibus, aliquid iniuste minorare praesumat, nec mansionaticos, nec vllas redhibitiones exigere tentet. Fratres vero Monasterii praelibati, debito ei seruitio ac subiectionis reuerentia impensa, omnia, quae ad hoc pertinent, absque vlla diminutione, seu impulsione teneant & possideant; habeant etiam potestatem eligendi Abbates ex eorum Coenobio, & electos ante praesentiam eiusdem Ciuitatis Episcopi deducere, aut ab eo benedictione accepta, congregationem sibi commissam regulariter gubernare studeant. Cuius petitionibus libenter assensum praebuimus, & hoc nostrae auctoritatis praecepto erga ipsum Monasterium immunitatis atque tuitionis gratiam, pro diuini cultus amore, & animae nostrae ac Successorum nostrorum remedio, fieri decreuimus, per quod praecipimus atque iubemus, vt sicut ab eodem Archi Episcopo *Amblardo* haec res statuta, vel ante praesentiam nostram delata esse dignoscitur, ita deinceps a nobis vel nostris Successoribus, & ab omnibus Sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, etiam ab ipsis Episcopis, & ab omni Clero Lugdunensis Ecclesiae, conseruetur, quatenus Episcopus, subiectionis siue obedientiae recepta reuerentia debita, nostram iussionem ac Successorum nostrorum conseruet, & Monachi ibidem Deo militantes Abbati suo, vt decet, humili deuotione obedientes existant, vt propositum suum Domino largiente libere conseruare valeant. Praecipientes etiam iubemus, vt nullus Iudex publicus ad causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, nec paratas, aut mansiones exigendas, vel faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines eiusdem Monasterii, tam ingenuos, quam seruos distinguendos, aut vllum censum, aut vllam redhibitionem exigendam, siue ea, quae supra memorata sunt, exacturi minime praesumant. Vt autem haec auctoritas firma habeatur, & a fidelibus Sanctae Ecclesiae futuris temporibus diligentius conseruetur, de Annulo nostro subter iussimus sigillari.

Signum Domini *CHVONRADI* Inuictissimi Regis.

Ego Vincentius recognoui.

Datum Non. Octobris Anno scilicet Incarnationis Christi DCCCCLXXVI. Indict. II. & Anno XXXVI. Imperii Domini *CHVONRADI* Serenissimi Regis.

Actum *Lugduno* publice foeliciter.

No. LI.

No. LI.

Conradi Burgundiae Regis donatio facta Monasterio Sancti Andreae Viennensi ab obitu Coniugis Mathildis. Anno 992. Ex Dacher. Spicil. T. III. p. 389.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, *CHVONRADVS*, ipsius praeueniente clementia omni tempore iugiter Serenissimus Rex. Si aliquid compendiorum Sanctae Dei Ecclesiae ex nostris facultatibus conferre studemus, quatenus antiqua auctoritas praecedentium patrum Regum obseruetur, & vita Monachorum in hoc laude diuina altius conscendatur, si est, vnde victum & vestitum Sancta Dei Ecclesia membris suis cotidie, ne a Dei cessent cultu, possit ex aliqua parte, nobis donantibus, sustentare penuriam suam, vel administrare; credimus, non solum nos, vel Successores nostros, idcirco felicius in hac vita regnaturos; verum in futuro aeternae vitae recompensatione cum electis in illa supernorum curia posse conscribi confidimus. Quapropter cupimus notum fieri omnibus Sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, praesentibus scilicet & futuris, qualiter nos, diuino amore compuncti, imprimis memores salutis aeternae vitae, & recordationis beatae, vt credimus, animae *Coniugis* nostrae dilectae *MACHTHILDIS* Reginae, & vt ipsa donauit, & nos perficere postulauit, ad Sacrosanctum Monasterium, quod est constructum in ciuitate *Vienna*, in honore Sancti *Andreae* Apostoli, & Sancti Confessoris Maximi, qui hic corporaliter requiescit, vbi Domnus *Heunomus* Abba Monachorum praeesse dinoscitur, quidquid proprietatis visi sumus habere in praedicto pago Viennensi in praedictis locis, in villo Vitrosco Ecclesiam cum Presbyteratu & in villa Areld, & in Mansiano & Arcas habere dinoscimur. Ea scilicet ratione, vt praedictus Abba *Heunomus*, & modo Fratres qui degunt, & qui deinceps ad illud Monasterium pro Dei amore venturi sunt, praedicta loca teneant ad vtilitatem ipsius Monasterii, & perpetualiter possidendum per hoc nostrae auctoritatis praeceptum illis censemus, & nihil census vel seruitii vnquam Rectoribus praedicti Monasterii a Regia potestate inde exigatur, nisi, vt diximus, solo conditori hominum pro nostra peccamina grata persoluant libamina. Ita vt hactenus ad nos praedictae res respiciebant, qualicumque ingenio nobis deuenissent, aut de paterna potestate, aut etiam nos postea de Walda in villa Arcas acquisiuimus, hoc est, mansum vnum, & in Mansiano colonicam vnam, & in Vitrosco quidquid de Thieodewino acquisiuimus, & in Areld similiter quantum de ipso comparauimus. Haec ipsa praedia pretio computato trecentorum solidorum constat a nobis esse acquisita.

Omnia haec a nobis illis tradita ſeu ab illo Abbate, ac Monachis ſuis, in praedictis villis poſtmodum ſimili modo acquiſitis, vel etiam vbicumque aliquid habent acquiſitum, vel in futuro tempore erit conquirendum, vel ſi aliqua perſona aliquando pro remedio animae facultatibus ipſius Monaſterii de ſuis rebus cupit ingerere, huic noſtrae auctoritati ſubdere decreuimus, ne per ſucceſſiones futuras aliqua incuria deſoletur, agris, pratis, vineis, caſis, caſalibus, paſcuis, aquis aquarumque decurſibus, & in omnibus appendiciis a modo & deinceps. Vt autem haec noſtra auctoritas apud Succeſſores firmum tenorem habeat, & omni tempore ſtabilis & inconuulſa maneat; placuit nobis nomini noſtro eſſe conſcribendum, & impreſſione annuli noſtri ſubterius ſubſigillari.

Signum Inuictiſſimi ac piiſſimi Regis *CHVONRADI.*

Ego itaque Kerardus, (Gerhardus) indignus Sacerdos, praeſcripti Regis ac Reginae humillimus Capellanus, iuſſus ad vicem Haimonis, Valentinenſis Epiſcopi & Archi Cancellarii, ſcripſi & ſubſcripſi.

Data Kal. Dec. Nonas Decemb. Idus Ianuarii ſub Pontifice Thietpaldo, Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCXCII. Indictione quarta, Epacta vigeſima, regnante Rege noſtro *CHVONRADO* XXXVIII. Anno.

No. LII.

Conradi Regis donatio ad Eccleſiam Paterniacenſem, qua mentionem facit matris Bertae, fratris Rodulphi & ſororis Adelheidis. Anno 962. Ex Bibl. Sebuſ. Cent. II. p. 395.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CHVONRADVS* diuina numinis largitione piiſſimus Rex. Mos Regalis Celſitudinis eſt, omnibus ſanctis ſubuenire, ac in cunctis bonis operibus perfectis ſtare. Quapropter nouerit omnium fidelium noſtrorum praeſentium ac futurorum, atque omnium Chriſtianorum induſtria, qualiter nos, vna cum *Matre* noſtra *BERTA*, ac *Fratre* noſtro *RODVLPHO*, inſpirante pietate diuina, & pro remedio animarum noſtrarum ac Parentum noſtrorum, donauimus Eccleſiae Sanctae Mariae Paterniaci noſtrum Allodem & Carras, vt ibidem Deo famulantes ſubſidium haberent, Deo inſpirante, inter caetera impegimus in quandam Cellulam huic ſacro Ordini aptiſſimam, Bailliuo nuncupatam, hanc cum duabus ſyluulis, quae ſuper eius rupem eminent, vna quarum frugifera, altera glandifera; Decimam etiam vnius vici in qua ſita eſt caeterarum morubula, vna Brioch nominatur, altera Chem-

Chempiniaco, atque cursum aquae, quae ante portas eius currit, cuius nomen Bibiuna, a supra dicto Chempiniaco, vsque in introitu Muratensis Laci. Haec omnia cum caeteris dotalitiis, quae circumquaque adiacent, per interuentum praelibatae *Matris nostrae*, ac *Fratris nostri* *RODVLFI* & *Sororis* *ALEIDIS* & per nostri praecepti paginam. Haec omnia secundum morem nostrum Regalem corroboramus, quod & fecimus. Volumus namque ac firmiter per hoc nostrum praeceptum decernimus, vt sicut praefatae cartae commemorant. Denique & hoc quod *noster Auus* acquisiuit in Pago Wiliacensi, in loco qui dicitur Curte, simul cum *Fratre* nostro *RODVLPHO*, supra dictis rebus adiungimus, ac insuper monetam cum mercato praefati loci. Deo fauente haec omnia, sicut supra scripta sunt, concedimus Domino Deo & eius genitrici, habitatoribusque etiam supra memorati loci, siue Maiolo Abbati. Haec & caetera, quae in praedictis cartis inserta esse videntur, de nostro iure haereditario in illorum ius & donationem solemni more transferimus, vt habeant, teneant, firmiterque possideant, absque alicuius contradictione Regis aut Imperatoris seu Principis. Vt autem hoc nostrum praeceptum ab omnibus obseruetur, & a nemine vnquam violetur, manu nostra firmauimus, ac de Sigillo nostro subtus consignare iussimus.

Data VI. Idus Aprilis Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCCXXXII. Anno regnante Domino nostro *CONRADO* Rege XXIV.

Lausanna ciuitate foeliciter. Amen.

No. LIII.

Pacta dotalia inter Lotharium Hugonis Regis filium & Adelheidem Burgundicam. Anno 938.

Ex Bullarii Casinensis Tomo II. pag. 41.

In nomine S. & Indiu. Trinitatis. *HVGO* & *LOTHARIVS* diuina fauente Clementia Reges. Condito ad imaginem & similitudinem suam primo hominum, Creator omnium Deus, coniugem adhibere voluit. Vt, quia Angelicum ordinem de coelis propter superbiam eiectum solus Adam supplere nequiuerat, cum Eua sibi adiecta coniuge filios filiasque gignendo, in infinitum multiplicata prole, decimum ordinem restauraret, & viro mulier iuuamen existeret, quam non vt virum simpliciter de limo terrae nasci voluit, sed etiam de viri costa superne adempta producens in similem edidit formam, vt vna videlicet & eadem caro ambobus esset, & de osse mulier licet fragilem vigorem accipiret.

 Vnde

Vnde ſcriptum eſt, derelinquat homo patrem & matrem, & adherebit vxori ſuae, & erunt duo in carne vna. Ipſe etiam mediator Dei & hominum, nouus homo, adueniens in Cana Galileae nuptiis intereſſe, easque ſanctificare voluit, ſponſamque ſibi Sanctam Eccleſiam faciens poſteris exemplum reliquit, vt nuptialis foederis connexio fieri non deſinat, & ad procreandam poſtmodum ſobolem mutua indiſſolubilique dilectione perſiſtat. His itaque & aliis informatus exemplis Ego in Chriſti nomine *LOTHARIVS*, diuina fauente clementia Rex, diuina diſponente prouidentia conſultuque noſtrorum fidelium, *ADELEYDEM, filiam diuae memoriae RODVLPHI Regis* mihi in Coniugem copulare decernens, ſponſare diſpoſui. Quapropter omnium fidelium Sanctae Dei Eccleſiae, noſtrorumque praeſentium & futurorum induſtria nouerit, qualiter praefatae *ADELEYDAE* ſponſae meae, quinque curtes iuris mei, videlicet curtem de Marinco, & curtem de Ceriano, Curtem de Olona cum omnibus ſuis pertinentiis, ad quas mille manſi pertinere cernuntur; in Coruini etiam Comitatu curtem de Valli cum manſis L. & aliam curtem in eodem Coruino cum manſis XXX. Abbatiam de Sexto in Comitatu Lucenſi ſitam, cum manſis duo millia, & Abbatiam S. Antonii in Comitatu Senenſi, cum manſis mille, atque Abbatiam S. Saluatoris in monte Amiati, & iacentem in Comitatu Cluſenſi, cum manſis CCCC. qui ſumma quatuor millia quingenta octuaginta, per hanc noſtri praecepti paginam ſub dotis nomine concedimus, donamus, penitusque largimur, & de noſtro iure & dominio in eius ius & dominium omnino transfundimus & delegamus, vna cum caſtellis, caſis, ſeruis & ancillis, Aldionibus & Aldiis, terris, campis, vineis, pratis, ſiluis, planiciebus, aquis, aquarumque decurſibus, Molendinis, piſcationibus, omnibusque rebus, ad praelibatas curtes & Abbatias in integrum pertinentibus; quatenus proprietario iure habeat, teneat, firmiterque poſſideat, habeatque poteſtatem donandi, vendendi, commutandi, alienandi, prout omnia iudicantur, & quicquid decreuerit animus faciendi, omnium hominum contradictione remota. Si quis igitur hoc noſtrae dotis praeceptum infringere temptauerit, nouerit ſe compoſiturum auri optimi libras mille praefatae *ADELEYDAE puellae*, meisque & ſuis haeredibus. Quod vt verius credatur, diligentiusque ab omnibus obſeruetur, manibus propriis roborantes Annuli noſtri impreſſione ſubter iuſſimus inſigniri.

Signum Sereniſſimorum Dominorum *HVGONIS* & *LOTHARII* Regum.

Gyſeprandus Notarius ad vicem Antonii Epiſcopi & Archi Cancellarii recognouit.

Data

Data pridie Idus Decembris. Anno Dominicae Incarnationis DCCCCXXXVIII. Regni vero Domni Hugonis XII. Filii eius Lotharii item Regis VII. Indict. XI.

Actum in Burgundia in Curte, quae Columbaris dicitur, feliciter.

No. LIV.

Burchardi Lugdunensis Archi Episcopi charta pro Monasterio Insulae Barbarae. Anno 979. Ex Menestrierii Probat. Histor. Lugdun. pag. 38. Guilielmi Paradini Historia Burgundica & Laburer. Ruder. Insulae Barbarae Tom. I. p. 67.

In nomine Domini Saluatoris Iesu Christi. Anno Incarnationis Dominicae nongentesimo septuagesimo nono, Indictione septima regnante *CHONRADO* glorioso Rege. Cum ego Burchardus Sanctae Lugduni Ecclesiae humilis Archi Episcopus in Consistorio Sancti Stephani Protomartyris Christi, nec non Andrea praeposito, & cum Abbatibus & Archi Diaconibus & cum Clericorum videlicet & Laicorum fidelium nostrorum frequentia residerem, & dispositionibus curae pastoralis sollicite insudaremus, effabiliterque de statu Ecclesiae nostrae nobis a Deo commissae, & de aliis necessitatibus vitae praesentis tractaremus, & qualiter Canonicis & Monasteriis nobis commissis pro nostra possibilitate subuenire possemus prout debemus; obtulit se nostris obtutibus ex Coenobio Sancti Martini Insulae Barbarae Abbas ipsius Monasterii, nomine Klodebertus, vna cum Congregatione sibi commissa, praecepta ab Imperatoribus vel Regibus Ludouico, Karolo, vel in praesentiarum regnante *CHONRADO*, *glorioso nostro genitore Rege*, ad petitionem Episcoporum Leydradi, Aureliani, Aluuanli, vel etiam caeterorum Rectorum ipsius Ecclesiae & Antecessorum praenominati Abbatis disposita vel concessa praebens, ac postulans, quod sicut antiquitus ab Antecessoribus priuilegiorum auctoritate sancita atque roborata extiterant, ita nostri priuilegii auctoritate roborarentur; quorum precibus libenter annuentes, cum fidelium nostrorum vtriusque ordinis consilio tale illis concessimus priuilegium, vt a modo & deinceps omnes res, quas possident modo, vel hactenus possederunt, seu etiam in antea Deo iuuante acquirere valuerint, absque alicuius contradictione, vel Successorum subtractione ac diminutione, vel iniquorum hominum inuasione, quiete possideant ac iuste vtantur, vt pro nobis & pro omnibus Antecessoribus vel Successoribus nostris iugiter misericordiam Domini implorare non desistant, nullusque Successorum nostrorum noui aliquid iniustumue imponere prae-

praeſumat. Sed ſtatuto tempore hoc eſt tempore Synodi, Abbas ipſe iuxta Archi Epiſcopum reſidens hi duo Synodum teneant vti liceat eis poſtea quiete & cum ſecuritate absque alicuius violentia Domino fideliter deſeruire. *reliqua deſiderantur.*

No. LV.

Statutum de bonis Eccleſiae non alienandis Lugdunenſe. Anno 984. Ex veteri chartulario Eccleſiae Lugdun. habet Meneſtr. Hiſt. Lugdun. Inſtrument. p. 3.

ANNO ab Incarnatione Chriſti DCCCCLXXXIV. Indictione XII. *Praeſulatus* quoque Domini *BVRCHARDI* Anno ſexto. Concio ac Collegium, ſub praetitulato Sancti Stephani apud *Lugdunum* degens, omnibus vbique Deo famulantibus tam praeſentibus, quam futuris, Pacem & ſecuritatem in Domino. Notum vobis eſſe volumus, quia peccatis noſtris exigentibus talia videmus, qualia ab aeuo Patres noſtri, qui ante nos fuerunt, nunquam auribus ſuis perceperunt, nec etiam inter gentes audita ſunt. Videntes aſſiduas deſolationes Barbarorum, continuas deuaſtationes rerum, quae a Sanctis Patribus ac Chriſticolis Domino & Sanctis eius collatae ſunt, quod a prauis hominibus indeſinenter vaſtantur & ſubtrahuntur, qui ferino more ac rabido impudenter, ſine reſpectu Dei & Sanctorum eius, diſcerpunt & lacerant, & cum execratione haereditatem Domini exhauriunt, & vexant, praecepta Domini ac praecepta Sanctae Dei Eccleſiae parui facientes, nihilique pendentes. Nos autem talia videntes, maxime nos, qui ad quotidianum officium, diuinumque Miniſterium delegati ſumus, moerore animi atque acerbo dolore admodum afflicti, non in Clypeo & haſta fiduciam habentes, ſcutum orationis contra talia opponimus, ſubſidium, auxilium a Domino petimus, & a Sanctis eius ſuffragia expoſcimus, vt attritis & triſtibus idem Dominus ſubuenire dignetur. Videmus etiam terras, quae noſtro vſui deputatae ſunt, fluere ac interire, & tam mutatione aëris, quam ſterilitate fructus infecundas ac ſteriles. Videmus cellariorum noſtrorum ac horreorum deliquia, & omnes ferias exhauſtas & euacuatas, de quibus per anni circulum ſtatutis horis quotidiani victus robur dabatur. Videmus etiam nonnullos ex noſtris feſſos, rerum copiis inopes, quod infandum eſt, & nimis dolendum, inedia & penuria attritos, oppido dolemus & tabeſcimus a Domino, vt ad hoc omnes nos in vnum conglobati opportunum ac neceſſarium communiter tale decreuimus Conſilium, vt Villae ac praedia, quae modo noſtrae deuotioni ſubſtrata ſunt, ab inſolentibus vel diſſidentibus in reliquum non ſint exinanita &

dimi-

diminuta, quando circa nos delitescit rabies ciuilis & intestina rapacitas. Veremur etiam discrimina Successorum nostrorum, qui post nos venturi sunt, ne victum non habentes, dolore stimulati ac fame contriti, culpam super nos retorquentes, animabus nostris detrahendo maledicant. Ideo talia timentes, vnanimiter censuimus, vt tali Sacramento nos obligaremus, quod & fecimus, testem adhibentes Deum, & reliquias Sanctorum eius in manibus praesentes habuimus, vt ne quis nefarius nostrorum Clericorum ac Laicorum, praestigiis aut fauoribus finitimorum, aut amicorum delinitus, aut cupiditate munerum accensus, de iis villis ac praediis, quorum nomina subtus sunt per ordinem digesta, audeat demere vel diminuere, praeter villicorum ac praefectorum, & illi moderatam particulam secundum aestimationem accipientes. Porro si aliquis Clericus in eadem Ecclesia aliunde venerit, & hunc excipimus. Nomina vero Villarum & praediorum haec sunt. Ecclesia Sancti Stephani de Polliaco cum appenditiis suis. Ecclesia de Breuenes cum appenditiis suis &c.

Porro si quis temerarius de praefatis rebus a mensa Fratrum, postquam extra ad ipsius redierint potestatem, aliquid exemerit vel subtraxerit, nisi causa magni momenti, vel questi cuiuscumque rei, iram Domini omnipotentis, nisi cito resipuerit, incurrat, & cum eis, quibus in regeneratione dicturus est Dominus, nescio vos, flammonias animi poenas sustineat, & in fauillis & atomis redactus, nusquam compareat. Fiat! fiat! Amen! Amen!

No. LVI.

Burchardi Lugdunensis Archi Episcopi instrumentum super electione Hugonis, Abbatis Sauiniacensis. Anno 984. Ex Mabillon. Annal. Benedict. T. IV. p. 22.

ANNO Dominicae Incarnationis DCCCCLXXXIV. Indictione XII. venerabili viro Gausmaro, Sauiniacensis Monasterii Patre, viam vniuersae carnis ingresso, atque proprii, quem pro Deo exsecutus est, laboris fructum percipiente; necesse fuit, eiusdem loci pastoralis curae sollertiam a procuratoribus exhiberi. Igitur ego *BORCHARDVS*, diuina largiente gratia *Lugdunensis Ecclesiae Praesul*, notum esse volo Dei fidelibus, ac matris Ecclesiae gremio consistentibus, quod Fratres eiusdem *Sauiniacensis* Monasterii, in nomine Domini, & honore Beati Martini dicati, praesentiam Domini *CONRADI Regis* adeuntes, deprecati sunt obnixe *clementiam illius*, ac *nostram paruitatem*, vt patrem, qui eidem loco praesset, ac eis officium paternitatis impenderet,

ſecundum morem antiquitus ſeruatum, & iuxta Beati Benedicti edictum, regularem eis concederemus Abbatem. Quorum petitionibus, largiente gratia praedicti *Regis*, & voto Eccleſiae nobis commiſſae fauente, aſſenſum praebentes, conceſſimus eis, ſicut deuotio praedicti Paſtoris Gausmari, eo viuente, poſtularat, & noſter aſſenſus ei ſpoponderat, virum quemdam, iuuenili quidem aetate pollentem, moribus vero ſecundum regularem inſtitutionem a puerili aetate inſtitutum, nomine ſcilicet *Hugonem*, quem ob Chriſti amorem, & ſanctae Fraternitatis dilectionem, paternitatis monitu flagitamus, vt eidem loco ſic ſtudeat praeeſſe, quo magis valeat prodeſſe. Tramitem vero diſcretionis ita tenere ſatagat, quo, Iacob vt alter, validos iuſta cenſura regat; puſillos vero ita ſoliditate verbi & exempli, ne in via deficiant, paterno more confoueat; omni vero gregi ita vtilem ſe praebeat, vt, quod Petro dictum eſt, *Paſce oues meas*, a Domino ſibi imperatum exiſtimet. Et vt hoc noſtrae ſanctionis decretum firmitatem obtineat; noſtro aſſenſu id firmauimus, &, manibus Fratrum vt firmaretur, decreuimus.

BORCHARDVS Archi Epiſcopus.
Heldebertus Abbas (Inſulae Barbarae.)
Iohannes Monachus.
Adzo Monachus.
Gotesmannus Monachus.
Auterius Monachus.
Madalbertus Monachus.
Aſchiricus Monachus.
Durantus, Iterius, Stephanus, Rotbaldus, Arnulfus, Benedictus, Gerbernus, Monachi.

No. LVII.

Fundatio Abbatiae Sancti Victoris Geneuenſis, qua mentio fit Burchardi Lugdunenſis Archi Epiſcopi. Anno 1019. Ex Guichenonii Bibliotheca Sebuſiana pag. 35. & Mabillonii Annal. Benedictin. Tom. IV. p. 694.

VNICVIQVE mortalium pro ſalute animae rationabiliter tractare eſt neceſſarium, Domino & indubitanter acceptum. Quapropter Ego indignus nomine *HVGO Geneuenſis* Eccleſiae *Praeſul*, peccatorum meorum obliterationem Deo annuente promereri deſiderans; ſaepe mecum tacitus, frequenter etiam cum *Seniore RODVLPHO*, ceterisque amicis, tractare diſpoſui, qua ratione loca, in noſtra Dioeceſi poſita,

posita, & ad nostrae Sedis locum pertinentia, in meliorem statum reparentur nostra industria, & eorum protectione assidua. Haec autem saepissime tractanti, accidit, vt bonae memoriae *ADELHEID, Imperatrix Augusta*, nostri Pontificatus *Vrbem* ingressa, Ecclesiam Beatissimi *Victoris*, Martyris Christi, orandi gratia intraret, quae omnibus, propter quae venerat, rite peractis, eundem locum Monasticae Disciplinae & religioni congruum fore prospexit, &, vt id omnino peragerem, consilium dedit. Non multo post tempore eiusdem Beati Martyris membra inuenire nos contigit, argenteo loculo diligentissime recondita, quae hactenus per plurima tempora hominum aspectibus fuerant occultata. His autem sanctissimis membris ab humo, quae diu latuerant, cautissime leuatis & strenuissime, vt oportebat, procuratis; in festiuitate ipsius Martyris, *Seniore nostro RODVLPHO*, Domna quoque *Regina EGILDRVDE*, maximo etiam Conuentu Episcoporum, Comitum, & aliorum Religiosorum & Nobilium Virorum congregato, communi consilio statuimus, eadem praefata Martyris membra sub ara ipsius Basilicae esse locanda. Cum ergo coeptum opus deuota mente compleuissemus, cogitare mecum coepi frequentius, vt praedictum locum amplificarem in melius, statuendo scilicet illuc Monasticae religionis viros, qui eundem locum religiosis exornarent cultibus, & suo ordini congruis circumstruerent habitaculis. Quia vero in eodem loco non erat tanta facultas possessionis, vt aliquis ibi potuisset ordinari loco Abbatis; memorandum Cluniensis Coenobii Abbatem, *Odilonem*, ad hoc peragendum euocaui, & permissione Domini *RODVLPHI Regis*, consensu etiam *Fratris* eius *BVRCHARDI*, Lugdunensis Archi Episcopi, caeterorumque Comitum & Nobilium Virorum hortatu, praedictum locum Sancti Martyris Victoris eius ordinationi commisi, vt ipsi suique Successores praelibatum locum prout potuerint, in melius studeant reparare nostraque, & nostrorum Successorum auctoritate, deinceps in perpetuum possideant. Hanc autem constitutionem non ideo statuimus, vt a potestate nostrae Ecclesiae aliquid (quod absit) detrahere velimus; sed tali hoc gerimus dispositione, vt praedictus locus in perpetua valeat manere religione, & inter nostros Successores Cluniensisque Coenobii Abbates, charitas excellentissima firmetur, & apud illos nostra memoria specialiter obseruetur. Successorum praeterea hortor & obsecro sincerissimam charitatem, nostram dignentur sua confirmatione stabilire deuotionem, quam statuere cupio propter salutem animarum nostrorum Successorum, nobisque succedentium, pro remedio animae meae & Seniorum nostrorum *RODVLFI Regis* & *CHVONRADI Regis*, pro stabilitate quoque

Ecclesiae nobis a Deo commissae, concedendo scilicet Cluniensis Coenobii Rectoribus omni reliquo tempore ordinationem praelibati loci Victoris Martyris Christi, vt in eodem loco memoria & religio perpetuo valeat obseruari, & ipse de consortio Religiosorum virorum diutius possint gratulari.

No. LVIII.

Schedula mortualis Burchardi ArchiEpiscopi, Rudolfi Regis fratris. Anno 1031. Ex Chartulario Viennesis Ecclesiae habet Ioannes a Bosco p. 65.

DECIMO tertio Kalendas Septembris obiit D. *BVRCHARDVS Archi Episcopus*, cuius labore & industria, Rex *RODVLFVS* secundus, (tertius) & *vxor eius*, Regina *ERMENGARDA*, dederunt Sancto Mauritio villam Commeniacum, cum seruis & ancillis & omnibus appenditiis, & in ciuitate montes duos, vnus dicitur suspulus, & alter Pompeiacus: vnde debent fratres habere refectionem per totam quadragesimam. Acquisiuit etiam Castellum in ciuitate Eumedium, quod alio nomine dicitur Pupet, & domus in ciuitate, cum turribus, quae dicuntur ad Canales, & *Comitatum Viennensem*, cum omnibus, quae erant de fisco tam in ciuitate, quam per totum Episcopatum. Restaurauit etiam Capellam S. Mauritii a fundamentis, quae dicitur in Paradiso, & alia multa ordinauit, quae culpa incuriae deciderant.

No. LIX.

Rudolfus III. Burgundiae Rex, ad preces Irmingardis Coniugis, Prioratum Talueriensem subiicit Monasterio Sauiniacensi. Anno 1031. Ex Guichenon. Biblioth. Sebus. Cent. I. p. 97.

IN nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* diuina fauente gratia Rex. Rebus nostris Ecclesias Dei augmentare, more Regum Praedecessorum nostrorum, vtile ducimus, & honestum diiudicamus. Quapropter notum sit omnibus Dei Ecclesiae & nostris fidelibus, natis & nascituris, qualiter ob animae nostrae remedium, & petitione *IRMINGARDIS* Reginae, *Coniugis* nostrae dilectae, & *BVRCHARDI* Archi Episcopi, *Fratris nostri*, & Burchardi Viennensis Archi Episcopi, caeterorumque nostrorum fidelium, damus in pago Albanense *Talueris* villam, cum appenditiis suis, & cum Ecclesia, in honore Sanctae Mariae, & Sancti Petri, & Sancti Mauritii consecrata, ad

San-

Sanctum Martinum, & Monasterium Sauiniacense, & ad regimen & subiectionem Iterii Abbatis, & Successorum eius, & vtilitatem Fratrum, *Talueriis* monastice Deo famulantium; ita vt in nostra tuitione & *IRMINGARDIS* Reginae, & Successorum nostrorum Regum remaneat. Et vt haec a nobis facta credantur, manu nostra roborauimus, & sigillari iussimus.

Signum Domini *RODVLFI* Regis.

No. LX.

Rudolfi III. Burgundiae Regis charta, e qua patet, Burchardum fratrem etiam Agaunensis Ecclesiae Abbatem fuisse. Anno 1020. Ex Guichenonii Hist. Sabaud. T. II. p. 3.

In nomine Sanctae Trinitatis & indiuiduae vnitatis. *RODVLPHVS* diuina prouidente clementia Rex. Notum esse volumus omnibus Dei Ecclesiae filiis, natis & nascendis, qualiter quidam ex fidelibus nostris, *Amiso* nomine, venit ad nos, postulans, vt sibi per praestariam concederemus quandam terram Sancti Mauritii. Cui assensum praebentes, largimur tam ipsi iam praefato Amisoni, & vxori eius, quam sibi legitime adquisierit, & post eorum discessum, cuicumque illorum infanti dare voluerint vel consentire, mansos duos, coniacentes in Comitatu Bargensi, siue in valle Nugerolensi, tam in casis, quam casalibus, campis, pratis, vineis, pascuis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, & cum omnibus appenditiis, siue vsamentis omnibus, laudante & consentiente *Donno* ac venerabili *BVRCARDO*, *Archi Episcopo & loci Agaunensium Abbate*, simulque Fratribus Sancti Mauricii annuentibus, accipientes a iam dicto Amisone vineam vnam sui primi iuris, sitam in Comitatu Bargensi, siue in valle Nugerolensi, & campum vnum, quo eadem vinea possit operari, sub censu 12. denariorum, quos singulis annis in festiuitate Sancti Mauritii ad eius altare persoluant: & si vno anno negligentes extiterint, in altero duplum componant, & si vno, secure possideant. Et vt hoc a nobis factum esse videatur, & a nemine posterorum nostrorum infringatur, suis consimilibus ad firmandum dare iussimus.

BERTHOLDVS Comes firmauit.
Cuono Comes & filii eius firmauerunt.
Seligerus firmauit.
Adalger firmauit.

Actum Pinpeningis in praesentia quamplurimorum hoc videntium, die Dominico, Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi MXVI. Anno Regni *RVODOLFI* Regis quampii XXVI.

Ego Franco, vice Pandolfi Cancellarii subscripsi.

No. LXI.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio ad Monasterium Agaunense pro anima patris Conradi.

Anno 993. Ex Guichenon. Bibl. Sebus. Cent. I. c. 3. p. 12.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLPHVS* Rex. Maximum Regni nostri augere credimus munimentum, si concessionis nostrae munificentia sacris Sanctae Ecclesiae aedibus aliquid concedimus, atque Ecclesiasticam indigentiam nostrae opis propensius fugamus auxilio, plurimum nobis ad aeternam beatitudinem, Regnique nostri stabilitatem prodesse confidimus, & ad commodum procul dubio credimus: Omnium itaque fidelium nostrorum, tam praesentium quam futurorum, certitudo comperiat, quoniam *venerabilis Archi Episcopus Lugdunensis, qui est Agaunensis Abbatiae Praepositus*, nostrum adiens prospectum, rogauit suppliciter, vt pro anima Serenissimi *Patris nostri CONRADI*, sicut idem distribuerat, Pulliacum Villam in eadem Abbatia Deo famulantibus per praeceptum concederemus, quod in modico iussimus adnotare in iam dicta Villa quae dare potuimus iuste & legaliter, cum suis omnibus appenditiis, Regia & praecepti auctoritate Sancto Mauritio, suae legioni & Canonicis aeternaliter distributa corroborando confirmauimus. Vt autem nemo futuris temporibus immutare possit vllo modo hoc praeceptum erga Ecclesiam & Canonicos; pro diuinae remunerationis amore & animae Patris nostri redemptione, insuper etiam vt aeternam sibi vigoris firmitatem defendat, & a coetu Sanctae Dei Ecclesiae inuiolabiliter conseruetur hoc donatiuum, summae pietatis gratia peractum; hanc praeceptalem fieri praecepimus scripturam, & manu propria corroborauimus, hoc & addentes, vt quicumque hoc inuiolabiliter conseruare studuerit, benedictionem & gratiam consequi mereatur. Si quis autem in peius mutare tentauerit, diuinum incurrat periculum in die iudicii, & a Christo alienus habeatur.

✠ Signum Serenissimi Domini nostri Regis.

P. Anselmus, almi Mauritii & Domini Regis Cancellarius vnius notas impleuit Anno Incarnationis Domini DCCCCLXXXXIII. Regni vero Domini Regis I.

Acta in Siazo prid. Kal. April.

No. LXII.

No. LXII.

Rudolfus III. Burgundiae Rex interfuit electioni Sancti Odilonis, Maioli Succesforis in Abbatia Cluniacensi. Anno 994. Ex Dacher. Spicil. T. III. p. 379. edit. nou.

ORDINE diuinae dispensationis, &c. Quapropter ego *MAIOLVS Sancti Petri Cluniacensis Coenobii Abbas* indignus, praesentibus atque futuris generatim notum esse volo, quia haec & huiuscemodi mente pertractans, aetate defatigatus, officiis quoque corporis imminutus, dum minus me pastorali cura idoneum persentisco, Beati Benedicti capitulatim de constituendo Abbate sollicitudine praemonitus, cum omnibus Fratribus meis, Filiis & Conseruis, Beati quidem Petri pridem Clericum, fratrem & filium Monachis *ODILONEM* Religiosum eligimus, & Abbatem esse decernimus, ne insolentia nostrae infirmitatis Ordo decrescat, & repulsam in aliquo patiatur, Deo propitio semper ad meliora prouehendus. Et ne technam alicuius excusationis praetendat (nam sicut quis indigne ad regimen incautus aspirat, ita si quis dignus refugit, merito constringendus habetur) consilium Episcoporum & Abbatum adhibuimus. Et sicut Cluniacense Monasterium, Deo auctore, a Guillelmo Duce fundatum, nomine Principis Apostolorum sacratum, priuilegiis Romanae Sedis insignitum, Regalibus praeceptis confirmatum, a Reuerendis quoque Abbatibus, Domno Bernone atque Odone, nec non Haymardo ordinatum constat; ita cum omnibus Abbatiis, locis & Cellis, vbiubi eorum vel nostro tempore acquisitis, praedicto Fratri ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem seruandum secundum Beatum Benedictum, & instituta Patrum nostrorum, quam ad res disponendas sub omni integritate, propitia diuinitate, vinculis obedientiae adstringimus, & Abbatem vnanimiter omnes proclamamus. Huius vero electionis & ordinationis eius seriem, per consultum, vt diximus, Primatum Comitis, etiam & Aduocati nostri *HENRICI Ducis*, nec non & *Ottonis* literis sanciri praecipimus, atque regulariter celebratam ordinationem in Christi nomine confirmauimus, & a Patribus ac Fratribus nostris, scriptis confirmare precati sumus.

Acta Cluniacense Coenobio feliciter, Amen.

Ego Maiolus Abbas, huic electioni assensum praebui, & signaui.

RODVLPHVS Rex (Burgundiae.)

Bourchardus Archi Episcopus (Lugdunensis, eius frater.)

Hugo Episcopus Geneuensis. Aguricus Episcopus Lausanensis.

Hugo

Hugo Episcopus. Teuto Abbas. Richfredus Abbas.
Ermenfredus Episcopus. Burchardus Comes. Lambertus Comes. Adalbertus Comes.

Hoc insuper subsignauere Monachi centum septuaginta septem: huic etiam electioni subscripserunt:

Leotaldus Archi Episcopus. Walterius Episcopus. Hugo Abbas.
Wago Abbas. Teobaldus Abbas. Warembertus Abbas.
Willelmus Abbas. Maiolus Praepositus. Walterius Praepositus.
Gundulphus. Dauid. Aguricus. Sendelenus.

No. LXIII.

Rudolfi III. Burgundiae Regis priuilegium Cluniacense datum Anno 994. vel circiter. (*)

Ex Guichenon. Biblioth. Sebus. p. 118.

NOTVM sit omnibus fidelibus nostris, tam praesentibus quam absentibus, quod ego *RODVLFVS* Dei gratia Rex, Monasterio Cluniacensi, sito in Comitatu Matisconensi, quod in honore Beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli constructum est, pro Dei amore, nec non pro reuerentia ipsorum Apostolorum inuictissimus cupio esse. Quapropter iubemus, vt ipsum Monasterium, ac ipsae res ad ipsum pertinentes quiete atque secure absque vllius improbitate permaneant iugiter, sicut dudum per nostrae auctoritatis praeceptum sanciuimus. De rebus vero, quae in loco, qui dicitur Coluiriacus, consistunt, quae nuper ad ipsum Monasterium in eleemosyna datae fuerunt, praecipimus, vt, sicut antiquitus determinatae fuerunt, restituantur. Eodem quoque modo commendamus, ac omni sollicitudine delegamus, vt omnia praedia ac possessiones, quae eidem Monasterio pro Dei amore fuerunt concessa, & quae iam futuris temporibus donanda speramus fore, perpetualiter absque alicuius inquietudine illibata perseuerent. Vos quoque, o Principes, Iudices siue Rectores Comitatus illius & regionis, in qua illud Monasterium consistit, quicumque in praesentia mea estis, aut quicumque futuri estis, obsecrando iubemus, & iubendo obsecramus, quatenus pro praemio vitae aeternae, & pro amore ipsorum Apostolorum, sitis in adiutorium & in protectionem, atque in defensionem vestra vice, loci illius, siue Monachorum ibidem consistentium, Christoque seruientium, in quocumque negotio indigerint, vt nostro vestroque freti auxilio secu-

*) Quia haec charta in chartulario Cluniacensi diplomatibus tempore Maioli Abbatis datis inserta est, ad extrema Maioli tempora eam referendam censet Guichenonius.

ſecurius, tam pro nobis, quam pro ſtatu Regni totius noſtri, Domino noſtro Ieſu Chriſto Regi Regum ſupplicare valeant, & inceptis bonis perpetualiter perſeuerent. Quod ſi quis vlterius idem Monaſterium ſeu habitatores eius, resque ibi collatas, temerare aut inquietare praeſumpſerit; primitus Dei, atque ipſorum Apoſtolorum iram incurrat, ac deinde noſtrae ſeueritatis experiatur cenſuram. Inſuper coram, vt haec notitia firma ſit, noſtro Sigillo roborare ſtuduimus.

No. LXIV.

Rudolfi III. Burgundiae Transiuranae Regis diploma, quo Amizoni, Tarantaſienſi Archi Epiſcopo

Comitatum eius vrbis tribuit. Anno 996. Ex apographo vetuſto Murator. Antiq. Ital. T. I. p. 415.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLPHVS* aeterni Iudicis miſericordia Rex. Dum in primordio Chriſtianae Religionis conſtituti ſunt Reges, Eccleſiarum ſollecitudinem, curamque Pontificum Deo famulantium conſiderantes, augmentando terrarum donis Pontificatus quam plures, ad ſummam duxerunt dignitatem: Nos quidem exempla priorum perpendentes, ac molem noſtrorum peccaminum, ne ira diſtricti Iudicis pauidi damnemur, Archi Epiſcopatum hybernis incurſionibus penitus depopulatum, quem Amizo, prout vires appetunt, ordinatum veſtit, Comitatu donamus, ac huius auctoritate noſtri praecepti, hunc autem iuſte & legaliter eſſe datum firmamus; vt ſicut praedictorum malignae incurſionis ſaepiſſimo decidit furore, ita noſtri iuuaminis ſubleuetur honore. Hoc autem omni conſideratione cordi committimus, Dominumque Chriſtum Ieſum fixis genibus imploramus, quo his peractis ad Caeleſtis Patriae valeamus deportari Regnum, ac poteſtatem Sanctae Dei Eccleſiae Tarentaſiae integrum conferimus Comitatum, quo beatiſſimorum Apoſtolorum Principis iam dictum Comitatum Deo deferimus; vt in omnibus eandem ipſe praedictus Archi Epiſcopus poteſtatem habeat regimen ſiue ordinationis ſuorum tantis temporibus Epiſcopo committere. Quicunque igitur iſtius noſtrae Donationis ſeriem temerario auſu temerare praeſumpſerit, omnibus Dei maledictionibus ſubiaceat, Sanctorumque Apoſtolorum omnium nodis & nexibus irretitus, anathemate perpetuo damnetur. Et haec noſtra auctoritas firma, ſtabilis maneat ſemper; inſuperque ſentiat ſe compoſiturum centum librae optimi auri, medietatem Camerae noſtrae, & medietatem Archi Epiſcopo vel Succeſſoribus ſuis. Verum, vt hoc credatis melius, praeſens Praeceptum firmauimus, noſtroque ſigillo inſigniri iuſſimus.

Signum Domini Sereniſſimi Regis *RODVLPHI.*

Anſelmus Regis Cancellarius hoc ſcripſit Praeceptum Anno Domini Incarnationis Nongenteſimo Nonageſimo Sexto, Indictione vero Decima, Regni autem Regis *RODVLPHI* Tertio.

Actum in Agauno feliciter.

No. LXV.

Rudolfi III. Burgundiae Regis confirmatio donationis paternae Sancto Andreae Viennenſi factae, in qua mentio matris Mathildis, Coniugis Agiltrudis & fratris Burchardi Archi Epiſcopi Lugdunenſis. Anno 994. Ex Dacher. Spicileg. T. III. p. 380. col. b. edit. nou.

In nomine Domini Dei aeterni. *RODVLFVS* Rex. Si locis Sanctorum more praecedentium Regum Catholicorum aliquid compendii, vnde vita inibi Deo famulantium ſuſtentetur, conferre ſtudemus; non ſolum in hac vita diutius cum proſperitate regnaturos, verum in perenni a Deo recompenſationem recipere confidimus. Quocirca nouerit Sanctae Dei Eccleſiae noſtrorumque fidelium vniuerſitas, praeſentium ſcilicet ac futurorum, quia venerabilis Abbas *Haimoinus* de Monaſterio Sancti Andreae Apoſtoli, in ciuitate *Vigenna* ſiti, cum Monachis ſibi commiſſis, ante praeſentiam noſtram praeceptum *patris noſtri* deferens, poſtulauit, vt res, quae in ipſo ad praefatum Monaſterium, a ſe iam dudum reſtauratum, delegatae erant, pro animae *matris noſtrae, MATHILDIS* Reginae, remedio, ac ſuae, noſtrae auctoritatis praecepto, ad ſuſtentationem Deo ibi ſeruientium, corroborare dignaremur. Sunt autem res ipſae in pago *Vigenni* ſitae; in villa Vitroſco Eccleſia cum appendiciis ſuis, & quidquid in ipſa villa, vel in Arelo pater noſter & mater noſtra de Teudowino acquiſierunt, & in Arcas manſum vnum, & in Maſiano colonica vna. Nos vero non ſolum in hoc ei aſſenſum praebentes, ſed inſuper per conſilium dilectae *coniugis* noſtrae *AGILDRVDIS Reginae*, ac *fratris* noſtri *BVRCHARDI*, Lugdunenſis Archi-Epiſcopi, quamdam villam, Criſinciacus nominatam, cum famulis vtriusque ſexus & aetatis, & rebus omnibus ad ipſam reſpicientibus, quae ex multo tempore de praefato Monaſterio ablata fuit, pro remedio animae *patris noſtri*, ſicut ipſe in fine obitus ſui reddidit, Sancto Andreae Sanctoque Maximo reddimus & concedimus, & per hoc noſtrae auctoritatis praeceptum ſancimus, vt deinceps nullus Dux, Marchio, Comes, vel quaelibet grandis aut parua Regni noſtri perſona, de ſupra nominatis

rebus

rebus nullum teloneum, vel aliquam functionem exigere praesumat, sed ad subsidia Monachorum in praelibato Monasterio Deo seruientium, omnium hominum inquietudine remota, cuncto permaneant tempore. Si quis autem huius nostri praecepti violator exstiterit, sciat se compositurum auri optimi libras XXX. medietatem Camerae Palatii nostri, & medietatem Monachis supra dictis. Vt autem verius a nobis factum credatur, & ab omnibus diligentius succedentibus temporibus obseruetur; manus illud nostrae subscriptione roborantes, sigilli nostri impressione annotari iussimus: & ad confirmationem praelibatam confirmandam addimus Ecclesiam de Masclatis cum appendiciis suis, ad praedictorum Monachorum subsidia.

Signum Domni *RVODVLFI* nobilissimi Regis.

Paldolfus Cancellarius recognoui.

Data II. Idus Ianuarii Incarnationis Domini DCCCCXCIV. Indict. V. Anno vero Domini *RODVLFI* Regis primo.

Actum Vigennae in Dei nomine fideliter. (*lege* feliciter.) Amen.

No. LXVI.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio Monasterio Sancti Andreae Viennensi facta de Ecclesia Sancti Symphoriani. Anno 1014. Ex Dacher. Spicil. T. III. p. 387.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RVODVLFVS* diuina prouidentia serenus Rex. Iustis fidelium nostrorum petitionibus acquiescere iustum ducimus & honestum. Qua de re notum sit omnibus Dei Ecclesiae filiis, nostrisque fidelibus, praesentialiter natis & in futuro nascendis, qualiter, petente *IRMINGARDE Regina, Coniuge nostra* carissima, nec non *BVRCHARDO* Archi Episcopo, *fratre nostro* dilectissimo, sed & Vtelino, fidele nostro, rogante, reddimus Monasterio Sancti Andreae, in ciuitate Viennensi constructo, cui *Hugo* Abbas praeesse videtur, Ecclesiam, in honore Sancti Simforiani dicatam in septimo, cum dotis & decimis & offerendis, & omnibus appendiciis, vt, sicut *pater noster* memoriae bonae *CHVONRADVS* Rex, & *mater nostra MATHILDIS* pro anima sua illud dederunt; ita nos pro anima nostra illuc reddimus, vt omni tempore illic permaneat ad stipendia fratrum ibi Deo famulantium, in potestate & gubernatione Hugonis Abbatis & Successorum eius. Damus etiam in valle Ortensi quidquid Constantius ibi aedificauit per donum Aunuini Abbatis, eo ipso modo, vt superiora dedimus, quae sunt Sancti Andreae. Volumus ergo, vt in pace locus per-

maneat cum omnibus pertinentiis suis, nulla aliena potestate grauatus. Vt haec a nobis facta credantur, & a posteris nostris non frangantur, manu nostra roborauimus, & sigillari iussimus.

Signum Domni *RVODVLFI* Regis.

Paldolfus Cancellarius recognoui.

Data pridie Idus Aprilis Anno Incarnationis Domini MXV. regnante Domino *RVODOLFO* Rege. Anno vicesimo.

Actum Aquis.

No. LXVII.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio ad Ecclesiam Viennensem facta de curte Comminiaco.

Anno 1013. Ex Io. a Bosco Vienna Sancta p. 61.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* diuina fauente clementia serenus Rex. Sanctas Dei Ecclesias quas deuota praecedentium nos Regum, seu venerandorum patrum religio construxit, si aliquibus incrementis augmentamus; spiritualiter & corporaliter nobis proficere non dubitamus. Quapropter notum esse volumus omnibus Dei Ecclesiae, & nostris fidelibus, natis & nascituris, qualiter, ob animae nostrae remedium, & petitiones *IRMINGARDIS* Reginae *coniugis* nostrae dilectae, & propter seruitia *BVRCHARDI Viennensis Archi Episcopi*, damus Deo & Sancto Mauritio ad seruiendum ad Episcopatum Viennensem, in stipendia fratrum ibidem Deo famulantium, cortem nostram *Comminiacum*, in Comitatu Viennensi sitam, cum Ecclesia superstante, cum seruis & ancillis, & omnibus pertinentiis seu Vsuariis, vt perpetualiter ibi permaneat in communi eorum dispositione, & fraterna vtilitate, absque contradictione & inquietudine alicuius exactoriae personae. Et vt haec a nobis facta credantur, & a posteris nostris non infringantur; manu nostra roborauimus, & sigillari iussimus.

Paldolfus Cancellarius recognoui.

Data XIIII. Kalend. Iulii, Luna vii. Anno ab Incarnatione Domini MXIII. Regnante Domino *RODVLFO* Rege XX.

Actum Murati.

No. LXVIII.

Eiusdem alia donatio ad Ecclesiam Viennensem de Comitatu Viennensi. Anno 1023. Ex Io. a Bosco Vienna Sancta p. 63.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* diuina fauente clementia Rex. Quia huius seculi praesens assolet aduersitas

ſitas vnumquemque hominem impedire, ne officiis ſibi iniunctis ſtudioſe procurare poſſit inhaerere, vt decet, recognoſcimus & nos, atque per omnia probamus, multa negligenter, quae a nobis fuerant & ſunt reſtauranda atque emendanda, minus officioſe ex noſtro regimine eſſe peracta. Quapropter vt Regum mos fuit & eſt, ſi quid minus iuſto in mundanis legibus diſcernendis, ſemetipſos exercebant; in Eccleſiaſticis tamen rebus meliorandis, frequenter deſudabant. Hoc exemplo admoniti & nos, placuit & decreuimus, vt de rebus, quas vsque nunc humanis noſtris vſibus ſubegimus, diuinis cultibus deinceps ſeruiendum redigeremus. Qua de re ſciant vniuerſi, qui amatores comprobantur eſſe cultus diuini, qualiter ego, letante dilectiſſima *coniuge* mea *IRMENGARDA* Regina, dono, ob recordationem animae meae & eius, & ob remedium peccatorum noſtrorum, Sancto Mauritio, Eccleſiae Viennenſis Patrono, & Epiſcopis eidem Eccleſiae praetitulatis, atque deinceps in curricula ſeculorum praeordinandis, *Viennenſem Comitatum*, cum omnibus appendiciis ſuis, infra ipſam Ciuitatem Viennenſem & extra dictam Ciuitatem, cum caſtello, quod ſupereminet ipſi ciuitati, quod dicunt proprio nomine *Pupet*, & quicquid noſtro vſui legis cenſura per manus miniſtrorum noſtrorum nunc vsque ſoluebat. Hoc idem, vt diximus, eidem Eccleſiae & Epiſcopis, ibidem ad Deo ſeruiendum dicatis, ea lege donamus, vt, ſi quis Regum per tyrannidem, aut aliquis Eccleſiae Dei inimicus, iſta voluerit ab Eccleſia Dei & Sancti Mauritii diuellere, & violenter abſtrahere, aeternas & numquam extinguendas flammas, cum Iuda traditore, ſe doleat inremediabiliter luere. Et vt haec a nobis facta credantur, & a poſteris noſtris non refringantur; manu noſtra roborauimus & ſigillari iuſſimus.

Albicer Indignus Presbyter, iuſſu Regis ſcripſi.

Acta ſunt haec XVIII. Kalend. Octob. Anno ab Incarnatione Domini cIↃXXIII. Regnante *RODVLPHO* Rege Pio, Anno Regni ſui XXX.

Datum in vico *Vrba*. Quem alio vocabulo dicunt *Tabernis*.

No. LXIX.

Donatio Ermengardis Reginae facta Taluerienſi Monaſterio a ſe conſtructo, in ipſa dedicatione Eccleſiae. Anno 1050. vel circiter. Ex Guichenon. Hiſt. Sabaud. T. II. p. 3.

MVNDI terminum appropinquare, ruinis crebreſcentibus certa manifeſtant indicia. Ideoque oportet vnum quemque ſollicite perſiſtere, quamdiu in praeſenti vita ſubſiſtit, vt de terrenis

 merean-

mereantur aeterna, & de transitoriis acquirantur sempiterna, laborando non lacessere. Igitur ego *ERMENGARDIS*; Domni *RODVLFI Regis coniux humilis*, pro remedio animae *Senioris mei*, *RODVLFI* Regis, & pro remedio animae meae, construxi Ecclesiam in honore Sanctae Mariae ad habitationem Monachorum Sancti Martini Sauiniacensis Monasterii, & ad regimen & subiectionem Iterii Abbatis, & Successorum illius, & vtilitatem Fratrum, ibidem Deo regulariter famulantium, in pago Albanense, in villa, quae vocatur *Talweriis:* cui loco ex permissione *Senioris* mei *RODVLFI*, per Consilium Archi Episcoporum & Episcoporum, scilicet Leodegarii Viennensis, & Emmonis Tarentasii, & Friderici Genauensis, & Pontii Valentini, & Comitis *Vmberti*, & aliorum, qui ibidem conuenerunt, fidelium nostrorum, in dedicatione Ecclesiae donaui ad victualia Fratrum, potestatem de Dulsatis cum Ecclesia & appenditiis suis, & Marciacum cum appenditiis suis, & Vesonem cum appenditiis suis, & potestatem Marlensem cum Ecclesia & omnibus appenditiis eius, & villam Blusiacum cum Ecclesia & appenditiis, & in Verello tres mansos, & in Poniaco vnum mansum: & vnum mansum, qui vocatur Ramponetus, & mansum de Escaluina, & Siluam quae vocatur Cheria, & villam Caluenacum cum appenditiis & duabus partibus Decimae ipsius villae, vt Fratres libere teneant & possideant sine vlla contradicente persona. Et vt haec donatio firma & stabilis semper maneat, manu propria firmauimus, & firmari rogauimus.

Signum Vmberti Comitis.

Signa Sigiboldi, Fulcherii, Alloldi, Wlardi.

Notum itaque fieri volumus, quod tali tenore factum est istud donum, vt *ERMENGARDIS* Regina tres potestates, Dulsatis, Vesonam, & Marlendis, quandiu vixerit, teneat, nisi voluntarie reddiderit, & omni anno in festiuitate Sancti Andreae pro hoc, quod retinuerit, in censum & vestituram, viginti solidos Monachis ipsius loci persoluat, post decessum vero suum libere omnia supra scripta remaneant habitantibus in illo loco, & deuote seruientibus Domino Deo.

No. LXX.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio ad Monasterium Agaunense. Anno 1018. Ex Guichenon. Histor. Sabaud. T. II. p. 2.

In nomine Dei aeterni & Saluatoris nostri Iesu Christi. *RODVLPHVS* Dei gratia Burgundionum Rex. Quicunque in hoc seculo diuitiarum viuens affluit vbertate, diligentia debet prouidere, ne his

nimius

nimius intentus amittat ditissimum florem aeternae dignitatis, & gloriam patriae coelestis. Quamuis Dominus dicat, Camelum facilius posse foramen acus penetrare, quam diuitem in regnum coelorum intrare; Non tamen nobis diffidendum est de immensa ipsius pietate; quia qui dat escam inuocantibus se pullis coruorum, non denegabit veniam sperantibus in se famulis. Neque enim est sibi exiguum vel vile, propter quod dignatus est humanitatem sumere; haud alteri vult deserere, quod redemit suo pretiosissimo sanguine, aut illuc nos trahere, vnde venerat liberare. Ille itaque nobis peccatoribus medicamina salutis est largitus, cum non solum de propriis, vel bene adeptis, verum & de mammona iniquitatis amicos doceret nos facere, qui reciperent in aeterna beatitudine. Nos siquidem his & aliis instructi monitis, si petitionibus fidelium nostrorum aurem Serenitatis nostrae accommodauerimus, procul dubio promptiores & fideliores ad nostrum efficimus famulatum, idque non tantum animae, verum etiam nostri Regni statui valde prodesse non ambigimus. Quapropter omnium nostrorum, tam praesentium quam futurorum, nouerit industria fidelium, quod quidam fideles nostri, videlicet *Coniux nostra HERMEGONDIS Regina*, *BERTHOLDVS* quoque & *RODVLPHVS* Comites, & *ROBERTVS*, nec non Hugo Episcopus Sedunensis, Henricus Lausanensis, atque Hugo Geneuensis, & Burcardus Lugdunensis, Anselmus Augustensis, ac Pandulfus cum caeteris Fratribus, supplices nostram aggressi sunt clementiam, quatenus pro salute nostra & eorum petitionibus Ecclesiae *Agaunensi*, in salo miserrimae desolationis iam pene naufraganti, subueniremus. Quorum petitionibus benigne annuentes, donamus, imo ab Antecessoribus nostris ablata reddimus, tam Ecclesiae Agaunensi, quam Fratribus ibi Deo & Sancto Mauricio famulantibus, de victu & vestitu proclamantibus, ad mensam eorum in refectorio, fiscos Sigiciacum, Lulliacum, Communiacum, Pulliacum, Auronum, Potestatem wadens & Bedelosci, & in Viuesio placitum, cum omni reddibitione census & hominum, Lustriacum, Vouureium, Aulonum, Leuchiam, Narres, cum omnibus appenditiis eorum, & oblata Altaris eiusdem Ecclesiae; dimidium Burgum ipsius loci; & ibidem furnum cum molendinis, & duas partes Thelonei salis, & Alpes Sancti Mauricii, totiusque caput Laci: ea videlicet ratione, vt omni tempore nostri praecepti auctoritate ipsi & Successores eorum quiete habeant, teneant, & inde in refectorio viuant, &, quicquid vtile sibi in commune bonum decreuerint, libere faciant. Si quis vero (quod minime credimus) eos molestauerit, non valeat vendicare, quod appetit; sed sit culpabilis, & persoluat quingentas libras optimi auri, medietatem

ipsi

ipsi Ecclesiae, & medietatem Regiae Camerae. Verum vt hoc credatur certius, praesens praeceptum propria manu firmamus, & sigillo nostro signari & praedictorum Episcoporum anathemate muniri praecepimus.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo decimo quarto, Regni vero *Regis RODVLPHI* vigesimo quarto, die Sabbathi 16. Kalend. Martii, Luna 18. Indictione prima.

Actum in *Agauno* foeliciter.

No. LXXI.

Charta Beroldi de Saxonia, Proregis Arelatensis, pro Talueriensi Monasterio. Anno 1020.

Ex Marten. Anecdot. T. I. p. 140.

BERALDVS de Saxonia Prorex Arelatensis pro Rege potentissimo *RADVLFO*, & ab Augusta Maiestate Imperii creatus Vicarius, natis & nascituris notum facimus, quod adueniens ego in pago Albanense, in loco, quo dicitur *Talluere*, inueni Ecclesiam & Monasterium, quod fundauit Dominus meus Rex ad honorem B. Mariae & Sanctorum Martini & Benedicti, in regimen & vsum Domni Abbatis S. Martini Sapiniacensis & omnium Successorum eius, in laudibus Dei famulantium in dicto loco Talueris, & de habitu & regula Sanctissimi Patris Benedicti, sicut sunt, & in futuro erunt. Quod Monasterium cum omnibus suis bonis, *feudis*, iuribus, & pertinentiis, sicut maiores mei habuerunt, & maxime habet Dnus noster Imperator in suo saluo guardagio & secura tutela, accepimus & habemus, eorum vestigiis inhaerentes. Audientes praeterea affectionem, quam habuerunt praedecessores nostri ad Monasterium Beati Martini de Sapiniaco, & ad dictam Ecclesiam de Talueris, volumus & declaramus, quod Successores nostri habeant & recipiant, sicut habemus & recipimus, in salua tutela, custodia, manutenentia, & securo guardagio, praedictum locum de Tallueriis, cum omnibus suis bonis & appenditiis, item Priorem, Monachum familiarem & eorum seruitores omnes, sub poena iudicii Omnipotentis Dei, & qui illis benefecerit, sit benedictus; qui vero molestauerit, maledictus sit in sempiternum. Amen, Amen.

Actum in eo loco de Tallueris, laudante Domino meo Imperatore, & genito meo carissimo *VMBERTO*, Anno MXX. sub sigillo meo & signo manuali in Mense Iulio.

✠ Beroldus.

✠ Vmbertus filius.

No. LXXII.

No. LXXII.


Rudolfi Regis diploma pro Cluniacensibus ab Emma Regina impetratum. Anno 1005. ex hypothesi;

verius Anno 932. Ex Biblioth. Cluniac. p. 410. & Mabillon. Saecul. V. Benedictin. p. 317. & Annal. T. IV. p. 183. ad Annum 1005. (*)

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* diuina propitiante clementia pius Augustus, atque inuictissimus Rex. Sicut certum indubitanter est, nullam Potestatem nisi a Deo prorsus existere, sic consequens vtique est, vt, quisquis eius dispositione terrenae potestatis culmine sublimatur, sub potenti eiusdem largitoris manu sese humiliet, eique de suis donis placere studeat. Quapropter notum sit omnibus per temporum curricula sibi succedentibus tam Regibus videlicet, quam Comitibus, cuiusque Magistratuum gradibus, vel reipublicae administratoribus, quod ad deprecationem *EMMAE*, nostri Imperii *Consortis*, aliorumque nostrorum quorundam fidelium, quasdam res, ob amorem Dei, Sanctorumque Principum Apostolorum, Petri scilicet atque Pauli, ad *Cluniacense* Monasterium trado; eo siquidem tenore, vt Fraternitas Monachorum inibi degentium res ipsas sine cuiuslibet aut Regis, aut Comitis, vel cuiuslibet inferioris gradus contrarietate perpetuo iure possideant, & eidem loco pro nostro memoriali reseruantes, tam pro nobis, quam pro statu Regni nostri, Christi clementiam, atque praedictorum Apostolorum patrocinia iugiter deposcant, & pro illis nihilominus, qui hanc donationem inconuulsam permanere concesserint. Sunt autem ipsae res sitae in Comitatu *Matiscensi*, in vicaria ..... & vocatur villa ad *Chiuineas*, quam damus cum omnibus appendiciis suis, & tertiam partem piscinae, quae vocatur *Osa*, cum mancipiis, vel reliquis rebus, ad eandem piscinam pertinentibus, vt semper iidem Monachi medium tractum habeant. Confirmamus etiam donationem, quam vir bonus Leutbaldus de Blenosco fecit: sed & illam de Capella Sancti Victoris, quae est in Absgogia, vel de aliis rebus, quae Altaldus, vel alii ad praedictam Capellam

*) Autographum huius diplomatis hodieque superest in Archiuo Cluniacensi, teste Mabillon. Saecul. Benedict. V. p. 317. integrumque *sigillum*, Regis faciem exhibens, conuersam ad sinistram intuentis; item *monogramma* Regis, in cuius medio Y graecum appositum: quod hic expressimus. In Annalibus idem Vir doctus, a Quercetano forte deceptus, hoc diploma itidem Rudolfo Iurensi Regi attribuit, refertque ad Annum 1005. Tom. IV. p. 183. Sed quam male, supra in Notis obseruatum. Sequens enim diploma Rudolfi Franciae Regis inuicte demonstrat, hoc quoque huius esse, pertinereque ad Annum 932. Quercetanus Annum 997. huic instrumento adscripsit, qui neutri Rudolfo conuenit. Annus enim Rudolfi Francici nonus est 932. Burgundici secundi 923. tertii 1003.

lam tradentes Cluniaco delegauerunt. Has itaque res, cum Capellis, mancipiis vtriusque ſexus, vineis, pratis, aquis, molendinis, ſiluis, caſis cultis & incultis, atque omnibus, quae ad eas pertinere probantur, vel praedicto Monaſterio adquirenda ſunt, per noſtram conceſſionem firmamus. Scripturam quoque illam, quam Berno Epiſcopus ſupra dictis Monachis de eorum decimis fecit, ratam eſſe cenſemus, ita vt nihil de decimis, quae ad eas antiquitus pertinuerunt, per vllam recentem auctoritatem ſubtrahere cuiquam liceat. Haec autem omnia noſtrae auctoritatis praecepto confirmamus, atque Sigilli noſtri impreſſione conſignamus, Succeſſoribus noſtris id ſuggerentes: *Maledictus, qui transfert terminos*, id eſt conſtitutiones, *proximi ſui.*

Signum Regis  Rodulfi glorioſiſſimi.

Rotmundus, ad vicem *Anſuſi* Epiſcopi, recognouit.

Actum *Anſauilla* XI. Kal. Iulii, Indictione III. Anno IX. regnante *RODVLFO* Rege glorioſiſſimo.

No. LXXIII.

Rudolfi Franciae occidentalis Regis diploma pro Monaſterio Montolïuenſi in Dioeceſi Auſenſi,

Anno 932. Ex Hiſtor. Occitan. T. II. Document. p. 68. Baluz. Capitul. T. II. p. 1536.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* diuina propitiante clementia Francorum Rex. Qui pro amore Omnipotentis Domini Sanctam Dei Eccleſiam conſtruere & reaedificare gliſcit, magnam in honore Sanctorum mercedem impendit; in futuro vero cum Sanctis vitam acquirit ſempiternam. Idcirco notum ſit omnibus Sanctae Dei Eccleſiae fidelibus, praeſentibus ſcilicet & futuris, quoniam adiit noſtram Serenitatem Dalmacius, noſter per omnia fideliſſimus miles, petiit noſtram Celſitudinem, quatenus noſtrae auctoritatis Praeceptum de terra, quam ad Abbatiam Sancti Ioannis Baptiſtae nobiliſſimi homines dederunt, in caſtrum videlicet Malaſti, fieri praecepiſſemus. Illius fuit petitio & noſtrae libuit voluntati pro reſtauratione illius loci, & noſtrae auctoritatis praeceptum iuſſimus fieri, vt Sancti Monachi ibidem Domino ſeruientes illam terram firmiter teneant, ſine vlla contrarietate aut alicuius contra-

contradictione, per iussionem Domini Abbatis Arifonsi eiusdem loci. Coniacet etenim in Comitatu *Carcassense* cum mercato super fluuium Duramno. Est ibidem villa Sicca cum Ecclesia; altera villa Caucus cum Ecclesia; alia Venteniaco cum Ecclesia; alia Elizau cum Ecclesia; alia Villa Valeriano cum Ecclesia; Ecclesia de Amacario; alia Sancti Martini super fluuium Lampa; alia Monteconilio. In Comitatu Redense, villa Garmacia cum Ecclesia; alia villa Sancti Ioannis & Sanctae Crucis. Faris cum Ecclesia ipsa; Anul-villa cum Ecclesia; Lauraco cum Ecclesia; item Sancti Martini villa. In Comitatu Narbonense, Truliaco cum Ecclesia & fisco de Aquaeductu, villa Sancti Fructuosi. In Comitatu Carcassense villa Castellani, Villa noua cum Ecclesia, Vlmis cum Ecclesia Sanctae Ceciliae. Haec omnia & sicut continentur in aliis praeceptis, ex parte nostra sint stabilia de supra dictis villis seu de Ecclesiis ibidem datis, & nullus per vim intrare praesumat in Abbatiam, nisi quem electio elegerit. Vt autem haec supra dicta firma sint & stabilia permaneant in aeuum, nostro nomine insigniri, & annuli nostri impressione iussimus sigillari.

Signum *RADVLFI* Regis gloriosissimi.

Rosmundus ad vicem Ansigisii Episcopi recognouit.

Actum Ansa-villa, decimo tertio Kalendas Iunii, Anno nono regnante *RADVLFO Rege.*


No. LXXIV.

Rudolfi III. Burgundiae Regis donatio Cluniacensibus ex agro Geneuensi facta, petente Iransaida Coniuge. Anno 1019. Ex Biblioth. Cluniac. p. 411.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLFVS* Dei gratia Rex. Igitur cum totius ordo Religionis, secundum decreta praecedentium Regum, Sanctae conuersationis exordium sumeret, & ad perseuerandum in ea, sustentacula alimoniae his, qui districtius atque familiarius in Dei seruitio se coërcent, publica regalis res ad sufficientiam aliis, & minus aliis subministraret, & ita per ordinem Sanctae Ecclesiae status vsque ad praesens per longa temporum curricula extensus sit; Nihilominus dignum est, vt nos, qui quasi per nouissimos operarios in vinea Dei laboramus, eosdem operarios in exercitio operis Dei deficere non sinamus: Quin potius, vt vires suppetunt nobis, vsque ad vnguem perducere tentemus. Quapropter sciant omnes praesenti tempore decedentes, & futuro succedentes, qualiter ego, *RODVLFVS,* petente atque exoptante dilectissima *coniuge mea IRAINSANDA,* dono ex

 haere-

haereditaria mea possessione quoddam praediolum, ob animae meae & supra memoratae *coniugis meae* remedium, Coenobio S. Petri, quod dicunt Cluniacum, & Abbati eiusdem Monasterii, & Monachis eius, praecepto & Sancti Benedicti Regulae modo & deinceps obedientibus, & ibidem Deo famulantibus, Ecclesiam Sancti Blasii in Viculis, totam, cum omnibus ibidem pertinentibus, cum montibus & planitiis, agris, pratis, pascuis, siluis, decimatione, seruis & ancillis, & cum omnibus vtensilibus, dono ego & praedicta *coniux mea* ad supra scriptum Monasterium, vt, si nos minus idonee iniunctum a Deo peregimus officium, delicti nostri & negligentiae non pro merito recipiamus dispendium, sed per eorum orationes, quos sustentamus, subministrantes temporalia, ad stadium currentes remuneremur mercede perpetua. Haec vt a nobis facta credantur, & a posteris nostris non infringantur, manu nostra roborauimus, & sigillari fecimus.

Signum Regis  *RODOLFI* pii.

Albicer indignus Presbyter, iussu Regis scripsit haec.

Acta sunt haec in villa *Tabernis*, quam alio nomine propter fluuium ibidem defluentem *Vrba* appellant.

Data XVIII. Kal. Febr. Anno ab incarnatione Domini MXIX. regnante *RODOLFO* Rege, Anno Regni sui XXXI.

Hoc itaque beneficiolum, id est, supra memorata Ecclesia, quam damus Fratribus Cluniaco degentibus, iacet in pago & in Comitatu *Genuense*, cum vicis ibidem appendentibus.

No. LXXV.

Canutus Angliae & Danorum Rex Romae a Conrado II. Imperatore & Rudolfo III. Burgundiae Rege impetrat pro Clericis, mercatoribus & aliis hominibus suis Romam per terras eorum tendentibus libertatem ab omnis generis vectigalibus. Anno 1031. Ex Labbei Concil. T. IX. p. 861.

CNVTO, Rex totius Angliae & Danamarchiae & Norwegiae & partis Suecorum, Ailnotho Metropolitano & Alfrico Eboracensi, omnibusque Episcopis & primatibus, & toti genti Anglorum, tam nobilibus quam plebeiis salutem. Notifico vobis, me nouiter

iisse

iisse Romam oratum pro redemptione peccaminum meorum, & pro salute Regnorum, quique meo subiacent regimini populorum. Hanc quidem profectionem Deo iam olim deuoueram; sed pro negotiis Regni, & causis impedientibus, hucusque non poteram perficere. Nunc autem ipsi Deo meo Omnipotenti valde humiliter gratias ago, quod concessit in vita mea Petrum & Paulum, beatos Apostolos, & omne sanctuarium, quod intra vrbem Romam, aut extra, addiscere potui, expetere, & secundum desiderium meum praesentialiter venerari, & adorare. Et ideo hoc maxime patraui, quia a sapientibus didici, Sanctum Petrum Apostolum magnam potestatem accepisse a Domino ligandi atque soluendi, clauigerumque esse Regni caelestis: & ideo specialiter eius patrocinium apud Deum expetere valde vtile duxi. Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipsa solennitate Paschali ibi cum Domino Papa *Ioanne*, & Imperatore *Cunrado* erat: scilicet omnes Principes gentium a monte Gargano vsque ad istud proximum mare, qui omnes me & honorifice suscepere, & magnificis donis honorauere. Maxime autem ab Imperatore donis variis & muneribus pretiosis honoratus sum, tam in vasis aureis & argenteis, quam in palliis & vestibus valde pretiosis. Locutus sum igitur cum ipso Imperatore & Domino Papa, & Principibus, qui ibi erant, de necessitatibus totius populi mei, tam Angli, quam Dani, vt eis concederetur lex aequior & pax securior in via Romam adeundi, & ne tot clausuris per viam arcerentur, & propter iniustum telonium fatigarentur. Annuitque postulatis Imperator, & *RODVLPHVS Rex*, qui maxime ipsarum clausurarum dominator, cunctique Principes edictis firmarunt, vt *homines mei*, tam *mercatores*, quam *alii* orandi gratia viatores, absque omni angaria clausurarum & teloneariorum, firma pace Romam eant & redeant. Conquestus sum iterum coram Domino Papa, & mihi valde displicere dixi, quod mei Archi Episcopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quae ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo secundum morem Apostolicam Sedem expeterent: decretumque est, ne id deinceps fiat. Cuncta enim quae a Domino Papa, & ab Imperatore, & a *Rege RODVLPHO*, caeterisque Principibus, per quorum terras nobis transitus est ad Romam, pro meae gentis vtilitate postulabam, libenter annuerunt, & concessa etiam sacramento firmauerunt, sub testimonio quatuor Archi Episcoporum, & viginti Episcoporum, & innumerae multitudis Ducum & Nobilium, quae aderat. Quapropter Deo Omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia, quae desideraueram, prout mente decreueram, prospere perfeci, votisque meis ad velle satisfeci. Nunc itaque sit notum, quia ipsi

Deo ſupplex deuoui vitam meam a modo in omnibus iuſtificare, & Regna mihi ſubdita populosque iuſte & pie regere; aequumque iudicium per omnia obſeruare: & ſi quid per meae iuuentutis intemperantiam aut negligentiam hactenus, praeter id quod iuſtum erat, eſt actum, totum, Deo auxiliante, diſpono emendare. Idcirco obteſtor & praecipio meis Conſiliariis, quibus Regni conſilia credidi, ne vllo modo, aut propter meum timorem, aut alicuius potentis perſonae fauorem, aliquam iniuſtitiam a modo conſentiant vel faciant pullulare in omni Regno meo. Praecipio etiam omnibus Vicecomitibus & Praepoſitis vniuerſi Regni mei, ſicut meam volunt habere amicitiam, aut ſuam ſalutem, vt nulli homini, nec diuiti, nec pauperi, vim iniuſtam inferant; ſed omnibus tam nobilibus, quam ignobilibus ſit fas iuſta lege potiundi, a qua nec propter fauorem regium, nec propter alicuius potentis perſonam, nec propter mihi congerendam pecuniam, vllo modo deuient: quia nulla mihi neceſſitas eſt, vt iniqua exactione pecunia mihi congeratur. Ego itaque notum vobis fieri volo, quod eadem via, qua exiui, regrediens, Danamarchiam vado, pacem & firmum pactum, omnium Danorum conſilio, compoſiturus cum eis gentibus, quae nos & vita & Regno priuare, ſi eis eſſet poſſibile, volebant; ſed non potuerunt, Deo ſcilicet virtutem eorum deſtruente, qui nos ſua benignitate in Regno & honore conſeruet, omniumque inimicorum noſtrorum potentiam annihilet. Compoſita denique pace cum gentibus, quae in circuitu noſtro ſunt, diſpoſitoque & pacato omni Regno noſtro hic in Oriente, ita vt nulla parte bellum aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quam citius hac aeſtate apparatum nauigii habere potero, in Angliam venire diſpono. Hanc autem epiſtolam iam praemiſi, vt de mea proſperitate omnis populus Regni mei laetificetur, quia, vt vos ipſi ſcitis, numquam memetipſum, nec meum laborem abſtinui, nec adhuc abſtinebo impendere pro omnis populi mei neceſſaria vtilitate. Nunc igitur obteſtor omnes Epiſcopos meos, & Regni mei Praepoſitos, per fidem, quam mihi debetis & Deo, quatenus faciatis, vt, antequam in Angliam veniam, omnium debita, quae ſecundum legem antiquam debemus, ſint perſoluta, ſcilicet eleemoſyna pro aratris, & decimae animalium ipſo anno procreatorum, & denarii, quos Romam ad Sanctum Petrum debetis, ſiue ex vrbibus, ſiue ex villis, & mediante Auguſto decimae frugum, & in feſtiuitate Sancti Martini primitiae ſeminum, ad Eccleſiam, ſub cuius parochia quisque degit, quae Anglice *Crucſcet* (*forte* Churchſcat, *Kirtbenſchazung*) nominatur. Haec & alia ſi, cum venero, non erunt perſoluta, regia exactione ſecundum leges, in quem culpa cadit, diſtricte absque venia comparabit.

No. LXXVI.

No. LXXVI.

Notitia de obitu Rudolfi Regis & Ermengardae Reginae. Anno 1032. Ex veteri Chartario edidit Io. a Bosco l. c. p. 67.

Octavo Idus Septembris obiit *RODVLPHVS Rex*, & sexto Kalend. Septembris *ERMENGARDA Regina*, vxor eius, cuius intercessione hi ambo coniuges dederunt Deo & S. Mauricio ac Ecclesiae Viennensi *Castellum Ciuitatis*, & mansiones in vrbe, quae dicuntur ad Canales, cum turribus ad portam Massiliensium, & omnem *Comitatum Viennensem*, cum omnibus, quae erant de fisco Regis. Et in communia fratrum *Commeniacum*, cum seruis & ancillis, & omnibus appenditiis suis, & montem in vrbe Suspolum & Pompeiacum; vnde habeant Fratres refectionem per totam quadragesimam. Restaurauerunt etiam & Monasterium a fundamentis S. Andreae superioris Dei ancillarum, quod dicitur ad Apostolos, ad quod contulerunt villas & praedia, sicut praecepti illius continet pagina. Et supra dicta Regina *ERMENGARDA* dedit ad altare pallium aureum, margaritis repletum. Et vestimentum Sacerdotale, & cappas cum auro, & pallia & cortinas, & thuribulum, & calicem argenteum.

No. LXXVII.

Charta Ermengardis Reginae pro anima defuncti mariti Rudolfi. Anno 1032. Ex Dacherii Spicilegiorum Tom. XIII. pag. 276. sq.

Omnipotentis Dei dulcissima bonitas benigniter per Prophetam clamat dicens: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et quia omnes vult saluos facere & ad vitam aeternam perducere, praecipit bona huius saeculi possidentibus, vt ex his quae possident, amicos adquirant in praesenti vita, a quibus recipiantur in aeterna tabernacula. Haec & alia multa, ego *ERMENGARDIS* Regina ad mentem reducens diuina monita, consideransque innumerabilia peccata mea, in extremo fine posita, pro redemptione animae Senioris mei *RADVLFI* Regis, nec non & pro anima mea, vt nobis Dominus indulgeat quidquid peccauimus in praesenti vita, dono Deo & Sancto eius Andreae Apostolo, & Abbati Iterio, & Monachis eius in Abbatia iam dicti Apostoli infra moenia vrbis Viennae constitutis, Ecclesiam Sancti Iohannis in Albriniaco, & in Episcopatu Gratianopolitano,

cum

cum omnibus appendiciis, ſcilicet vt ab hac die Monachi praedicti loci pro redemptione animarum noſtrarum, omniumque fidelium in proprios vſus teneant & poſſideant absque vllius inquietudine. Si quis vero huic noſtrae eleemoſyne & donationi, quod futurum minime credo, contrarius vel calumniator extiterit, niſi cito reſipuerit, iram Omnipotentis Dei omniumque Sanctorum incurrat. Haec vero noſtra donatio firma & ſtabilis permaneat per omnia futura ſaecula.

Signum *ERMENGARDIS* Reginae, quae hanc chartam fieri iuſſit, & adſtantibus ibi firmare praecepit.

Signum Leudegargi Viennenſis Archi Epiſcopi.

Signum Artaldi Praepoſiti. Signum Wigoni Decani.

Signum Ricardi Presbyteri. Signum Otmari.

No. LXXVIII.

Donatio ad Sanctum Andream Viennenſem pro ſalute Familiae Regiae Burgundicae. Anno 1024. Ex Dacher. Spicileg. T. III. p. 391.

SACROSANCTAE Dei Eccleſiae, quae eſt conſtructa in vrbe *Vienna*, & in honore Beati Andreae Apoſtoli Chriſti dicata, vbi Sanctus Maximus Praeſul Chriſti nobiliter excolitur, & aliorum Sanctorum plurimorum cum digno honore conditae reliquiae ſunt, vbi Domnus *Hugo* Abbas praeeſſe videtur, ego in Dei nomine *BORCHARDVS*, & filius meus *AIMO*, donamus aliquid ex rebus noſtris pro remedio animarum noſtrarum, & pro remedio Seniorum, Domni Regis *GONDRADI*, & *filii eius* Domni Regis *RODVLFI*, & Domnae Reginae *ERMENGARDIS*, Domnique *BORCHARDI* Archi Epiſcopi, & Domni *HVBERTI* Comitis, & vxoris eius *HANCHILAE*, ſeu pro remedio patris & matris meae, & *Comitiſſae ERMENGARDIS vxoris meae*. Hoc eſt, Eccleſia Beati Geneſii, quae olim fuit Sancto Andreae. Donamus Eccleſiam & altare cum decimis & ſepultura & offerendis, & terram in circuitu Eccleſiae. Eſt autem ipſa Eccleſia in Comitatu *Beliacenſi*, in pago, vel in villa Sancti Geneſii. Donamus vero tali conuenientia, vt à modo & deinceps faciant Rectores Sancti Andreae ſubterioris, quidquid facere voluerint, & rogent pro nobis, & pro animabus noſtris, Deum Omnipotentem, vt miſereatur noſtri, & cuſtodiat nos in hoc ſaeculo, & in futuro, & remiſſionem peccatorum nobis tribuat. Si quis vero contra hanc donationem aliquam calumniam, vel contradictionem facere voluerit, non valeat vindicare quod iniuſte requirit; ſed componat tantum,

tum, & alium tantum, quantum hae res melioratae valuerint: & insuper iram Dei Omnipotentis incurrat, & sit damnatus in perpetuum, cum Iuda traditore, & cum Datan atque Abiron, atque cum caeteris persecutoribus.

Hanc autem donationem manu propria firmauimus, ego *BORCHARDVS*, & filius meus *AYMO*, & caeteris amatoribus Christi, qui Deum diligunt, firmare rogauimus.

Signum *AIMONI.* Signum Eymini. Signum Engelbotoni. Signum Gironi. Signum Arfredi. Signum Dodoni. Signum Drooni. Signum Duranni.

Data per manum Fawel in mense Iunio sub die Iouis, regnante feliciter *RODVLFO* Rege, Anno XXX. Regni eius.

No. LXXIX.

Rudolfi III. Burgundiae Regis confirmatio datorum ab Ottone Wilhelmo eiusque filio Raynaldo Comite ad Cluniacum. Anno 1029. Ex Perard. Docum. Burgund. p. 177. qui id habere ait ex autographo & Marten. Anecdot. Tom. I. p. 147.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RODVLPHVS* Dei gratia *Burgundiorum* Rex. Sicut certum est, quia Dei potentia sumus, quippe sine quo potestas non est; ita quoque liquet, quod potentum opera interrogabit. Et ob hoc nobis summopere curandum est, vt, cum vel prodesse vel obesse, ipso disponente, possimus, nostrum posse sub eius nutu penitus subigentes, quod honori Sanctae eius Ecclesiae proficiat, certatim faciamus. Itaque priscae seriem consuetudinis, regalemque Christianae religionis morem considerantes, totis nisibus totoque mentis affectu immutari cupimus, & quod ipsi duxerunt ad Ecclesiasticae celsitudinis curam, nos spiritualibus armis, clypeo dominicae protectionis defendi, eandem curae solicitudinem subiungeremus, sicut qui Deo famulantibus placabiliter, misericorditer extiterunt. Quapropter, cunctis tam Regibus, quam reliquarum dignitatum personis, praesentibus vel futuris notum sit, quod petiit a nobis quidam fidelis noster, *REINALDVS* Comes, filius *OTHONIS* cognomento *WILLERMI*, viri illustrissimi, quatenus Cluniacensi Coenobio, in honore primorum Coeli, Petri videlicet & Pauli constructo, cui praeest Dominus & reuerendus Pater *Odilo*, concederemus per hoc nostrae auctoritatis praeceptum Ecclesiasticum, suum Monasterium, in honore Dei &

Saluatoris nostri Iesu Christi, eiusdemque Genitricis Mariae, Sanctique Petri Apostoli, nec non & Beati Nicolai Confessoris almi consecratum, ad habitandum ibi Cluniacenses Monachos, qui tam pro nostra, quam omnium salute, Deo assidue preces & vota persoluant. Concedimus ergo iam dicto Coenobio praefatum locum, situm in Episcopatu *Besuncionensi*, iuxta *Polliniacum*, in loco qui *Recte vallis* vocatur, constitutum, cum terra & decimis, seu omnibus sibi pertinentiis, & a bonae memoriae *OTHONE* cognomento *WILLERMO*, siue *RAINALDO* eius filio, vel ab aliquo possessore sibi collatis, seu conferendis, & cunctis ibi vndecumque in Regno nostro adquisitis, vel in perpetuum adquirendis, ad praesens quoque quatuor ferratas caldarias, situsque earum, in salinis, & vineas, quae quondam fuerunt *Beatricis*, & omnia quae Cluniacenses Monachi in praedicto burgo adquisierint. In burgo etiam Giosonensi, quod quia (*forte legendum* quidquid) ibi adquisierint, vel deinceps adquirere potuerint; villam denique Glenouensem, cum Ecclesia & decimis, cum seruis & ancillis, cum vineis, siluulis, pratis, ruribus, campis, pascuis, cum omnimoda terra, culta videlicet & inculta, cum cunctis vbicumque positis, ad eandem villulam pertinentibus; villam quoque Mediolanum, Ecclesiamque cum decimis, & omnibus suis pertinentiis, maximeque aeternam consuetudinem in silua Maydunensi; villam etiam Besunensem, cum Ecclesia & decimis, & cunctis ad eandem villam pertinentibus; locum etiam, qui dicitur Mutua, & omnia ad se pertinentia; sed & Gunthernum Popilianensem, cum omnibus quae ipse visus est habere, tam in alodis quam in beneficiis Comitum, & cuncta omnino possessione eius; piscariam quoque Guiriacensem, cum omni terra ad eam pertinenti. Praefati igitur *REINALDI Comitis nostri* obtemperantes petitioni, cum consensu *coniugis YRMINGARDIS*, concedimus, sicut dictum est, Cluniacensi Coenobio omnia superius memorata, ac, velut iam diximus, deinceps adquirenda, ad tenendum, & iure perpetuo possidendum, sine cuiuslibet personae, vel nobis succedentis in Regno, vel alterius, cuiuscumque ordinis & dignitatis, contradictione, vel vlla ab aliquo ibi retenta consuetudine. Et hoc vt a nobis venisse credatur, & a posteris nostris non frangatur, propria manu nostra roborauimus, ac sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini *RADVLPHI* Regis.

Actum *Loges*, Anno Incarnationis millesimo vicesimo nono, regnante *RADVLPHO* Rege Anno tricesimo quinto.

No.LXXX.

No. LXXX.

Rudolfi Regis & Ermengardis Reginae notitia donationis villae Lemensis ad Monasterium Athanacense. Anno incerto. Ex Guichen. Histor. Sabaud. T. II. p. 4.

SACROSANCTAE Dei Ecclesiae Athanacensi, cui Dompnus Geraldus Abbas, mirae Sanctitatis Vir, praeesse videtur. Rex *RODVLFVS, & vxor sua ERMENGARDIS* Regina, casum humanae fragilitatis considerantes; quantum hic in praesenti bonae actionis fructus perciperent, in futuro vero aeternae Beatitudinis praemia consequi mererentur; quia, dicente Domino, sicut aqua extinguit ignem, ita Elemosyna extinguit peccatum; consilio Dompni Leodegarii, Viennensis Archi Episcopi, suae Ecclesiae Primatum obtinentis, nec non aliorum honestissimorum virorum, tam Laicorum quam Clericorum, villam, quae vocatur *Lemensis*, dederunt. Praedictus siquidem Abbas, eorum iustis petitionibus compulsus, communi Athanacensium Fratrum consilio, inibi Monachos misit, qui pro eorum atque omnium Antecessorum suorum animabus sedulo Dei misericordia interuenirent. Praeterea si quis de *feudo*, quod ab eis habere videtur, liberalitate sua Eleemosynam facere voluerit Monachis, libere & absque vlla consuetudine concesserunt. Praeterea vero alibi in villa, quae vocatur Nogerei, mansum vnum dederunt, & Castanearium, eiusdem villae mansis appendens, nec non & prata, quae sub eodem Castaneario esse videntur, atque mansum Vifredi:

Signum *RODVLPHI* Regis & *Dompnae ERMENGARDIS* Reginae, qui hoc donum fecerunt, &, vt in perpetuo inconcussum maneret, scripto firmari iusserunt.
Signum Vmberti Comitis.
Signum Oddonis.
Signum Leodogarii Primatis egregii.
Signum Artaldi, Viennensis vrbis Praepositi.
Signum Dompni Vgonis eiusdem vrbis.
Signum Richardi Reginae Capellani.
Signum Wlchirii.
Signum Witfredi de Camberiaco.
Signum Amaldrici Vicarii.

No. LXXXI.

Rudolfus III. Burgundiae Rex confirmat Hugonis, Vesontionensis Archiepiscopi donationem Sancto Benigno Diuionensi factam. Anno incerto. Ex Perard. Docum. Burgund. p. 181. qui id habere ait ex autographo.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *RVDOLFVS* diuina propitiante clementia Rex. Si fidelium nostrorum petitionibus, quibus apud sublimitatem nostram pro sacris locis interueniunt, aurem libenter accommodamus, Regiam procul dubio exercemus consuetudinem, & ob id in nostrae fidelitatis obsequiis eos deuotiores efficimus, & ad animae nostrae salutem nobis profuturum omnino confidimus. Comperiat igitur omnium fidelium, tam praesentium quam futurorum, solertia quoniam adiens Serenitatis nostrae praesentiam nobis valde carissimus venerabilisque Pontifex Sanctae Sedis Vesontionensis metropolis, nomine *Hugo*, obnixe deprecatus est, quatenus Priuilegium quoddam, quod Diuionensi Coenobio, nomine & corpore gloriosi Martyris Benigni sacrato, de quadam Ecclesia, in honore Beatae Dei Genitricis dicata, contulerat, nostra auctoritate regalique praecepto confirmare deberemus. Cuius precibus, quoniam iustae visae sunt, & quia idem vir valde dilectissimus nobis erat, maxime ob amorem praedicti Martyris, fratrumque inibi degentium, quibus iam dudum in *Salinarum* villa, vbi praedicta Ecclesia sita est, nostrorum bonorum aliqua ob animae nostrae salutem concesseramus, & quorum nos orationibus commendaueramus, libenti annuentes animo, per hoc nostrae auctoritatis praeceptum eiuspiam voluntatem ac laudabile confirmo priuilegium, quod per omnia succedentia temporaratum habeatur & firmum. Quod si quisquam aliquando, quod euenturum minime credimus, huic sublimitatis nostrae edicto obuiare, praeceptumue regale temptauerit vllo modo infringere; a Deo omnium Rege Regum, aeterno supplicio punitus, praesentique vltione multatus, decem libras auri regali Camerae inferat, totidemque etiam Monasterio praefato componat, & haec nostra constitutio inconuulsa stabilisque & sempiternum persistat.

Signum Domini *RVDOLPHI* Regis Pii.

No. LXXXII.

No. LXXXII.

Notitia donationis Ecclesiae Maltacenensis ad Cluniacum, testibus Rudolfo Rege & Ermengardi Regina. Anno 1031. Ex Guichen. hist. Sabaud. T.II. p. 8. Alphonsi Delbene Regn. Burgund. Transiuranae Lib. III. p. 216. & Bibliotheca Cluniac. p. 412.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, regnante *RVDOLPHO* anno XXX. (*septimo* addit Delbene.) Incarnationis Dominicae anno millesimo XXX. XI. Kalend. Nouembris, Luna XX. in V. (*in V.* abest apud Delbene.) Ego *AMEDEVS*, filius *VBERTI* Comitis, & *ADAELELGIDA*, *vxor mea*, hanc cartam donationis fieri iussimus de Ecclesia Sancti Mauricii, quae est sita in pago, qui vocatur *Maltacena*, & de omnibus terris, quas in praesenti damus, & in futuro daturi sumus, ad honorem Domini Dei, & Ecclesiae Sanctorum Petri & Pauli Cluniensis Monasterii, cui praeesse videtur Domnus Pater Odilo, pro redemptione & salute animarum nostrarum, permittente & confirmante Domino Malleno, Episcopo Gratianopolitanae Ecclesiae, seu Vmberto Episcopo & omnibus Canonicis eiusdem Ciuitatis. Damus Domino Deo omne, quod supra memoratum est, & Beatis Apostolis eius, Petro & Paulo Cluniensis Monasterii, & omnibus Monachis ibidem morantibus, vt orationum eorum participes esse possimus, nobis reseruando illud ius, quod vocatur *Ius Patronatus*, atque ius praesentandi, pro nobis, & natis nostris, & eorum successoribus dum nostrae fuerit voluntatis, quia Diuina Pietas praecepit nobis, de largitione temporalium rerum praemium acquirere sempiternum. Quia fideliter fidelibus ea dispensamus Benedictionis nobis conferre munus; Est nobis namque mellificum insuper Euangelicum praeceptum, quod non solum nobis, sed omnibus vere credentibus est imitandum: thesaurizate vobis thesauros in Coelo, vbi nec aerugo demolitur. Hanc igitur Cartam donationis legitima testamenti authoritate praedicti loci habitatoribus concedimus absque vlla lite, vt apud Remissorem omnium delictorum valeamus percipere veniam peccatorum. Si quis hanc Donationem inquietare voluerit, in aula Regis centum libras auri componat, & insuper maledictionem Gratianopolis Episcopi, quia in eius Episcopatu se laudante est acta, & firmiter roborata atque laudata cum omni stipulatione subnixa, sigilloque eorum corroborata.

Signum Vberti Comitis.

Signum Anciliae vxoris eius.

Signum Amedei Comitis.

Signum Adilae (*Adelidis* iuxta Delbene) vxoris eius, hanc donationem fecerunt, & Cartam fieri iusserunt, & in praesenti in curia Regis firmari rogauerunt.

Signum *RVDOLPHI* Regis.

Signum Reginae (*Reginae* abest apud Delbene.) *ERMENGARDIS.*

Signum Oddonis.

Signum Antelmi (*Ancelini* iuxta Delbene.) (*)

No. LXXXIII.

Rudolfi III. Regis auspiciis Nicaeae facta donatio. Anno 999. Ex Petri Ioffredi Nicaea Sacris monumentis illustrata apud Graeuium Thesaur. Ital. T. XXVIII. pag. 156.

AVCTORITAS enim iubet Ecclesiastica & lex consistit (constituit) Romana, vt, qui rem suam in qualicunque potestate transfundere voluerit, per paginam testamenti eam infundat, vt prolixis temporibus soluta & quieta permaneat. Quapropter ego *Miro*, & *Odila* cogitamus pariter de Dei misericordia, vel de eterna Christi retributione, & expauescimus diem iudicii, & vt mereamur illam vocem audire, quam Dominus noster Iesus Christus dicturus est: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi; & vt S. Petrus, qui habet potestatem animarum ligandi, atque soluendi, absoluat nos ab omni vinculo delictorum, pro ipso amore atque timore, Domino Deo, & a Sancto Monasterio, qui est constructus in honorem S. Pontii Martyris a piissimo *Carolo Rege Francorum*, *seu Patritio Romanorum*, in *Comitatu Niciensi*, prope *loco*, qui dicitur *Cimella* supra fluuium *Pallionis*, donamus ad iam supra dicto Monasterio, seu ad Monachos, qui ibidem diu noctuque inseruiunt, hoc est, quarta pars de Villa, que nominant *Rocca* cum omnibus appendiciis, & adiacentiis suis, id est terris, campis, siluis, vineis, pratibus, pascuis, arboribus fructiferis, & infructiferis, molendinis, aquarumque cum decursibus, & quodcunque ibidem pertinere legitime videbitur; Et est ipsa Villa in Comitatu Niciensi subtus Castro antiquo, qui dicitur *Reuello*; vt ab hac die presenti, & in perpetuis temporibus hec omnia, que supra diximus, sint in potestate de predicto Monasterio, vt firmiter teneant, & possideant

*) Subiungit Delbene: Harum tabularum fidem non esse dubiam existimo, nam integras nulloque vitio contaminatas vidi, legi atque palpaui.

deant ſeruitores illius, & delectentur quotidie orare Dominum, & deprecare pro animabus noſtris, & pro omnibus Orthodoxis, omnibus Deo timentibus, & ibidem benefacientibus. Sane ſi quis &c.

Facta chartula iſta Eleemoſinaria ſub die Sabbati V. Idus Decembris Anno Dominice Incarnationis DCCCCXCVIIII. Indictione duodecima. Anno VII. Regnante *RVDOLPHO* Rege feliciter.

Facta in Caſtro *Iuris* in preſentia Domini Froddonii Epiſcopi.

Signum Mironi, & Odilae, qui chartulam iſtam ſcribere fecerunt, & Teſtes firmare rogauerunt.

Pontius, & Bernardus, & Miro, Filii eorum firmauerunt.

Rainoaldus Praesbyter relegit, & ſubſcripſit.

Lambertus Praesbyter firmauit.

Saluator Leuita firmauit.

Bermundus Praesbyter fecit.

Pontius firmauit.

Inghilbertus fecit.

Iohannes Praesbyter ſcripſit.

No. LXXXIV.

Pro anima Conradi & Rudolfi Regum Epiſcopus Maurienſis donat villam Erbins Sauiniacenſi

Monaſterio. Anno 1010. Ex Guichenon. Bibl. Sebuſ. Cent. I. c. 21. p. 58.

EGO in Dei nomine Eurardus indignus, gratia Dei tamen, Praeſul Sanctae matris Eccleſiae Maurianae, cum conſilio amicorum meorum, pro remedio animae meae & Senioris mei *CONRADI* Regis, filiique eius *RODVLFI* Regis, nec non etiam patris mei & matris, & omnium parentum meorum, dono Sanctae Eccleſiae S. Martini Sauiniacenſis Monaſterii, vbi Dominus Durannus Abbas, cum grege Monachorum habitare videtur, Eccleſiam Sancti Veranni, quae eſt in villa, quae vulgo vocatur Erbins, iuxta ripam Iſarae fluminis, cum ſuo Presbiſteratu, & omnibus adiacentiis ſuis, quae infra terminos ſubtitulatos ſitae ſunt. Sunt autem praedictae res ſitae in pago Gratianopoli, in agro *Sauogenſi*, & terminantur a mane villis Marini; a ſero terra Vorni; a meridie Iſera voluente; a Septentrione vero Montem Benedictum, & in alio loco in villa, quae dicitur Balbiacus manſum vnum, & quantum ad ipſum adſpicit vsque in exquiſitum. Tali igitur tenore dono praedictas res Deo & San-

& Sancto Martino, vt ab hodierno die habeant seniores eiusdem loci in suo dominicatu, & annis singulis in festiuitate Beati Andreae, ad altare Beati Ioannis Sanctae Matris Ecclesiae Maurianae decem solidatas cerae persoluant.

S. Eurardi Praesulis, qui hoc donum fecit & firmare rogauit.

S. Riculfi qui consensit.

S. Leotardi Praepositi, Arberti, Adalberti, Desiderii, Franconis & Desiderii Filiorum Eurardi.

Data III. Kal. Iul. Feria II. Anno XVII. Regni Rudolfi Regis.

No. LXXXV.

Rudolphi III. Regis auspiciis facta donatio. Anno 1018. Apud Ioffredum in Nicaea Sacris monumentis illustrata in Graeuii Thesaur. Ital. Tom. XXVIII. p. 157.

Ego *Pontius* gratia Dei Episcopus dono ad Ecclesiam Sancte Marie Sedis Niciensis & ad Canonicos, qui ibidem die & nocte seruiunt, qui ibi sunt, & qui venturi sunt, pecia vna de terra, & vinea in loco, qui vocatur *fonte calida*, per remedium, & liberationem animae meae, & anima Genitore meo, *Mirone*, & Genitrice mea *Odila*, & Germano meo *Mirone*, & *Guiglielmo*. Consortes: de vno latere de Oriente riuo currente & dominico, de alio latus de Occidente terra de Franca & de Marino, de Austro, & Guntardo, ad meridie terra de stabile, vel si qui alii. Sane si quis, ego, aut vllus homo de propinquis Parentibus meis, qui contra hanc donationem ista irrumpere voluerit, aut Episcopus, aut Abbas, aut Comes, aut qualiscunque persona maledicatur maledictione perpetua, & cum Iuda, qui Dominum tradidit, in Infernum damnetur &c.

Facta autem donatione ista in Mense Martio in die Martis hora III. Anno XXV. (*) Regnante *RODVLPHO* Rege Indictione III.

Signum Domnus Pontius Episcopus, qui donationem istam scribere iussit, & testes firmare rogauit manu sua firma.

Signum Domnus Leodegarius firmauit.

Signum Domna Odila firmauit.

Adalfredo firmauit. Bonus filius firmauit. Bertrannus firmauit. Signerius firmauit. Dodo firmauit. Petrus firmauit.

Alenco

*) Hunc numerum pro Anno Saeculi accepit Ioffredus, & diploma assignauit Anno 1025. sed annus Regni Rudolfi 25. & Indictio III. incidunt in annum 1018. quem & nos supra posuimus.

Alenco T. T. Gumberto T. T. Valdeberto T. T.

Agamo T. T. Rainaldo T. T. Bermundus T. Boſo T. T.

Vitalis Scrimanus (*forte* Scriniarius,) rogante Vndula Praesbitero ſcripſit, atque ſubſcripſit.

No. LXXXVI.

Rudolfus III. Burgundiae Rex cum coniuge Ermengarda confirmat donationem a femina viro ſuo factam. Anno 1028. Ex Petri Franciſci Chifletii rariſſima epiſtola de Beatrice Cabilonenſi Comite p. 152.

In nomine ſummae & indiuiduae Trinitatis. RODVLFVS Deo annuente & fauente piiſſimus Rex. Cum antiquiſſimae ſemper fuerit conſuetudinis, res donabiles, donatas, donandas vſu litterario corroborare, ne quod larga bonorum manus largiter contuliſſet, id poſterorum vnca auaritia diſſipaſſet, & rebus antiquitus firmiter conſtitutis, & nouiter foede deſtructis oriretur ſeditio in populis, & poſt ſeditionem bella conſurgerent; placuit nobis antiquorum vſum imitari, & res in Regno noſtro ſitas, eodem modo, eadem ratione in omnibus aſtipulari. Vnde nouerit ſollertia noſtrorum fidelium tam praeſentium, quam futurorum, Ermemburgam, nobiliori ſemine exortam, bonaeque famae praeconiis collaudatam, noſtrae Celſitudinis magnificentiam adiſſe, & impetranda a nobis humiliter poſtulaſſe: & nos, quae poſtulauit, vti nos & eam decuit, benigniter conceſſiſſe, cum *coniugis* meae *ERMENGARDAE* conſenſione. Videlicet terram, quam ego ipſe dederam patri eius Lamberto, & ipſe Lambertus ſibi dedit, quando eam Vmberto tradidit in matrimonio. Medietatem Eccleſiae, quae eſt in honore Sancti Gorgonii, in villa, quae dicitur Albonna, in Epiſcopatu Veſontienſi, in Comitatu Guaraſchenſi: & quicquid ad ipſius medietatem pertinet, vel ad ipſum beneficium in toto illo confinio. Et alterius Eccleſiae medietatem, quae eſt in honore Sanctae Mariae, in villa dicta Luniaco, cum omnibus rebus, quae ad eam pertinent: & quod iacet de ipſo beneficio, in valle, quae dicitur Cluſa, ad poſſidendum abſque vlla contradictione, & ad donandum cuicumque voluerit cum omni ſtabilitate. Si quis vero, quod non puto, hanc noſtram donationem calumniare, vel infringere temptauerit, XV. libras auri componat, & poſt haec iſta donata firma permaneant.

Locus monogrammatis Rudolphi Regis.

Z Signum

Signum Domni RODVLFI piissimi Regis, qui hanc donationem fieri iussit, & eam suo annulo signauit, Anno dominicae Incarnationis M. XXVIII. Regni vero Rodulfi Regis XXXIII.

Ego vero Gualterius Grammaticus (*) recognoui iussu ipsius Rodulfi Regis.

Actum Viuetio.

Data XVI. Kal. Maii.

No. LXXXVII.

Rudolfi III. Alemannorum Regis auspiciis donatio facta Anno 1030. in Petri Ioffredi Nicaea apud Graeuium Thesaur. Ital. T. XXVIII. p. 158.

OMNIVM Sanctae Dei Ecclesie fidelium cognoscat presentia qualiter ego *Pontius* gratia Dei humillimus Antistes Sancte Dei Genitricis, semperque Virginis Marie Ecclesie Niciensis, Domini poscendo clementiam, pro remedio anime mee, vel parentum meorum, aliquid ex meo in Monasterio S. Pontii Martyris Christi sponte voluntarieque dono, vt post hanc vitam apud Dominum intercessorem eum obtineam. Igitur dono illo Opido, que nominatur *Castellonouo* cum omnibus ad eum pertinentibus, cum territoriis suis in gyrum preordinatis, cum Villa, que nominatur *Sassa framarico*, & alia, que nominatur *Ben de Iunò* &c. Hec omnia ego Pontius Episcopus dono, & cedo &c. Si quis igitur &c.

Facta est autem hec Charta Anno Millesimo 30. Kal. Iul. Indict. XII. Regnante *RODVLPHO Rege Alamandorum.*

No. LXXXVIII.

Odonis Comitis Campanensis, eius qui Anno 1037. ad Barrum occisus est, epistola scripta ad Robertum Regem Galliae Capeti filium ex Du Chesne Scriptor. Franc. T.IV. p. 187.

DOMINO suo Regi *Roberto* Comes *Odo.* Pauca tibi, Domine, dicere volo, si audire digneris. Comes *Richardus*, tuus fidelis, monuit me venire ad iustitiam, aut concordiam, de quere-

*) Apud Stephanum Perardum in monument. Burgund. p. 76. habetur Charta, cuius finis est Humbertus Grammaticus scripsit.

querelis, quas habebat contra me. Ego vero misi causam hanc totam in manu ipsius. Tum ille ex consensu tuo constituit mihi placitum, quando, & vbi hoc perfici posset. Sed instante termino cum ad hoc peragendum paratus essem, mandauit mihi, ne me fatigarem ad condictum placitum veniendo, quia non erat tibi cordi aliam iustificationem siue concordiam recipere, nisi hoc tantum, vt faceres mihi defendere, quod non essem dignus vllum beneficium tenere de te. Nec sibi competere dicebat, vt me ad tale iudicium exhiberet sine conuentu Parium suorum. Haec causa est, cur tibi ad placitum non occurri. Sed de te Domine mi, valde miror, qui me tam praepopere causa indiscussa tuo beneficio iudicabas ingnum. Nam si respiciatur ad conditionem generis, daret Dei gratia quod *hereditabilis* sim. Si ad qualitatem beneficii, quod mihi dedisti, constat, quia non est de *tuo fisco*, sed de his, quae mihi per tuam gratiam *ex maioribus meis* hereditario iure contingunt. Si ad seruitii meritum, ipse profecto nosti, donec tuam gratiam habui, quomodo tibi seruierim domi, & militiae, & peregre. At postquam tuam gratiam auertisti a me, & *honorem*, quem dederas mihi tollere nisus es; si me & *honorem meum* defendendo aliqua tibi ingrata commisi, feci hoc lacessitus iniuriis, & necessitate coactus. Quomodo enim dimittere possum, & non defendam honorem meum? Deum & animam meam testor, quod magis eligerem *honoratus mori*, quam *viuere dishonoratus*. (*) At si me dishonorare velle desistas, nihil in mundo est, quod magis, quam gratiam tuam, vel habere, vel promereri desiderem. Discordia enim tua mihi quidem molestissima est; sed & tibi, mi Domine, tollit officii tui radicem & fructum, iustitiam loquor & pacem. Vnde suppliciter exoro clementiam illam, quae tibi naturaliter adest, si maligno consilio non tollatur, vt iam tandem a persecutione mea desistas, meque tibi, siue per domesticos tuos, seu per manus Principum, reconciliari permittas. Vale!

No. LXXXIX.

Odonis Campaniae Comitis, Regnum Burgundiae affectantis fundatio Ecclesiae S. Martini Sparnacensis, Dioecesis Remensis. Anno 1032. Ex Dacherii Spicileg. T. III. p. 391.

Scimus, quoniam in humanis negotiis mos iste seruatur, vt commissi mensura in debiti redditione detineatur, & quanto quis maioris

(*) Iudicatus est ex dictis & dishonoratus mortuus.

maioris crediti praefertur cumulatione, tanto soluendi tempore districtius exigatur in reddenda ratione; quodque aequitatis Lex iustitiaeque ratio comprobatur postulare, iustissimum quoque Dominum in extremo iudicii examine idem procul dubio credimus terribiliter conseruare. Et ne in tam certa rei stabilitate diaboli versutia conetur impedire, Saluatoris occurrentis similitudo de seruorum fidelium laborantiumque laetitia, & tristitia pigritantium, id ita venturum esse in Euangelii lectione dignata est nobis misericorditer aperire. Qua in re si aeterni supplicii periculum nolumus incurrere, expedit ea, quae nobis diuina bonitas confert, in huius vitae curriculo citissime transeunte taliter propter Dominum tractare; vt ex fideli administratione post huius mundi pereuntis aerumnas mereamur cum ipso aeternaliter regnare. Quicumque enim pro sui talenti modulo Deo nunc distulerit seruire; sciat, se in futuro perpetualiter cum diabolo perire.

Haec ego *ODO, Comes Palatinus Francorum Regis*, diu perpendens, haec mecum secretae cogitationis assiduitate reminiscens subtiliter perscrutari coepi, qualiter bene operando Deo valuissem placere ac per hoc aeterna incendia non timere. Interea *vxor mea ERMENGARDIS* fidissima *Comes*, cuius piis operibus maxime confido, mentem meam deprehendens ista supra dicta iugiter praemeditantem, suis me dulcissimis ausa est aggredi loquutionibus, vt quidnam sciret quod sic saepe videbar sollicitus, multis suspiriis huius rei indicia manifestantibus; cuius precibus acquiescens, sibi cor meum studui patefacere, & quid consilii ab illa sollicitudine capere quiissem, ab ea fidelissima coniuge non distuli petere. Haec igitur praefata mulier, piis operibus semper intenta, studiose iustisque supplicationibus admonere me coepit, vt Basilicam iam pene dirutam, in honorem Sancti Martini in Villa Sparnaco olim constructam, reaedificaremus, & de nostris bonis illi Ecclesiae tantum largiremur, vnde sacer Conuentus Canonicorum secundum patrum instituta se valuisset sustentare, laudesque assiduas pro nostris animabus nostrorumque Successorum Omnipotenti Deo toto corde decantare. Huius ergo meae vxoris tam salutiferis admonitionibus praebens assensum, Ecclesiam iam supra nuncupatam diligenter aedificare praecepi, & ad Clericorum victum inibi Deo seruientium tale supplementum tradere decreui, ipsius videlicet vici, in quo praedicta fundata est Ecclesia, totam decimam cum molendinis tribus, & medietatem vici cum duobus furnis, & omnibus terris, quae ad ipsius Ecclesiae altare pertinere videbantur, & quibusdam aliis, quas postea superaddere disposui,

ſui, vineis, pratis cultis & incultis, aquis, aquariis curſibus, vt Canonicis eis vti liceat ſine vlla calumnia, montem Biduenum cum omnibus appendiciis ſuis, & teloneum in Materna flumine, ad locum qui dicitur, Baikones, molendinum vnum in Siliaco, molendinum vnum in Monte felici, Altare Sancti Martini cum medietate corporis totius Villae Romains, diſtrictum cum manſo vno dominicali, in Gentiliaco vico molendinum vnum, medietatem Montis ſperatorii cum iis omnibus, quae ad ipſum pertinent, & in villa Pipera nuncupata quandam partem de terra, quae ad eam pertinet in ſummo ſaltu, & in Halceio monte medietatem de omnibus, quae ibi pertinent, & in ſeruis ſeu ancillis, qui ibi morantur & ſub ditione mea detinentur. Et in Vicetico medietatem ſimiliter de omnibus. Haec autem omnia ſuperius nominata, quae ad praeſens tradita ſunt, vel in poſterum tradenda erunt, & ea omnia, quae emta fuerunt in mea terra, tam de praediis quam de beneficiis, absque calumnia omnia ſint in recta dote Eccleſiae praefatae, absque vllis couſtumiis.

Aſſiſtunt fidiſſimi teſtes & corroborantes.

Odo Comes Palatinus.

Theobaldus filius eius & *Stephanus* filius eius.

Hilduinus Comes & Hilduinus & filius eius.

Liethelmus Comes.

Thiebaldus Archidiaconus.

Gilduinus Vice Comes.

Harduinus filius eius, & alter filius Waleranus.

Hugo Vicedominus, Ado, Warnerus, Senſwalo.

In illis diebus erant iſti Miniſtri Sparnaci; Dato, Hugo, Albertus, Weſelinus, Hugo, Athelimus, Aleramus, Iſembartus Praepoſitus, Berengerus Villicus, Thiebaldus Decanus.

Anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti 1032. regnante Domino Sereniſſimo Henrico Rege Francorum V. Anno, procurante Ebalo Archipraeſule paſtoralem curam Sanctae Mariae Remenſis Eccleſiae, corroborata eſt Charta & approbata.

No. XC.

Donatio Reimbaldi, Archi Episcopi Arelatensis regnante Odone, Alemannorum & Prouinciae Rege. Anno 1033. Ex Marten. Collect. Amplisf. Tom. I. p. 400. sq.

Ego Raimbaldus, Sanctae Sedis Arelatensis gratia Dei Archi Episcopus, pro eo quod Dominus noster promittit hominibus, Date elemosynam & ecce omnia munda sunt vobis, & sicut aqua extinguit ignem, ita elemosyna extinguit peccatum, & fratres mei & heredes Boso & Bonifacius atque Fulcho, & alius Bonifacius filius Atanulfi, donamus aliquid de alode nostro, qui nobis iure hereditario parentum nostrorum obuenit, Ecclesiae in honorem S. Zachariae & S. Iohannis constructae, & ipse alodis in Comitatu Massiliense, in territorio Castri nomine Auriolis, vbi est Ecclesia, in loco qui vocatur Restonis. Termini autem istius donationis sunt huiusmodi dispositionis: - - - - Sane si quis, nos videlicet donatores, id est Reimbaldus Archi Episcopus Arelatensis, & Pontius Episcopus Massiliensis, & Boso, & Bonifacius, & Fulco, & alius Bonifacius, & Willelmus iuuenis, & Isnardus, & Lambertus, aut heres noster, aut vlla opposita persona, quae contra hanc donationem sponsalitii & dotalitii huius Ecclesiae S. Zachariae & S. Helisabet & S. Iohannis, quam mittimus in manu Isarni Abbatis S. Victoris Monasterii, & in manu Canonicorum illic Deo seruientium, quisquis sit qui contra hoc, vt diximus, reinquietare, aut inrumpere, vel violare voluerit, non valeat vindicare quod repetit, sed iram & maledictionem Dei incurrat, & cum Iuda traditore in inferno damnetur, & cum Datan & Abiron poenas luat, & cum Simone Mago participetur.

Facta carta donationis istius mense Ianoario, in Comitatu Massiliense, regnante *ODONE Rege Alemannorum siue Prouinciae*, Anno ab Incarnatione Domini MXXXIII.

Signum Reimbaldi & Pontii Episcoporum, & aliorum supra scriptorum, qui hanc donationem fecerunt, & manus eorum firmauerunt, & alios firmare rogauerunt.

Leofredus firmauit.
Aldegarius firmauit.
Bermundus firmauit.
Guichirannus firmauit.

Fulco

Fulco & Pontius, frater Guichiranni, firmauerunt.
Aldoardus firmauit.
Gadaldus firmauit.

No. XCI.

Notitia donationis Athanacensi Monasterio facta Oddone Campaniae Comite Regnum Burgundicum sibi vindicante. Anno 1037. Ex Chartular. Athanac. habet Menestr. Hist. Lugdun. Probat. p. 7.

QVIDAM homo nobilis Wilencus nomine & vxor eius Rotcenda donant Sancto Martino Athanacensi, Monachisque ipsius loci sub Domini Geraldi regimine degentibus aliquid suae hereditatis. Est autem vnum curtile cum vinea & vircaria & duo molendina & praeter haec aliquid terrae arabilis. Sunt autem haec in pago Lugdunensi, in agro Monteaureacensi, in villa de Marcilliaco. - - - -

Signum Domni Wilenci eiusque vxoris Domnae Rotcendae, qui hoc donum fecerunt, firmauerunt & firmare rogauerunt.

Signum Milonis & fratris eius Berardi. - - -

Data manu M. *ODDONE Champaniae Regnum Galliae summis iuribus* (*) *sibi vindicante.*

No. XCII.

Conuentio inter Fridericum I. Imperatorem & Bertoldum Ducem Zaeringensem, de recuperando Regno Burgundico. Anno 1152. Ex Martene Collect. Ampliss. Tom. II. p. 523.

HEC est conuentio inter Dominum Regem *FRIDERICVM* & Ducem *BERTOLFVM.* Dominus Rex dabit eidem Duci *terram Burgundie* & *Prouincie*, & intrabit cum eodem Duce in predictas terras, & adiuuabit eum easdem terras subiugare, per bonam fidem, ex consilio Principum, qui in eadem expeditione erunt. De terra, quam modo habet Comes Willehelmus Matisconensis ex parte neptis sue, faciet Duci iustitiam, aut ex consilio Principum, aut ex iudicio ipsorum Dominatum; & ordinationem vtriusque terre Dominus Rex habebit, quam-

*) *Viribus* legendum puto.

quamdiu in ipſis terris fuerit, poſt diſceſſum Regis Dux vtrasque terras in poteſtate & ordinatione ſua retinebit, „preter Archi Epiſcopatus & „Epiſcopatus, qui ſpecialiter ad manum Domini Regis pertinent. Si „quos autem Epiſcopos Comes Willehelmus vel alii Principes eiusdem „terre inueſtierint, eosdem Dux inueſtiat. Et quod hec conuentio ex parte Domini Regis obſeruabitur, fide data firmauerunt *Henricus Dux Saxoniae*, Dominus *Welpho*, Arnoldus Cancellarius, Comes Odelricus de Lencenburch, *Comes Egeno*, Odelricus Comes de Hornunge, Marcq. de Gronbach, Arnoldus de Biberbach, Otto Palatinus Comes de Witelinesbach, Walterus Dapifer, Hildebrandus Pincerna, Conradus Colbo & frater ſuus Sigefridus. Dux Bertolfus habebit cum Domino Rege mille loricatos equites, quamdiu Dominus Rex in illis terris fuerit. In Italicam expeditionem ducet cum Domino Rege, quamdiu in ipſa expeditione fuerit, quingentos loricatos equites & quinquaginta arcobaliſtarios. Et quod Dux hec omnia ſeruabit ſine dolo & ſine fraude, dabit Domino Regi in pignore *allodium* ſuum, caſtrum ſcilicet *Teche* cum omnibus Miniſterialibus & prediis ibidem pertinentibus, Hetligen, (Hetlingen) Williggen (Villingen) & Erſtem cum omnibus eorum pertinentiis. Et quod Dux hec omnia obſeruabit, iurauerunt homines ſui Burchardus & Wernherus. Dominus autem Rex expeditionem in predictas terras mouebit a proximis Kalendis Iunii, que ſunt Indictione XV. (*) infra Annum.

*) Indictio XV. prodit Annum MCLII.

ORIGI-

ORIGINVM GVELFICARVM

LIBER V.

QVO

GVELFORVM PRIORVM, SVEVIAE ET BAVARIAE PRINCIPVM SERIES SISTITVR.

CONSPECTVS
LIBRI V.

CAPVT I.

De *Etichone*, Welfi filio, fratre Iudithae Imperatricis.

CAPVT II.

De *Welfo*, Etichonis filio, huiusque filio *Etichone iuniore*, eiusque fratre *Wolone*, S. Galli Monacho.

CAPVT III.

De *Henrico* dicto *cum aureo curru*, Etichonis iunioris filio.

CAPVT IV.

De *S. Conrado* Constantiensi Episcopo, *Rudolfo* & *Welfo*, filiis Henrici.

CAPVT V.

De *Welfo* vel *Wolfrado* aut *Wolfardo* Comite, & *Etichone* Episcopo Augustano, filiis Rudolfi.

CAPVT VI.

De *Rudolfo II.* Itae marito, Welfi vel Wolfradi Comitis filio, huiusque fratre *Etichone*.

CAPVT VII.

De *Henrico*, *Welfo* & *Richarda*, liberis Rudolfi II.

CAPVT VIII.

De *Welfo*, filio Welfi, inferioris Bauariae seu Carinthiae Duce, huiusque sorore *Cunigunde*, Azoni Marchioni nupta.

Inseritur libro huic

Diploma Ottonis, Ducis Bauariae, Cubacensi Monasterio datum, & iuxta authenticum quam accuratissime aeri incisum.

Adiicitur Tabula Genealogica horum Principum, inde a *Welfo*, Iudithae Imperatricis Patre, vsque ad *Welfum* Ducem, Priorum Guelforum vltimum, ab Anno 825. vsque ad Annum 1055.

LIBRI



LAETA DEVM PARTV CENTVM COMPLEXA NEPOTES. Virgil.

LIBRI V.

CAP. I.

De *Etichone*, Welfi filio, patre *Iudithae* Imperatricis.

§. 1. *Eticho*, frater *Iudithae* in Chronicis Weingartensibus disertis verbis nominatur, licet de eo Annales Francici sileant.

§. 2. Primogenitus is fuit, & forte ante A. 830. mortuus.

§. 3. Chifletius *Etichonem* hunc *Erbiconem* vocat; hinc Blondellus ansam arripuit dubitandi, an vmquam vixerit? sed vixisse *Etichonem*, & fratrem *Iudithae Imperatricis* fuisse, fide Chronicorum Weingartensium probatur.

§. 4. Huic vulgo, sed mendose, filius adscribitur *Henricus cum aureo curru*.

§. 5. Potius Etichonis filius fuisse videtur *Welfo* vel *Woluoratus* aut *Wolfardus* Comes.

§. 6. Cui iterum tribuendus filius *Eticho*, pater *Henrici cum aureo curru*.

§. 7. Welfi, Etichonis filii, frater fuit *Eticho* Archipresbyter & Canonicus Constantiensis.

§. 8. Soror autem *Iuditha*, Hartmuoti Abbatis S. Galli mater.

§. 9. Cuius Iudithae suasu Otfridus paraphrasin Euangeliorum Theotiscam & rhytmicam conscripsit.

§. 1.



GVELFICORVM igitur Burgundiae Regum stemmate recensito, ad Alemannos & Bauaros redeo. Francici Annales quidem *Iudithae Imperatricis* fratres, filiosque *Welfonis Comitis & Ducis*, saltem duos commemorant, *Conradum* & *Rudolfum*; quoniam hi in Francia praecipue inclaruerunt. Monumenta tamen patria h. e. Weingartensia, hos duos fratres, quod extra patriam sedes suas habuissent,

sent,

ſent, praetermiſerunt. Commemorarunt vero ſolum domi reſidem ETICHONEM.

§. 2.

Ego hunc *Etichonem* ſeniorem (a) aetate & patris in dignitate ſucceſſorem fuiſſe, atque ante Annum 830. deceſſiſſe puto, filio nondum maturae aetatis derelicto. Quodſi enim ille tempore turbarum Lotharianarum vixiſſet, credibile eſt, eum ſororis Imperatricis partes ſuſcepiſſe, turbisque illis immiſtum, hiſtoricisque memoratum fuiſſe.

§. 3.

Duplicia habemus Chronica Weingartenſia: in primo commemorantur Principes ſecundum ſuas generationes, eorumque hiſtoria pertexitur; in altero, ordine Chronologico omnia ſtrictius enumerantur, & quilibet Princeps illi Regi Germaniae ſubiicitur, ſub quo floruit. Auctores vtriusque operis tempore ſibi vicini fuiſſe videntur, & monumenta vetuſtiora ante oculos habuiſſe, ex quibus Guelforum res pro modico ſcientiae ſuae & eruditionis modulo in ordinem redegerunt. (b) In priori opuſculo ſiue Hiſtoria Welforum dicitur: *Welfo genuit filium, ETICHONEM nomine; filiam Iudith.* Chifletius Vindiciarum pag. 9. *Etichonem* hunc vocat *Erhiconem*, ſeductus a Codice S. Vdalrici & Afrae, in quo vetus manus exſtans ibi *Etiochonem* deleuit, & *Erichonem* repoſuit. Quod annotare libuit, quia Blondellus putauit, Chifletium *Erhiconem* ſuum ex ingenio confinxiſſe. Fallitur ergo Blondellus, qui in Aſſertione Genealogiae Francicae p. 39. *Ethiconem* a filiis Welfi excludit, eumque demum ab Auentino, Manlio & Peucero introductum exiſtimauit. Auentinus tamen in Genealogicis, Chronico eius Germanico ſubnexis, Tab. 14. etiam erronee Etichonem non Iudithae Imperatricis fratrem, ſed fratre Iudithae Conrado natum fecit.

§. 4.

a) Iam a Ladislao Sundheimio Scriptor. Brunſuic. T. I. p. 801. Ethico vocatus eſt *ſenior filius* Welfonis primi, ne ſcilicet excluderentur eiusdem Welfonis filii poſt geniti, qui ſororem ſecuti, in Francia Occidentali fortunarum ſuarum ſedem fixerunt.

b) Habetur vtrumque Chronicon ex Caniſio & Codice Auguſtano repetitum in Corpore Scriptor. Brunſuic. a Leibnitio edito T. I. p. 781. ſeq. Acceſſerunt poſtea T. III. p. 657. ſeq. emendationes & ſupplementa e Codice membranaceo Raitenbuchenſi & chartaceo Weingartenſi, quos Codices cum Leibnitiano expreſſo contulit vir illuſtris, Kilianus Schraderus, a Leibnitio nominatus introduct. N. XXVII. vbi tamen Leibnitius memoriae lapſu alterum Steingadenſem pro *Raitenbuchenſi* appellat. Quod tanto confidentius aſſeueramus, quod in manibus habemus autographum Schraderianum, diſerte enuntians, e codice membranaceo Coenobii *Raitenbuchenſis* deſumtas eſſe varias lectiones ſuas, & inprimis additamentum illud de Welfone Miti, quod inſertum Scriptor. Brunſuic. T. III. p. 658. ſed falſo inſcriptum *e MS. Steingadenſi:* quale in Steingaden haberi, nullum in apparatu noſtro apparet veſtigium.

§. 4.

Historia de Guelfis Etichoni huic filium tribuit *Henricum*, quem recentiores *ab aureo curru* cognominant, qui ab Imperatore Ludouico *quatuor millia mansorum* in beneficium acceperit, patre hoc aegre admodum ferente, & in Monasterium Ambirgouiense se recondente. Chronicon vero Weingartense hunc *Henricum* statuit floruisse tempore *Ludouici, filii Arnulfi*, qui Anno 912. obiit. Cum vero ITA, Rudolfi Guelfi vxor, expresse dicat in Vita S. Altonis, (Probat. N. VI.) *genus omne Guelforum instabile & minus longaeuum fuisse;* vix credibile est, Henricum pene centum annis patrem superuixisse, & Principatum suum gubernasse.

§. 5.

Accedit, quod in Goldasti Alemannicis T. II. Part. I. p. 43. Charta Concambii occurrat, quae *data est Anno XVIII. Regni HLudouici sub Welfone Comite.* (Probat. N. I.) Incidit Annus XVIII. Ludouici Germanici in Annum Christi DCCCLVII. Congrue itaque hic WELFO *Comes* filius esse potest *Ethiconis, fratris Iudithae Imperatricis.* Vadianus apud Goldastum Rer. Alemann. T. III. p. 54. habet Chartam, quam supra iam citauimus, (Lib. IV. Probat. N. XIII.) in qua sub Ludouico Rege Germaniae, Ludouici Pii filio, *Engiltruda quondam ancilla Dei* famulum Sigimarum manumittit. Finit illa: *Actum in villa Hostrahun nuncupata, in praesentia Salomonis & Reginolfi, Missis Domini Ludouuici Regis. Sig. Hiltibaldi Missi HONORATI COMITIS. Sig. Otkis. Sig. Liutprecht. Sig. Hadpert. Sig. Luitram. Sig. Oro. Sig. Adelcoz. Sig. Ruadmunt. Sig. Wilihelmi. Sig. Dioterih. Sig. Reginolt. Sig. Rathelm. Sig. Pitto. Sig. Hemmo. Sig. Liutpold. Sig. Adalhelm. Sig.* **Wolfart**. *Sig. Ellinbold. Sig. Egibrecht. Sig. Froimant. Sig. Henno. Sig. Nordeloh. Sig. Sigmar. Sig. Warmunt. Sig. Eforih. Sig. Danker. Sig. Ruodhart. Sig. Subo. Sig.* **Wolfhart**. *Sig. Ratpert. Sig. Altebrot. Ego itaque Wato Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notaui diem Iouis in VIII. Id. Octob. regnante Domino Hludouuico Rege Alemannorum & Peioariorum. Sub Chunrato Duce nobilissimo feliciter Amen.* Hic nomen *Honorati Comitis* merito suspectum mihi & emendandum videtur in illud *Woluorati Comitis* h. e. *Wolfarti* vel *Welfi.* (c) Alemanniae enim Comites Latina huiusmodi nomina tunc non gerebant.

§. 6.

c) Quo pacto etiam in Charta Goldastiana XXXII. Tomo II. Scriptor. Alemannic. edita, & Anno XXXI. regnantis Ludouici Germanici scripta, inter testes denuo productus *Honoratus* noster *Wolueratus* seu *Wolfardus* erit. Ad quem potiori iure refero donationem ad S. Gallum factam Anno Ludouici XXIV. (Probat. N. II.) non item Chartam, qua *Wolfartus* quidam Ecclesiam in loco Wangas, in pago Turgauge prope Marcam Rhaetiae, vbi olim Sanctus Columbanus cum suis habitare volebat, donat Ecclesiae Sancti Columbani, quae est Bobii in Italia. (Probat. N. III.) Licet enim Wanga villa

§. 6.

Cum autem Chronicon Weingartenſe ETICHONEM, *filium Welfonis*, & *patrem Henrici cum aureo curru*, in tempora filiorum Ludouici Germanici & praecipue Caroli Craſſi referat; hic *Eticho Iunior* filius Welfonis vel Wolfardi Etichone nati, & nepos Welfi patris Iudithae Imperatricis conſtituendus eſt. Tempora accurate congruunt, vt adeo appareat, duos *Welfones*, & duos *Ethicones* inuicem commixtos fuiſſe vel ab ipſo Monacho Weingartenſi, vel, qui oſcitanter eum deſcripſit, librario, cuius ſolius opus deperdito vero originali hodie reſtat. Welfonem Comitem, Etichone natum, coniicio in matrimonio habuiſſe *ſororem Landaloi Epiſcopi Daruienſis*, nobili Sueuiae progenie ſati. Cujus coniecturae cauſam mox §. 8. pateſaciam.

§. 7.

Vixit circa annum 897. & eo tempore Chartam Alemannicam apud Goldaſtum XXVIII. ſcripſit ETICHO *indignus Archipresbyter* (Probat. N. V.) qua Pax inter Sangallenſes Monachos & Canonicos Conſtantienſes conſtituitur. Goldaſtus in Praefatione Tomi II. illum *ex illuſtri Turgouienſium quorundam Comitum Familia & Canonicum Conſtantienſem* fuiſſe aſſerit, nixus dubio procul vetuſtis quibusdam monumentis. Sed eo tempore in Turgouia nemo praeter Guelfos excellebat, quibus & nomen *Etichonis* familiare fuit. Vnde eum Welfonis Etichone nati fratrem fuiſſe puto.

§. 8.

Eckehardus iunior in libello de Caſibus S. Galli Cap. II. *Hartmuotum* Abbatem S. Galli Rudolfi I. Regis Burgundiae *cognatum* vocat. Verba eius ſunt: *Hartmuotus noſter, Ruodolfo Burgundionum Regi notiſſimus, qui & cognatus, cum Magiſtrum aliquem noſtratium Grandiuallenſium Coenobio peteret, ipſum illum* [Iſonem] *Regi ad annos tres a Grimaldo expetiit.* Hoc tamen cum fieret, Rudolfus nondum Rex fuit, atque hic per anticipationem ita nominatur. Rudolfus interim Guelfico ſanguine ortus erat, vt vidimus. Neceſſe eſt itaque, Hartmuotum natum eſſe matre ex eadem Guelfica Familia oriunda. Hartmuo-

villa fuerit ſubtus caſtrum Werdenfels in confiniis Rhaetiae & Tyrolis, vbi Welfos praedia ſua potiora habuiſſe conſtat; obſtat tamen quod donator hic nec *Comes* nec *Dynaſta* appelletur, quibus titulis Welfi noſtri ſemper vſi ſunt. Obſtant porro nomina filiorum huic traditioni ſubiecta, quae nihil ad Welfos. Inter nomina autem *Welfi* & *Wolfhardi* nullum eſſe diſcrimen certum eſt, & infra videbimus, *Welfum primum* Boioariae Ducem, Azonis Marchionis filium, nec non *Welfum Mitem*, *Wolfhardos* quoque adpellatos fuiſſe in patriis monumentis; quemadmodum longe ante Welfum, Rudolfi filium, Hepidannus ad Annos 1026. & 1028. *Welfhardum* appellauit; vt adeo haec nominum commutatio nihil monſtri alat; & nos *Wolfhardum Comitem*, qui A. 973. inter Primates Imperatoris Ottonis I. iudicato pro Eccleſia Curienſi interfuit (Probat. N. IV.) *ad Guelficam gentem* referendum eſſe facile credamus.

muotus senio confectus circa Annum 883. decessit. Mater itaque illius necessario (d) soror Welfonis Comitis Anno 857. viuentis, & filia Etichonis constitui debet. Et quoniam idem Eckehardus Cap. I. hunc Hartmuotum *cognatum & amicum* Landaloi Daruiensis Episcopi vocat, & dicit, senem petiisse, *vt circa Landaloum Episcopum in titulo Apostolorum conditum, extra parietem tamen, sepeliretur;* hinc ego concludo, vt iam dixi, sororem Landaloi vxorem fuisse Welfonis, qui Hartmuoti auunculus erat. Sic omnia optime cohaerent. Nomen matris Hartmuoti Abbatis nemo expressit. Coniecturae tamen non improbabili si quis locus esset, ego ei IVDITHAE nomen *ab amita Imperatrice* inditum fuisse statuerem.

§. 9.

Otfridus Monachus Weissenburgensis, sed apud S. Gallum per aliquod tempus, vt videtur, educatus, & ideo Hartmuoti amicus, cui & opus suum Paraphraseos Euangeliorum Theotiscae & Rhythmicae sub extremis Ludouici Germanici annis perfectum in fine libri quinti inscripsit, in Praefatione Latina dicit, se huncce laborem rogatu *venerandae cuiusdam matronae, nomine IVDITH,* in se suscepisse: *Dum,* inquit, *rerum quondam sonus inutilium pulsaret aures quorundam probatissimorum virorum, eorumque sanctitatem Laicorum cantus inquietaret obscenus, a quibusdam memoriae dignis fratribus rogatus, maximeque cuiusdam venerandae matronae verbis nimium flagitantis, nomine IVDITH, partem Euangeliorum eis Theotisce conscriberem, vt aliquantulum huius cantus lectionis ludum secularium vocum deleret, & in Euangeliorum propria lingua occupati dulcedine sonum inutilium rerum nouerint declinare; petitioni quoque iungentes quaerimoniam, quod gentilium vates, vt Virgilius, Lucanus, Ouidius, caeterique quam plurimi, suorum facta decorarent lingua natiua, quorum iam voluminum dictis fluctuare cognoscimus mundum. Nostrae etiam sectae probatissimorum virorum facta laudabant Iuuenci, Aratoris, Prudentii, caeterorumque multorum, qui sua lingua dicta & miracula Christi decenter ornabant. Nos vero, quamuis eadem fide eademque gratia instructi, diuinorum verborum splendorem clarissimum proferre propria lingua dicebant pigrescere.* Haec ergo *Iuditha* amorem studiorum poëseosque *ab amita Imperatrice* hausit, & viro viduata Otfrido poëmatis sacri conficiendi auctor fuit. Tempora iterum exacte quadrant, vt *Welfi* soror, & *Hartmuoti* mater constitui possit: quod coniecturam de ea nostram, *a cognatione Hartmuoti cum Ru-*

d) Mea sententia nulla hic est necessitas. Potuit enim pluribus aliis modis Hartmuotus Rudolfi I. Burgundiae Regis & esse & dici cognatus.

Rudolfo I. Rege Burgundiorum desumtam, non parum confirmat. Cognatio illa haec est:

Welfus,
Hegilwigis maritus

Eticho	Iuditha Imperatrix.	Conradus Comes † 866.
Iuditha Vx. N. Principis Sueuici.	Welfo Comes an. 857. Vx. N. soror Landaloi Episcopi, *cognati Hartmuoti Abbatis.*	Conradus Comes Parisinus & Dux Burgundiae † 881.
Hartmuotus Abbas S. Galli *cognatus Landaloi Episcopi & Rudolfi I. Burgundiae Regis.*	Eticho Comes &c.	Rudolfus I. Rex Burgundiae, cui *cognatus Hartmuotus Abbas.*

CAPVT II.

De *Welfo* Etichonis filio, huiusque filio *Etichone Iuniore*, eiusque fratre *Wolone*, S. Galli Monacho.

§. 1. Repetuntur ea, quae c. 1. §. 4. 5. & 6. dicta probant *Henricum cum aureo curru*, Etichonis Iunioris filium, Welfi nepotem fuisse.

§. 2. Hic *Eticho Iunior* magni animi Princeps fuit, qui ne ipsi quidem Imperatori nexu clientelari obstrictus esse voluit.

§. 3. Agitur de secessu Etichonis a filio Henrico offensi.

§. 4. *Wolo*, Monachus S. Galli, etiam Welfo patre editus videtur, vt hinc Etichonis frater fuerit.

§. 1.

DIXIMVS iam, *Welfo* Iudithae Imperatricis patre natum esse *Etichonem*, hoc *Welfum*, & hoc iterum ETICHONEM, patrem HENRICI *cum aureo curru* vulgo cognominati. Chronicon enim Weingartense expresse scribit: *Carolus minor filius Ludewici cum fratribus Carolomanno & Ludewico regnauit annis XI. Eticho filius Welfonis.* Vnus certe is ob nimiam temporis distantiam cum Etichone, fratre Iudithae, esse nequit. Vixit enim Eticho, vt ex capite sequenti patebit, vsque ad annum 900. eumque forte adhuc per aliquot tempus superuixit.

§. 2.

§. 2.

Magnus is Princeps fuerit oportet, qui ſpreuit beneficiis Regiis deuinciri, & filium, qui feudum a Rege ſuſceperat, poſt haec ne videre quidem ſuſtinuit; quod crederet, cum hoc facto nobilitatem gentis auitam attenuaſſe. (e) *Quod*, inquit Hiſtoria de Guelfis, *cum pater eius percepiſſet, iratus, NOBILITATEM ſuam & LIBERTATEM nimis eſſe declinatam, vltra quam credi poſſit, conſternatus animo, dolorem ſuum omnibus ſuis caris expoſuit. Et aſſumtis ſecum duodecim ex illis, infra montana ad villam, quae dicitur Ambirgo, regalibus aedificiis & poſſeſſionibus ditiſſimis relictis, ſeceſſit, & ibi, a modo non viſurus filium, conſenuit. Coepit & ibidem collectis Monachis cellam conſtruere, in qua etiam poſtmodum cum duodecim ſuis humatus requieſcit* &c. Reliqua, vbi agemus de filio Henrico, afferemus. Villae *Ambergouiae* duae ad Ambronem Bauariae adhuc reſtant, & prope adſitum eſt oppidum *Ettal*, ſiue, vt Latine reddendum eſt, *Etichonis vallis.*

e) Adſcribam, quae Annaliſta Saxo de hoc Principe refert, quia Weingartenſes noſtri ea non habent. Ita autem ille p. 660. *Erat egregiae libertatis Princeps, qui numquam alicui, nec ipſi Imperatori, pro aliquo beneficio ſe ſubdidit Domino, hocque filio ſuo, nomine Henrico, praecepit, vt numquam alicuius dominationi ſe ſubiiceret.* Supplementum Chronici Montis Sereni, quando ait: *In diebus primi Ottonis Imperatoris fuit quidam Tidericus egregiae libertatis vir*, idem innuit. Statim enim ſubiicit, mortuo Bione quodam Merſeburgi Comite, Giſlerum Magdeburgenſem ArchiEpiſcopum Comitatum eius, qui inter Wipperam & Salam & Saltam & Willerbeke fluuios ſitus eſt, Dodoni, Tiderici illius filio, acquiſiuiſſe, ſiue in feudum dediſſe: quo ipſo diu iactata illa *egregia libertas* in Dedone exſpirauit. Simili modo ab Henrico Sancto Conradus Salicus Rex deſignatus vocatur *vir egregii generis & egregiae libertatis*, quippe qui numquam ſe ſubmiſerit alicuius ſeruituti. Sigebertus ad An. 1024. Quorſum & Wippo alludens de Conrado c. 2. p. 466. edit. Struu. ait: *Non erat fas alicui in terra militare, quem Deus omnipotens praedeſtinauit omnibus imperare.* Illuſtrationis gratia adſcribam ſiue hiſtoriam, ſiue fabulam, ex qua pateat, cuius generis homines fuerint, qui tempore Friderici I. Imperatoris, quo Hiſtoria de Welfis Principibus ſcripta eſt, pro *viris egregiae libertatis* habiti ſunt. Deſumta eſt ea ex Felicis Malleoli dialogo de Nobilitate & Rusticitate: qui auctor, cum cap. 14. oſtendiſſet, quod ſecundum vulgare Teutonicorum *liberi* dicantur, qui alicui Domino non ſunt obnoxii ad ſeruitia ex debito exhibenda, addit ſequentia: *Vnde legimus, quod quidam Baro de Krenkingen, Dominus oppidi Tungen* (in Kletgouia inter Schafhuſiam & Waldshutam ſiti) *Conſtantienſis dioeceſeos Imperatori videlicet Friderico primo, ſuum oppidum perambulanti, immobiliter in ſede collocatus, ſtudioſe nolebat aſſurgere; ſed tantum, dum apparebat ſibi, capellum ſuum mouendo, curialitatis quamdam reuerentiam nitebatur oſtendere. Et dum Imperator perquireret, quisnam eſſet, qui taliter prope viam ſedens, ſuae Maieſtati venerationem debitam non exhiberet; reſponſum accepit, quia idem Baro tam in bonis, rebus & poſſeſſionibus, quam corpore tam verus liber eſſet, vt nec dum ab Imperatore, nec ab alio quocumque Principe vſum ſeu beneficium rei feudalis perciperet aut poſſideret; igitur Imperatorem pro Domino ſuo, prout Epiſcopus & Clericus, ſed non rerum ſuarum recognoſcere. Vnde praedictus Imperator magnae legalitatis animum ipſius Baronis hilariter aſpexit, & , quod in dicto ſuo oppido ſeruatis ſeruandis numiſma ſiue monetam caragmate ſeu imagine, effigie vel facie Caeſaris deſignatam perpetuo cudere poſſit, ſibi & ſuis ſucceſſoribus in feudum ſiue beneficium ab Imperio liberaliter conceſſit.* Haec ille.

§. 3.

Hic ergo senectutem suam traduxit *Eticho* a filio offensus. Bucelino teste, Ambergouia haec sita est inter editissimos Bauariae scopulos, qua Tiroli iungitur, vbi torrentes duo magno strepitu in Ambronis fluenta praecipitantur. Circum iacent Monasteria *Fuessen*, *Raitenpuch*, *Steingaden*, aliaque loca, quae veterum Guelforum olim bona allodialia ab antiquissimis temporibus fuere. Botho in Chronico Picturato (f) patrem Henrici *Ethiconem siue Welsum*, quod Welfi nempe filius

f) Chronicon hocce, quod Anno 1492. Moguntiae primum typis expressum, sub titulo *Kronecken der Sassen* sine nomine auctoris in lucem prodiit, Leibnitius Scriptor. Brunsuic. T. III. p. 277. seq. inseruit, adscripsitque cuidam Conrado Bothoni, ciui Brunsuicensi, Introduct. p. 11. quia in exemplari Electoralis Bibliothecae haec verba scripta leguntur: *Illam Cronicam Anno 1537. ego Iohannes Kerkener Officialis emi, quae ad librariam in Wernigerode debet pro posteris poni, quam Cord Bothe, ciuis Brunsuicensis, & patruus illorum ciuium nomine de Bothen in Wernigerode morantium congessit.* Sed constructio horum verborum grammatica, ni fallor, docet, non de congestione Chronici hic agi; sed de congestione librariae seu Bibliothecae, quam Wernigerodae instruxit Conradus Bothe pro patruelibus suis, Wernigerodae commorantibus. Firmatur haec sententia ex iis quae subduntur, vbi idem Kerkener ait, quod liber refectus sit *pecunia Alberti Lyssеman, qui in testamento suo multos libros legauit ad Bibliothecam in Wernigerode nouiter exstructam*, a Conrado scilicet Bothone. Accedit, quod Henricus Meibomius, nulli facile inferior antiquitatum Saxonicarum ruspator, Chron. Walbec. p. 38. 39. auctorem huius Chronici *Hermannum* vocat. Quae sane tanti sunt, vt a praefigendo Conradi Bothonis nomine tantisper deterrere debuissent Leibnitium, praua verborum Kerkeneri constructione in hanc sententiam inductum: quam nunc suspiciunt & adoptant omnes, tanti nominis auctoritate moti; licet aliunde appareat, quam infelix Illustris Vir in hariolandis auctorum & scriptorum anonymorum nominibus fuerit. Vt, cum Eggehardi Vragiensis Chronicon passim celebrari audiuisset, Chronicon quoddam Hildesheimense Scriptor. Brunsuic. T. I. Introduct. n. XLVI. eadem confidentia huic Eggehardo adscribere non dubitauit, qua Dn. Eccardus eidem Chronicon vetus Saxonicum tribuere ausus est, non perpendens, Eggehardum illum, quem primum conditi ab Ottone Bambergensi Episcopo Vragiensis seu Aurachiensis Dominorum Monasterii in Francia Orientali ad Aurachium fluuium Abbatem fuisse constat, de Hildesheimensibus seu Saxonicis rebus scribere non potuisse. Eggehardi illius Chronicon in manibus suis esse profitentur Martinus & Durandus Praefat. ad T. IV. collect. ampliss. ab editione eius abstinentes, quod vidissent illud Conradi Vrspergensis nomine, demtis paucissimis, vulgo circumferri. Caeterum auctor Chronici Picturati, quisquis sit, quae de Welfis narrat, e vetustiori quodam Chronico Saxonico, quod alii Magdeburgicum vocant, hausit: quod maioribus nostris, Crusio, Meibomio auo, aliisque haud incognitum, in Germania postea ita penitus disparuit, vt eius exempla studio Furstenbergii, Leibnitii atque Kniphusii Parisiis arcessenda essent, a Dn. Eccardo primum typis datum, & sub *Annalistae Saxonis* elogio Corpori Scriptorum medii aeui insertum. Quo magis miror, qui Vir Doctissimus Chronici Picturati auctorem, recentioris aeui & in vernacula Saxonica scribentem, allegare maluerit, quam Annalistam veterem, a se editum, cuius verba Latina nonnumquam perperam intellecta Saxonice hic reddita esse cuiuis patebit. Cum autem praestet fontem adire, quam riuulum sequi; audiamus potius, quibus verbis Annalista exponat Ethiconis secessum in siluam Scyrorum. Ita autem ille p. 660. *Pater eius* (Henrici) *ex mirabili morum inaequalitate supra rationem hoc grauiter ferens actum a filio, recessit de Bauaria, & in terra montana, in parua prouincia, iuxta siluam, quae Scerenzerewald dicitur, cum Proceribus duodecim, qui sibi prae caeteris adhaerebant, reliquum vitae tempus peregit, obstruens viam, per quam venerat: & nec ipse filium, nec filius ipsum deinceps vidit.* Quae si bene expen-

filius esset, & *Dominum Rauensbergae* vocat, parentesque eius *Altorfenses*; & dicit, ipsum ex taedio filium videndi in *sylvam Scherorum* se recondidisse. Verba eius sunt: *vnde reyt in einen barch by einem walde, de heyt de Scherende walt.* Illustris Leibnitius mecum non sine causa suspicatus est, hanc syluam re ipsa *Scyrorum syluam* dictam fuisse a populo *Scyrorum*, qui Sueuorum socii, post cruenta cum Ostrogothis praelia ferme deleti, hic consedere, vt supra Lib. I. cap. 4. §. 2. & 3. fusius ostendimus. Dux eorum *Welfus erat*, Odoacri Regis frater; vnde ab ipso *Guelfos*, de quibus nunc agimus, descendere, eo certior argumentatio est. Auentinus de caetero inter Principes Bauaros, Anno 907. se Vngaris irrumpentibus obiicientes, & ab eis caesos, refert quoque *Etichonem*, sed fallere ipsum necesse est, cum Eticho secundum Monachorum Weingartensium indicia vitam in sacro recessu finiuerit.

§. 4.

Supra iam notauimus, Welfum, Iudithae patrem, Rhinaugiae conditorem, a Goldasto *Comitem Kiburgensem* erronee vocatum. Iam occurrit WOLO *Comitis filius*, & Monachus S. Galli, quem Eckehardus minimus in Vita B. Notkeri Balbuli cap. 27. etiam *Kiburgensem* ortu fuisse putauit. Sed *Wolonis* nomen potius ad illud *Wolfhardi* vel *Welfi* accedit, ac inde abbreuiatum fuisse videtur. Inter Kiburgenses vero Comites neminem huius nominis inuenio. Vnde potius eo inclino, vt putem, ipsum Welfo Comite Anno 857. florente genitum esse. Eckehardus de Casibus S. Galli Cap. III. de eo sequentia refert: *Erat*, inquit, *eodem in tempore in loco adolescens quidam Monachus admodum litteratus, Comitis cuiusdam filius, nomine WOLO, inquietus & vagus; cui propter auersionem cum nec Decanus ipse, nec Dominus Notkerus, seu caeteri imperare potuissent, crebroque esset verbis verberibusque correctus, nihilque proficeret, omnes pro talis ingenii viro dolebant. Nam cum numquam S. Gallus nisi libertatis Monachum habuisset, nobiliores tamen saepius aberrabant. Aduenerant in Monasterium parentes eius pro eo soliciti,*

expendas, & cum situ locorum conferas, terra illa *montana*, de qua loquitur auctor, ea est, quae hodiernam Tyrolim diuidit a Bauaria, & *parua* illa *prouincia* iuxta siluam, quae dicitur *Scerenzerewald*, erit Ambergauia, in qua fons Ambronis, & prope eum Etichonis vallis, *Ettal* vocata, versus Gremischgauiam & Partenkircham protensa, cum vicina valle Isarana, quae a Sefeldia descendentibus per *Scerniziam* & per abrupta montium siluasque densissimas protenditur vsque Mittelwaldam, vbi coelum ne tres quidem patet vlnas. Est autem Scernizia, a qua siluae nomen, hodienum a natura munitissimum castrum, in loco perangusto inter concurrentia altissimorum montium iuga positum, quod claustra Tyrolis merito appellites, cum tendentibus in eam regionem aditum aperiat. Vocatur hodie *in der Scherniz.* Auentinus Lib. I. c. 2. §. 7. *saltum Schiratium* appellat, in gremio Alpium Penninarum positum.

liciti, per quorum monita cum parumper proficeret, iterum post abitum eorum idem erat. Narrat deinde, Wolonem in Campanile adscendisse, vt circumsita loca oculis lustraret; inde vero decidisse, atque ex lapsu obiisse; Notkerum vero exequias curasse, &, quoad vixerit is, *duos Monachos officia* pro eo persoluisse. Quod si iam Wolo Welfonis filius, & frater Etichonis fuerit, parentes eius Anno 876. adhuc in viuis fuisse necesse est. Hoc enim anno casus Wolonis accidit; vti id Hepidannus in Chronico notauit.

CAPVT III.

De *Henrico* dicto *cum aureo curru*, Etichonis Iunioris filio.

§. 1. Iterum superius dicta de patre *Henrici* repetuntur, & Auentinus refutatur.
§. 2. Recensetur historia, quae occasionem eius cognominis *cum aureo curru* dedit.
§. 3. Fata quaedam Altorfiensis Monasterii perstringuntur.
§. 4. Henrici vxor *Hatta* siue *Beata* fuit ex gente *Comitum de Hohenwart*.

§. 1.

ETICHONEM, de quo modo egimus, Historia de Guelfis, vt iam supra monui, cum *Etichone* Iudithae fratre confudit, dum scribit: *Eticho huius Iudithae frater, patri defuncto pius haeres successit, qui genuit filium, HEINRICVM nomine.* Rectius vero, vt ostendimus, Chronicon Weingartense hunc Henrici patrem in Caroli Crassi Imperatoris tempora reposuit: vt paulo post: *Ludewicus*, ait, *filius Arnolfi regnauit annis XII. Heinricus filius Etichonis, pater S. Conradi, primus fundator Altorfensis Coenobii.* Haec accurate cum calculo temporis, quem iniuimus, conueniunt. Vixit itaque is circa Annum 900. Ludouicus enim, Arnulfi filius, Anno 899. ad Regnum peruenit, & Anno 912. obiit. Igitur *Ludouicus*, cuius seruitio se Henricus addixit, neque *Ludouicus Imperator*, neque *Ludouicus Germanicus* Rex, neque *Ludouicus Iunior* huius filius fuit. Auentinus iam vidit, Henricum non posse natum fuisse fratre Iudithae: cum tamen, quos nos deteximus, *Welfonem*, huiusque filium *Etichonem* nondum nosset, confinxit *Henricum*, a quo *Henricum* nostrum genitum esse prodidit, ne vnico quidem argumento innixus.

§. 2.

Attigimus iam capite antecedente, Henricum ob suscepta a Rege hoc Ludouico beneficia & acceptam obligationem feudalem patri, generosi

rosi animi Principi, inuisum factum fuisse. Sed lubet ipsa Historiae de Guelfis verba addere, ex quibus iam ante quaedam delibauimus: *Hic*, inquit, *Henricus, cum ad militares annos peruenisset, & suae voluntatis compos fieret, ignorante patre ad Imperatorem se contulit. Cumque illi summa familiaritate sociaretur, & totius Imperii vires, terminos eius circumeundo & pertranseundo cognosceret, tandem consilio Principum, & maxime ipsius Imperatoris instinctu, homagium ei & subiectionem fecit, & in beneficio quatuor millia mansuum in superioribus partibus Bauariae ab eo suscepit. Quod cum pater eius percepisset, iratus, nobilitatem suam & libertatem nimis esse declinatam, vltra, quam credi possit, consternatus animo, dolorem suum omnibus suis caris exposuit. Et assumptis XII. ex illis, infra montana ad villam, quae dicitur AMBIRGO, regalibus aedificiis & possessionibus ditissimis relictis, secessit, & ibi non a modo visurus filium suum consenuit. Coepit & ibidem collectis Monachis cellam construere. In qua etiam postmodum cum XII. suis humatus requiescit.* (g) *Heinricus autem volens omnimodis dolorem patris mitigare, praesentiam eius fugit, nec tamen solatium necessitudinis ei subtraxit: omnia enim sua illi confinia ex integro administrandum ei subiecit. Deinde comperta Patris morte, Heinricus, considerans locum vbi cella incepta fuerat, incommodum & difficilem claustralibus, ad villam quae dicitur ALTENMVNSTER, vbi Sanctus Alto Confessor requiescit, supra dictos Monachos cum omnibus suis transuexit, & Abbatiam ibi satis religiosam & diuitem perfecit. Postea & in ALTORFENSI villa Abbatiam cum Sanctimonialibus, in loco vbi nunc Parochialis Ecclesia est, construxit.* Botho in Chronico Picturato falso etiam persuasus, Henrici patrem Iudithae Imperatricis fratrem fuisse, fabellam (h) de modo, quo Henricus a Rege feudum quatuor millium man-

g) Admodum memorabilis est Annalistae Saxonis narratio de Henrico Nigro, circa Annum 1121. Cellam Ambergouiensem visitante. *Henricus*, inquit p. 661. *a longaeuis audiens ea, quae superius dicta sunt de Etichone primo, veniens ad loca montana, in quibus a filio secedens habitauerat, vbi quoque sepultus fuerat, causa experientiae iussit sepulcrum illius, & eorum, qui cum eo tumulati fuerant, aperiri, veraque esse comprobans, Ecclesiam in eodem loco, Ettal* scilicet seu Etichonis vallis dicto, *super ossa illorum fabricari iussit.* Hac successu temporis pereunte, Ecclesia in superiore villa Amberga eminere coepit, quam vna cum ipsa villa Henrici Nigri minor natu filius, Welfus Mitis Anno 1169. Campidonensibus Monachis donauit, vt singulis annis anniuersarium filii Welfi in suo Monasterio celebrarent: a quibus tamen postea ad Raitenbuchenses peruenit: vti infra singula suis sub annis dilucidius referemus. Fama tamen veteris Ettalensis Ecclesiae diu post mouisse videtur Ludouicum IV. Imperatorem, vt eo in loco Monasterium conderet, quod S. Benedicti alumnis traditum hodie prae pluribus aliis quam maxime floret.

h) Fabellae, si fabella appellanda est, cum de veteribus Imperatoribus plura huiusmodi ludicra memorentur, primus auctor non fuit Botho, seu quisquis est Chronici Picturati compilator, sed is, quem exscripsit, Annalista Saxo, scriptor grauis & luculentus. Annalistae verba, quae hic in vernaculam transtulit & interpolauit, ita fluunt p. 660. *Hen-*

mansorum acquisiuerit, hanc nobis sub Anno 814. refert: *By dusses milden Keysers tyden Lodewicus, so was Ethico esste Wolpy syner Kayserinne Vader. Dusse Here Ethico este Wolpy was eyn Here van Ravensbarge, syne Elderen heten de van Altorppe, unde was so fry, dat he van nymande syn Forstendom to Lene entfengk. Unde so hadde he eynen sonen de heyt Hinrick, deme hot he dat ock to holden. Do kam de Keyserinne Iudit syn Suster, und bedachten eyn behende Clockheyt, so dat dusse Her Hinrick des Keysers Man wart; dat kam sus to. Her Hinrick bad den Keyser, dat he om wolde geven so vele Vorwarck in dem Lande to Beyeren, so verne alse he in dem rechtem*

Henricus dominio Imperatoris se subdidit ea conditione, vt tantum de praediis in terra vxoris suae sibi condonaret, quantum meridiano tempore cum aratro suo posset circumire. Pater a filio recessit; filius autem calliditate sua promissa sibi praedia sic acquisiuit: Facto aureo aratro, & *apud se recondito, infra meridiem, cum Imperator dormiret, dispositis in via equis, festinanter per girum iam dicta praedia circumiuit, lassatisque omnibus equis, equam forte inuentam ascendens, tentauit quemdam montem oppositum etiam adiungere; sed equa subsistente, nec ascendere valente, ibi cessauit. Vnde mos increuit eisdem Principibus* de Rauensburch, *nulli eorum hactenus propter aliquam necessitatem equam ascendere.* Ita suppleo lacunam Eccardi ex alio Codice MS. a Perillustri Kniphusio Parisiis relato, cuius loci excerptum praeterea habet Ludewigius reliq. MSCtor. med. aeui T. VIII. p. 151. Pergit Annalista: *Et idem mons* Merenberg *vsque hodie ab hoc euentu denominatur:* id est, mons equae. *Interea Imperator Ludowicus de somno surrexit, & Henricus cum aratro suo ei se praesentauit, rogans, vt promissa compleret, & auctoritate firmaret. Qui licet aliquantulum indignaretur, quod sic callide circumuentus esset; tamen memor promissionis suae, omnia, quae circuierat, ex integro adquirens tradidit ei.* Vides, vtrumque Scriptorem idem factum eademque per omnia facti momenta enarrare, in hoc solo discrepantes, quod alter de aureo *curru*, alter de aureo *aratro* loquatur. Sed nec aurei currus inuentor fuit vernaculus Historicus. Praeeuntem enim habuit Auctorem Chronici Brunsuicensis Latini, quod circa Annum 1280. congestum putat editor Maderus Antiquit. Brunsuic. p. 15. vbi: *Henrico a Rege promissum est, quantum in die aestatis longissima cum* curru *aureo circuiret. Quo promisso illectus, de auro* curriculum *fabricans, & eum in sinu reponens, socios & equos veloces adhibuit &c.* Auentinus Lib. IV. c. 17. n. 16. de aureo *vehiculo* loquitur, rem gestam ita exprimens: *Henricus a sororis marito, quicquid in superiori Boiaria aureo vehiculo a prima luce ad meridiem ambiret, quasi ludo exposcit. Ludouicus, ratus fratrem coniugis pauperiorem esse, quam vt aureum currum possideret, postulatis annuit. Mox Henricus plaustro rustico, in sinu quidem aureum curriculum admodum paruum gestans, vnde cognomen ei adhaesit, circumuectus est a Lyco ad Ambronem: a Gelono flumine ad Alpes Penninas. Arrisit Ludouicus dolo, & quaecunque hisce finibus continentur, Henrico donauit.* Si vera narrat Bruschius de Monaster. German. p. 645. Coenobii Wettenhusani conditrix hoc stratagema feliciter imitata est. Petiit enim tantum agri a filiis ad exstruendum locum sacrum, quantum ipsa vnius diei spatio aratro posset circumscribere: quod cum facile impetrasset, ipsa mirae paruitatis & leuitatis aratrum in sinu gestans, id spatium, quod hodie isti Coenobio paret, obequitasse, & sic obtinuisse legitur. Annalista Saxo narrationem suam his verbis concludit, quae primo aspectu memorabilia videntur, at penitus inspecta falsa apparent: *Ex illo tempore,* inquit, *iidem Principes de vrbe Rauanesburch, quae cum eis circuita in possessionem eorum deuenit, agnomen sumserunt, qui prius de quadam villa, Altorp dicta, denominabantur.* Pugnant enim haec directa fronte cum Weingartensibus nostris, quorum potior fides, quippe sua e domesticis Coenobii monumentis depromentium. Iam vero alter nouum beneficium quatuor mille mansorum Henrico *in superioribus Bauariae partibus* assignatum fuisse testatur; non vero in Sueuia; alter autem *Rauenspurgi* origines coniungit cum originibus Episcopatus Babenbergici, quas in Henrici II. tempora incidere in vulgus notum est.

tem Middage mit eynem gulden Wagen bevaren konde. De Keyser de sede öme ja dar to: alsô wart he des Keysers belende Man. Item do diit syne Vader horde, he wart sêr tornich, wente he eyn unsêdich Man was, unde nam midde twelff syner Man, unde reyt in eynen Barch by einem Walde, de heyt de Scherende Walt, unde vorwarchten den Weg, dat ön nemet scholde wedder vinden, dat geschach; dar bleyff he wente an synen dot. De Sone achtede des nicht, unde leyt maken eynen cleynen gulden Wagen, dar he de Vorwarck eyn deyls des landes midde krech mit eyner Clockheyt. So höret even wü he dem dede, alsê öm de Keyser gelovet hadde so vele, alsê he bevaren konde mit eynem gulden Waghen, so wolde öm de Keyser dat lant to arve geven. Do kam dussê Her Hinrick van Rauensbarch, und hadde bestalt jo varsche Perde van stidden to stidden, sô satte he sick up eynem Rullwagen, unde nam den cleynen gulden Wagen in den schot, unde leyt sick bevoren de vorwarcke alsê he bestalt hadde, dar he de Perde wuste in des rechten Middages tyt, de wile dat Keyser Lodewicus sleyp, unde vore sô hastliken umme; wan eyn Pert mode was, sô nam he eyn varsch, dat warde, went upp dat leste, dat he der Perde nicht mer en hadde. Do steych he van dem Wagen unde krech ein Moder-pert uppet leste, unde wolde dar midde beryden eynen Barch; alsê he an den Barch kam, do wart dat Moder-pert mode, unde konden boven uppe den Barch nicht komen, und bleyff blat bestan, dar van krech de Barch den Namen, und heyt nach hute in den Dach de Merenbarch. Unde dar van kam eyn zede, dat neyne Here van Ravensbarch unde Beyeren uppe Perde Moder dorch not to ryden soll. Her Hinrick kerde to an dem Barge, und vore wedder na des Koniges Hove. De Keyser was uppgewaket, unde sô sach he Heren Hinriken her varen mit synem Wagen. So bat Her Hinrick den Keyser dat he öme nü dat geve sô vele alsê he mit synem gulden Wagen bevaren hadde alsê he öme ghelovet hadde, unde bestedigede, dat mit seyner Keyserliken Walt. De Keyser de sach dat he becloket was, unde gaff öm de Vorwarcke to Erven eghen, unde bestedigede ön to eynen Hertogen to Beyeren, unde dat he dat Lant van dem Keyser to Lenen entfangen solde. Unde van dussem Hertoghen Hinrike kam eyn grot Slechte, dat dar van swert halven wart gheboren de erluchtige Forste Hertoge Hinrick de Lawe, sô hyr na geschreven steyt. Fabula veris hic miscetur, vt vides. Interim Henricus Comes Altorfensis inde apud recentiores cognomen *cum aureo curru* accepit, vt ipse Botho indicat.

§. 3.

Altonis Monasterium, quo Monachos ex Ambergouia *Henricus* transtulisse dicitur, situm est inter Augustam Vindelicorum & Mona-

chium. (i) Monachi hinc iterum, vt ferunt, *Altorfium* translati sunt, & Virgines sub Regula S. Benedicti viuentes inde vicissim in Altonis Monasterium. Hae permansere hic loci vsque ad Annum MCCCCLXXXVII. quo Georgius Bauariae Dux, teste Hundio in Metropoli Salisburgensi T. II. p. 55. Ordinem Brigittae eo introduxit, sub quo vsque hodie sacer Virginum coetus censetur. *Altorfium* oppidum Sueuiae est, *Monasterio Vinearum* adsitum. Hic Henricus *Coenobium Virginum* construxisse dicitur. Sed dubium mouet Vdascalcus in Vita S. Conradi, cui potius ferme fido, qui indicat, non *Altorfii*, sed *in loco, Vinea dicto*, vxorem Henrici Monialium Coenobium instituisse. *Mater*, inquit, *eius* [S. Conradi] *in loco, Vinea dicto, qui adhuc quoque nobile Monachorum continet Monasterium, primo Sanctimoniales foeminas diuino mancipandas seruitio congregauit, vbi nunc quoque ipsa cum duobus filiis, Rudolfo & Welfone, corpore sepulta quiescit.* Vnde Coenobium Altorfii structum inter dubia colloco. (k)

§. 4.

Vxor *Henrici* BEATA vocatur in Historia de Guelfis. Scribitur in ea: *Idem Heinricus vxorem duxit de Hohnwarte in Bauaria, BEATAM nomine.* Sundhemius addit, *Heinricum cum vxore Beata in Monasterio Waingarden in Ecclesia in sepulchro eleuato sepultum iacere.* Eadem vero Henrici vxor in Genealogia veteri, Chronico Weingartensi annexa, HATTA dicitur, quod Germanicum & genuinum ipsius nomen fuisse videtur. *Atte* enim *Otte* & *Ode* maioribus *beatum diuitemque* denotabat, vt supra iam indicauimus. Botho paulo ante citatus eandem Henrici vxorem ORINAM (l) appellat, his verbis: *Hertoghe Hinrick mit dem gulden Wagen geheten to Beygeren, eyn Here to Rauensberge, de nam to enen Wiwe Orinam, eines eddelen Heren Dochter, dar de Greven van Flanderen aff*

i) Situm Altonis Monasterii e quodam libro triuiali hic petitum video. Non enim inter Augustam & Monachium, sed inter Augustam & Frisingam, adeoque propius versus Danubium positum esse, ipsa locorum inspectio docet.

k) Omne dubium euanescit, si perpendas, in villa *Altdorf* loco paullo editiore olim arcem fuisse, *Vinea* dictam, quam in Monasterium mutauit Welfo Carentanus. Post cuius tempora cum S. Conradi haec vita scripta sit, mirum non est, pro *Altorffio* hic *Vineam* nominari, quae nunc Monasterium erat, cum in villa solum Parochialis remaneret Ecclesia. Ob hanc fundationem Codex picturatus Weingartensis, quo Crusius Annal. Sueu. Part. II. p. 29. seq. vsus est, *Beatam* sistit manibus templum gerentem; quod significat institutum Virginum collegium, *cui ambo coniuges tradidere fanum Altorfiense cum decimis & pertinentiis omnibus, nec non bona Salica. Ibi & ambo coniuges sepeliri voluerunt, & sepulti sunt.*

l) Ad componendam hanc etymologicam tempestatem proderit suspicari, Bothonem forsan *Otinam* scripsisse, quod vocabulum typorum vitio mutatum sit in *Orinam.* Otinam autem vel Vtinam si diminutiuum ab Oda vel Vta, Atta vel Hatta & Beata dixeris, quo sane nihil absoni dixeris; perbelle inter se conspirare haec nomina senseris. De ipsa familia, e qua Beata prodiit, mox plura dicemus.

aff her quemen. Statuit itaque, eam Balduini Ferrei, Satoris Comitum Flandriae, filiam fuisse. Nemo tamen veterum eius filiam *Orinam* commemorat; & si talem habuisset, eam Henricus ob cognationem illo aeuo ducere non potuisset. Cognatio enim inter eos haec fuisset:

Welfus Comes & Dux

Eticho Comes.	Iuditha Ludouici Imp. vxor.
Welfus Comes.	Carolus Caluus Imp.
Eticho Comes.	Iuditha Vxor Balduini Ferrei.
Henricus Comes.	Orina.

Crusius Part. II. Annalium Sueuicorum pag. 97. notat, Henrici vxorem alias *Cunizam* vocari; quod vnde hauserit, nescio. Pistorius in Tabula Genealogica Guelforum *Beatam* quidem nominat; sed addit, eam ab aliis *Comitissam Bogensem* haberi. Nos Historiae de Guelfis inhaerebimus, & eam de *Hohenwarto*, Comitum sede ad Parrium amnem in Dioecesi Augustana sita, tantisper oriundam statuemus, donec certius quid de Familia illius nobis constet. Colitur inter Bauariae Sanctos *Ratho*, quem Auentinus Henrici Bauariae Ducis Copiarum ductorem aduersus Hungaros Anno 948. irrumpentes facit: Is a Lazio Migrat. Gent. Lib. VII. Brunnero & aliis Scriptoribus Bauaricis celebratur, & fabulis etiam ornatur. Tandem dicitur *Monasterium Werdense* in Insula Ambronis fluuii, praedio suo, construxisse, Saluatori & Apostolis Philippo & Iacobo dedicatum, a quo non procul distat Castrum Montis Andeccensis. Huius sororem Blondellus Tab. LXXXV. constituit *Hathui* siue *Hattam*, Henrici Guelfi coniugem. *Rathonem* Illustris Leibnitius *Ratoldi*, Arnulfo Imperatore ex concubina nati, filium putat. Lazius & caeteri, interque eos praesertim Io. Conradus Dietericus, qui prae caeteris genealogiam Andeccensium diligenter explicuit, in Historia Ottonis M. Rathoni ipsi tribuunt filium *Rapotonem Comitem de Hohenwart*, quem tamen Blondellus Rathonis nepotem constituit. Quicquid huius rei sit, quadrat admodum situs bonorum Rathonis iacentium ad fluuium Ambronem, & in vicinia veterum Guelficarum possessionum; nobisque persuadet *Hattam* omnino ex illa gente fuisse.

CAPVT IV.

De *S. Conrado*, Constantiensi Episcopo, *Rudolfo* & *Welfo*, Henrici filiis.

§. 1. Henrici filii fuerunt *S. Conradus, Rudolfus* & *Welfus*.

§. 2. Primogenitus *Rudolfus* iam An. 940. mortalitatem exuisse videtur.

§. 3. An vxor eius *Itha* fuerit Cunonis Comitis de Oeningen filia, & Ottonis M. ex Richlinda neptis?

§. 4. Varia ad Rudolfi vitam facientia recensentur.

§. 5. Secundus Henrici filius fuit *S. Conradus*, Constantiensis Episcopus.

§. 6. Tertius filius *Welfus* in vita S. Conradi occurrit, pro quo Monachus Weingartensis *Etichonem* substituit.

§. 1.

HENRICVS Comes ex vxore Beata, vt verba sunt Historiae de Guelfis, *tres filios* genuit, *S. Conradum, Constantiensem Episcopum, Ethiogonem & Rudolfum.* Vita vero S. Conradi Cap. I. vt iam monuimus, Henrico praeter S. Conradum filios tribuit *Rudolfum* & *Welfonem*, cui potius fido; & mox apparebit, cur *Eticho* locum inter filios Henrici occupauerit.

§. 2.

RVDOLFVS a Sunthemio primogenitus Henrici filius vocatur; nec iniuria. Primogeniti enim plerumque patri in dignitate succedebant. In Pistorii Tabula Genealogica ponitur, mortuum esse Anno 940. quod forte haustum est ex Constantiensis Ecclesiae documentis. Itaque non adeo prouectae aetatis fuit, cum obiret. Hoc optime quadrat in verba *ITHAE*, Rudolfo, huius nepoti, nuptae, vbi in Vita S. Altonis (Probat. N. VI.) ea dicit: *Genus omne parentum & propinquorum nostrorum instabile minusque longaeuum hactenus fuit.*

§. 3.

Tribuunt ipsi Weingartensia monumenta vxorem ITHAM, *Cunonis Comitis de Oenningen*, & *Richluitae* vel *Richlindae* filiae Ottonis Magni filiam. Sed haec erronea sunt. Anno enim 940. si obiit Rudolfus, quomodo potuit filiam Conradi vel Cunonis, generi Ottonis M. in matrimonio habuisse? cum Conradus Dux filiam Ottonis Anno 947. sibi in sponsam sumserit, & Anno demum 949. domum duxerit? Nec filia haec *Richluit*, sed *Luitgardis* vocabatur. ITHAE Rudolfi vxoris obitum Crusius in Annum 1020. refert, & hoc non sine ratione. Nam Eckehardus Iunior, qui eo tempore floruit, testatur, se eam vidisse. Sed ita illa maritum totis 80. annis superuixerit; quod incredibile est.

Acce-

Accedo itaque ego Crusii sententiae, qui ITHAM non S. Conradi fratri, sed huius nepoti, nuptam fuisse statuit. Verba eius sunt: *Anno 1020. mortua est ITHA: quae fuit generosa Comes ex Oeninga lacus Podamici, (bodie pagus & praefectura est) quae fuerat nupta Comiti Altorfensi Rudolpho, qui nepos fuit illius Rudolphi, qui habuit fratrem S. Conradum.* Hausit hoc Crusius ex Auentino, qui Lib. VI. scribit: *Rudolpho* [fratre S. Conradi] *WELPHO SECVNDVS progenitus; hoc alter quoque Rudolphus. Ille in Welphouen, quae nunc villae sunt in ripa Geloni in Vindelicia superiore, habitauit; vnde is locus ab eo cognomen traxit. Welphonis praetorium valet; ab Vnderstorp Monasterio tria millia passuum abest.* (m) *Huncque Welphonem primum, nimirum Lycatiorum atque Ambronum Tetrarcham, Scriptores Baioariae vocant. Rudolphus II. huius filius vxorem habuit ITHAM, Sueuam genere, haud longe a Brigantino lacu ortam, filiam Conradi Oeningesis, neptem Imperatoris Ottonis M. ex filia Richolita, sororem Chunegundae, coniugis Friderici in Diessen & Andechs Principis.* Certe *Wolfradus* (siue *Welfus*) *Comes* in Priuilegio Ottonis M. Anno 972. (Probat. N. V.) Curiensi Episcopo dato apud Crusium P. II. Ann. Sueu. p. 138. occurrit, qui ad Familiam nostram pertinere, & pater Rudolfi, Ithae mariti, fuisse videtur. Apparet itaque, a Weigartensibus duos *Rudolphos* in vnum confusos, & intermedium *Welfum*, cum ille ob beneficia in Monachos collata non celebratus esset, plane omissum.

§. 4.

Hic vero prior Rudolfus cum fratre S. Conrado multorum bonorum commutationes fecit. Anonymus Weingartensis dicit: *Sanctus igitur Conradus, in Episcopatum promotus, patrimonium, quod a patre possederat* Altdorf, Wolpfeswende, Berge, Fronhoven *cum attinentiis suis, & omnia vltra fluuium nostrum Stutzina sita, sicut ad nos bodie pertinent, fratri suo Rudolfo per concambium donauit, & ipse ab eo remotiora recepit, id est* Eiisilingen, Andilvingen, *cum omnibus appenditiis suis, & in Alsatia Colmir, & infra. Rhetiam Curiensem Amidis, Fluminis,* (n) *Lugenetz: quae omnia*

m) Haec verba subobscura ipse Auentinus contraxit, & Germanice ita reddidit: *Graff Rudolph der ander: des Son Welph der under, der zu Welhofen an der Glan bey Vndersdorff, dem Kloster, Hoff hielt.* Pro nuda coniectura Auentini haec acceperim, cui inniti intutum iudico.

n) Locus corruptus, seu potius scriptura vocabuli corrupta, emendari potest ex diplomate Friderici I. Imperatoris apud Pistor. Scriptor. German. T. III. p. 697. edit. nouiss. vbi Imperator confirmat Fratribus Constantiensis Ecclesiae inter alia praedia quam plurima, *curtim dominicalem cum hospitali in Columbaria, & in Rhetia Curiensi curtim in* Flumenes, *curtim in* Amedes, *curtim in Montanis Burch cum Ecclesia.* Vnde apparet, *Amidis* non esse flumi-

omnia Ecclesiae suae Constantiensi, partim Fratribus maioris Ecclesiae ad meliorationem praebendae, partim Fratribus illis, quos canonice in Ecclesia S. Mauritii ordinauerat, contradidit. Rudolfus autem hic sub Henrico Aucupe floruit. Chron. Weingartense: *Henricus, filius Ottonis Ducis Saxonum - - - - Rudolphus Princeps, filius Heinrici, frater S. Conradi Episcopi.* De pietate Rudolfi in S. Othmarum notabilem locum attingimus paulo post, vbi de filio *Welpho* agimus. *Rudolphus postquam debitum naturae persoluit, in Altorfensi Coenobio iuxta patrem & matrem humatur*; inquit Monachus Weingartensis; & idem confirmat Vita S. Conradi.

§. 5.

S. CONRADVS, alter filiorum Henrici, Vitae suae descriptores aliquot (o) nactus est, *Geuehardum*, qui post Gamenoldum successit in Constantiensi Episcopatu, & *Vdalschalcum*, Capellanum Vdalrici Episcopi Constantiensis. Ex illa forte desumta sunt, quae Pistorius in Chronico Constantiensi publicauit; hanc vero eandem esse puto cum illa, quam Illustris Leibnitius T. II. Scriptorum Brunsuicensium edidit, qui de auctoribus quoque hisce in Praefatione Operis §. 1. fusius egit. Obiit S. Conradus, vt Vdalschalcus affirmat, *die VI. Calend. Decembris anno nongentesimo septuagesimo sexto*, & praefuit Episco-

fluminis cuiusdam nomen, sed castri; & *Flumenes* loci nomen esse, quod hodie *Flumbs*, quemadmodum Amidis *Ems* effertur.

o) Non nisi duo hactenus innotuere nobis vitae S. Conradi veteres Scriptores: in quorum primo tamen fallitur Dn. Eccardus. Non enim Gebehardus secundus, Gamenoldi successor, qui S. Conradum exceperat, sed Gebehardus III. e Ducibus Zaringiae tricesimus sextus Constantiensis Episcopus & Sedis Apostolicae per Germaniam Legatus perpetuus, (qui Anno 1085. a Welfone primo Boioariae Duce, filio Azonis Marchionis, Constantiensi Cathedrae impositus, desiit Anno 1110.) S. Conradi ossa primus leuauit, atque in aede Sanctae Dei genetricis Mariae deposuit. Scriptor. Brunsuic. T. II. p. 8. cuius primae translationis occasione scripta est prima S. Conradi vita, si non calamo, iussu tamen huius Gebehardi Episcopi: quemadmodum occasione canonisationis & secundae translationis, quae sub Vdalrico I. Episcopo, Gebehardi successore, ab Anno 1110. vsque ad Annum 1127. Constantiensi Sede potito, *anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo vigesimo tertio, Indictione secunda, Romanam Ecclesiam regente Calixto Papa secundo, ordinationis quoque Vdalrici Constantiensis Episcopi eiusdem nominis primi, anno quinto; imperante Henrico Imperatore Augusto, die sexto Kalendarum Decembrium*, facta est, Abbas Vdalscalcus alteram S. Conradi vitam scripsit. Vtraque tamen, si rem spectes, pro vna haberi potest. Verbis enim magis, quam sensu, discrepare iam olim agnouit Summus Leibnitius Praefat. ad Scriptor. Brunsuic. Tomum II. p. 2. Equidem quomodo anno quinto Episcopatus Vdalrici haec euenisse dici possint dubium forte, cum Vdalricus Anno 1110. infulae Constantiensi admotus, & translatio haec Anno 1123. facta sit, qui annus Vdalrici Episcopi fuit decimus tertius? sed salua res est. Vdalricus, quia primos octo suae Sedis annos ob iras Pontificis consecratione caruit, annos illos Episcopatus sui numerare non potuit, qui numerati sunt ab Anno 1118. quo demum, permittente Gelasio Pontifice, ab ArchiEpiscopo Mediolanensi consecrationem impetrauit. Atque hoc modo Annus 1123. est ordinationis seu consecrationis Vdalrici Episcopi annus quintus.

Episcopatui annis quadraginta duobus. Ex quibus patet, eum Anno 934. Episcopum factum. Errauerit itaque Hepidannus, qui ad Annum 935. *CHVONRADVS*, inquit, *Episcopus efficitur.* Calixtus II. Papa eum, litteris Vdalrici Episcopi permotus, in numerum Sanctorum retulit. (p) Documenta ad hoc negotium pertinentia infra adferimus

p) Frigida haec nimis sunt & ieiuna, praestat igitur vitam S. Conradi Welfi, Constantiensis Episcopi, qui coepit Anno 934. & viuere desiit Anno 976. ex vetustis monumentis paulo copiosius delineatam oculis Lectorum subiicere.

§. 1. *Cur noua huius vitae necessaria sit delineatio.*

Ex iis, qui Vitas Sanctorum vel nudas vel commentariis quibusdam instructas in vnum corpus compingendas & edendas susceperunt, nihil hic subsidii est. Duumuiri nostri eadem chorda oberrant. Surius S. Conradum omisit. Hagiologi Antwerpienses opus vastissimum ad Calendas Decembres nondum perduxerunt. Mabillonii Saecula Benedictina non attingunt Calixti PP. II. aetatem, a quo S. Conradus coelitum choro adscriptus fuit. Matthaeus Raderus S. I. Bauariae Sanctae T. III. panegyricum magis, quam vitam S. Conradi scripsit. Delibabimus itaque cum veterum vitae Scriptorum nonnulla; tum quae de S. Conrado vetusti & aequales auctores passim tradunt memoratu digna; praesertim cum S. Conradus, quantum scimus, vnus sit e Familia Guelfica in album Sanctorum relatus. Alter enim huic cognominis, Henrici Nigri filius, qui per paria sanctitatis exercitia viam affectauit Olympo, in herba periit.

§. 2. *S. Conradi natales & conditio ante susceptam infulam Constantiensem.*

S. Conradus, praeclarissimis in Alemannia natalibus circa Annum 892. ortus parentes habuit Henricum Guelfum, & Hattam, Comitem Andeccensem seu Hohenwartensem, in loco, qui vetusta villa i. e. Altorff vocatur, summa dignitate florentes, & circa cultum diuinum augendum haud mediocriter laborantes. Mater Hatta in loco, Vinea dicto, Sanctimoniales virgines diuino mancipandas seruitio congregauit, ibidemque cum duobus filiis suis, *Rudolfo* atque *Welfone*, sepulta requiescit. Conradus puer Fratribus Constantiensis Ecclesiae litterarum scientia tingendus traditur, mox inter Canonicos receptus auctore Episcopo Notingo, qui prouectioribus annis Conradum, a sacro Collegio cum ob generis nobilitatem, tum ob singularem prudentiam & pietatem in Praepositum allectum, non solum confirmauit, sed etiam sibi Successorem destinauit. Hinc defuncto Anno 934. Notingo, annitente potissimum Vdalrico Augustensi Episcopo, qui Constantiae Notingi exsequiis interfuerat, Conradus renitens atque indignum se vociferans Constantiensis Episcopus electus est.

§. 3. *Gesta eius in Praesulatu Constantiensi.*

Eo sedente Constantiensis Ecclesia maxima incrementa cepit. Ipse enim Fratribus eius Ecclesiae de suo patrimonio ad communes vsus plurimas possessiones in Rhaetia Curiensi donauit, scilicet Curwalden cum iure patronatus; decimas in Vbersachsen; curiam in Burg; curiam in Flumenes, Ilanz & Malanz; curiam in Amidum seu Emptum cum tribus mansis, & tres mansus in Lugeniz. Haec loca omnia hodienum supersunt, & magnam partem foederis superioris apud Rhaetos Grisones constituunt. Pleniorem eorum notitiam dat idoneus auctor Guillimannus rerum Heluet. L. 4. c. 2. Praeterea Gebehardus e Comitibus Brigantinis, Canonicus Constantiensis, & post Gamenolfum S. Conradi Successor, cum consensu Fratrum suorum, iuris sui proprietatem, quam ex parentum successione in Oberndorff, Hutzlinbach, Philophinga, Lutheresdorff habebat, tradidit (vt verba diplomatis (Probat. N. IX.) habent) *ad S. Constantiensis Ecclesiae Coenobium, cui* **vir summae religionis & doctrinae Conradus Episcopus**, *regimine speciali praefectus esse videtur.* Ipse Conradus tres suo tempore nouas Constantiae Basilicas construxit; ter quoque pro Dominici Sepulcri visitatione Hierosolymas profectus mare traiecit. Beneficentia in pauperes, quibus in ipsa ciuitate domum aedificauit, ingens liberalitas in vtriusque ordinis homines, & praecipua quaedam nobiles & potentes tractandi ratio, in potissimis eius virtutibus censentur: quas tamen longe vincere videtur non fucata

mus (Probat. N. VII. & VIII.) De caetero Constantiensis Episcopatus extendebatur per magnam ditionum Guelficarum partem. Vrbs ipsa *Constan-*

fucata eius pietas, quae populo salutaris doctrinae cupido mirifice profuit. *Cum enim,* ait vitae Scriptor anonymus, *sic se imperitum genus hominum habeat, vt, si secus quam docet, doctor agat, ne vera quidem suspicetur, quae dicat; hic doctor verax, hic orator iustitiae, operum commendatione commendabilis, innumeras Deo lucrabatur animas.*

§. 4. *Miracula per ipsum edita.*

Inter miracula, si quidem nullus sine miraculis Sanctus, quae viuens spiransque perpetrauit, tria potissimum eminent. Primum est, quod duas animas e corpore egressas, nec dum plene purgatas, specie auium circa cataractas Rheni in abyssum se proruentis gyrantes, modo in aquas praecipitatas, modo rursus emergentes, ab hoc tormenti genere vnacum Vdalrico Augustensi Episcopo liberauit. Alterum est, quod, cum in sacro epulo araneam viuentem abliguriuisset, reclinato in mensam capite, aperto ore lethifero animali exitum praebuit, quod nec mori in homine potuit, nec homini mortem inferre. Tertium prae caeteris placet. Referente enim Hermanno in Floribus temporum apud Eccard. T. I. p. 1611. circa tempora Martini PP. III. Conradus noster super lacum Bodamicum siccis pedibus ambulauit. Quod tamen eo sensu, ac si super fluctus vndarum ambulasset, accipiendum non est. Siquidem id, quod de S. Gebehardo, de quo supra diximus, traditur, siccis scilicet pedibus Padum fluuium transiisse, in vita eius ita explicatum inuenio, quod Padus in cursu suo retrorsum conuersus per medium sui terrestre iter praebuit, quod S. Gebehardus cum suis ingressus cum omni alacritate pertransiuit, excepto vno nequam ex obsequio Sancti viri, qui postremus transeuntium factus, cunctis aliis egressis, in alueo fluminis moram faciens, concurrentibus aquis praeuentus ac suffocatus est. Quod cum viro Dei nunciaretur: *Nolite*, inquit, *contristari. Naulum enim hoc in loco dare debueramus, pro quo istum a Domino sublatum credamus.* Vita S. Gebehardi Lib. I. c. 17.

§. 5. *Miraculum omnium maximum, consecratio Sacelli Einsidelensis in choro Angelorum peracta.*

Sed maximum omnium, quod Deo in gratiam S. Conradi operari placuit, & cuius simile vspiam se legisse negat Mabillonius, miraculum est, quod cum ad consecrandum in Einsidelensi Coenobio Sacellum S. Mariae vocatus esset, nocte praecedenti in Capella precibus inuigilans consecrationem a choro Angelorum peractam, vocemque coelitus delapsum audiuit, dicentem: *Cessa Frater! diuinitus consecrata est.* Quod, licet a vitae Scriptoribus praeteritum, & veterum auctorum testimoniis comprobatum, & a S. Conrado ipsomet in litteras relatum, & actis Einsidelensis Monasterii insertum, & complurimum Romanorum Pontificum epistolis bullatis confirmatum est. Ita enim Hermannus Contractus Canisianus ad Annum 948. *Capella Coenobii S. Meginradi coelitus consecrata est XVIII. Kal. Octobris.* Itemque Martinus Poenitentiarius, itidem ab Einsidelensibus interpolatus (nam vulgares Martini Poloni editiones hunc ignorant locum,) sub Ottone I. *Eodem tempore*, inquit, *Capella S. Meginradi in Coenobio Heremitarum Constantiensis Dioecesis coelitus est consecrata XVIII. Kalend. Octobris, Sancto Conrado Constantiensi Episcopo hoc testante.* Testimonium ipsius S. Conradi continetur libro *de secretis secretorum*, quem licet hodie nusquam appareat, Sancto Viro attribuit Annalista S. Heremi ad Annum 948. in Actis S. Eberhardi p. 49. seq. cuius quidem narratio ita habet: *Sed iam reliqua ad vsum aedificia, templumque Monasterio pro loco & facultatibus amplissimum, quo ab S. Meginrado structum Deiparae Sacellum insigni mole circumdederat incluseratque, cura irremissa & impensa operarumque assiduis laboribus promorat eo Eberhardus, vt consecrari possent. Itaque, ineunte Septembri, paratis omnibus ad eam rem necessariis, ad* **Cunradum Constantiam misit**, *quando eius Episcopatus terminis Monasterium, Templumque & Sacellum consisterent, eorum ad consecrationem venire ne grauaretur. Inuitatus etiam antiquam ob necessitudinem & amicitiam, moremque ab Apostolicis temporibus receptum, Vdalricus Augustae Vindelicorum Episcopus. Vtrumque comitati plures primae nobilitatis totius prope Germaniae Superioris viri: magnus concursus vicinitatis factus, tantorum virorum reuerentia, simul & loci, cuius religionem & celebritatem, iam late sparserat fama, inuisendi colendique desiderio pertrahebantur. Haud paucos Eberhardi, & Monachorum*

Constantia adsita est lacui Bodamico, a *Potamo Castro* nomen adepto, quod de veterum Guelforum patrimonio fuit. Guelfi nostri S. Conradi virtu-

nachorum inibi agitantium sanctitatis opinio; alios etiam propinquitas sanguinis attraxerat. Adpulit ad Heremum Cunradus *Idibus eiusdem mensis, nouoque in Monasterio diuertit. Nocte, quae secuta est, cum solito more circa eius medium orationis caussa surrexisset, melodiam longe suauissimam auribus excepit; cumque magis magisque animum mentemque intenderet, certissimo animaduertit, Angelos cantum eundem & ordinem, cerimoniasque in Sacelli Deiparae, cuius caussa aderat, consecratione habere, quae in dedicationibus Ecclesiarum Episcopis vsurpentur. Audiere eadem & percognouere haut pauci Monachi, aliique nonnulli, quos precum & meditationum studium per idem tempus intentos & vigiles attinuerat. Ipse* Cunradus *cerimonias his verbis libro, quem* de Secretis secretorum *inscripsit, posteritati prodidit, quae inserere operae precium putaui, rei miraculo, simul tanti viri fide, & quia illa sola ex eo volumine facti raritas, an potius Dei benignitas conseruauit, & posteris testimonium dicere voluit.* „ *Descendit*, inquit, *Dominus de „coelis casula violacea ante altare ad sa- „crum officium celebrandum, cui quatuor „Euangelistae, infulam capiti eius imponen- „tes, &, more consueto, deponentes. Angeli „aurea thuribula deferebant, alis suis, vt „ramis arborum, stabant. Iuxta Dominum „S. Gregorius, flabellum in manu tenens; „S. Petrus in manu tenens baculum pastoralem; „Sancti vero Augustinus & Ambrosius sta- „bant ante Dominum. Maria Virgo ante „altare stabat, splendida sicuti fulgur. San- „ctus Michaël praecantor erat. Sanctus Ste- „phanus legit Epistolam; Beatus Laurentius „Euangelium. Sanctus cantabatur sic: San- „ctus Deus in aula gloriosae Virginis, mise- „rere nobis. Benedictus Mariae filius, in „aeternum regnaturus qui venit. Agnus „Dei sic. Agnus Dei, miserere viuorum in „te credentium, miserere nobis. Agnus Dei, „miserere mortuorum in te pie quiescentium, „miserere nobis. Agnus Dei da pacem vi- „uis & defunctis, in te pie regnantibus. Do- „minus vobiscum. Respondebant Angeli. Qui „sedet super Cherubin, & intuetur abyssos.„ Hactenus D. Cunradus supra memorato libro, de iis, quae eadem nocte, cognouit. Verum coepta luce, quam Exaltationis S. Crucis memoria & honore illustrauit Ecclesia, (ea in feriam V. inciderat, anno bissextili,) paratis ad manum necessariis, magna attentione, omnibus Cunradum praestolantibus, ipse solus cunctari, morasque nectere, neque interea Sacello pedem efferre, ibidem fixus, immobilis, attonitus inhaerere & obstupiscere, donec ad meridiem iam tempus vergeret. Tum vero omnes vrgere, sollicitareque, qui aderant, Antistites, solennitatem tandem & officia inchoaret promoueretque, & cessandi finem faceret, neque vltra tantum mortalium conuentum distineret. Ille adhuc caussas obtendere, an aliud signum expectare. Denique quid audisset, quid perspectum haberet, paucis ostendit. Ibi vero tum omnes, veluti vana & tamquam coelestium ex meditatione nata somnia memorantem, reprehendere, obiurgare, postremo ad sacrorum ministerium, & consecrationis opus, illis posthabitis, impellere, & cogere, donec cunctis, re inopinata, perculsis & exhorrescentibus, coelestem delapsam vocem* Cessa, cessa, Frater! diuinitus Capella consecrata est, *ter omnes audierunt. Ex eo certa fides, &* Cunradus *vera cognouisse, & Sacellum Deiparae coelitus dicatum & consecratum esse, nemo postea dubitauit. Quae tum tantorum virorum praesentia & testimonio comperta, & merito credita, crebriora inde & huc vsque confirmarunt miracula. Igitur* Cunradus *Sacello, vbi initium consecrationis facere instituerat, egressus, comitantibus, qui praesentes erant, & Deum Deique Genitricem magnificantibus, Basilicam porro Sacello circumiectam, solitis cerimoniis in nomen & titulum Sancti Mauritii & Sociorum, ita Eberhardo postulante, consecrauit, dedicauitque. Mox ad sua quisque alius alio reuersi rei gestae notitiam longe lateque diffudere.* Anno 964. dum Romae versabatur Otto I. Imperator cum Adelheide coniuge, & filio Ottone II. caeterisque Germaniae & Italiae primoribus, Pontificem monuit Conradus Constantiensis Episcopus magni huius, quod ante annos XVI. in dedicatione Deiparae Matris apud Heremitas Sacelli suae Dioecesis euenerat, miraculi, simulque consilium expetiit, an sibi, posterisque, re, quam retulisset, certa & comperta, manum nouae dedicationi vltra admouere liceret. Leo Pontifex Maximus rei nouitate & Conradi iuxta auctoritate, atque omnibus perspecta sanctitudine, eius quoque qui aderat & idem testabatur, Vdalrici Augustani Episcopi fide, permotus, non modo diuinitus factam consecrationem sanctam & ratam habuit,

virtutes speciatim venerati sunt, & ex eorum stirpe ortus *Dux Henricus Leo pro affectu naturali & deuotione, Ecclesiam Constantiensem ob S. Conradi reue-*

buit confirmauitque, sed magnis Priuilegiis Monasterium, & eos, qui, pietatis caussa, Sacellum, adiissent indulgentiis impertiuit. Hermannus Contractus Canisianus ad Annum 964. narrata confirmat his verbis: *Eodem anno Rege Romae morante cum caeteris Principibus, idem Papa Leo consecrationem Capellae coelitus factam in Coenobio S. Meginradi coram Principibus scriptis confirmauit.* Scripti Pontificii forma ea est, quam subiicimus. (Probat. N. X.) Totam consecrationis seriem & ritum, quo S. Conradus manipulum lotionis sacrae, ad speciem caudae vulpinae efformatum eleuans, inter Angelos tamquam Clericos alatos & accensam facem praeferentes conspicuos visitur, nitidissime aere incisum exhibet Raderus l. c. cui aeque nitidos versus subiecit:

Boiigenum, Conrade, iubar! maris hospes Acroni!
Cui velat sanctum sancta tiara caput
Felix, coelestes licuit cui cernere mystas,
Virginis Helueticae dum noua templa dicant.
Dumque vicem, Conrade, tuam funguntur, & aras
Sacraque palladio marmora rore lauant.
Coelestes inter mortali viuere fas est?
Non impar illis, corpus abesset, eras.

§. 6. *Miraculum carnis in piscem mutatae.*

Nescio an ad miracula S. Conradi quoque referam carnem in piscem mutatam, quia nemo veterum fidem facit historiae a Bernardo Hertfeldero in Basilica SS. Vdalrici & Afrae p. 95. & a Matthaeo Radero l. c. verbis quidem diuersis, at in eamdem sententiam narratae, hoc modo: *Quodam tempore cum Sanctus Pontifex Vdalricus Augustensis Episcopus cum felicis recordationis Antistite Constantiensi,* Beato Conrado, *die Iouis apud Sanctam Afram coenaturus consedisset, ambo de coelestibus rebus continuum habentes sermonem, corruptibilis immemores cibi, spiritu refecti, vsque in sequentem sextam feriam diuina habuere colloquia, non appositas attendentes carnes. Vnde contigit Boioariae Ducum baiulum quendam Sanctum accedere virum, cui absoluto, pro quo venerat, negotio, abeunti, carnis frustum dedit, non aduertens sextae obseruantiam feriae. Qui nuntius Dominum adiens proprium, volens malitia stimulatus Sanctos diffamare Episcopos, quasi sexta a carnium esu feria non abstinuissent, in testimonium illico carnis partem a Sancto viro acceptam protulit, & ecce, dictu mirabile, species carnis in piscis speciem est conuersa, temerarii arguens baiuli detractionem, & Sanctorum ostendens innocentiam. Qua de causa gloriosi effigiei Pontificis piscis in perpetuam huius miraculi memoriam conpingi solet.* Id enim magis ad S. Vdalricum, quam ad S. Conradum pertinere videtur.

§. 7. *S. Vdalrici, S. Conradi amici, abludentia a moribus sui saeculi.*

Vtrumque tamen Sanctum virum, intima familiaritate coniunctos, ab austeritate morum longe abfuisse, & stateram nonnumquam transiliisse, ostendent, quae porro referam. S. Vdalricus enim pransus nequaquam dubitauit Missas celebrare, testante Bernone in eius vita apud Mabillon. Saecul. Benedictin. V. p. 427. *Adhuc quasi recenti sit actum memoria, ore multorum refertur, quod, dum quadam die ipse venerandus Pater* cum Conrado, diuae memoriae Constantiensis Ecclesiae Episcopo, *ad prandium apud Sanctam Afram Martyrem comedisset; postquam consumtis cibis ab vtrisque discessum est, quaedam causa exstitit, qua praedictus Pontifex ad virum Dei mittere debuisset. Ad quem cum legatus ipsius venisset, inuenit eum sacro altari adstantem, hostiam Domino immolantem. Quo peracto nuntium audiuit, atque absolutum redire ad Dominum suum permisit. Cumque reuersus interrogaretur, cur tamdiu moratus fuisset, respondit, quia virum Dei tam diu exspectasset, donec ter Missarum solemnia peregisset.* Quomodo id excusauerit, prodit compilatio Chronolog. German. T. I. p. 1088. edit. nouiss. *Iste Vdalricus Episcopus fecit prandium cum Conrado, Constantiensi Episcopo, & eodem die, facto prandio, celebrauit Missam solemnem coram Clero & populo. De hoc incusatus, respondit: ego non comedi, sed caritas. Et iste fuit secundus eiusdem nominis, & ambo sunt Sancti, & eorum solemnitas in Sueuia solemniter celebratur.* Quomodo Romanis Pontificibus, suae Dioecesis Sacerdotibus vxores denuo adimere volentibus, atque etiam ciborum delectum populo indicentibus, restiterit, narrat Achilles Gassarus Annal. Augustan. Anno 925. apud Menckenium Scriptor. German. T. I. p. 1377. qui & addit ad

reuerentiam donis & praediis magnifice bonorauit; vt Chronicon vetus Ducum Brunsuicensium loquitur apud Maderum Antiq. Brunsuic. p. 15.

Dd 2 Vereor

ad Annum 964. *Sanctum virum sub sororis suae, primum a nobili iuuene vitiatae, post in Buchouiense asceterium detrusae, disciplina nobilium virginum gynecaeum ad S. Stephanum instituisse, quas nulla vestitus religione, nullo caelibatus voto obstrinxerit: possunt enim quandolibet nubere in Domino.* Ekkehardus de casibus S. Galli c. 5. quaedam aliis indicta de S. Vdalrico habet, quae Mabillonius l. c. p. 416. sq. eius vitae praemisit. Erubuit tamen referre, quod tam Sanctus vir Immoni, Abbati San-Gallensi, qui incudem nouiter sub terra repertam sibi dari petierat, feminam de mercato, dorso validam, inferri iussit. Quae ipsa Ekkehardi verba sunt.

§. 8. *S. Conradus ab austerioribus Sanctis remouendus, vir intrepidus & voce validus fuit.*

Modestior Conradus noster; licet & ipse Sanctis austerioribus accenseri nequeat. Quae enim de S. Vdalrico diximus, ea ad Conradum quoque pertinent, quia hi duumuiri per omnia amice conspirarunt, &, quoad negotia caetera permisere, indiuidui socii fuerunt. Quae ad Conradum speciatim pertinentia in vetustis monumentis reperiuntur, haec fere sunt. Primo Burcardo San-Gallensi Abbati esum carnium permisit: quam licentiam cum & Monachi sibi sumsissent, Anno 968. a Ruodmanno Abbate Augiensi in aula Caesarea accusati sunt violatae legis S. Benedicti. Hinc missi in Monasterium iudices delegati, qui ea de re cognoscerent, referrentque ad Caesarem: in quibus S. Conradus, licet rogatus, esse noluit. Quid ii egerint, fuse narrat Ekkehardus l. c. c. 11. Nos ex Actis ea tantum excerpemus, quae Conradum nostrum nobis intimius cognoscendum praebent, eumque voce admodum sonora naturaliter vsum produnt: animi enim magnitudinem, maximorum periculorum & laborum contemtricem, vel sola tria Hierosolymitana itinera satis ostendunt. *Cum Ruodmannus,* inquit Ekkehardus, *Conradum Episcopum nostrum in praesentia ipsius sui in talibus participem fore ipse Regibus suaderet; raucosa voce, vt erat, ille, reclamabat: Nequaquam, inquiens: tu solus intriuisti; tibi soli edendum est. Omnibus autem in risum motis, neque enim, ait, cum accusatore Fratrum in coelis, nec in terris participari libet.* Et infra p. 48. *Et Conradus Constantiensis Episcopus: insaniat,* inquit, *Ruodmannus cum hypocrisi sua in locum hunc, quantum velit; Monachos tamen hodie Sanctus Gallus habet, quorum similes ipse inter suos numquam simulabit. Et Poppo: Enim vero,* ait, *huic ipsi, cuius haec verba sunt, parem nusquam videmus. Et Palzo Spirensis Episcopus: Dicere,* inquit, *habueras, si Magistri mei auunculi eius verba inspexeras, sed & aliquorum plurimorum ex eis verba & opera noueras. Dico enim id Sancto Gallo praerogatiue datum, vt in ornatu verborum praecipuum sui hoc temporo teneant locum. Egressi interea Fratres, vt erant palliis parati, stare vsque Abbas veniat, monentur. Et Poppo interea: Sanctus Gallus,* ait, *tam sonora guttura sua, ne rauceant, dulci hodie vino rigare velit & saturet.* Deinde quam sollemniter ille inter Fratres conscriptos Monasterii S. Galli eodem Anno 968. receptus fuerit, describitur apud Goldastum rer. Aleman. T. I. p. 143. *Anno post incarnationem verbi diuini DCCCCLXVIII. Indictione XII. Imperante Serenissimo Caesare Ottone Anno IV. exspectabilis excellentiae vir, Dominus* Chunradus, *Pontifex Constantiensis Ecclesiae venerandus, venit ad Monasterium S. Galli, cui tunc Abbas probatae Sanctitatis Purchardus praefuit, causa orationis, & pro redintegranda conditione diuinae ac fraternitate dilectionis, quam pridem cum Abbate eiusdem Coenobii Thietone, & postmodum cum religioso Successore eius Cralone fecit, Fratribus vniformi conspiratione concordantibus, vt ob amorem eius ac multimoda munificentiae suae beneficia tum priuatis specialiter, tum in commune bonum vniuersaliter collata, tam singulari, quam generali oratione semper eius memoria ab omnibus frequentetur; annonam quoque Fratribus constitutam pro salute corporis atque animae eius pauperibus cottidie erogandam quousque vitae huius consummauerit cursum. Et postquam Deo vocante exutus terra coelo spiritus reddatur, ad anniuersarium & insuper trigesimum depositionis eiusdem firma ratione deuouerunt: quod vsque hodie Deo gratias expletum & indefugabili deuotione obseruandum tenetur. Tempore vero praenotato, id est, Sabbato ante Dominicam indulgentiae, idem eximius Praesul eundem Sanctum locum ingrediens honorifice susceptus, vt dignum erat, crastinum diem crucem cum ramis palmarum tollendo, Dominum sequendo,*

Missus

Vereor tamen, ne indigestae compilationis auctor in Henricum Leonem transtulerit, quae ad auum Henricum Nigrum, qui eleuatione ossium S. Conradi Anno 1123. peractae interfuit, pertinent. Ita enim Annalista Saxo p. 661. *Henrico* (de Nigro loquitur) *praesente, corpus S. Conradi de tumulo honorifice leuatum est, quem tunc & prius Deus per multa miracula glorificauerat: pro cuius amore & honore idem Dux plurima donaria in praediis & vtriusque sexus familia Constantiensi Ecclesiae ipso die contradidit, & hoc pignore se nepotem tanti viri euidenter ostendit.* Num autem quoque Henricus Leo ex reuerentia in S. Conradum liberalem se Constantiensi Ecclesiae praestiterit, nondum euidenter liquet.

§. 6.

WELFVM Henrici filium sola suppeditat Vita S. Conradi. Iuuenis obiisse, nullamque prolem habuisse videtur. Weingartensis Monachus eius

Missas spiritualiter celebrando, quam plures de Monachis & de Clero diuersis gradibus salubriter ordinando, via mandatorum Dei cunctis generaliter mira ac paterna doctrinae praedicatione ostendendo, innumeros etiam vtriusque sexus vnctione crismatis sanctae fidei aggregando in diuinis laudibus laetus exegit. Die autem tertia congregatis ad collationem Fratribus, ipse inuitatus eo, stetit in medio Fratrum, memorans, licet bene recolentibus, qualia & antea polliciti sunt, & vt denuo Fraternitatis communio renouetur, petiit, vt in oratione, quae omni die fit in Basilica S. Petri ab omnibus pro Imperatore & pro caeteris benefactoribus & tutoribus nostris, ei, specialiter pro vinculo caritatis Psal. 142. canatur, & in eadem Missa, quae ibi fit pro defunctis, III. missales orationes illo tam viuo quasi esset defunctus agantur. Quantis autem beneficiis hanc Fraternitatem compensauerit Conradus, narrat itidem Ekkehardus l. c. T. I. p. 49. *Quoniam ego, mei filii,* inquit Conradus, *proximior vobis loco, sum, quam caeteri isti Fratres conscripti, pro memoria ipsorum & mea tribus diebus in annis, quibus vixero, caritates me vobis in refectorio facturum promitto. Et vt, qui intererant, testantur, quoties ei vacabat, ipse quidem aderat, Abbati regio modo proponebat, mensas obambulabat, serio & ioco, Abbatis assensu, colloquia miscebat. Sed & rauca sua naturali voce iocundus, lectorem aliquando increpitans: numquam etiam conticescis,* ait, *tu autem? Sicque cum vitro purae potionis in medium veniens, Abbatem primo, tum caeteros in sancta caritate bibere rogans, ipsum primosque mensarum osculatus, omnibus per eos oscula misit. Talis erat Sancti Conradi in nos caritas!*

§. 9. *Coelitibus adscribitur ex rationibus politicis.*

His sanctitatis radiis vndique refulgenti Conrado coelestes honores decreti, iis temporibus, quibus Romani Pontifices sibi in solidum arrogare coeperunt potestatem, ipsis antea cum caeteris Episcopis communem, qua horum quisque in album Sanctorum retulit suae Dioecesis homines, singulari sanctitate conspicuos. Id quod solide probauit Magnus Mabillonius praefatione ad Saeculum Benedicti V. Christi XII. art. VI. §. 87. seq.

§. 10. *Reliquiae eius & Scripta.*

Reliquias S. Conradi multas Constantiae & in vicinia superesse colique non dubito: quae tamen quot & quales sint, ignoro. Augustae Vindelicorum in Ecclesia SS. Vdalrici & Afrae, teste Hertfeldero p. 96. S. Vdalrici bustum ostenditur, quod inter alia continet *articulum digiti de S. Conrado Episcopo.* In eodem Hertfelderi libro p. 103. tabula argentea in aes incisa exhibetur, ex qua pendent hinc pecten S. Vdalrici, illinc *pecten S. Conradi.* Vbi auctor, ne quis miretur, Sanctos hos viros pectinibus vsos, ex Durandi rationali diuinor. officior. probat, Episcopos iam olim sacrificaturos capita pectere fuisse solitos. De scriptis Sancti viri non constat, si exceperis, quae supra §. V. de libro diximus, quem *de secretis secretorum* scripsisse fertur; nemini tamen adhuc, quantum scimus, praeter Ascetas Einsidelenses, vel viso vel excitato.

eius non meminit; ſed loco ipſius *Etichonem* quendam fratrem S. Conradi facit. Mihi tamen maior fides eſt in verbis Vitae S. Conradi citatis. Weingartenſis autem cum *duos Rudolfos* confudiſſet, forte Iunioris Rudolfi fratrem *Etichonem* inuenit; vnde & hunc Henrici filium, & Rudolfi Senioris fratrem conſtituit.

CAPVT V.

De *Welfo* vel *Wolfrado* aut *Wolfhardo* Comite & *Etichone* Epiſcopo Auguſtano, filiis Rudolfi.

§. 1. *Wolfradus* ſeu *Welfus* filius Rudolfi Comitis conſtituendus eſt.

§. 2. Ad quem Rudolfum etiam pertinet *Eticho* ſiue *Euticus*, Epiſcopus Auguſtanus.

§. 1.

CONFVSIONEM duorum Rudolforum a Monacho Weingartenſi commiſſam notauimus; ſed inter hos duos Rudolfos temporum ſeries adhuc vnam perſonam deſiderat, quam commode ſuppeditat iam ſupra citatum diploma Ottonis I. Imperatoris Curienſe, Anno 972. datum, (Probat. N. IV.) cuius contenta Cruſius exhibuit, & in quo *WOLFRADVS Comes* nominatur. *Wolfradus* enim idem eſt ac *Wolfhardus* vel *Welfus*; vt & ſupra oſtendimus, & infra clarius videbimus. Ex vita S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani, Anno 973. defuncti, diſcimus, Werinharium, Abbatem Fuldenſem, quem ipſe ſibi Succeſſorem deſtinauerat, debito honore fruſtratum, & Henricum, filium Burchardi Alamannorum Comitis, Epiſcopum Auguſtae factum fuiſſe, *Wolferado Comite* id praecipue efficiente.

§. 2.

Hermannus Contractus auctor eſt Anno 982. ETICHONEM Epiſcopum Auguſtanum factum. Catalogus Epiſcoporum Auguſtanorum eum *Euticum* appellat. Breue Chronicon Einſidelenſe, a Mabillonio Actis SS. Benedict. Saec. V. p. 845. inſertum, annotat, eundum Anno 987. obiiſſe. Cruſius aliique recentiores eum *ex Guelfica Altorfenſium Comitum Familia* fuiſſe pronuntiant; & nomen huic Familiae familiare fauet. Cum ergo frater S. Conradi certiſſime non fuerit; neceſſe eſt, eum Rudolfo I. fratre S. Conradi natum fuiſſe. Interceſſit forte conſanguinitas vel affinitas quaedam inter Henricum Epiſcopum, & patrem Etichonis Rudolfum; vnde Eticho ad Eccleſiam Auguſtanam delatus, ſummos ibi honores meruit, paternis quoque bonis in hac Dioeceſi notabilis.

CAPVT VI.

De *Rudolfo II.* Ithae marito, Welfi vel Wolfradi Comitis filio, huiusque fratre *Etichone*.

§. 1. *Rudolfus II.* Coniugem habuit *Itham* Comitem Oeningensem.
§. 2. De huius Ithae patre, *Counone*, eiusque reliquis liberis agitur.
§. 3. An *Richlinda* vel *Richluit*, Ithae mater Ottonis M. Imperatoris filia fuerit?
§. 4. *Rudolfus* in Monasterium S. Altonis iniurius fuit, quod vitium emendauit *Itha* eiusque filius *Welfus*.
§. 5. Itha marito suo superuixit.
§. 6. Rudolfum *a Ruadhardo Comite in recta linea* descendisse denuo inculcatur.
§. 7. Frater Rudolfi fuit *Eticho*, Sator *Familiae nobilis de Raprechtswillare*.

§. 1.

DEMONSTRATVM iam est, RVDOLFVM, maritum Ithae Oeningensis, cum Rudolfo auo confusum esse a Monachis Weingartensibus. Historia de Guelfis de eo: *RVDOLFVS*, ait, *frater superiorum accepit vxorem de Oeninge, ITHAM nomine, cuius pater Cuono nobilissimus Comes; mater vero eius filia Ottonis Magni Imperatoris Richluit nomine. Hic itaque Cuono quatuor filios progenuit, Eggebertum, Leapaldum, Luittoldum, Counonem. Quorum primus, Eggebertus scilicet, Marchiam illam, quae est in finibus Saxoniae versus Danos, Stadin nominatam, obtinuit, & filios ac filias per diuersas regiones disseminatas genuit. Habuit quoque idem Couno quatuor filias, quarum vna Rudolfo isti; alia cuidam de Rinueldin, parenti Zaringiorum; tertia Regi Rugiorum; quarta Comiti de Dychon nupsit.* Oeninga in Hegouia prope lacum Bodamicum sita, & iam Praepositura in Constantiensis Episcopi ditione est.

§. 2.

Pater ITHAE, vt cernimus, *Couno nobilissimus Comes* vocatur; & facile crediderim, illum filios habuisse *Eggebertum*, *Leapaldum*, *Luittoldum*, *Counonem*; sed *Eggebertum* Monachus Weingartensis falso putat eundem fuisse cum Ecberto Misniae Marchione. (q) Nam Stadensis is Marchio

q) Nihil Monachus Weingartensis de Ecberto *Misniae* Marchione habet, sed de Ecberto Marchione *Stadensi* quopiam loquitur. Iam vero Albertus Stadensis ad Annum 1112. p. 152. b. mentionem facit *Comitis ECBERTI, filii IDAE*, ab Vdone in terra Stadensi occisi. Hic Ecbertus quidem tempore longo posterior fuit; animaduersione tamen haud indignum est, primo Albertum Stadensem in hunc annum coniecisse temporum quoque superiorum acta; deinde Luderum Comitem Stadensem, teste eodem Auctore p. 164. vxorem habuisse Adelheidim, amitam Rudolfi Sueuiae Ducis, quem Saxones elegerunt in Regem contra Henricum IV. Imperatorem. Amita patris fororem significat. Pater Rudolfi Regis Chuono Comes de Reinfelden fuit. Huius Chuononis pater fuerit is, cui, teste Monacho Weingartensi, Chuono Comes Oeningensis secundo genitam filiam suam in matrimonium tradiderit, cuius nomen ignoramus. Vnde hoc prodit Schema Genealogicum:

Sifri-

chio non fuit, & diu post Rudolfi demum tempora floruit. Counonem quoque *filias quatuor* genuisse facile mihi persuadere patior. Ex his prima est nostra *Itha*; secunda vero *cuidam de Rhinfelden*, *parenti Zaringiorum*, forte *Birchtiloni*, patri Bezzelini & auo Bertholdi I. Zaringensis nupsit. Tertia *Regi Rugiorum* siue Russorum coniuncta fuisse dicitur, qui forte frater Wlodomiri I. fuit. Quarta *Comiti de Dychon*, quod sine dubio *de Dachou* emendandum est, (r) contigit in vxorem Erat is *Otto II. Comes Schirensis* & *Aduocatus Frisingensis*, pater Ottonis III. Schirensis, Hazigae mariti (vnde Serenissimi Bauariae Duces & Comites Palatini ad Rhenum orti sunt) & Arnoldi Comitis de Dachou, reliquorum Dachouiensium Comitum Satoris, vt alibi ostendemus.

§. 3.

Mater ITHAE, secundum Monachum Weingartensem, RICHLVIT, vel, secundum Abbatem Vrspergensem, RICHLINDA fuit, *filia Ottonis Magni Imperatoris:* quod tamen veteres omnes reticent. Temporis notas si sequaris, posset ea fuisse filia Ottonis II. sed iterum veteres tacent. Vnde ego illam potius natam fuisse existimo *Ottone*

Sifridus Comes Stadensis.	N. Comes de Reinfelden. vxor N. Chuononis, Comitis Oeningensis, filia secundo genita.	
Luderus Comes Stadensis. ==	Adelheidis amita Rudolfi Regis.	Chuono, Comes Reinfeldensis, nomen ab auo materno traxit.
Vdo Stadensis Marchio, qui Ecbertum Comitem, filium Idae occidit.	Rudolfus Rex electus contra Henricum IV. Imperatorem.	

Qui conspectus aliquam sane inter Familias Oeningensem & Stadensem coniunctionem ob oculos ponit; Ecbertum tamen, Chuononis Oeningensis primogenitum filium, qui tamquam primogenitus patri haud dubie in Comitatu Oeningensi successit, Marchiae Stadensi vmquam praesedisse haud docet.

r) Immo ex ipsa Eccardi obseruatione, quam infra sub voce *Glizberg* adfert, quia scribae saepe h pro z posuere, de *Dietzon*, hoc est, de *Diessen* hic legendum est. Quam lectionem Scriptores Bauarici ad vnum omnes confirmant; nec confirmant solum, sed & veteri monumento tuentur. Eminuerunt, inter caeteras innumeras fere his temporibus in Bauaria illustres Familias, tres potissimum: *Guelfica* nostra, *Scheyrensis* & *Andeccensis*, quae in plures ramos diuisa a diuersis castris & dynastiis cognominatos produxit Comites de *Diessen*, de *Andechs*, de *Hohenwart*, de *Wolfrateshusen*; immo & *Meraniae*, *Dalmatiae* & *Croatiae* Duces, de quibus in compendio, solide tamen more suo, egit illustris Koelerus noster limatissimo opusculo de Ducibus Meraniae. Haec Familia olim *Beatam* seu *Hattam* dederat, Henrici cum aureo curru coniugem; nunc Fridericum II. tulit, qui *Kunigundem*, quartam Cunonis Oeningensis Comitis filiam, in vxorem duxit, quae post obitum mariti in Diessen fundauit Ecclesiam S. Stephani, in eaque tres Canonicos regulares collocauit; ipsamet ibidem defuncta & sepulta. Testis est in sepulcro eius inuentus atque ab Auentino inspectus later coctilis cum inscriptione Latina: *Chunigunt peccatrix, huius loci dominatrix, istam construens aulam.* II. Non. Martii obiit An. MXX. Vid. Hundius Metrop. Salisburg. T. II. p. 180. Dauid Aicheler in Chronic. Andeccensi p. 12. b. & ipse Auentinus Lib. V. c. 4. §. 13.

tone Duce Sueuiae & Bauariae, (s) Anno 982. defuncto. Filius is erat *Ludolfi* Ducis Sueuiae Anno 957. mortui, & *Ithae* Hermanno Sueuiae Duce genitae. Ipse vero Ludolfus filius erat Ottonis M. Imperatoris. Monachus itaque Weingartensis cum intellexisset, Itham ex familia Ottonis M. fuisse, patrem eius Ottonem cum proauo Ottone M. confudit, (t) eamque huius filiam fecit, cum illo nata esset; quod & nomen ipsius confirmat, more eius aeui, ab auia, Itha Sueuica, desumtum.

§. 4.

Rudolfus Guelficus, Ithae maritus, bona Monasterii S. Altonis sibi vsurpauit. Indicat hoc Auctor Vitae S. Altonis §. *6*. *Post obitum vero S. Altonis praepotens quidam ex Alemannia, parens videlicet illius Comitis, qui vulgo nomen quoddam est sortitus, quod Latine exprimitur CATVLVS* [intelligit Welfonem Imizae maritum] *nescio qua traditione, quaue lege vindicantes sibi eius Monasterium, omniaque, quae ad hoc pertinebant, pro hereditatis iure possidebant.* Narrat deinde pluribus, qua occasione Welfi filius, Welfus Dux Carinthiae, res Monasterii restituerit,

s) Sed hanc sententiam maiores difficultates premunt, quam priorem. Nam & hic veteres non solum tacent, sed & recentiores. Nemo enim adhuc Ottoni, filio Ludolphi, filiam adscripsit; nemo Richliutam nominauit. Deinde cum Richliutis quartum nata filia Kunegundis iam ineunte nouo Saeculo vidua fuerit, & Anno 1020. obierit circiter sexagenaria; matris certe natales incidunt in Ottonis I. Imperatoris florentissimos annos. Equidem filiam huius Imperatoris, cuius Richliutis nomen fuerit, ignorant eius temporis annales. Sed istud annalium silentium vti Richliutim excludit e numero legitimarum Ottonis Magni filiarum, ita non impedit, quo minus Richliutim habeamus pro filia eius naturali, praesertim cum huius sententiae auctor in promtu sit grauis & vetustus, cuius testimonium hoc modo explicatum nihil habet, quod cum Ottonis Magni historia pugnet, & Comiti eius modii, cuius Oeningensis fuit, dedecori non cedat, vxorem duxisse filiam Imperatoris naturalem. Talem si mecum Richliutam statueris, plagis istis, quibus Dn. Eccardus semet inuoluit, te non implicueris. Nec enim acuo illo magis, quam hoc nostro, ab Regum & Principum, immo & ab Episcoporum moribus abfuit, liberos extra nuptias generare. Notus est eiusdem Imperatoris filius naturalis Wilhelmus, ad infulam Moguntinam promotus. Nota quoque Salomonis Constantiensis Episcopi filia naturalis, quam deperiit Imperator Arnolphus, & de qua iucunda narrat Ekkehardus de casibus S. Galli c. 1. p. 21. Ne quid dicam de Etichonis filia naturali, mox pluribus commemoranda.

t) Quemadmodum ipse Dn. Eccardus filiam Itham cum matre Richliute hic confundit. Non enim de Richliute, quae ex hypothesi Ottonis Sueuiae & Bauariae Ducis filia fuisse dicitur, sed de illa Itha nobis hic sermo est, cuius pater non Otto aliquis, sed Cuono Comes de Oeningen, mater autem Richliuta fuit: vti Monachus noster apertis verbis enuntiat. Vnde sic potius Dn. Eccardi verba fluere debuissent: *Weingartensis cum intellexisset, Itham ex Familia Ottonis Magni fuisse, patrem* matris *eius* Richliutis *Ottonem Ducem cum* proauo *Ottone Magno confudit, eamque* Richliutim *huius filiam fecit, cum illo nata esset: quod & nomen filiae ipsius* Ithae *confirmat, more eius aeui ab* proauia, *Itha Sueuica desumtum.* Quin Dn. Eccardus hic suimet ipsius vsque adeo oblitus est, vt in Schemate Genealogico, ad calcem huius libri adiecto, Rudolfo nostro Welfico vxorem adscribat Itham, *filiam Ottonis Ducis Sueuiae & Bauariae, Ludolfo Duce Sueuiae, & Itha, Hermanni filia, nati:* cuius loco, praeeunte Monacho nostro, ponenda est Itha, *Cunonis Comitis de Oeninge filia.* Itham enim, non vero Richliutim, in matrimonio habuit Rudolfus noster.

tuerit, & in melius ordinauerit. Idem de *Itha* hanc mentionem iniicit: *commemorandum est, quod venerabilis ITHA, scilicet mater praenominati* [Catuli siue Welfi] *pro institutione tali, deuotione tanta apud ipsum intercedendo laborauit, vt pro diuini officii augmento suas delicias, suamque familiam minui gauderet, & in eodem S. Altonis Monasterio sepulturam suam fieri decerneret: dixisse quoque fertur: quia ideo foritan genus omne parentum & propinquorum instabile minusque longaeuum hactenus fuit, quod S. Altonis Monasterium sub tanta negligentia relinqueretur.*

§. 5.

Itha vero, cum Crusio teste, cuius verba supra retulimus, Anno 1020. decesserit, & hoc etiam ex citato ibi Eckehardi Iunioris loco confirmetur, viro superuixit. Anno enim 1014. vt videbimus, filius Welfus iam Prouinciae praefuit. Eadem *Itha*, vt Vita S. Altonis indicat, secundum votum suum in Monasterio S. Altonis sepulta fuit.

§. 6.

Rudolfum autem, Ithae huius maritum, in recta linea a *Ruadhardo Comite & Misso Regio*, qui S. Othmarum vexauerat, descendisse, manifestant verba Eckehardi supra allegata, & mox, vbi de liberis eius agemus, iterum adducenda; quippe quibus insigniter confirmantur, quae nos de origine Guelforum Libro I. in medium attulimus.

§. 7.

Rudolfo Ithae marito fratrem restituimus ETICHONEM, quem Monachus Weingartensis fratrem fecerat S. Conradi & Rudolfi I. Sed cum ab Auctore Vitae inter fratres S. Conradi non recenseatur, in ea merito sum opinione, fuisse hunc fratrem, non S. Conradi, sed Rudolfi II. cum Rudolfo I. confusi. Ad hoc itaque temporis spatium reducendus est. Et pertinent ad eum sequentia eiusdem Weingartensis Monachi verba: *Eticho frater eius* [S. Conradi falso existimatus] *sine legitimi matrimonii copulatione de hac vita discessit, & Constantiae iuxta supra dictam Ecclesiam sepultus est.* De posteris eius pergit Weingartensis: *Genuit tamen ex quadam de Ministerialibus suis FILIAM, quam frater Rudolfus libertate donatam pro amore fratris cuidam nobili de Rhaetia Curiensi cum largis praediis copulauit. Ex qua illi de Herilisella, de Vstera, de Raprechteswillare & eorum cognatio descenderunt.* Auentinus Libro VI. ineunte Germanice haec ita reddit: *von dem der Adel in Churwalen, Schweiz, Heschzel,*

zel, Vſter, Rapperſsweil hie (her) *iſt:* quae Latine clarius ita enuntiauerat: *Eticho auctor Nobilitatis Rhaetiae Curienſis, dictae de Schweitz, Heſzel, Vſter & Rappoltsweil.* Vtroque loco craſſa Minerua ſcribit Auentinus, more ſuo non ſatis diſtincte enuntians, quae habebit in mente, & infarciens ſubinde, quae abſunt ab auctoribus coaeuis. Primum enim Monachus noſter ne verbulum quidem habet de Familia *Schwitz.* Deinde neutiquam ait, Familias ab hac *Etichonis filia naturali* prognatas in *Rhaetia Curienſi* omnes conſediſſe; multo minus, *omnem Rhaetiae Curienſis Nobilitatem* ex hoc coniugio originem ſuam duxiſſe. Tres enim tantum nobiles ex hoc matrimonio Familias deſcendiſſe ait, quas quidem nominat, ſed quibus in regionibus habitauerint, non exprimit. Ex ipſa autem earum appellatione inferre licet, duas in Turgouia, tertiam in Bauaria conſediſſe. In Turgouia enim ſupereſt *Raprechtswillare* ad lacum Tigurinum: quemadmodum *Vſtera* ad vicinum lacum Gryphicum, quae ampliſſimam Parochiam habet, olim Raprechteswillarenſis Dynaſtiae portio fuit. Vnde putarim, Etichonis filiam naturalem nuptui datam fuiſſe Dynaſtae cuidam *Raprechteswillarenſi*, ex quo prodierint tres rami, *Raprechtswillarenſis*, *Vſterenſis* & *Heriſcellerenſis.* Hunc poſtremum Auentinus *Heſchzel* vocat; Et in illa vicinia *Etſchel* quoque, ſicut in latere lacus Tigurini meridionali *Hirtzel* ſitum video. At enim vero cum Auentinum vt plurimum inanibus coniecturis ad peruertenda veterum vocabula inductum videam, non repugnem, ſi quis ſub hoc nomine nobilem Bauariae Familiam, de *Heriſcellere* dictam, hic intelligat; quia hoc vocabulum propius accedit ad fontem noſtrum. *Bauaricam* autem eius nominis *Familiam* eſſe, liquet ex Metrop. Salisburg. T. III. p. 304. vbi in nobilibus Bauariae Familiis, hereditariam ſepulturam in Vndensdorffenſi Coenobio habentibus, numeratur quoque ea *de Heriſcellere.*

CAPVT VII.

De *Henrico*, *Welfo* vel *Wolfardo* & *Richarda*, liberis Rudolfi II.

§. 1. Rudolfus Ithae maritus trium liberorum pater exſtitit, *Henrici*, *Welfi* & *Richardi.*

§. 2. Horum primogenitus Henricus triſti fato periit.

§. 3. Alter *Welfus* vel *Wolfardus* rebus multis praeclare geſtis inclaruit.

§. 4. Turbas mouit ſub Conrado Imperatore.

§. 5. Qui ei Comitatum ademit, & in Brixinenſem Eccleſiam contulit.

§. 6. Vxor Henrici fuit *Iuitha*, *Imiza* vel *Irmentrudis* Lucemburgica.

§. 7. Qualis fuerit vallis Eliſina, quam Imiza marito dotis nomine attulit? diſpicitur.

§. 8. Quomodo ad Imizam bona in Italia peruenerint?

§. 9. Ex-

§. 9. Exhibetur Imizae Schema Genealogicum.

§. 10. *Imiza* diu post maritum ac filium superstes, nepoti ex filia, Welfo IV. Azonis Marchionis filio, Guelficam hereditatem asseruit.

§. 11. Welfus senio confectus pro more sui saeculi in Ecclesias liberalis exstitit.

§. 12. Sepulta Imiza in Altenmunster, vbi vidua inter Sanctimoniales vitam transegerat.

§. 13. Filia Rudolfi & Ithae fuit *Richardis*, Adalberoni Comiti Eberspergensi nupta.

§. 1.

LIBEROS Rudolfo, Ithae marito, Scriptores tres assignant, *Henricum*, *Welfonem* & *Richardam.*

§. 2.

HENRICVS quomodo in adolescentia perierit, Eckehardus Iunior de Casibus S. Galli pag. 45. exponit his verbis: *Omnique anno ille* [Conradus Rex] *dum vixit census capitis sui in cera ad sepulchrum eius,* [S. Othmari] *vti filius carnificum illorum, pro reatu in eum quasi proprio misit; quod & RVODOLPHVS postea, WOLFHARDI COMITIS PATER, cum eiusdem quidem prosapiae* [vexatorum nempe S. Othmari] *fuerit, in censu chalybum de metallo Faucium Iuliarum fecit. Sed id ipsum WOLFHARDVS & HAINRICVS FILII EIVS aliquot annis dum facerent, motus rubore HAINRICVS quasi homo sit censarius, fratre inuito censum supersedit. Accidit autem, vt in vigiliarum S. Othmari die fratres ambo capreum venantes in cacumen quoddam rupis altissimae ducti, lassi cum consedissent, repente petra, super quam HAINRICVS sedit, collapsa, adolescens ille magnae indolis, proh dolor! in profundissimas valles rueret & periret. Vix spiritum habere poterat mater. orbata: (scripturi nunc sumus, quod vidimus) nec dum luctu finito cum filio & filia vnicis ad pedes Sancti muneribus & chalibe superseſſo, venit, quod in censu non soluto peccatum est, tres pro se & defuncto poenituerunt.* Monachus Weingartensis de liberis Rudolfi: *Rudolphus ex sua Itha duos filios Heinricum & Welfonem, & filiam Richardam nomine progenuit. Hic est Heinricus, qui sub annis adolescentiae in Venusta valle iuxta villam Lounon in venatione saxo percussus interiit.* Mortem Henrici ante Annum 1014. quo Welfi memoriam iam inuenimus, pono. Qui enim censum S. Gallo denegauit, fratre inuito, is fratre maior aetate esse debuit. Et Welfum Sunthemius expresse *secundo genitum Rudolfi* vocat. Sundhemius quoque addit, Henricum Monasterio Weingartensi praedium in *Mindoldesaua* donauisse; & *Vallem venustam* proprie dici *im Vinstgeu, iuxta villam Lenau, prope Pulsonum oppidum, vulgariter Potz in Athesi.* Crusius Annal. Part. II. p. 30. ex Codice picturato Weingartensi narrat,

parentes Henrici ob salutem animae eius tradidisse Altorfensi Coenobio villam *Sinegoltzaw*, vel *Sinegottsaw:* quod loci verum nomen esse existimo, quia circa lacum Bodamicum aliae quaedam villae sunt, *Sine* in fronte praeferentes, vti *Sinemotingen*, hodie *Sermatingen.* Auentinus quoque locorum peritus l. c. ait: *Haimricus in venatione - - - periit Loeniis (pagus est Noricorum,* quem *Athesis praeterfluit) inter Pisonium (Bautzen) atque Meraniam vrbes.* Et Germanice dilucidius: *Heimrichen, der zu Lon an der Etsch zwischen Meran und Botzen - - - erschlagen worden.* Quae propterea amplius confirmanda visa, ne quis putet, haec in Boioaria contigisse, vbi ad Licum amnem, potissimas Guelforum possessiones alluentem, *Schöngau* occurrit, quod *vallem Venustam* appellare possis. De *valle Venusta*, Germanice *Vinstgew*, in Comitatu Rhaetiae in finibus Alemanniae & Boioariae sita, inter caeteros Germaniae pagos agitur Chron. Gottwic. p. 831. vbi tamen in recensione villarum huius pagi villa Lounon omissa est, nisi sub *Lounon*, *Loun*, quamdam eius vallis partem, *im Laim* dictam, intelligas. Nos paucis addimus, *vallem Venustam*, quae celeberrimo Monasterio, Germanice Finstermunster, potius Venustermunster appellando, nomen dat, viam militarem praebere e Sueuia potissimum & a lacu Potamico in Italiam tendentibus. Quod iter tenuere non modo nuperi exercitus, sed & veteres idem iam ante plura Saecula triuere. Narrat Luitprandus histor. L. V. c. 4. Berengarium, Eporediae Marchionem, Hugonis Regis Italiae minas timentem, per montem Iouis in Sueuiam ad Hermannum Ducem se contulisse, a quo benigne susceptus ad Ottonem I. Regem adductus, eique reconciliatus fuerit: & c. 12. quomodo Berengarius ex Sueuorum partibus paucis ipsum comitantibus a Sueuia per *venustam Vallem* Italiam repetierit, narratur. Hic itaque Comitatus Guelforum & vetera bona fuere, ab iis a Saeculo V. vsque ad haec tempora, non interrupto ordine, possessa; vti id facile iis se probabit, qui a nobis hactenus dicta curatius expendent.

§. 3.

Alter Rudolfi & Ithae filius fuit WELFVS siue WOLFARDVS multis in Imperio rebus gestis clarus. Anno 1014. is cum Henrico Sancto in Italiam ibat. Henrici huius eodem anno in Imperatorem coronati Constitutioni de Regalibus B. Petro concessis, quam post Baronium Goldastus edidit, suppositum est inter caetera *Signum Welfonis Comitis.* Quod si Henricus adhuc vixisset, necessario ille honorem, Regem suum comitandi, habuisset. Quoniam autem iuuenis obiit,

obiit, plerique eum Welſo poſtponunt; quod & Vrſpergenſis facit: *Dictus*, inquiens, *Rudolphus de praefata Itha vxore ſua duos filios progenuit, videlicet WELPHONEM, qui primus hoc nomen accepit*, & *Henricum; qui apud villam Lunum in venatione ſaxo percuſſus interiit.* WELFVM primum nominis ſui fuiſſe dicit, cum aui & caeterorum Welſorum vetuſtiorum nomen ignoraret. Sub Henrico S. annotat Chronicon Weingartenſe *exſtructum eſſe Rauenspurg*; vnde coniicio, Welſum eius auctorem fuiſſe. Errant ergo, qui Welſum Iudithae Imperatricis patrem iam *Rauensburgicum* agnominant.

§. 4.

Hermannus Contractus refert, Anno 1025. *Welph Sueuigenam Comitem* cum patruele Conradi Regis, Conrado, Erneſto Alemanniae Duce, & aliis rebellaſſe Conrado Regi. Idem commemorat Hiſtoria de Guelfis, & ex ea Abbas Vrſpergenſis. Bellum eius *cum Brunone Epiſcopo Auguſtano* Hiſtoria de Guelfis & Wippo p. 434. fuſe recenſent; & hic quidem de eo: *quidam*, inquit, *Comes in Sueuia*, *WELFF nominatus*, *diues in praediis*, *potens in armis* &c. Quam grauis Friſingenſi Epiſcopo fuerit, eadem Hiſtoria de Guelfis expoſuit. Imperator ex Italia redux eum ob has turbas in exilium miſit. Ibique [Vlmae Conradus Rex] *ad deditionem Erneſtum Ducem priuignum ſuum*, & *WELPH Comitem cum aliis accipiens per aliquot tempora exilio deputauit.* Turbarum cauſas veterum, quantum ſcio, nemo exponit. Auentinus Lib. V. c. 5. n. 6. tradit, Welſum obtentui armorum ſumſiſſe Bambergenſis Eccleſiae inſtitutionem, in qua inſumtus ſit fundus dotalis *Cunegundis Imperatricis*, cuius partem ad ſe *tamquam propinquum*, redituram ſperaſſet. Sed huius rei cauſa Brunonem Auguſtanum Epiſcopum impetere non poterat, quem nouum Epiſcopatum feruidiſſime impugnaſſe conſtat. Vera cauſa ex electione Conradi Caeſaris repetenda videtur, cui contrarius patruelis, Conradus minor, Welſo noſtro forſan Ducatum quemdam promiſerat, ſi aemulum e ſolio deturbaſſent. Hepidannus, qui breuibus eadem repetit, eum *Wolfhardum Comitem* vocat, & rebellionem eius in Annum 1031. deditionem vero & exilium in An. 1033. refert. Sed quemadmodum in genere obſeruandum eſt, in Chronico Hepidanni inde ab anno milleſimo numeros annorum corruptos & perperam poſitos eſſe, ſic haec proprie ad Annum 1026. & 1028. referenda ſunt.

§. 5.

Ademit Welſoni ſibi rebelli Conradus Imperator *Comitatum* quendam, & Brixinenſi Eccleſiae donauit. Diploma eſt apud Gewoldum Metrop.

 Salis-

Salisburg. T. I. p. 316. ex quo nos illud infra in Probationibus nostris repetiimus (N. X.) verba, quae huc spectant, haec sunt: *in proprium tradidimus eidem S. Brixinensi Ecclesiae - - - Comitatum quondam WELPHONI commissum, ab eo scilicet termino, qui Tridentinum a Brixinensi diuidit Episcopatum, quousque longissime porrigitur in valle Eniana, cum Clausa sub Sabione sita, & omni vsu iureque ad eum legaliter pertinente.* Auitus hic Comitatus Guelforum, & vnus ex nouem illis Comitatibus, quos Adelbertus, Otgarii frater, possederat, fuit, Italiae vicinus. Hic itaque ab hoc tempore Ecclesiae Brixinensi cessit. Et cum *Welfus* deinde magnam partem bonorum Bauaricorum in Frisingensem & Augustanam Ecclesiam transfudisset, sedemque suam cum posteris in Sueuia praecipue fixisset; hinc factum est, vt *Guelforum* Origo Bauarica pene oblitteraretur, ipsique a Scriptoribus *Sueuigenae* dicerentur, & *Lege Sueuorum* deinde viuerent, secundum quam & postea *Henricus Leo Dux* iudicari voluit.

§. *6.*

WELFVM vero nostrum neptem S. Cunigundis Imperatricis in matrimonio habuisse, ex sequentibus Historiae de Guelfis verbis concludo: *GVVELFO supra nominatus, Rudolphi huius filius, vxorem duxit ex gente Salica, de Castro Glibberg, Iuitham nomine,* [*Imizam* habet Codex Raitenbuchensis MS. nec non Vrspergensis. Auentinus & vita S. Altonis plenum, verum & genuinum nomen *Irmentrudis* exprimunt;] *sororem Henrici Ducis Lotharingiorum, & Adalberonis Episcopi Metensis, postquam haberemus* (verbum corruptum & legendum sine dubio *per quam hereditauit*) *Regalem villam MORINGEN* (u) *& in Longobardia CLISMAM* [lege ELISINAM] *cortem nobilissimam, cuius sunt XI. millia mansuum vno vallo comprehensi.* Sunthemius noster pro *Iuitha* legit in suo Exemplari *Ymisa*, & *Glibberg* effert *Gleysperg*; sed Codex MStus Weingartensis aeque ac Raitenbuchensis *Imizam*, *Moringen* & *Glizberg* habet. Pro *Glizberg* sine dubio legendum *Litzberg*, (x) *Luxemburgum*. In nomine vero Glizbergae

b pro

u) Villa huius nominis prope Augustam Vindelicorum & Fridbergam in Bauaria sita est, nisi malis aliam ad Danubium inter Geisingen & Dutlingen positam adoptare. Nam hanc in potestate Guelforum fuisse, infra ex historia belli cum Comite Tubingensi apparebit. Alteram illam tempore Henrici Sancti villam regiam fuisse, docet diploma Historiae Frising. T. I. p. 213. licet in opere Gottwicensi de villis regiis exulet.

x) In *Glizberg* nihil mutandum. *Glizen* enim vel *gleissen* Germanis est *nitere*, *lucere*. Vnde *Glizberg* idem quod *mons lucens*, Lucemberg, Luxemburg. Multa diplomata vidimus, quibus Lucemburgenses Comites, Conradus & Wilhelmus, nomina sua subscripserunt tamquam Comites de *Glizberg*. Quale occurrit in Praefatione nostra ad Lib. III. Chronici Goettingensis, vbi p. 110. seq. Arnoldo Moguntino Anno 1155. inter Laicos primus testis est *Wilhelmus Comes de Glizberch*. Atque eodem cognomine vtitur Bertoldus Constantiensis ad Annum 1059. scribens: *Fridericus & frater eius de* Glichberga (lege *Glitzberga*)

b pro *z* irrepsit scribae errore, qui nesciuit *z* olim ʒ, charactere nempe, literae *b* fere simili, exaratum fuisse. Idem error etiam in causa fuit, vt *bnitzae* nomen in illud *Iuithae* corrumperetur. *Imiza* vero, siue *Irmentrudis*, omnino Lucemburgica fuit. Nam ii, quorum soror ea dicitur, sine dubio ex Lucemburgensi Familia fuerunt. Habuit *Sigifridus Comes Lucemburgensis*, praeter *Cunegundem Imperatricem* & *Giselbertum*, etiam *Adalberonem*, *Henricum Ducem Bauariae* mortuum 1026. *Theodericum* Episcopum Metensem, & *Fridericum Comitem Lucemburgensem* filios. Horum nomina cum conueniant cum nominibus fratrum Imizae, Auentinus aliique recentiores, inter quos & Chifletius ac Blondellus, iis & S. Cunigundae Reginae sororem attribuerunt eandem *Imizam*. Sed *Adalbero*, Sigefridi filius & frater S. Cunegundae electus quidem Archi Episcopus Treuirensis, sed reiectus statim est ab Henrico Rege, sororis marito, vt Ditmarus nos edocet; neque vnquam fuit Episcopus Metensis. Neque *Fridericus* frater S. Cunegundae *Dux Lotharingorum*, sed *Comes* tantum fuit *Lucemburgensis*, & pater *Friderici Ducis*. *Adalbero* autem *Metensis Episcopus* filius praedicti Comitis Friderici fuit. Guibertus in Vita Leonis IX. Papae scribit: *Adalbero Hezilonis* [h. e. Henrici] *Ducis germanus*, *ac Friderici eximii Principis natus* - - - - *ad Antistitium Mediomatricae vrbis voto Cleri & plebis magis*, *quam suo*, *assumtus*, *vir huic nostro tempori refulsit apprime praedicandus.* Hic itaque frater *Imizae*, & pater eiusdem erit *Fridericus Comes*, frater S. Cunegundis. Omnia hactenus dicta egregie prosecutus est Andreas Duchenius Histor. Genealog. Lucemburg. p. 13. sq. cuius scrinia iam non expilamus.

§. 7.

Dicitur Imiza marito attulisse dotis loco *Moringen*, & in Longobardia *Elisinam cortem*, *cuius sunt XI. millia mansuum vno vallo comprehensa.* Legendum sine dubio est *valle.* In Longobardia enim frequens est terrarum per valles distributio. In Historia de Guelfis *Vallis* (y) haec vna vice *Clisma* & altera *Elisma*; in Manuscripto vero Steingadensi rectius *Elisina* scribitur. *Vallem Elsae* intelligi facile Illustri Leibnitio assentior. (z) Fluuius Elsa nominatur apud Cosmum Arenam in Princip. Tusciae

berga) *Regi rebellant.* Et Lambertus Schafnaburgensis ad An. 1075. Hermannum Lucemburgicum, eum, qui postea Rex electus fuit, Comitem *de Glizberg* vocat. Additur autem hic *de gente Salica*, vt castrum Glizberg, quod Lucembergense est, distinguatur ab alio castro Glizberg, quod olim in Thuringia prope Ienam situm erat.

y) Non vallis, sed curtis, de qua quaestio *Clisina*, *Elisma* seu *Elisina* vocatur.

z) Eiusdem sententiae fuit Iustus Fontaninus in opere, quod inscripsit: *Il Domi-nio*

sciae p. 172. & apud Florentinium in Memoriis Mathildis Lib. III. p. 115. Letznerus in Chron. MSto annotat, Vallem Elisinam sitam fuisse eo in loco, vbi iam extant oppida *Suzara* & *Guastalla*; (aa) quod vnde desumserit, nondum scio. Certe Clarissimi Muratorii *Lusia curtis* huc non quadrat; quia illam, vt ipse ex monumentis docet, Marchionis Azonis filii demum a Canonicis Veronensibus posterioribus temporibus acceperunt. (bb)

§. 8.

Inde autem, quod *Imiza* bona in Italia habuit, concludo, Italos inter parentes eius fuisse. Pater Imizae fuit, vt vidimus Fridericus Lucemburgicus; mater itaque Itala fuisse debuit, & Blondellus *Irmentrudem* eam vocat, non improbabiliter, quia etiam *Imizae* nomen idem esse ac *Irmentrudis* supra §. 6. vidimus; nata igitur fuit ex patre Italo & Irmentrude, filia Megingori Comitis ac Gerbergae. Hoc enim Vita S. Adelheidis nos docet: *Pater eius*, inquiens, *Comes illustris MEGENGOR*

nio della Santa Sede sopra Comacchio p. 155. sq. scilicet vt Estensium Principum possessiones longissime a Pado & a Comaclensi regione remoueret. Est autem *vallis Elsae* longissimus terrarum tractus a confiniis Senensibus per Tusciam Regalem vsque ad Arnum fluuium porrectus, per quem Elsa fluuius decurrens tandem exoneratur in Arnum. Hac in valle plura sunt oppida posita & castella, videnda partim apud Eruditissimum Lamium Tom. X. Delic. erudit. vbi eius quoque habetur tabula topographica, necnon in Lambecii Bibliotheca Vindob. Lib. II. p. 821. vbi Vallis Elsa Sacri Imperii esse, & triginta loca habere dicitur. Haec insignis amplitudo Vallis Elsae, quae non Curtis cuiuspiam, sed integrae Prouinciae, multis oppidis & castellis consitae, speciem praefert, nec non situs eius in Tuscia Regali, quae Longobardiae accenseri non potest, cohibet me, quo minus in hanc Doctissimorum Virorum sententiam descendere possim, sed Curtim istam in alia Longobardiae regione quaerendam existimem.

aa) Cum vero Letznerus addat, vallem hanc inter *Suzaram* & *Guastallam*, in *Marca Bononiensi*, sitam esse; facile apparet, somniantem potius, quam vigilantem haec talia scripsisse, quae toties referri non merebantur.

bb) Sed tamquam praedium a patre iam possessum: quod docet ipsum Instrumentum Antiquit. Estens. p. 47. (Probat. N. XII.) adlatum, quo dicitur, Azonem patrem per contractum libellarium ad annos XXVIIII. duraturum, saluo renouationis iure, Curtim *Lusiam* pro annuo censu possedisse; qui contractus ibi extenditur in Azonis filios, Hugonem & Fulconem; non autem in Welfum primogenitum: id quod indicio est, peracta haec omnia clam & in fraudem Welfi fuisse. Ex cuiusmodi clandestinis negotiis post fata parentis bellum fraternum enatum. E regione Lusiae inter Athesin maiorem & minorem, cui adiacet Rhodigium, decurrit amnis Cerisolus per vallem, quae dicitur *Valle di Giustina*. Hanc Dn. Muratorius accipere videtur pro *Valle Elisina*; nisi malueris pro ea accipere regionem ad *Cismonam*, circa Brintam fluuium in Marchia Taruisina, cui primitiuum, curtis *Clismonae* nomen apprime conuenit. Sed hanc Guelfos nostros vmquam possedisse non liquet. Polesina meo iudicio non nisi inuita Minerua huc trahi protest, cum haec in medii aeui documentis Pollicinium vocetur. Valles Comaclenses an non huic scenae inseruiant, aliorum relinquimus iudicio, qui locorum magis periti sunt. Hoc certum, *conualles Comaclenses*, vbi sal fit, medii aeui scripturis frequentari magis, quam ipsum Comaclum. Sed inanis haec omnis nunc disputatio est, exitum prius non habitura, quam vera lectio nominis, quod huic Curti inditum, constituta fuerit.

GOR (cc) *cognominatus, sapientia, nobilitate, diuitiis, exceptoque regimine & praenomine Regni, vt Rex suo tempore Magnus inter Principes habebatur, & nominabatur. Mater vero GERBIRG nuncupata, aeque illi nobilissimo germine propagata, filia extitit Ducis cuiusdam nomine GODEFRIDI, tunc temporis magni & incomparabilis viri. Huic enim nobili matronae fuerunt quatuor fratres, praestantissimi inter vniuersos illius temporis Primates: quorum vnus paterno nomine & honore sublimatus obiit, heu! legitimae vxoris & liberorum iucunditate nunquam laetatus. Alter vero donatus posteritate nobilissimae prolis, atauus fuit HENRICI nuper defuncti Imperatoris* [Henrici scil. III.] *Et vniuersos perspicuos Primates, quibus adhuc Teutonica Francia nobilitatur, a duobus reliquis fratribus lineam nobilitatis traxisse, vero testimonio comprobatur. Praefati igitur coniuges MEGENGOR & GERBIRG quatuor filias genuerunt: quarum binas spe posteritatis nuptui tradiderunt: quae ambae & maritali potentia & omnium bonorum & diuitiarum illustres extiterunt affluentia. Ex quibus vna, nomine REMYNTRVDIS* [alia MSta legunt *Irmentrudis*, & quidem rectius] *auia erat HENRICI MAGNIFICI Ducis* [Bauariae, post Hezilonem fratrem S. Cunegundis] *& ATELBERONIS Metensis Episcopi & FREDERICI Ducis* [inferioris Lotharingiae] *fratrumque suorum, magnorum scilicet huius temporis virorum. Altera vero ALVERAT nominata scilicet suae posteritatis praeclaris incrementis erat donata. Reliquae vero binae Coloniae nuncupatae sunt seruituti & legi diuinae, vna in Monasterio S. Dei genetricis Mariae - - - - Haec vero, de qua nobis est sermo* [S. Adelheidis] *in Monasterio SS. Virginum subiit suaue iugum Domini secundum regularem institutionem S. Hieronymi.* Postea haec facta est *Abbatissa Vilicensis* in Germania inferiore. Ex Papebrochii Commentario praeuio ad Vitam huius S. Adelheidis apparet, sororem eius Monialem BERTRADAM vocatam fuisse.

§. 9.

Haec autem, quae iam dicta sunt, hoc modo connecti debent.

Gode-

cc). Hausta sunt haec omnia ex Duchesnio l. c. qui p. 14. addit, Megingorum, seu Megingozum potius, Comitem Gelriae fuisse.

Godefridus.

Godefridus
Dux Lotharingiae.

Megingor †. 1001. = Gerberga. | Godefridus. †. ἄπαις. | Gozelo Dux Lothar. &c.

Irmentrudis, Vxor N. Itali, a quo recepit *Vallem Elisinam* in dotem. | Aluerat, Vxor Eberhardi Egesheimensis. | S. Adelheidis Abbatissa Vilicensis. | Bertrada Monialis S. Hieronymi Coloniae. | Iuditha vxor Ottonis Ducis Carentani.

Ermentrudis Itala, vxor Friderici Luxemburgensis, cuius soror Cunegundis Imperatrix erat. Per vxorem is accepit *Vallem Elisinam*. | Adelheidis = Henricus Dux Franconiae.

Henricus Dux Bauar. 1042. | Adalbero Episcopus Metensis 1046. †. 1072. | Fridericus Dux Lotharingiae. | Imiza vel Irmentrudis, vxor Welfi, cui *Vallem Elisinam* apportat. | Conradus Salicus Imp. †. 1039.

Henricus III. Imp.

Hoc vero modo Gozelo saltem Henrici III. *abauus* esset, & forte oscitantis scribae vitio *ataui* vox irrepsit. Sed satis de origine Imizae.

§. 10.

Imiza Welfo superuixit. Testis est Auctor Vitae S. Altonis §. XI: *Eadem vero Itha defuncta, ibique quo decreuerat sepulta; defuncta quoque* VIRO FILIOQUE *eorum* CATULO *praedicto veneranda matrona IRMENTRVD* [contracte, vt iam obseruauimus, *Imiza*] *dicta, parentibus nobilissimis orta, eiusdem scilicet Catuli per annos iam multos vidua, adhuc disponente Deo in vita praesenti posita (qua etiam, optamus, vt perfruatur, mundoque periclitante per eandem Deus succurrendo misereatur) haec, inquam, matrona, cum viro* FILIISQUE SUIS DEFUNCTIS, AD SOLIUS HEREDITATEM & POTENTIAM OMNIS EORUM POSSESSIO DEUENERIT, *tali deuotione tantaque humilitate Christo se subiecit, vt non solum ea, quae ab antecessoribus suis ad S. Altonis Monasterium donata sunt, non minueret, sed etiam plurimum augeret.* Nec solum igitur marito superfuit *Imiza*, sed & filio *Welfo III;* ac nepoti ex filia Cuniza *Welfo IV.* hereditatem asseruit, ceu Ano-

nymus

nymus Weingartensis affirmat. Vnicus saltem filius eius Welfus III. memoratur; sed crediderim, plures eam habuisse, in iuuentute defunctos, atque ideo non annotatos. Scriptor enim vitae S. Altonis, cuius verba modo recitauimus, de pluribus eius *filiis* mentionem facit. Nisi forte dicere malis, pluralem numerum compleri etiam in duobus, & filiorum nomine vtriusque sexus liberos intelligi. Hoc modo enim Scriptor vitae S. Altonis hac formula innuisset, Irmentrudim matrem superuixisse liberis suis, nec filio solum Welfoni III. Duci Carentano, sed & filiae Cunigundi, Azoni Marchioni nuptae.

§. 11.

De reliquo Welfus II. Imizae maritus, *cum ad senectutem peruenisset*, vt verbis Monachi Weingartensis vtar, *& malorum, quae Ecclesiis Augustensi & Frisingensi intulerat, saepius saepiusque reuoluens, animo recordaretur, ad emendationem cum magna cordis contritione anhelans, examinationem sibi per iudicium aquae frigidae elegit, in qua non aliud pretium sibi sufficere aestimans, villas super villas cum omni iure suo in ipso examine accumulans* (dd) *composuit, & sic recompensando illatum damnum ad perfectam*

dd) Non animus est argumentum de purgatione per aquam vel calidam, vel frigidam, itemque per duellum, a sexcentis auctoribus tractatum, recoquendi; sed nouum superstitionis genus notandi, quo Clerus, bonorum terrestrium quam coelestium cupidior, rudibus hisce & pene barbaris temporibus simplicitati Principum imposuit. Nemo non videt, Welfum nostrum nulla iudicis sententia ad probationem aquae frigidae condemnatum; multo minus isti probationi submissum dolores eius coram iudice redemisse. Nam quidquid hic peractum est, arte cuiusdam sacrificuli peractum videtur, quem Welfus in senectute conscientiae suae arbitrum habuerit: qui optimum Principem ad reparationem damnorum, quae Ecclesiis intulisse ferebatur, inducturus; non meliorem pinguioris restitutionis viam adinuenire se posse credidit, quam si Principi persuaderet, vt coram propria conscientia per quamdam *fictionem iuris* eo modo castigari se pateretur, quo publicarum criminum rei in foro tum castigari consueuerant, fingendo scilicet, ad iudicium aquae frigidae se condemnatum, quod quamplurimorum praediorum iactura praeuertendum & abolendum esset. Vt ita sentiam, aliud exemplum facit, a Welfi nostri temporibus haud adeo remotum, quod celeberrimo olim & per agrum Bremensem florentissimo Collegio Canonicorum Herseueldae Anno 1010. condito primordia dedit, ab Alberto Stadensi ad Annum 1144. vbi de primis Comitibus seu Marchionibus Stadensibus agit, dilucidius descriptum: *Tempore Henrici II. Imperatoris,* inquit Albertus, *Henricus Caluus, qui mansit in Castro Herseuelde, bonus & mansuetus vxorem habuit Hildigardam, quibus filius solus fuit superstes Henricus, Canonicus in Hildensem. Hic cum a suis a Clericatu tractus esset, vt apostasiam eleemosynis redimeret, destructo castro Herseuelde, tempore Libentii Senioris Archi Episcopi Bremensis & Bernardi Ducis Saxoniae, fecit ibidem Conuentum Clericorum. Hic* **quasi damnatus esset legum censura,** *ter se redemit praediis, ornamentis & aliis possessionibus, & omnia contulit eidem Ecclesiae, fecitque ibidem Praeposituram, annuente Libentio Archi-Episcopo & Ecclesiam consecrante.* Annalista Saxo ad Annum 1010. nulla facta *legum censurae* mentione, rem ita narrat: *Henricus Comes, filius Henrici de Stathe, destruxit Castrum Herseuelde, quod pater suus construxerat, & fecit ex eo Monasterium & Congregationem Canonicorum. Erat hic venerabilis Comes literatus, & in diuino seruitio valde studiosus, adeo vt ter se daret in proprium seruum Sanctae Dei genitrici Mariae, tociensque se redimeret cum libris & reli-*

fectam purgationem peruenit: quas villas iuxta modum & qualitatem damni vtrique Ecclesiae sine dilatione in perpetuam possessionem donauit. (ee) Welfus hic etiam, eodem auctore teste, *Abbatiam Altorfensem, transferendo huc Monachos de Altenmunster, & Sanctimoniales Altorfenses illuc ponendo, permutauit. In qua Abbatia & ipse postmodum defunctus requiescit.* Codex picturatus Weingartensis celebrat Welfum & Imizam eo nomine, quod auxerint sacram aedem Altorficam parte Hagenoae. Est autem Hagenoa oppidulum, lacus Bodamici lateri Septentrionali prope Mersburgum adiacens.

§. 12.

Vxor eius Imiza adhuc *diu superstes in Altenmunster* inter Sanctimoniales vitam transegit, *ibique sepulta est.* Hermannus Contractus Canisii indicat, Imizam demum post viri mortem Moniales secundum eius voluntatem in Altonis Monasterium transportasse Anno 1036. *Sanctimoniales*, inquit, *a Domina IRMENGARDA* [quae, vt ex superioribus constat, aliis *Imiza* & *Irmentruda*] *Welph Comitis vidua, apud Altorf pro Clericis collectae sunt.*


§. 13.

Filiam Rudolfus & Itha habuerunt RICHARDEM, vel RICHLIVTEM vt supra ex Historia de Guelfis notatum. Eadem nobis fata eius pandit: *RICHGARDAM*, inquiens, *vnus de maioribus Boioariae Comitibus vxorem accepit. Sed quia ex ea heredem non habuit, tres Abbatias ex suis praediis magnifice, vt adhuc cernitur, fundauit; quae sunt Ebersberg, Goubac, Gisinueld. Et insuper GVELFONI, fratri vxoris suae, villas Vringen & Selinbach cum omnibus appendiciis suis donauit, ipsaque Richardis Eberspergae sepulta est.* Sundhemius Richardis maritum appellat *Eberhardum Comitem de Sempt & Ebersberg*; sed errat. Ex Diplomate enim Henrici III. Regis Anno 1040. dato, & in Hundii Metropol. Salisburg. T. II. p. 191. edito, (Probat. N. XIII.) apparet, ADALBERONEM *Richardis* siue *Richlindae* coniugem; *Eberhardum* vero huius fratrem fuisse. Henricus Rex in eo notum facit, quendam *nobilem Comitem, nomine ADALBERO-*

reliquis ornamentis Ecclesiasticis. Sed Alberto, qui loco propior, vtpote ipsemet Abbas Stadensis, sua ex ipsis fontibus hausit, magis credendum existimo, qui per verba: *quasi damnatus esset legum censura* nostram *iuris fictionem* egregie adiuuat.

ee) Historicus tamen Frisingensis non solum harum donationum nulla instrumenta exhibet, sed & vllum earum in monumentis domesticis vestigium se reperisse negat. T. I. p. 225.

Tab. I. ad


IN NOM

Fidelib; hanc p

bam sculum po

z cultam. z ius ca

potesta uolutatis

ius dispensatorib.

memorie dux Rod

sculit. Dic z nos i

structas. z iudicia.

at sigillo nro

mo kal. Iunii.

BERONEM, consentiente vxore sua RICHLINDA, Christum sibi heredem destinasse & *quoddam Monasterium Monachorum ad regulam S. Benedicti, in bonore S. Sebastiani Martyris, in loco nomine Ebersperg, in Comitatu Steinberinga, de praedio & collaboratu suo fundasse,* ac *in suam potestatem libertandi gratia transfudisse, ea conditione, vt ipse Adalbero, fraterque eius Eberhardus, si superuixerit, ius Aduocati legitimum omnibus diebus vitae suae in eodem tantum Monasterio retineant.* Sequitur apud Hundium aliud diploma Confirmationis Henrici VI. Romanorum Imperatoris, (Probat. N. XIV.) in quo similiter Monasterii Ebersbergensis conditor *Comes ADALBERO, nobili exortus prosapia,* vocatur. Idem Hundius in libro Stemmatum Bauaricorum pag. 141. addit, *Adalberonem Comitem* Ebersbergensi Monasterio praeter alia etiam *Pessenbusam*, & in Austria *Poesenpoig* & *Ips* donasse. Commemorat praeterea ex Traditionibus veteribus, eundem Comitem *Coenobium Benedicto-Buranum* ab Vngaris combustum, cum Aduocatus eius esset, reaedificasse, tandemque *Adalberonem* cum *Richlinda* vno eodemque Anno 1045. & illum quidem die 27. Martii, hanc vero die 12. Iunii obiisse. Auentinus vero, ex quo Hundius haec tradita omnia hausit Annal. L. V. c. 7. nec non tabula Genealogica XIII. *genus* omne *Ebersbergense Bauaricum* ex fastis & diplomatibus, vt ait, Ebersbergensibus & Benedictoburanis contexuit. Ex iis, quae suo more subobscurius tradit, colligitur, auum nostri Adalberonis, qui suae gentis vltimus & Richardae seu Richliutis maritus fuit, Anno 970. in arce Ebersbergensi templum Diuo Sebastiano sacrum; patrem Anno 1011. Cubacense Virginum Monasterium; fratrem Anno 1037. Geisenfeldae sacratarum feminarum contubernium instituisse; ipsum denique cum coniuge, quod liberis careret, Ebersbergam arcem Anno 1040. in aedem & Conuentum Diui Benedicti conuertisse. Vt adeo, si huic pari coniugum fundatio trium Monasteriorum Geisenfeldensis, Cubacensis & Ebersbergensis adscribitur, renouatio potius & vberior eorum dotatio intelligenda esse videatur. Potueruut enim & Cubacense & Geisenfeldense Virginum Collegia inter belli tempestates collabi & deperire, vt tranquillioribus temporibus noua instauratione opus fuerit. Cubacensis fundationis diploma ex Anno 1011. inter Probationes exhibemus (N. XV.) Vltimus huius asceterii instaurator fuit Otto Dux Bauariae, Henrici Ducis Saxoniae & Comitis Palatini, Leonis filii primogeniti, gener, cuius diploma in aes incisum ex authentico in gratiam artis diplomatariae studiosorum producimus. Omnium autem maxime memorabile & aliis indictum est, quod Auentinus

tinus cit. L. V. c. 7. n. 30. de nostrae Richardae seu Richlindae propensione in fratris filium, qui paullo post Carentanorum Dux factus est, memoriae prodit. Cum enim eo anno, quo maritum Adalberonem amiserat, (defunctum quippe VI. Cal. Apriles MXLV.) Henricus III. Imperator secundo Danubio per Austriam ad componendos tumultus Vngaricos deflueret; illa in vico *Bosenboig*, e regione Ipsensis oppidi, Caesarem & Caesaris comites magnifice hospitio & conuiuio excepit, orauitque, vt Caesar Bosenboig cum aliis praediis, quae hisce locis maritus precario possederat, *Welfo*, nepoti suo ex fratre, traderet. Caesar coenaculum ascendit, & coram testibus ipsaque Richarda *extendens dextram*, postulatis annuit: quamquam sibimet ipsi, vt saepe solet, contrarius Auentinus sequenti n. 34. Bosenboigam & Ibusum seu Ips ab Adalberone & Richarda Monachis Ebersbergensibus tradita perhibeat. Atque hoc colloquium hancque donationem Welfo ad impetrandum paullo post Ducatum Carinthiae profuisse existimo. Richardis ipsa non multum post haec ex graui lapsu pridie Idus Iunii MXLV. interiit, Ebersbergae sepulta. Caeterum non est quod quisquam moueatur tanta varietate nominum, quae haec matrona gerit, dum ab aliis *Richarda* vel *Richardis*, ab aliis vero *Richliuta*, *Richliutis* vel *Richlinda* appellatur. Veteres Codices nominum propriorum solas initiales literas exhibent, vt vel in Pezii Codice diplomatico videre est. Ex elemento R itaque quiuis lector proprium sibi feminae nomen figurauit, inter quae si coniecturis aliquid dandum, illud *Richliutis* verum esse existimo, ab auia, patris Rudolfi socru, ductum.

CAPVT VIII.

De *Welfo*, filio Welfi, inferioris Bauariae seu Carinthiae Duce, huiusque sorore *Cunigunde*, Azoni Marchioni nupta.

§. 1. Welfi filius vnigena Patri cognominis ab Henrico III. *Ducatum Carinthiae & Marchiam Veronensem* accepit.

§. 2. Is postea cum Imperatore in Italiam profectus dissentire ab eo coepit.

§. 3. An Welfus, vt Auentinus vult, in articulo mortis cum Imperatore in gratiam redierit?

§. 4. Recensetur eius erga Monachos Weingartenses liberalitas, quos etiam bonorum suorum heredes esse voluit, licet effectu caruerit haec vltima eius voluntas.

§. 5. Quo anno Welfus obierit?

§. 6. Soror Welfi *Cunegundis* fuit, Azzonis Italiae Marchionis Coniux, qua natus *Welfus IV.* auunculi heres & in Guelficis allodialibus bonis successor.

§. 7. Hactenus dictorum in stemmate conspectus.

§. 1.

§. 1.

VNICVM Welfus & Imiza filium habebant, WELFVM III. cui Henricus III. Imperator *Ducatum Carinthiae* contulit. Historia de Guelfis cap. 6. *Genuit & filium sui nominis GVELFVM, virum per omnia probatum, qui Ducatum Carinthiorum & Marchiam Veronensem acquisiuit & strenuissime rexit.* Marchia Veronensis a tempore Berengarii, ab Ottone Imperatore primo submissi, Carinthiae Ducatui connexa fuit. (ff) Hermannus Contractus Carinthiae Ducatum Welfo Anno 1047. concessum, his verbis testatur: *Imperator Pentecostes solennia Spirae celebrauit, ibique colloquium cum Regni Principibus habuit - - - quo tempore WELF Comitem Sueuigenam, WELF dudum Comitis filium, Carentani Ducem promouit. Auunculum quoque eius, Adalberonem Ducem, videlicet Heinrici & Friderici fratrem, Metensis Ecclesiae Episcopum post Theodericum nuper defunctum constituit.*

§. 2.

Cum Imperatore Anno 1055. in Italiam perrexit WELFVS noster, & exactionibus illius iniustis ibi mascule restitit; qua de re Appendix Hermanni Contracti Vrstisiana, & Historia de Guelfis videri poterunt. Impetrata autem licentia teste eodem Hermanni Contracti Continuatore ad Annum 1055. vna cum Gebehardo, Ratisbonensi Episcopo, in patriam rediit, quo tempore milites eorum contra Imperatorem *coniurasse* dicuntur, *dominis, vt aiunt, ignorantibus.* Causam dissensionis affert Auentinus L. V. c. 9. n. 7. exemtum a Ratisbonensis Episcopi iurisdictione templum Diui Haimerani, & in Regni societatatem adsumtum puerum quinquennem. Haec nescio quam vere.

§. 3.

Quae autem idem Auentinus addit n. 8. tametsi parum verisimilia,

ff) Nonnunquam & Marchia Foroiuliensis & Taruisina, quae sub nomine Marchiae Veronensis saepe venerunt, demonstrante hoc Clarissimo Muratorio Diss. de Marchiis. Carinthiae Ducatus ipse, seu Carentanum, quod veteres vocant, sub se comprehendit maiorem Prouinciae Tirolensis, qua Orientem spectat, partem. Proprium enim nomen haec Prouincia olim non habuit, quia pars eius Occidentalis Rhaetiae; Septemtrionalis Bauariae; Meridionalis, in qua Tridentinus Episcopatus, Carinthiae adscripta fuit. Vnde & Carinthiae Duces Brixinensis Ecclesiae Aduocati fuisse leguntur, & itinera Imperatorum in Italiam, quae olim per Carentanum instituta sunt, ab iis non differunt, quae hodie per Tirolim suscipiuntur. Et quia per Carentanum commodissimus aditus in Italiam patet, Imperatores semper Carentano praefecerunt Principes sibi fidelissimos, qui has fauces custodirent, & primi semper in Italia militarent.

lia, immo falsa sint, legi tamen & expendi merentur, quibus Welfi poenitentiam & obitum tam graphice describit ac depingit, ac si Welfo animam agenti ipse adstitisset. *Welfus*, inquit, *cum finem vitae sibi adesse videret*, *indicium* (imaginariae) *conspirationis per nuntium fidum ad Imperatorem in Italiam detulit*, *suppliciter veniam precatus*, *omnes conscios nominatim aperuit*, *coniurationis scenam detexit*, *Vtingam gentilitium praedium*, *caetera*, *quae in Boiaria apud Lycatios & Athesinos & Ambrones & in Sueuia possidebat*, *Abusiacum*, *Fauces*, *Schongaw*, *Landspergam*, *Phoetinos*, *Rauenspurgum*, *Altorff*, *Weingarten*, *Caesari testamento legat*, *hisque satisfacit : cumque animam ageret*, *publice scelus in Augustum cogitatum confitetur*, *moxque fato concedit.* Vellem Auentinus auctoritates, quibus ad talia effutiendum inductus est, indicasset, quas multas & magnas afferre debet, qui ad euertenda veterum Scriptorum testimonia accingitur. Principio si Gebehardus conspirationis conuictus & carceri inclusus est, non ideo Welfus quoque accusandus, quem veterum nemo nominauit. Deinde quomodo Henricus Imperator hunc ipsummet Welfum eodem hoc tempore & anno, quo obiit, gloriosum Ducem vocare potuisset, si eum tanti sceleris reum comperisset? Tum quae de Welfi testamento narrantur, abhorrent prorsus ab eius aeui moribus, vbi nullum testamentum. Denique haec narrata directa fronte pugnant cum traditis Weingartensium Monachorum, quae subsultibus Auentinianis praeferenda sunt. Iucunda tamen haec est praediorum, Welficum allodium constituentium, licet imperfecta enumeratio, cui vt locus esset, totam hanc coniurationis poenitentiae & testamenti conditi scenam ab Auentino instructam & confictam esse suspicor.

§. 4.

Historia de Guelfis haec ab Auentino relata omnia ignorat, refert tamen, Welfum hunc *Monasterium in monte antiquum in honore S. Martini fundasse*, *nomenque ei WINIGARTIN imposuisse*, ac *in illud de villa Altorf translatis Monachis & ossibus* patris sui *GWELF &* patrui *HEINRICI &* aui *RVDOLFI*, *Ecclesiam priorem parochialem esse constituisse*, *cumque in Castro Botamo morbo correptus esset*, *mortemque sibi imminere crederet*, *omne patrimonium suum cum Ministerialibus*, *quia ex se haeredem non haberet*, *ad Coenobium Altorfense S. Martino in perpetuam possessionem solenniter donasse.* Patet ex hoc loco, Welfum Carentanum iuuenem, vel, vt Monachus loqui amat, *sub iuuenili aetate* diem suam obiisse. Donationis perficiendae negotium

negotium duobus e praecipuis Ministerialibus commissum fuerat, qui cum id post sepulturam Principis reiicerent, postea id facere prohibiti sunt, superueniente ex Italia *Cunizae* vel *Cunigundis* sororis filio, *Welfo IV.* vero herede, ab auia accito. Mater enim Cunegundis iam hoc tempore obiisse videtur. Imizam autem auiam Annum 1055. viuendo superasse constat.

§. 5.

Bertholdus Constantiensis, &, quod maiorem fidem meretur, Necrologium Fuldense, nec non Annalista Saxo, mortem WELFI nostri in Annum 1055. referunt. Annales Hildesheimenses & Marianus Scotus eam minus recte vno anno anticipant, quod etiam facit Chronicon Wirzburgense euulgatum a Baluzio Miscell. T. I. p. 513. vbi *Anno MLIV. WELF Dux Carinthiorum obiit.* Ex diplomate enim Henrici III. Imperatoris *Veronae Anno* 1055. III. *Idus Nouembris* dato, in quo mentio fit *duodecim hominum Harimannorum* Coenobio S. Zenonis Veronensi a *Welphone glorioso Duce* donatorum, quodque Clarissimus Muratorius in Antiquitat. Estens. Part. I. Cap. II. ex authentico edidit, (Probat. N. XVI.) apparet Welfum nostrum tunc adhuc in viuis fuisse.

§. 6.

Soror Welfi huius CVNIGVNDIS siue CVNIZA fuit. Historia de Guelfis de patre vltimi Welfi, Welfo Imizae marito, agens: *Hic*, ait, *genuit filiam CHVNIHAM* [vbi iterum *h* pro *z* positum est] *nomine, quam ATHO ditissimus Marchio* [super lineam scriptum est: *Estensis*] *Italiae cum Curte Elisina dotatam in vxorem duxit, & ex ea GWELFVM, totius terrae nostrae futurum haeredem & Dominum, progenuit.* Idem probant verba alterius Chronici Weingartensis sub Henrico III. Imperatore *Welf Dux Carinthiae* (scilicet floruit) *filius Welfonis, frater Chounizae, quam duxit Azzo Marchio Italiae.* Abbas Vrspergensis, vt solet, eodem fere modo scribit: *Hic de praefata vxore sua Imiza genuit filium, cui nomen suum imposuit Welpho. Genuit & filiam CHVNZAM nomine, quam AZZONI, ditissimo Marchioni Italiae, dedit in vxorem. In dote quoque dedit eidem Curiam nobilissimam, quam habebat in Italia, Elisinam nomine, quam & ipse ab vxore sua in dotem acceperat, cuius Curiae mille & centum mansus sunt, vno valle comprehensi.* CVNEGVNDIS sine dubio nomen hoc adepta est a Cunigunde Imperatrice, post mortem inter Sanctas relata, quippe quae amita Imizae erat. Imiza haec, pro nepote ex hac Cunigunde filia sua nato

 solicita,

ſolicita, aegre tulit, a filio Welſo patrimonium omne in Weingartenſe Coenobium transfuſum. Vnde eo defuncto, vt ſupra iam diximus, & Hiſtoria de Guelfis atque Abbas Vrſpergenſis indicant, *miſſis* ſtatim *in Italiam legatis*, iuſſit nepotem adduci, *veniens*que is *donationem interdixit*, *ſeque certum & verum eſſe haeredem proclamauit.*

§. 7.

Nos iam librum quintum finimus, quo Guelſos Bauaro-Sueuos ab Ethicone Iudithae Imperatoris fratre vsque ad ſtirpis ſuae vltimum, Welſum, Carinthiae Ducem, expoſuimus. Multos errores & perſonarum confuſiones non vnas in eo ſuſtulimus, omniaque ſecundum veteres & probatos auctores ita emendauimus, vt dubii nihil ſuperſit. De CVNEGVNDE vero, veterum Guelſorum herede, & AZONIS Marchionis vxore, ſupra Libro II. c. 10. iam egimus, eiusque de poſteritate Libris ſequentibus plura ſequentur. Iam autem Stemma horum Guelſorum hactenus demonſtratum Lectori praeſentamus.

PRO-

PROBATIONES
LIBRI QVINTI
DE ORIGINIBVS GVELFICIS.

Gg 2

SERIES DIPLOMATVM

AD QVAE

PRAECEDENTE LIBRO V. LECTORES

REMISIMVS.

No. I.

Charta San Gallensis de permutatione seruorum regnante Ludouico Germanico sub Welfo Comite scripta. *ex* GOLDASTI Scriptor. Alemannic. T. II. P. I. p. 43. edit. 1606.

No. II.

Wolfarti Comitis donatio ad S. Gallum. *ex* GOLDASTI l. c. T. II. P. I. p. 58.

No. III.

Wolfartus quidam donat Ecclesiam in Wangen Abbati S. Columbani Bobiensi. *ex* MVRATORII Antiquit. Ital. T. I. p. 276.

No. IV.

Ottonis I. Imperatoris Iudicatum pro Ecclesia Curiensi, cui interfuit Wolfardus Comes e Primatibus Imperatoris. *ex* CRVSII Annal. Sueuic. Part. II. Libr. IV. p. 138. edit. 1595.

No. V.

Charta compositionis inter Salomonem, Constantiensem Episcopum, & Hartmotum San Gallensem Abbatem, per Etichonem Archipresbyterum scripta. *ex* GOLDASTI Script. Alemannic. T. II. P. I. p. 46.

No. VI.

Excerptum ex vita S. Altonis apud HVNDIVM Metrop. Salisburg. T. II. p. 55. sq. *vnde habent* Acta SS. Antwerp. Mens. Febr. T. II. p. 359. *&* MABILLONII Acta Ord. S. Benedicti Saecul. III. Parte II. p. 217.

No. VII.

Vdalrici Constantiensis Ecclesiae Episcopi litterae ad Calixtum II. Pontificem Maximum pro Canonisatione S. Conradi scriptae. *ex* Chronico Constant. *apud* PISTOR. Scriptor. Rer. Germanic. T. III. p. 709. edit. nouiss.

No. VIII.

Bulla Canonisationis S. Conradi indidem.

No. IX.

Gebhardi Constantiensis Ecclesiae Canonici donatio tempore S. Conradi Episcopi facta. ex cod. Chronico ap. PISTOR. l. c. p. 719.

No. X.

Leonis VIII. Pontificis Maximi attestatio de Cella Meginhardi audiente Consecratore Conrado, Constantiensi Episcopo, coelitus consecrata. ex HARTMANNI Annalib. Heremi p. 71.

No. XI.

Conradus Salicus Imperator quendam Welfonis Comitatum Ecclesiae Brixiensi donat. ex HVNDII Metropol. Salisburg. T. I. p. 316.

No. XII.

Azonis Contractus libellarius ad XXVIII. annos de curte Lusia cum Ecclesia Veronensi extenditur ad filios Hugonem & Fulconem. ex MVRATORII Antiquit. Estensib. P. I. p. 47.

No. XIII.

Henricus III. Imp. confirmat Monasterium Ebersbergense ab Adalberone Comite & Coniuge eius conditum. ex HVNDII Metropoli Salisburgens. T. II. p. 191.

No. XIV.

Henricus VI. Imp. Coenobium Ebersbergense ab Adalberone Comite & eius vxore conditum confirmat. ex HVNDII l. c. p. 191. sq.

No. XV.

Henricus II. Imp. Monasterium Cubacense puellarum ab Adalberone Comite conditum confirmat. ex HVNDII l. c. p. 172.

No. XVI.

Henricus III. Imp. Monasterio S. Zenonis Veronensis praedia & iura sua, nominatim ea, quae Welfus Dux Carentanorum & Marchio Veronensis dedit, confirmat. ex MVRATOR. Antiquit. Estens. P. I. p. 6.

No. I.

No. I.

Charta San-Gallensis de permutatione seruorum regnante Ludouico Germanico, sub Welfone Comite scripta. Anno 857. Ex Goldast. Scriptor. Aleman. Tom. II. Part. I. p. 43.

INTER ducales igitur partes quicquid sanis aptisque consiliis diffinitur, ob futura deuitanda iurgia conscriptionis titulo necesse est vt confirmetur. Quapropter complacuit mihi, Grimaldo Abbati, Podalolto Aduocato nostro, omnibusque Fratribus Coenobii S. Galli consentientibus, vti concambii, communi sensu cum Vualdrammo perpetrati, conscriptiones pari ratione depictae perpetrarentur. Dedit namque nobis idem Vualdrammus duo mancipia, quorum nomina sunt Suablind & Cozrud, accepitque e contrario a nobis tria mancipia, quorum vnum vocatur Adalsind, aliud Holtisind, tertium Cuata, eo videlicet pacto, vt vtraque pars eorundem mancipiorum, concambii ratione vtrimque contraditorum, liberam in omnibus habeat potestatem, nullamque vlterius ob illa molestiam pars parti audeat inferre.

Actum in *Liubilaba* publice, praesentibus istis, quorum nomina hic scripta tenentur.

✠ Signum Grimaldi Abbatis, & Aduocati sui Podelolti.

Folcharati, Ruadinc, Machelm, Thiothere, Chunibreth, Selbo &c.

Ego itaque Herimot indignus Monachus scripsi & subscripsi. Notaui diem Martis, Anno XVIII. Regni Hludouici, sub *WELFONE Comite.*

No. II.

Wolfarti Comitis donatio ad S. Gallum. Anno 856. Ex Goldasti Script. Alemann. T. II. Charta LIV.

EGO in Dei nomine *WOLFHART* diuino admonitus instinctu, vt terrenis facultatibus mercarer aeternas, & bonis transitoriis mansura conquirerem. Memor itaque illius salutaris praecepti, Date & dabitur Vobis, &, Non est qui relinquat domum aut agros propter me, qui non recipiat centies tantum, trado ad Monasterium S. Galli, cui modo venerabilis Abba *Grimaldus* praeesse dinoscitur, pro remedio animae meae, coniugisque meae, quicquid Centipratis marcha conquisitionis vel concambii, Regia fultus auctoritate & firmitate, litterisque ab eo acceptis, praesenti die visus sum habere, id est, aquis, sil-

uis,

uis, agris, pratis, cultis & incultis, omnia ex integro, excepto vno curtili, quod coniunx mea legitimis ab heredibus conquisiuit, ea tamen conditione, vt ego ipse praefatas res dies vitae meae possideam, annisque singulis censum inde duos denarios soluam, & post obitum meum statim ad Monasterium praefatum in omnibus melioratae redeant in aeuum possidendae, addito, vt nulli vnquam in beneficium dentur; quod si datae fuerint, ad succedentes proximos meos reuertantur. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse, aut cognatorum meorum vel heredum aliquis, hanc cartulam, a me potestatiua manu factam, corrumpere voluerit, & voluntatis corruptae machinationem publicauerit, auri vncias III. argenti pondera V. ad aerarium Regis coactus persoluat, haecque epistula firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa.

Actum in ipso loco, id est Centiprata nuncupato, praesentibus quorum hic signacula continentur.

✠ Signum ipsius *VVOLFHARTI*, qui hanc traditionem fecit.
Signa Kerolti Comitis. Wolfheri. Perhtger. Oazo. Vnnid. Perhthart. Andreas. Vto.

Ego itaque Albrih indignus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notaui tertiam feriam, XV. Kal. Iun. Anno XXIV. Regni Hludouici Regis, sub Kerolto Comite.

No. III.

Wolfardus quidam donat Ecclesiam in Wangen Abbati Sancti Columbani Bobiensi. Anno 837. vel circiter. Ex Murator. Antiq. Ital. T. I. p. 276.

EGO in Dei nomine *WOLFARTH*. Complacuit mihi in animo meo, vt aliquid de rebus meis pro remedio anime mee & parentorum meorum condonare deberem, quod & ita feci. Hoc est in pago *Turgauge*, loco qui dicitur Wangas, prope Marcha Reciae, Basilica constructa, vbi Sanctus Columbanus olim cum suis habitare volebat, modo Deo opitulante concedit nobis de suo Sancto Corpore Reliquias adhabere. Nunc volo illam porcionem, quam mihi pater meus moriens dereliquid in ipsa Capella, & ego me ipso conquesiui, id est Curte clausa, edifitiis, mancipiis septem, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, siluis, aquis, farinariis; & insuper aditiam quicquid mihi de Rikero aduenit in Marcha *Tucunnie* (*) cum omni integritate,

(*) Vid. Ratpertus de casib. S. Galli c. 1. vbi narratur, quomodo S. Columbanus cum S. Gallo, accepta potestate per Alemanniam locum sibi diuino cultui aptum eligendi, vene-

tate, hoc eſt Curte clauſa cum edifitiis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſiluis, aquis, aquarum curſibus & incurſibus, & in Alpis. Hec, vt prefatus ſum, cum omni adiacentiis vel appenditiis trado ad Eccleſiam, que conſtructa eſt in Italia in honore Sancti Petri, vbi Sanctus Columbanus in corpore requieſcit, ad Monaſterium, que dicitur *Pobio*, vbi Amalrichus Abbas gregi Dei regulariter preeſſe cognoſcitur. In ea ratione videlicet, vt quamdiu mihi vita comitatur in corpore, ſuperius denominatas res liceat ad habere, & cenſumque ſingulis annis perſoluere ad ipſum Altarium, qui eſt conſtitutus ad capud Sancti Columbani, duas Albas bonas ad Miſſam Sancte Iohannes, aut antea octo dies aut poſtea. Sin autem tale negligentia peruenerit, quod non potuerit, poſtea in dublum, donec ad ipſum tumulum, vnde ego indignus conſolationem anime mee accepi. Infantes mei poſt obitum meum ſimiliter faciant. Poſteritas, que de illis fuerint procreati, maſculi heredes legitimi ſemper habeant in ipſum cenſum. Sin autem plerumque contigit, quod nullus maſculus de illis legitimus non eſt, tunc etiam vbi cenſum perſoluebatur, illuc etiam reuertat in perpetuum. Sique ſciero, quod futurum non credo, ſi ego ipſe, aut quislibet perſona iſtius traditionis firmitatem corrumpere voluerit, obuiante ei ordine veritatis nullatenus fallatiam ſuam valeat perficere, & pro auſu temerario perſoluat ad prefatum Monaſterium duplum tantum, quantum malo ordine cupiditatis preuentus abſtrahere voluerit; & inſuper Rege ſit culpabilis auri vntias tres, argenti pondera quinque coactus exſoluere, & nihilominus preſens cartula cum omnibus in ſe confidentibus inuiolata permaneat, cum teſtibus ſubordinatis.

Actum in publice in loco, qui dicitur *Wangas*, vbi ipſa Eccleſia eſt conſtructa in honore Sancti Columbani, preſentibus, quorum hic ſignacula continentur.

Signum *WOLFHART*, qui hanc traditionem fecit & confirmare rogauit.

Signum Ruadpert. Signum Poſſo *filios ſuos*. Signum Herchanolt. Signum Hettar. Signum Iltipret. Signum Dionzo. Signum

venerit *Tuconiam*, quae eſt caput lacus *Turicini*. Similia Walafridus Strabo habet in vita S. Galli Lib. I. c. 4. vbi: Venerunt infra partes Alemanniae ad fluuium, qui Lindimacus vocatur, iuxta quem ad ſuperiora tendentes peruenerunt *Turicinum*. Cumque per litus ambulantes veniſſent ad caput lacus in locum, qui *Tucconia* dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. Vnde ap. eumdem Walafridum Strabum l. c. c. 16. Daemon inquit: Eſt quidam vir magnae apud Deum virtutis, nomine Gallus, qui me de *Tucconia*, vbi diu optata quiete potitus ſum, potenter eiecit, domosque meas audenter deſtruxit. Wanga igitur, de qua hic ſermo, erit *Rumanes Vangi* illud, de quo Annales Heremi p. 118. Romana ſeu Welſchwanga, quia Rhaetica.

Signum Hekgihart. Signum Paldcoz. Signum Witaram. Signum Baldram. Signum Peratolf. Signum Lantolt. Signum Hegilpert Peccatger. (*forte* Peccator) Signum Gerram. Signum Cozhelen. Signum Amalheri.

Anno V. Regnante *LVDOVICI* Rege, & sub Atone Comite, octauo Idus Augusti.

Ego indignus Cunpertus Presbiter scripsi & subscripsi.


No. IV.

Ottonis I. Imperatoris Iudicatum pro Ecclesia Curiensi, cui interfuit Wolfardus Comes e Primatibus Imperatoris. Anno 973. Ex Crusii Annal. Sueu. Part. II. Lib. IV. p. 138.

OTTO Hartberto, venerabili Episcopo Curiensis Ecclesiae, quasdam sui iuris res dederat. Nam huius Ecclesiae loca inuadentibus Saracenis fuerant destructa. Ideo Imperator paupertati eius compatiendo, votumque a se si feliciter in Italia rem gessisset factum soluendo, Curtem suam in loco *Zizuris* vocato, in Comitatu Rhaetiae, Sanctae Dei genitrici, Sanctoque Lucio Confessori pro remedio animae suae contulerat, & ex integro condonauerat, cum omnibus ad eam curtem iuste & legaliter pertinentibus, cum Ecclesia, decimis, curtilibus, aedificiis, mancipiis, agris, pratis, vineis, siluis, pascuis, alpibus, aquis, aquarumue decursibus, fontibus, insulis, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, exitibus, cambiis, & redditibus, quaesitis & inquirendis, omnibusque ad eundem locum rite subsistentibus. Nunc autem Hildibaldus, Hartberto Episcopus subrogatus erat. Tum quidam Arnoldus, Vlrici F. conquestus fuit apud Othonem, eum locum sibi contra fas fuisse subtractum, ac magis ad suam Ecclesiam, Schennines vocabulo, pertinere. Imperator ergo veritatis cognoscendae causa ciues Curienses Constantiam vocauerat. Luuianum, *Wolfradum*, Rabbonem, Segianum, Egilulfum, Rudolfum, Richardum Leoncianum, Vigilium & alterum Vigilium, Valerium, aliosque *eiusdem Comitatus optimos* complures. Hi sub praesentia Imperatoris caeterorumque eius *Primatum*, Bernonis videlicet Comitis Palatini, Cunradi, Vdalrici Adalberti, Huchaldi, Rikmuini, Gotefridi, Managoldi, Lanttoldi, *WOLFRADI*, Luitoldi, *Comitum*, aliorumque optimorum complurium, iurando confirmarunt, illam curtem tunc temporis, quando ipsam tradiderit; fuisse iuris ac potestatis Augusti, eam tradendi, vel non. Igitur

hanc

hanc donationem is renouauit, tali ratione, vt locus perhenniter eidem Ecclesiae, omni inquietudine remota, consistat, ac nemini successorum etiam, liceat inde aliquid subtrahere, sed Ecclesia securiter ac potestatiue eadem curte maneat inuestita. Ideo annulo quoque suo, & propria manu, chartam huius rei firmauit.

Signum  Domini Othonis Imp. Aug. magni & inuictissimi.

Data XV. Kal. Sept. An. Dominicae Incarnationis DCCCCLXXIII. Indict. XV. Anno Regni Domini Othonis tricesimo quarto, Imperii autem XIII.

Actum Constantiae.

No. V.

Charta compositionis inter Salomonem Constantiensem Episcopum & Hartmotum San-Gallensem Abbatem, per Etichonem Archipresbyterum scripta. Anno 879.

Ex Goldast. Script. Alamann. T. II. Part. I. p. 46.

NOTVM sit omnibus, videlicet praesentibus & futuris, quod ego Salomon iunior, Constantiensis Sedis Episcopus, & Hartmotus, Coenobii S. Galli Abba, vna cum conuenientia & consilio vtroque loco Fratrum, ceterorumque fidelium nostrorum, ad omnem malitiosae artis litem atque dissensionis contentionem de subscripta re ipsis in locis in futurum praecauendum, statuimus inter nos, vt venerabili Abbati & Fratribus praedicti Monasterii decimam in subnotatis locis, sicut illius temporis in illorum erat vestitura, concederemus, hoc est, in Mechingen simul cum Salica terra & hobis, quae Canonicis pertinebant; & in Heminhosun cum Salica terra & hobis: & in Goldahun cum Salica terra, simul cum illa hoba, quae illi adiacet, cuius decima tunc in mea vestitura erat: quod & ita feci, ea scilicet ratione, vt mihi contra donarent, quicquid in Lienzeuuilare habuissent, & in villa Buoch hobam vnam, & in Syrnaha curtilem vnam simul cum adiacente prato, & quicquid habuissent in siluicola, quae dicitur Tegeramos inter Syrnaha & Gloten: quod & ita fecere. Et vt firmior & credibilior omnibus in futurum maneret, placuit inter nos chartam pacationis ex vtraque parte alleuari, quod Tuitisce *Suonbouch* (*) nominamus, cum manibus

 Aduo-

*) *Suhnbuch* i.e. liber aut Instrumentum conciliationis seu concordiae, vt opinor; *suhnen* enim est *pacificare*, *placare*, nos hodie dicimus *versöhnen*.

Aduocatorum nostrorum Isamberti & Lantolfi, successores nostros ammonendo, vt absque vllius inquietudinis scrupulo inconuulsa & stabilis omni tempore in aeuum permaneat.

Signum Salomonis Episcopi & Hartmoti Abbatis, qui hanc cartam pacationis fieri decreuerunt.

Signum Fratrum Monachorum, Perenhard, Rimeding, Iob, Erfolt.

Signa fratrum Canonicorum, Henno, *Etcho*, Tageman, Hartpreht.

Signa ceterorum testium, Hartpert, Engilbold, Gano, Vritto, Vuetti, Starcafrid, Ruohbert, Thietbold, Ruohtpert, Vuerdo, Herebrant, Otto, Vuolfram, Miloh, Hugoz.

Actum in villa *Romanisborn*, anno regnante, Imperatore Karolo II. sub Comite Adalberto, mense Iunio, die Veneris, indictione XV.

Ego itaque *Etcho*, indignus Archipresbyter iussus scripsi.

No. VI.

Excerptum ex vita S. Altonis apud Hundium Metropol. Salisburg. T. II. p. 55. sq. vnde habent Acta SS. Antwerp. mens. Febr. T. II. p. 359. Acta Ord. S. Benedicti Saecul. III. Part. II. p. 217. seq. Ipsa autem vita descripta est ex Libro Traditionum Altonis Monasterii.

Constrvxit (S. Alto) habitacula seruitio diuino apta, nec non Monasterium Religiosorum, & spiritualis vitae amatores assumsit, secumque habitare fecit. Quapropter vsque in diem hodiernum locus ipse dicitur *Altonis Monasterium*. Quo constructo Sanctus Praesul *Bonifacius*, qui eo tempore in Germania verbi diuini propagator eximius habebatur, visionis diuinae nutu quodam admonebatur, vt S. Altonis Monasterium celeriter pergeret consecrandum. Cumque ille adueniens, more solito vellet ita consecrare, vt mulier nulla deberet illud intrare; postulauit B. *Alto*, ne tali pacto suum Oratorium consecraret. Dixit, maxime opus viris saepius ad opera varia procul egressis, vt vxores eorum domi remanentes orent pro se suisque viris. Cuius petitioni consentiens mox S. *Bonifacius* Ecclesiam quidem consecrando tam foeminis, quam viris fecit esse commumem; sed fontem quemdam in eodem loco iuxta Ecclesiam positum ea benedixit ratione, vt mulieri nulli liceret ad eum accedere & haurire. Quae nimirum vtraque vsque ad nostrae aetatis perseuerabant tempora. Sed quomodo

do ſub temporibus noſtris horum quaedam imminutata fuerint, ſubſequens ratio declarabit. Oratorio ergo conſtructo, vt dictum eſt, atque conſecrato, ſub incoepto ſanctae conuerſationis propoſito permanſit, & obiit ibidem S. *Alto* multis refulgens virtutibus atque ſignis: quae referuntur litteris tradita, ſed poſtmodum pro dolor furtiue ablata. Vnde & nemo debet mirari, cum paucula virtutum inſignia deprehenderit hic enarrari. Poſt obitum vero B. *Altonis* praepotens quidam ex Alemannia, parens videlicet illius *Comitis*, qui vulgo nomen quoddam eſt ſortitus, quod Latine exprimitur *Catulus*, neſcio qua traditione, quaue lege vindicantes ſibi eius Monaſterium, omniaque, quae ad hoc pertinebant, pro hereditario iure poſſidebant. Qua de re accidit, vt cum tanti loci poſſeſſores pompae ſaecularis & curae familiaris ſtudioſi fuiſſent magis, quam diuinae ſeruitutis, locum eumdem paterentur annullari, nullaque venditione (*forte legendum* veneratione) congrua viſitari. Hoc igitur modo, hac negligentia S. *Altonis* Monaſterium per multa habebatur curricula annorum, donec ſub *Comitis* praedicti *Catuli* tempore cuidam venerabili viro per viſionem apparuit idem S. *Alto* dicens ei: Vade, & dic illis Senioribus, (i. e. Dominis) ſub quorum corporaliter requieſco poteſtate, ego ſum Alto, quoniam valde moleſtum eſt mihi, quod ſub negligentia corporis mei locus iam diu habetur, quodque nulla ſeruitutis diuinae cura ibi exercetur. Si ergo haec emendauerint, magnum exinde praemium ſe percepturos nouerint; ſi autem neglexerint, nouerint procul dubio, quoniam ſuper eos ventura erit magna vltio. Facta igitur viſione tali, continuo ſurgens is, cui reuelata eſt, ſuae intimat vxori. At illa vna de ſtultis mulieribus, parum curans de coeleſtibus praeceptis, reſpondit ei, dicens: non mihi videtur vtile, talia tantae dignitatis hominibus indicare, quoniam nihil aliud quam odium exinde conſecuturus eris. Cuius obtemperans vir conſilio, ſiluit de iniuncto ſibi mandato. Poſt paucos vero dies iterum in viſione S. *Alto* eidem viro dixit: Quare iuſſionem meam contemſiſti? vade modo, & adnuntia quae tibi praeceperam: alioquin aliqua paſſurus es aſpera. Verum tamen, ſicut antea, eadem diſtulit iuſſa. Tertia autem vice Monachus quidam viſus eſt adſtare eidem homini, dicens illi: Dominus meus miſit me ad te, vt interrogarem, quare toties eius ſpreuiſſes mandata? At ille, quis eſt inquit, Dominus tuus? Reſpondit Monachus, dicens: S. *Alto* Dominus meus eſt, & ipſe me miſit ad te. Et vt ita agnoſcas eſſe, flagella, quae tibi ipſe minando vicibus duabus praedixit ventura, modo ſenties illa. Moxque inter hac increpationis verba ferire incipiens, verberibus nimiis afflixit. Deinde ei dixit: Si igitur ideo

 hacte-

hactenus distulisti S. *Altonis* implere mandata, quia non habuisti signa, quibus fides esset adhibenda; fidei iam signa tene, & mandata eius concitus imple. Quibus visis euigilans homo, nihilque vltra haesitans de praecepto, perrexit, & *Comiti* praedicto haec omnia sibi indicta denuntiauit. Qui statim credens, & obediens visionis huius mandato, nisibus totis illud adimplere curauit, adeo vt praediis nonnullis donatione publica traditis, Monachisque etiam congregatis, Abbatem venerandum, nomine *Rudolfum*, his omnibus regulariter praelatum efficeret. Sed postquam idem *Rudolfus* S. *Altonis* Monasterium annis plurimis strenue gubernans, ex hac adsumtus est vita, successerunt ei tantummodo duo Abbates, *Eberhardus* videlicet probitate rara insignitus, nec non *Heinricus* Abbas etiam Monasterii huius, cui & adhuc sagaciter praeest, praesenti vita potitus. Horum autem memoriam idcirco hic inserui, vt omnia, quae de S. *Altonis* reuelatione super Monasterii sui renouatione facta retuli, tam praesentium quam futurorum notitiae pateant, magisque credibilia fiant. Inter haec etiam pariter commemorandum est, quod venerabilis *ITHA*, scilicet mater praenominati, pro institutione tali, deuotione tanta apud ipsum intercedendo laborauit, vt pro diuini officii augmento suas delicias suamque familiam minui gauderet, & in eodem S. *Altonis* Monasterio sepulturam suam fieri decerneret. Dixisse quoque fertur. „Quia ideo forte „sitan genus omne parentum & propinquorum nostrorum instabile mi„nusque longaeuum hactenus fuit, quod S. *Altonis* Monasterium sub „tanta negligentia relinqueretur. Emendemus ergo in melius, quod „ignoranter peccauimus.„ Eadem vero *ITHA* defuncta, ibique, quo decreuerat, sepulta; defuncto quoque viro filioque eorum *Catulo* praedicto, veneranda Matrona, *IRMENDRVT* dicta, parentibus *nobilissimis* orta, eiusdem scilicet *Catuli* per annos iam multos *vidua*, adhuc disponente Deo in vita praesenti posita, qua etiam optamus, vt perfruatur, mundoque periclitante per eamdem Deus succurrendo misereatur: haec, inquam, matrona cum viro filiisque suis defunctis ad solius hereditatem atque potentiam omnis eorum possessio deuenerit, tali deuotione, tantaque humilitate Christo se subiecit, vt non solum ea, quae ab antecessoribus suis ad S. Altonis Monasterium donata sunt, non minueret, sed etiam plurimum augeret.

No. VII.

No. VII.

Vdalrici Conſtantienſis Eccleſiae Epiſcopi litterae ad Calixtum PP. II. pro canoniſatione S. Conradi Guelfi. Anno 1123. Ex Chron. Conſtant. apud Piſtor. Scriptor. German. T. III. p. 709. edit. nouiſſ.

DOMINO Venerabili, *Calixto* Papae Sanctiſſimo, *Vdalricus*, Conſtantienſis Eccleſiae famulus, cum vniuerſo gregis dominici ſibi commiſſi ouili, debita obedientiae vota cum orationis inſtantia. Diuinae clementiae reſpectum ſub veſtrae gubernaculo paternitatis multis conſolantem bonis propenſiori gratiarum actione magnificamus, cum de tranquillo rerum ſtatu & noua Sanctorum claritate, qua diuerſae illuſtrantur Eccleſiae, gaudeamus. Sicut enim ſplendor veri ſolis alias mundi plagas electorum ſuorum meritis, quaſi totidem radiis penetrauit, ita ad noſtrum quoque vergens Occidentem, per felicis memoriae *Conradi*, Conſtantienſis Epiſcopi, miraculorum inſignia non impari luce totam temporibus noſtris Alemanniam perfudit; pro cuius gloria, vt moris eſt, canoniſanda cum Apoſtolicae Sedis preſentiam crebris iam dudum interpellaſſem literis, hoc immutabilis ſententiae reſponſum accepi, vitam eius in Concilio recitandam & comprobandam fore generali; teſtes inſuper idoneos ſignorum, quae per eum fiunt, ſeu facta ſunt, ibidem adhibendos, vt tantis coeleſtium donorum beneficiis reuerentia fidelium aſſurgat vniuerſalis, vt per hoc inuidia, quae nec mortuo parcit, obſtruatur particularis, cum digito Dei malefici ſuperentur Pharaones. Quapropter operam dedi, ex patrum ſcedulis *huius viri digniſſimam Deo conuerſationem potius, quam miracula, quae nonnunquam reprobis cum Sanctis communia ſunt*, in ſequens opuſculum colligere, veſtraeque Sublimitati examinandum dirigere, malens ſtylum ſimpliciorem verecundiae patere, quam ciuitatem ſupra montem ponendam, in valle torporis & obliuionis diutius latere. Adieci tamen ex innumeris, quibus plures laetificantur eius nationes, ſub probabili teſtimonio pauca duntaxat ſigna, ne, ſicut videntibus gaudium, ita audientibus nimietate ſui generarent faſtidium.

No. VIII.

Bulla canoniſationis S. Conradi Guelfi. Anno 1123. indidem.

CALIXTVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri, *Vdalrico*, Epiſcopo, Clero & populo Conſtantienſi, ſalutem & apo-

& apoſtolicam benedictionem. Fratres veſtri, quos ad Apoſtolicam Sedem direxiſtis, multa nobis ac Fratribus noſtris, de illius Sancti viri defuncti *CONRADI*, veſtri Epiſcopi, actibus retulerunt miracula, & quae per eum Dominus omnipotens fecerat, certificare ſcriptis & verborum atteſtationibus ſtuduerunt. Noſtris itaque Fratribus Epiſcopis & Cardinalibus & aliis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus ac religioſis, qui aderant, viris viſum eſt, quod eundem Sanctum, apud Deum honorabilem meritis, nos apud homines, quantum nobis fas eſt, honorabilem facere deberemus. Vnde in generali, quod celebramus, Concilio eius venerationem Fratribus omnibus nunciamus. Ad honorem igitur Dei, atque ipſius S. *CONRADI* reuerentiam, largiente Domino, conſtituimus, vt ipſius inter Sanctos recordatio futuris temporibus habeatur, & miracula, quae per eum a Deo facta dicuntur, ſi vera ſunt, ſcripturis & lectionibus memoriter deinceps teneantur. Vos ergo, Fratres & Filii dilectiſſimi, apparentium in terra veſtra florum odore refecti, ita in poſterum conuerſari, atque ita pie viuere, cooperante Domino, ſatagatis, vt & ipſi aliis odorem virtutis reddere per Sancti Spiritus gratiam valeatis. Omnipotens Dominus Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli precibus & praedicti Sancti viri orationibus ſua nos miſeratione cuſtodiat, & ad vitam perducat aeternam! Datum Lateranis V. Cal. Aprilis.

No. IX.

Gebehardi Conſtantienſis Eccleſiae Canonici donatio tempore S. Conradi Epiſcopi facta.

Anno 970. Ex Chron. Conſtantienſi ap. Piſtor. T. III. p. 719.

NOVERINT omnes tam praeſentes quam futuri, quod ego Gebhart, S. Conſtantienſis Eccleſiae Frater indignus, cogitans pro remedio animae meae, nec non Euangelica & Apoſtolica ſecutus praecepta, cum conſenſu Fratrum meorum & Aduocati mei, Vdalrici, iuris mei proprietatem, quam parentum ſucceſſione in locis Oberndorff, Hutzlinbach, Philophinga, Lutheresdorff cum omnibus appendiciis, ad eadem loca pertinentibus, aedificiis, mancipiis, paſcuis, ſyluis, aquis, aquarumque decurſibus, mobilibus & immobilibus, & cunctis ad eadem loca pertinentibus, dignoſcor habere, trado ad S. praedictae Conſtantienſis Eccleſiae Coenobium, Fratribus Deo ibidem aſſidue famulantibus, cui *vir ſummae religionis & doctrinae*, *CONRADVS Epiſcopus*, regimine ſpeciali praefectus eſſe videtur, ea tamen condi-

conditione, vt ego eandem ad me recipiens proprietatem, vel alius eiusdem Fraternitatis, quemcunque voluere, censum inde persoluat, singulis quibusque adhuc in posterum annis, festiuitate S. Patris nostri ac venerabilis Papae Gregorii, praedictis Fratribus, sicut Canonica monstrabit regula, sumat.

Acta Constantiae quarto Idus Martii, praesente & consouente praedicto Aduocato meo Vdalrico, nec non & aliis testibus, quorum subscripta sunt nomina.

Eberhart, Lutfrid, Eleibolt, Compret, Adelbert, Merebot, Lutpret, Sigipret, Hadepret, Dietger, Wern, Adilgon.

No. X.

Leonis PP. VIII. attestatio de Cella Meginradi, audiente Consecratore Conrado Constantiensi Episcopo, coelitus consecrata. Anno 964. Ex Hartmanni Annalib. Heremi p. 71. seq.

LEO Episcopus, Seruus seruorum Dei. Conuenit Apostolico moderamini, pia religione pollentibus beniuola compassione succurrere, & poscentium, siue nos consulentium animis alacri deuotione impartiri assensum & consilium. Ex hoc enim lucri potissimum praemium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca ad meliorem fuerint sine dubio statum producta. Igitur omnibus Sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, praesentibus & futuris, notum esse volumus, quia venerabilis Frater & Coëpiscopus noster Constantiensis, nomine *CVNRADVS*, coram dilectissimo Filio nostro *OTTONE* Imperatore, & *ADELHEIDE* sua chara Coniuge, cum aliis multis Principibus suggessit nostro Apostolatui, quod ad locum quemdam, in suo territorio situm, *Cella Meginradi* vocatum, Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXLVIII. ad hoc vocatus venisset, vt Capellam vnam in honore Sanctae, & super exaltatae Dei genitricis semper Virginis Mariae XVIII. Kalend. Octobrium illic consecraret; sed cum circa medium noctis, more solito, caussa orationis surrexisset, dixit, se dulcissimum canticum, cum quibusdam religiosis Fratribus eiusdem loci audiuisse. Et cum diligentius, quid hoc esset, perscrutari voluisset, veraciter comprehendit, talem cantum, & talem ordinem Angelos tunc habuisse in illius Capellae, pro qua ipse venerat, consecratione, qualem adhuc Episcopi solent habere in Ecclesiarum dedicatione. Mane autem facto, & apparatis omnibus, Episcopum tardantem, & vsque circa medium diem fere differentem, Capellam aggredientes, vt promissum inciperet officium,

deprecati ſunt. Sed eum reſiſtentem, & viſionem exponentem acriter reprehenderunt. Donec audita tandem voce aperta *Frater Ceſſa! Diuinitus Conſecrata Eſt*, ter audierunt. Et tunc perterriti, rem praedictam geſtam, veram, & ſanctam cognoſcentes, approbabant, Eccleſiam praefatam ex illa die coelitus conſecratam veraciter adfirmantes. Vnde praenominatus Epiſcopus, & dilectus Frater noſter adiens limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Paulli noſtram conſuluit auctoritatem, ſi poſt hanc viſam & certam veritatem, ſibi vel poſt eum alicui Epiſcoporum, manum liceret apponere. Nos ergo, conſultis venerabilibus viris Fratribus & Coëpiſcopis noſtris, *Hattone* ſcilicet Moguntinenſis Eccleſiae Archi Epiſcopo, *Brunone* Colonienſis Eccleſiae Archi Epiſcopo, *Annone* Wormatienſis Eccleſiae Epiſcopo, *Ottuino* Hildensheimenſis Eccleſiae Epiſcopo, *Okkone* Mirmidonenſis Eccleſiae Epiſcopo, *Erkenbaldo* Argentinenſis Eccleſiae Epiſcopo, *Vdalrico* Auguſtenſis Eccleſiae Epiſcopo, *Hartberto* Curienſis Eccleſiae Epiſcopo, nec non *Eggebardo* Augienſi Abbate, & *Burcardo* Sancti Galli Abbate, & aliis quam pluribus, quorum conſilio nominatae Capellae conſecrationem ratam eſſe confirmamus. Et ne praeſens Epiſcopus, vel aliquis Succeſſorum manum deinceps audeat admittere, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri & Paulli, & praedictorum Fratrum, & noſtra, ſub anathemate inhibemus. Praeterea rogatu & inſtinctu dilectiſſimi Filii noſtri, OTTONIS Imperatoris, qui non parum Cellam dilexerat, a Deo dilectae vxoris eius Adelheidae, nec non Fratrum praedictorum conſilio, ſub diuini iudicii obteſtatione & anathematis interdictu ſtatuimus & praecipimus, vt ſi quicumque homo potens, vel impotens, ſpiritualis, vel ſecularis, auſu temerario contra hoc Apoſtolicae auctoritatis priuilegium agere praeſumpſerit, aut praefatum Monaſterium cum aliquibus pertinentiis eius, quae vel in praeſenti poſſidet, vel quae Deo donante in ius & dominium eiusdem Eccleſiae deinceps peruenerint, cuiquam niſi cummuni & ſaniori Fratrum Deo ibi famulantium conſenſu & conſilio conceſſerit, & Abbati Fratrumque ſuorum vſibus ſubtraxerit, ac aliquo modo de lecto ſuae quietis eos excitauerit, ſiue homines eius, vbicumque locorum maneant, violenter & iniuſte oppreſſerit, niſi reſipuerit, & Deo primum, & poſt famulis ſuis ſatisfecerit, auctoritate Dei & noſtra, non ſolum anathematis vinculis innodetur; ſed & a regno Dei alienus exiſtat. Obſeruatores autem Omnipotentis Dei gratia benedicat, & a cunctis peccatorum nexibus abſoluat. Nos etiam confiſi Omnipotentis Dei gratia, & Apoſtolorum Petri & Paulli, ac ſacroſanctae Matris Eccleſiae, & Apoſtolicae Sedis auctoritate, cunctos praedictum locum confeſſi & contriti deuote viſitantes a culpa & a poena reddimus abſolutos. Scri-

Scriptum autem per manum Petri Notarii & Scrinarii Sanctae Romanae Sedis in Menſe Nouembris IIII. Idus Nouembris.


Lectum III. Idus Nouembris, aſſidente Domino *Leone* Papa in Sede ſua iuxta altare Sancti Petri, coram Domino *OTTONE* Imperatore, filioque eius *Ottone*, atque Imperatrice *Adelheide*, & venerabilibus praedictis Fratribus, nec non multis aliis Principibus, tam Romanis, quam Theutonicis, & confirmatum per manum Domini Leonis Papae huius nominis octaui in ordine autem CXXXVI. Anno ab Incarnatione Domini DCCCCLXIIII. Indictione VII. Feliciter. Amen.

No. XI.

Conradus Salicus quemdam Welfonis Comitatum Eccleſiae Brixinenſi donat. Anno 1027.

Ex Metropol. Salisburg. T. I. p. 316.

In nomine Sanctae & indiuidue Trinitatis. *CHVNRADVS* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Iuſtis fidelium noſtrorum petitionibus acquieſcentes, ſi res Eccleſiaſticas rebus nobis diuinitus conceſſis augere ſtudemus, non ſolum inde temporalis commodi proſperitatem, verum etiam aeternam ſperare debemus remunerationem. Quapropter nouerit omnium induſtria fidelium noſtrorum, tam praeſentium quam futurorum, qualiter nos diuinam, vt praemiſſum eſt, remunerationem intuentes, nec non & dilectiſſimae Coniugis noſtrae *Kiſelae*, atque nobiliſſimae prolis noſtrae *Heinrici* interuentionem grauiſſime amplectentes, fidelis noſtri *Hardwici*, Brixinenſis videlicet Eccleſiae Epiſcopi petitione pulſati, in proprium tradidimus eidem Sanctae Brixinenſi Eccleſiae, in honore Sanctorum Caſſiani Martyris, nec non & Ingenuini Confeſſoris conſtructae, *Comitatum* quondam *Welfoni commiſſum*, ab eo ſcilicet termino, qui Tridentinum a Brixinenſi diuidit Epiſcopatum, quouſque longiſſime porrigitur in *Valle Eniana* cum *Clauſa*, ſub *Sabione* ſita, & omni vſu iureque ad eum legaliter pertinente. Et vt haec traditio firma inconuulſaque perpetualiter permaneat, praeceptum hoc de ea conſcribi, ſigilloque noſtro ſignari iuſſimus, propriaque manu, vt inferius videtur, confirmauimus.

Signum  Domini Chunradi Romanorum Imperatoris Auguſti.

Vdalricus Cancellarius, ad vicem Arbonis Archicapellani, recognouit.
Data septimo Idus Iunii Anno Incarnationis Dominicae MXXVII. Indict. nona, Regni Chuonradi secundi, anno tertio, Imperii eius autem primo.

Actum Stegon.

No. XII.

Azonis contractus libellarius ad XXVIII. annos de Curte Lusia cum Ecclesia Veronensi extenditur ad filios Hugonem & Fulconem. Anno 1079. Ex Muratorii Antiqu. Estens. Part. I. p. 47.

Vide supra L. II. Probat. N. XCI. *Tom. I. p.* 380. *sq.*

No. XIII.

Henricus III. confirmat Monasterium Ebersbergense ab Adalberone Comite & Coniuge eius conditum. Anno 1040. Ex Metropol. Salisburg. T. II. p. 191.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS* diuina fauente clementia Rex. Qui suis praediis, rebus & possessionibus, licet caducis, diuino culto Sanctorumque ob commemorationem ditauerit Ecclesias, in hac & in aeterna vita speret sibi praemia permansura. Quapropter omnes Sanctae Ecclesiae fideles, tam praesentes quam futuri, noscant, nostrique successores aeque comperiant, qualiter quidam nobilis *Comes*, nomine *Adalbero*, consentiente *vxore* sua *Richlinda*, Christum hereditatis suae desiderans fieri possessorem, quoddam Monasterium Monachorum ad Regulam S. Benedicti, in honore vero S. Sebastiani Martyris, in loco nomine *Ebersperg*, in Comitatu Steinheringa, de praedio, & de collaborato suo fundauit, & pro suo libitu, Deo aspirante, perfectum, Sanctique Sebastiani Ministerio & nomine dedicatum, in nostram potestatem liberandi gratia transfudit, & suae suorumque proprietati ac potestati deinceps in futurum eo tenore abalienauit, quatenus post acceptam nostrae immunitatis Chartam, idem ipse praefatus *Adalbero* fraterque eius *Eberhardus*, si superuixerit, ius Aduocati legitimum omnibus diebus vitae in eodem tantum Monasterio retineant. Post obitum vero illorum idem Monasterium ex integro in potestate Abbatis & Monachorum ibidem, Deo sub Regula S. Benedicti commilitantium, reuertatur, quatenus Abbas eiusdem loci sub nostri, Successorumque nostrorum munificentia liberam habeat potestatem, Aduocatum, quem sibi neces-

necessitas & vtilitas dictauerit, subrogandi. Congregatio autem Monasterii per successiones temporum liberam habeat electionem, Abbates regulares iuxta decretum Sancti Benedicti, sine omni contradictione substituendi. Iustis igitur praedictorum Comitum petitionibus annuentes, eo, quo rogauerunt tenore, praefatum Monasterium, cum Monachis & omnibus ibidem in praesens collatis, vel in posterum conferendis, in nostram immunitatem recipimus, & hoc regali praecepti nostri libertate donatum & perpetuo confirmatum nostrae manus subscriptione insigniri iussimus.

Signum Domini *HENRICI III.* Regis inuictissimi.

Theodoricus Cancellarius, vice Bardonis ArchiCapellani, recognouit.

Data Calend. Ianuarii, Indictione octaua. Anno Dominicae Incarnationis MXL. Anno autem Domini Heinrici ordinationis XII. Regni vero primo.

Actum Ratisbonae foeliciter, Amen.

No. XIV.

Henricus VI. Coenobium Ebersbergense ab Adalberone Comite & eius vxore conditum confirmat. Anno 1193. Ex Metropol. Salisburg. T.II. p. 191.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS Sextus*, diuina fauente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus. Si ad Ecclesias & loca venerabilia benigne dirigimus aciem mentis nostrae, ac eorum profectibus intendimus diligenter, nedum aeternae retributionis merita, sed laudis praeconia consequimur temporalis. Hinc est, quod bonam ac religiosam consuetudinem antiquorum Regum seu Imperatorum imitantes, honestis personis atque venerabilibus locis Maiestatis nostrae defensionem ac praesidium impendere debemus, quatenus & Imperii nostri sublimitas exinde clarius eniteat, & diuina gratia largius nobis salutem & auxilii suffragium impendat. Nos equidem ex relatione illustrium virorum, & ex Priuilegiis Antecessorum nostrorum liquido compertum habemus, quod *Comes Adalbero*, nobili exortus prosapia, quoddam Monasterium, *Ebersperg* nomine, in Comitatu Stainharing situm, magnis atque copiosis expensis laudabiliter condidit, diuitiis & magna gloria sublimauit, & auctoritate ac Priuilegiis plurium Antecessorum nostrorum Regalis Abbatiae titulo decorauit, vt in honore Sancti Sebastiani Martyris diuinus ibidem cultus perpetualiter celebretur. Cuncta quoque ad praefatum Coenobium pertinentia, vel quae in futuro munificentia Regum & Imperatorum, largitione Pontificum, oblatione fidelium, adipisci poterit, tam

quaesitis quam inquisitis, in pratis & in Alpinis, pascuis, siluis, aquis aquarumue decursibus, venationibus, piscationibus, viis & inuiis, cum decimatione Abbatiae, & praesenti ac futura syluarum extirpatione, sub Abbatis potestate loci eiusdem absque omni personarum contradictione perenniter esse constituit, & vbicunque eorum naues & carri vel sonmarii aduenerint, absque telonei transeant exactione &c. Nos igitur intuitu diuinae gratiae praedictorum Antecessorum nostrorum vestigia sequentes, cuncta, quae illi statuerunt, & nos eadem Imperiali auctoritate approbamus, Ecclesias quoque & Basilicas in dotibus suis erectas, cum fundis & praediis ad eas pertinentibus & plebe, dicto Monasterio confirmamus; etiam quaecunque generantur in humo, vel quae latent sub terra, siue sint venae salis, vel ferri, argenti vel auri, vel cuiuslibet metalli. Nouerit ergo vniuersitas fidelium, quod iam praedictum locum sic in nostram & in omnium Successorum nostrorum Regum & Imperatorum protectionem recepimus, vt sit Regalis Abbatia in perpetuum, omnimoda libertate sublimata, & ab omni subiectionis obligatione libera, vt nullus Archi Episcoporum, Episcoporum, Ducum, Marchionum, Comitum vel aliquorum omnino persona praesumat hanc molestare, vel a iuris sui statu diminuere. Compertum etiam habens, decorem & reuerentiam eiusdem Monasterii ex Aduocatorum importunitate & praua consuetudine valde immutatam esse, & antiquam pulchritudinem Antecessorum nostrorum diligentia decenter exornatam in eadem domo pene deletam audiuimus, quaecunque in dicta domo vitiosa consuetudo aut iniqua exactio, Aduocatorum violentia, vel caeterorum omnium negligentia emersisse videtur, iudicio ac sententia Principum penitus reprobauimus. Statuimus quoque, vt Abbas absque omni respectu Aduocati Officiales, villicos, mansionarios, in locis necessariis, prouideat & disponat; famuli etiam eiusdem domus qualitercunque excesserint, & ex culpa poenam meruerint, poena talis, dimidiam libram denariorum non excedat, nisi furtum vel homicidium commissa fuerint, aut violenta oppressio mulierum; Ministerialibus exceptis, qui pro poena sex solidos exhibebunt. Ad haec mandando praecipimus, vt nullus de caetero Aduocatus Ministerialibus eiusdem Monasterii violentiam audeat inferre vel iniuriam. Quod si attemptare praesumpserit nostram Maiestatem is, qui laesus est, appellare non differat. Si quis Ministerialium extra sui Monasterii Collegium matrimonium contraxerit, omne patrimonium cum Feodo ab eadem Ecclesia conquisito libere & sine omni contradictione Monasterio cedat, nullo malo ad alienandum praeueniente ingenio. Nullus etiam Aduocatus ibi haereditario iure existat, sed Abbas, communicato Fratrum Collegii consilio, iustum & idoneum defensorem licenter eligant, qui postquam de iure & rebus

Eccle-

Ecclesiae conseruandis per Sacramentum certitudinem fecerit, Bannum a Rege vel Imperatore suscipiat. Quod si postmodum Sacramenti oblitus fuerit, & iura Ecclesiae violauerit, & tam ipsos Monachos, quam eorum homines & possessiones hospitationibus & indebitis placitis & exactionibus vexauerit, Abbas, Regia suffultus auctoritate, habeat plenam potestatem subrogandi sibi meliorem & vtiliorem. Item decernimus, sicut ex approbatione Priuilegiorum Antecessorum nostrorum cognouimus, & authoritate propria confirmamus, vt huiusmodi Aduocati zelo diuino ducti potius, quam commodo temporali, de commissis sibi Ecclesiis defendendis iure Aduocatiae nihil amplius exigant, quam vnum modium auenae vsualis mensurae Monasterii, & vnum agnum. Item decernimus, quod Ministeriales Ecclesiae fidelitate & homagio debito Abbati sint astricti. Praeterea si Praelati Ecclesiae aliqua necessitate cogente, damnum sibi vel rebus suis illatum, saluo ordine suo recuperare non valuerint, ipsos Aduocatos in competentem locum aduocent, vbi causas quaerimoniae diligenter discutiant, nihilque ibi ab eis vel eorum colonis quasi sub iustitia exigant, sed cum charitate, quod eis impensum fuerit, recipiant. Sane Fratribus eiusdem Monasterii praesentibus atque futuris liberam facultatem eligendi Abbatem concedimus, & electus inuestituram a Rege vel Imperatore per sceptrum accipiat. Insuper quaecunque bona ad idem Monasterium pertinere dignoscuntur, siue temporibus futuris iustis & rationabilibus modis peruenire poterint, salua & illibata eidem perpetuo iure permanere decernimus. Et ne quisquam hominum vniuersa haec nefario ausu praesumat inuadere, occupare, minuere, vel quolibet modo alienare, cuncta sub nostrae Maiestatis tuitione suscipimus, & praesentis scripti priuilegio communimus. Si quis autem contra hanc nostrae Maiestatis paginam temere venire praesumpserit, centum libras purissimi argenti fisco nostro persoluat, & totidem supra dicto Monasterio componat. Vt autem haec nostrae potestatis auctoritas firma futuris temporibus & inconuulsa permaneat, praesentis scripti & sigilli nostri attestatione confirmamus.

Huius rei testes sunt:

Henricus Wurtzburgensis Episcopus. Otto Frisingensis Episcopus. Conradus Abbas de Salueld. Eroldus Abbas de Weissenburg. B. Dux Meraniae. Comes Al. de Pogen. Comes Fr. de Abinberch. B. Burggrauius de Hennenberg. B. de Vsldorff, Kuno de Messenberg, Seifrid Marschalcus de Hagen, & alii quam plures.

Signum Domini *HEINRICI Sexti*, Romanorum Imperatoris Inuictissimi.

Acta

Acta sunt haec Anno Incarnationis Dominicae millesimo, nonagesimo tertio, Indictione sexta, regnante Domino Henrico sexto Rom. Imperatore gloriosissimo, Anno Regni eius XXIII. Imperii vero tertio.

Datum apud Wurtzburg, 15. Kalend. Iunii.

No. XV.

Ab Adalberone Comite conditum Monasterium Cubacense puellarum confirmat Henricus II. Imperator. Anno 1011. Ex Metrop. Salisburg. T. II. p. 172.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS* diuina fauente clementia Rex, &c. Notum sit omnibus Sanctae Dei Ecclesiae, nostrisque fidelibus, praesentibus scilicet & futuris, qualiter quidam fidelium nostrorum, *Comes* officio, nomine *Adalbero*, cogitans cum transitoriis suis aeterna, cum terrenis mercari coelestia, quoddam Monasterium puellarum ad regulam S. Benedicti, in honorem vero Sancti Magni Confessoris, in loco nomine *Chuebach*, in Comitatu Herzhusa, de praedio & collaborato suo fundauit, & pro libitu Deo aspirante perfectum, Sanctique Magni Ministerio & nomini dedicatum, in nostram potestatem libertandi gratia transfudit, & suae suorumque proprietati ac potestati deinceps in futurum eo tenore abalienauit, quatenus post acceptam nostrae immunitatis Chartam idem ipse praefatus Comes *Adalbero* ius Aduocati legitimum omnibus diebus vitae suae in eodem tantum Monasterio retineat; post obitum vero suum idem Monasterium ex integro in potestatem Abbatissae, & Sanctimonialium ibidem Deo sub regula Sancti Benedicti commilitantium reuertatur, quatenus Abbatissa eiusdem loci sub nostra nostrorumque Successorum munificentia liberam habeat potestatem Aduocatum, quem sibi necessitas & vtilitas dictauerit, subrogandi. Congregatio autem Monasterii per successiones temporum liberam habeat electionem, Abbatissas regulares iuxta decretum Sancti Benedicti, sine omnium hominum contradictione substituendi. Hoc addito, si, quod absit, aliqua potestas iniusta idem Monasterium vel res suas alteri Monasterio vel personae in beneficiare vel in proprietatem donare voluerit, & in hoc ingenio effecerit, praedicti Comitis *Adalberonis* proximus haeres in sua potestate habeat, quousque nostro, Successorumque nostrorum adiutorio ad statum Monasterii, vnde ablatae fuerant, iterum reducat, & in pristinam libertatem, stabilitatemque restituat. Iustis igitur praedicti Comitis petitionibus annuentes, eo quo rogauerat tenore praefatum Monasterium cum Monachabus, & omnibus ibidem in praesens collatis, vel in posterum conferendis, in nostram

immu-

immunitatem recipimus; & hoc Regia praecepti nostri libertate donatum, & perpetuum confirmatum nostrae manus subscriptione roborauimus, & in aeternae memoriae testimonium Sigilli nostri impressione insignire iussimus.

Guntherius Cancellarius vice Erchanbaldi Archicapellani notauit.

Data VI. Calendas Iulii, Indictione IX. Anno Dominicae Incarnationis Millesimo vndecimo. Anno vero Domini Henrici secundi regnantis X.

Actum Regenesburg feliciter. Amen.

No. XVI.

Monasterio S. Zenonis Veronensis Henricus III. Imp. confirmat praedia & iura sua, nominatim ea, quae Welfus Dux Carentanorum & Marchio Veronensis dedit.

Anno 1055. Ex Murator. Antiq. Estens. Part. I. p. 6.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Imperialem sublimitatem condecet, vt quanto caeteris dignitatibus excelsior colitur, tanto iustis petitionibus Deo seruientium benignior, nec non clementior inueniatur. Quapropter notum esse volumus omnibus Sanctae Dei Ecclesiae, nostrisque fidelibus, tam futuris, quam praesentibus, qualiter *Albericus*, Abbas Monasterii Sancti Zenonis Martyris, nostram clementiam suppliciter exorando adiit ob amorem Dei Omnipotentis, Beatique Zenonis Martyris reuerentiam, multum nos deprecans, vt bona iam dicti Monasterii, quae Bonefacius Marchio, & sui serui iniuste ac violenter inuaserant, per praecepti nostri confirmationem eidem Coenobio recuperando corroboraremus. Nos vero iustis eius petitionibus consentientes, pro remedio animae nostrae, & ob interuentum dilectissimae Coniugis nostrae, Imperatricis *Agnetis*, & propter incrementum Filii nostri *HEINRICI* Quarti Regis, praedicto Monasterio concedendo confirmamus siluam Sancti Petri sitam in Fissaro; finis eius Agricia, & Finale, & Zuuiola Mantuana, & Ortigedulum, & Piscariam, quae vocatur Dirupta, vsque ad pectus Ruzè; nec non & siluam in Villa Picta, quae nominatur Spissia, & aliam, quae vocatur Sumadalta, quae cernit fines a silua Sancti Vigilii vsque in silua Sancti Saluatoris, ex vno capite Nocitulum, ex alio Agriciam, & Sanaidam, & Fontanam Ramenti; aliam vero siluam in Mauriatica, quae nominatur Runca; finis ei Via Episcopalis, & sedimen album, ex vno capite Agricia, ex alio Sanaida, & terra in Castellione, & in Mulinello, & in Runco Saurello; similiter siluam in Gaium in loco, qui vocatur Casaleorci, & Villam, quae vocatur Aspo prope Tartaro, nec non & Villam, quae vocatur Campo Palliario, siluas etiam sitas in Herbeto, & inter Ben-

tiolo; itemque terram & ſiluam in Oſtilia, quas tenuit *Albertus* de *Baiuaria*, & *Richilda*, cuius fines ſunt a Pado vsque in caput Turnioni, & a Foſſa Lubia vsque ad Foſſam Regiam, & *Pollicinem* iuxta Caſtrum Reueri. Damus etiam terram cum caſis in Fatuledo, & in Vaduſerrario, & in Vadupigocii, quam *Bonifacius Marchio* per commutationem dedit Monaſterio Sancti Zenonis, ea videlicet ratione, vt nullus Archi Epiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, Vice-Comes, Sculdachio, ſeu aliqua magna vel parua noſtri Regni perſona, hanc noſtri praecepti conſtitutionem ac largitionem praedicti Monaſterii Sancti Zenonis aliquo modo ſine legali iudicio violare praeſumat. Inſuper etiam placuit noſtrae Serenitati ob aeternam remunerationem ſtatuendo ſancire, vt Caſtrum, quod dicitur Monticulum in Valle Prouinianenſe, quod liberi homines eiusdem Caſtri per cartulam offerſionis Sancto Zenoni obtulerunt, cum omnibus rebus iam dicti Caſtri pertinentibus, cum omni debito, diſtrictione, atque placito noſtro & Comitis, iam dicto Monaſterio Sancti Zenoni ad ſuorum praebendam Monachorum donamus & proprietamus elemoſinam. Similiter etiam ſtatuimus, vt diſtrictum duodecim hominum Harimannorum, quos *WELPHO glorioſus Dux* per inueſtituram contulit Sancto Zenoni, quattuor videlicet ſupra dictorum hominum habitantes in Caſtro Gebitus, hi ſunt Rodeuertus, qui Mannaria dicitur, & Zeno filius Reginzonis, & Pſallio Gutturoſus, ac Petrus filius Penzonis; nec non & alii quattuor habitantes in Caſtro Ilas, hi ſunt Bonaldus & Galiutus germani, Rambertus & Martinus germani, & Pizolo; ſimiliter alii quattuor habitantes in Caſtro, quod dicitur Montealto, Cotprando, Zeno, Aciprando, & item Zeno, qui prius ad noſtrum diſtrictum reſpiciebant, cum omnibus rebus illorum hominum ad ſe pertinentibus, ſeu cum omni debito, diſtrictione, atque placito, Sancto Zenoni donamus & proprietamus Monaſterio. Vt poſt haec nec Dux, nec Comes, nec vllius poteſtatis perſona habeat poteſtatem placitandi, aut vllo modo inuadendi. Si vero, quod futurum non credimus, aliquis Dux, Comes, aut cuiuslibet adminiſtrationis perſona, contra omnia ſupra ſcripta moliri aliquid praeſumpſerit. &c.

Signum Domni *HEINRICI Tertii* Regis Inuictiſſimi, Secundi Romanorum Imperatoris Auguſti.

Guntherius Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognouit.

Data III. Idus Nouembris, Anno Dominicae Incarnationis MLV. Indict. VIII. Anno Domni Heinrici Tertii Regis, Imperatoris autem Secundi, Ordinationis eius XXVII. Regni quidem XVII. Imperii vero VIIII.

Actum Veronae in Dei nomine feliciter Amen. (*)

ORIGI-

*) Adeſt Sigillum cereum cum effigie Imperatoris, quod tamen cum aere exprimi non curauerit Muratorius, nec nos Lectoribus conſpiciendum dare poſſumus, ne ex ingenio illud finxiſſe videamur.

ORIGINVM GVELFICARVM

LIBER VI.

QVO

GVELFORVM POSTERIORVM,

BAVARIAE NIMIRVM ET SAXONIAE DVCVM,

AB AZONE MARCHIONE LIGVRIAE ORTORVM

SVCCESSIO CONTINETVR.

CONSPECTVS
LIBRI VI.

CAPVT I.

De *Welfo I.* Azonis Marchionis & Cunigundis Guelficae filio, Duce Bauariae, & forore eius *Athelafia.*

CAPVT II.

De Azonis Marchionis & Garfendis Cenomanicae liberis, *Fulcone* inprimis, a quo *Sereniffimi Ferrariae & Mutinae Duces*, quorum Tabula Genealogica fubiicitur, defcendunt.

CAPVT III.

De Welfi I. liberis *Welfo II.* Bauariae & Spoleti Duce, Tufciae Marchione, inclytae Mathildis marito, deque *Henrico Nigro*, itidem Bauariae Duce.

CAPVT IV.

De Henrici Nigri filiis, *Conrado* Monacho Ciftertienfi, *Henrico Magnanimo* Bauariae & Saxoniae Duce, & *Welfo III.* Spoletano Duce, Marchione Tufciae, Principe Sardiniae &c. eorumque fororibus.

Figurae huic libro inserendae sunt.

Effigies Welfi IV. Ducis Noricorum.

Effigies Henrici Nigri, Ducis Noricorum.

Effigies S. Blasii Brunsuicensis.

Gertrudis Marchionissae donum reliquiarium. Tabulis II. expressum.

Eiusdem arcula.

Tumba Lotharii Imperatoris in Monasterio Lutterensi conspicua.

Effigies Henrici, vulgo Superbi dicti, Ducis Bauariae & Saxoniae.

LIBRI



LIBRI VI.

CAP. I.

De *Welfo I.* Azonis Marchionis & Cunegundis Guelficae filio, Duce Bauariae, & forore eius *Athelasia.*

§. 1. Ratio connexionis huius libri cum praecedentibus.

§. 2. Noua iam historiae Genealogicae subsidia sigilla & numi praebent; vbi obiter Bernhardi I. Ducis Saxoniae solidi duo Luneburgi cusi proponuntur.

§. 3. *Welfus IV.* Azonis Marchionis & Cunegundis Guelficae filius, auunculo *Welfo III.* Carinthiae Duci, sine prole mortuo *in bonis hereditariis Familiae Guelficae* successit.

§. 4. Is cum ad partes Henrici IV. Imperatoris transiisset, Ducatum Bauariae socero suo Ottoni Northeimensi ereptum meruit.

§. 5. Postea repudiata prima coniuge vxorem duxit *Iuditham*, Balduini Pii Comitis Flandriae filiam.

§. 6. Quae vidua erat Tosti, Godwini Comitis Northumbriae filii, cuius fata late recensentur,

§. 7. Haec Iuditha, ex qua filios suscepit *Welfum & Henricum*; Regina Angliae a quibusdam Scriptoribus nominatur, quod Tosto contra fratrem Heraldum Regnum affectasset.

§. 8. Ipsa cum marito A. 1074. in Monasterium Reitenbuchense liberalis exstitit.

§. 9. Welfus Dux licet A. 1073. iam in fide erga Imperatorem nutasse visus sit, tamen mox in gratiam cum eo rediit, & A. 1075. in praelio aduersus Saxones egregiam ei operam nauauit.

§. 10. Anno tamen sequenti partes Imperatoris deseruit, illisque accessit Principibus, qui Rudolfum Ducem Sueuiae contra Henricum IV. ad Regiam dignitatem euexerunt.

§. 11. Hinc Imperator ex Italia redux terras eius vastauit.

§. 12. Caussa, quae Welfum ab Imperatore alienum reddiderat, etiam fuit Ferrariensis Principatus, quem Pater eius, Azo, feudi iure a Pontifice habuit.

§. 13.

§. 13. Vnde etiam occiso Anti Caesare Rudolfo Principibus tamen adhaesit, qui se *S. Petri fideles* vocarunt, quod Pontificem contra Imperatorem tuiti essent.

§. 14. In mediis his bellicis fluctibus Welfus Monasterium Raitenbuchense fundauit.

§. 15. A. 1091. Caesari reconciliari voluit, sed sine effectu.

§. 16. Hoc ipso anno vxor eius Iuditha moritur.

§. 17. Caeterum Welfus noster ob collata in Monasterium Weingartense beneficia celebratur.

§. 18. Post diuortium filii sui Welfi V. cum Mathilda Ducatrice a partibus Pontificis recessit, Caesarique reconciliatus est.

§. 19. A. 1097. mortuo Patre Azone Marchione cum fratribus consanguineis de hereditate paterna acre bellum gessit.

§. 20. Imperatori tamen ab eo tempore, quo ei reconciliatus est, summa fide semper adhaesit, & pro filio suo successionem in Ducatu Bauariae obtinuit.

§. 21. Reliquum vitae tempus sacris rebus & negotiis impendit, Ecclesias & Monasteria ditauit, susceptoque in Palaestinam itinere mortuus est.

§. 22. Exploditur fabula de poenitentia Welfi Ducis ob necem in Episcopo Augustano commissam.

§. 23. Soror Welfi fuisse videtur *Athelasia* in aula Mathildis Comitissae educata.

§. 24. Haec nobili viro nupta proauia fuit Coelestini III. Pontificis.

§. 1.

PROGENITORES SERENISSIMAE DOMVS BRVNSVICO-LVBVRGENSIS hactenus enarrauimus, & vnde illi in Bauariam & Sueuiam venerint, Libro I. indagauimus; Libro II. eosdem in Italia potentes Tusciae & Liguriae Marchiones inuenimus, seriemque illorum vsque ad Azonem, Cunigundis Guelficae maritum, pertexuimus; Libro III. Mathildis Ducatricis Maiores remotis fabulis ex his iisdem fuisse ostendimus, fataque Ducatus Spoletani & Marchiae Tuscorum post obitum eius eruimus; Libro IV. diximus, Guelfos Bauaro-Sueuos, a quibus Iuditha Imperatrix & Reges Burgundiae posteriores orti sunt, ex eadem Familia prodiisse, quae laudatorum Tusciae & Liguriae Marchionum Progenitores in Bauaria seuit. Libro V. continuauimus generationes Guelforum ab Etichone, fratre Iudithae Imperatricis, vsque ad Cunigundem, Azonis Marchionis coniugem, stirpis suae vltimam & heredem. Iam Libro hoc VI. ad propiora tempora atque in Germaniam deuenimus, in qua ex Italia ortus WELFVS, Ducatumque Bauariae consecutus, *Guelficam gentem recentiorem* propagauit, quae & Saxoniae Ducatum Bauarico iunxit, rebus gestis gloriosa, terris diues, potentia formidanda. Hinc ea inuidiae quidem obiecta est Familiae Imperatoriae seu Gibellinae, & pressa paulisper; sed mox lacertos mouit, atque ad pristinum decus sensim assurrexit.

rexit. Bauaria quidem ab aemulis erepta est; & bona Italica Sueuicaque patruus Henrici Leonis malignus pessumdederat. Eiusdem tamen Henrici Leonis Ducis filius, OTTO, Imperatoriam coronam adeptus est, & nepos, item OTTO dictus, auiti Ducatus dignitatem plenariam recepit, Guelficam stirpem Gibellinae reconciliauit, auctorque Potentissimae in Saxonia Electoralis & Ducalis Familiae factus est. Hucusque igitur Historiam nostram Genealogicam deducemus.

§. 2.

Duo autem egregia adminicula hic nobis se offerunt, quibus seriem generationum firmare, decusque Principum nostrorum distinctius explicare possumus, *Sigilla* nempe & *Numi*. Duces caeterosque Principes ante Saeculum duodecimum Sigillis vsos non constat: cruces aut monogrammata nominum sola sub litteris Chartisque eorum solennibus inueniuntur. Nec ante idem Saeculum numi eorum obuiam fiunt, si vnum alterumque saltem excipias. Nuper Holmia Doctissimus Kederus denarium ad me beneuole misit, cum aliis Ottonum Imperatorum numis in Suecia forte fortuna e terra erutum, in quo sistitur *Bernardus Dux* Saxoniae, Hermanno Billingo natus. In antica est Caput stemmate Ducali, quod Fridericus I. Imperator in Diplomate, quo Henricum Anno 1156. ex Marchione Ducem Austriae facit, *sertum pinnitum* vocat, ornatum, & circum legitur: BERNHARDVS DVX; in altera cernitur paruula crux, & in circuitu sunt verba: IN NOMINE DNI ISC, hoc est, *In nomine Domini nostri Iesu Christi.* Tentzelius olim eiusdem numi delineationem e Suecia accepit ab eruditissimo Brennero; sed eam non accurate expressam esse cuiuis patebit, qui Colloquiorum menstruorum Annum 1698. Mense Octobri euoluet. Miro fato, dum haec scribo, a Maxime Reuerendo Mellenio, verbi diuini apud Lubecenses Ministro accipio ectypum alius numi, magnitudine & pretio huic similis; sed in antica est manus aperta desuper cruci imposita, & circum cernitur: BERNHARDVS. In auersa vero parte est crux inter quatuor circellos, & circumscriptum: LIVNIBVRHC. Vtrumque aeri incisum hic spectandum exhibemus;





certi omnino & persuasi, eos BERNHARDI Ducis Saxoniae, & quidem eius nominis primi, esse. Manus desuper crucem tangens *Dexteram*

Dei denotat, qua Bernhardus Ducatum suum inter tot turbas se tueri profitetur. Eadem plane figura, manus nempe e nubibus super crucem extensa, cernitur Fuldae in vetusto Lapide sepulchrali *Simonis Laici de Slitese*, Satoris Familiae Baronum Goertziorum, ex quibus fuit Illustrissimus in toga Heros Fridericus Wilhelmus Liber Baro a Goertz, Regi nostro in Electoratu suo a Consiliis intimis aerariique praefectura; & in circuitu extant verba: FECIT VIRTVTEM DEXTERA DNI. Inter Principes nostros Henricum cognomento Nigrum, Ducem Bauariae primum esse inueni, qui Sigillo vsus, Numos autem ante Henricum Leonem nostrorum Principum quempiam cudi fecisse nondum exploratum habeo. Quae enim quidam de Numo Henrici Superbi afferunt, supra iam confutaui. Ab his itaque Principibus initium faciemus historiam Ducum nostrorum Sigillis etiam atque Numis illustrandi. Sed iam ad seriem rerum redimus.

§. 3.

Primogenitus *Azonis* Marchionis Liguriae e *Cunegunde Guelfica* filius fuit WELFVS IV. (a) ab auo materno ita dictus, vti Lib. V. Cap. VIII. §. 2. & Lib. II. Cap. X. §. 1. id iam manifestum reddidimus. Educatus is fuit in Italia apud patrem, sed cum Anno 1055. auunculus eius, WELFVS III. Dux Carinthiae, sine prole obiisset, in Germaniam profectus est, & ope potissimum auiae maternae *Irmentrudis* siue *Imizae* tunc adhuc superstitis, hereditatem Guelforum Bauaro-Sueuicorum collegit.

§. 4.

Motibus deinde inter Henricum IV. Imperatorem & Proceres Germaniae exortis, Welfus primum in partibus Procerum fuit. Et tunc duxit ETHELINDAM, Ottonis ex Comitum Northemiorum stirpe Bauariae Ducis

a) Rectius omnino cum Welfo nostro, nouae Stirpis auctore, nouam Welforum seriem auspicaremur, eumque Welfum primum, ex Italico scilicet genere, nuncuparemus. Multo concinnius autem a notis numeralibus prorsus abstinentes, Welfos posteriores per certa cognomina distinguemus. Si enim vsus receptus, Welfi nostri posteros, qui nomen Henrici gesserunt, per cognomina distinguendi etiamnum perdurat, satisque commode fit, vt pro Henrico I. Nigrum; pro Henrico II. Superbum seu Magnanimum; pro Henrico III. Leonem dicamus; nihil vtique obstat, quo minus maioris perspicuitatis caussa Welfis quoque certa cognomina, ex habitu vel corporis vel animi desumta, indamus, primumque Welfum, *Fortem* seu *Conquaestorem*; secundum, Welfum *Crassum* seu *Pinguem*; tertium, Welfum *Mitem*; quartum, Welfum *iuuenem* seu vltimum adpellitemus: praesertim cum Auentinum in tabulis Genealogicis germanicis, Crusium in monumentis Zwifaltensibus, ac alios nonnullos veterum aliis in locis id ex parte iam olim fecisse videamus. Cui rei vt tanto facilius assuefiamus, en! haec cognomina posteriorum Welforum in breuem tabulam redacta:

Azo Marchio & Cunegundis Guelfica.

Welfus Fortis seu Conquaestor.

Welfus Crassus seu Pinguis.	Henricus Niger.	
	Henricus Superbus.	Welfus Mitis.
	Henricus Leo.	Welfus iuuenis seu Flos iuuenum.

Ducis filiam, vti id ex verbis Lamberti Schafnaburgensis & Annalistae Saxonis mox patebit. Sed Ottone apud Imperatorem accusato, & Anno 1070. Ducatu Bauariae priuato, Henricus IV. Welfum nostrum in suas partes, concesso illi Bauariae Ducatu pertraxit. Ingens dignitas fauore Regis obtenta tunc illum mouit, vt necessitudinem cum Ottone abrumperet, filiamque ipsius a thoro suo separaret. Lambertus hoc nos ad Annum 1071. edocet his verbis: *Rex natalem Domini Goslariae celebrauit. Ibi per interuentum Rudolphi Ducis Sueuorum, Welf filius Azzonis, Marchionis Italorum, Ducatum Baioariae suscepit. Is filiam Ottonis Ducis Baioariorum vxorem duxerat, & per iusiurandum altera iam vice matrimonio fidem dixerat. Quamdiu itaque res tranquillae erant, quamdiu etiam bellum temere coeptum sine grandi permutatione rerum sedari posse sperabat, maritalem vxori affectum & honorem deferebat, & causam Soceri quantum poterat, armis & consiliis tuebatur. At vbi animaduertit datam in eum esse sententiam, & bellum iracundiamque Regis magis indies aduersus eum crudescere, leges omnes vinculaque omnia, quibus vicissim propinquitatem firmauerant, abrupit; satius putans, periurii crimen & violatae fidei verecundiam sustinere, quam res suas florentissimas desperatis ac perditis eius rebus admiscere. Et primo in tam trepidis rebus petenti auxilium denegauit; deinde filiam eius a complexibus suis & thori consortio segregauit, patrique remisit; postremo ad ipsum eius Ducatum occupandum omnem operam intendit, nihil pensi habens, quantum auri, quantum argenti, quantum redituum ac possessionum suarum dilapidaret, dummodo quod cupiebat, assequeretur. Directus est ergo dolus in manu eius, & potuit & inualuit, cunctis detestantibus, quod clarissimam atque inopinatissimam in Republica dignitatem tam foeda ambitione polluisset.* Annalista Saxo eadem habet; quaedam tamen addit, & Welfum inter caetera *virum illustrem, acrem & bellicosum* vocat. Et talis omnino opponi debebat Ottoni Principi sui aeui fortissimo. Deinde de coniugio eius cum filia Ottonis loquens, dicit de eodem: *Is Ottonis de Northeim, qui hactenus Bauariae Ducatum tenuerat, filiam nomine ETHELINDAM vxorem duxerat.* Vnde nomen filiae Ottonis discimus. Similia *ex Annalista* hausit (b) Botho in Chronico Brunsuicensi Picturato ad An. 1063. *By der Leyne*, inquiens, *was eyn Hertoghe Otto, de dat Closter to Northem funderde. Dusse dat was ein Hertoghe to Beye-*

 ren

b) Si hoc; nulla ratio apparet, cur huius Scriptoris a tempore rei gestae & a regione, vbi gesta, tam remoti aduocetur testimonium, nisi dixeris, Dn. Eccardum vernacula Saxonica vltra modum delectatum fuisse, & in errore huius boni viri, qui Welfum ex quodam Kuntzone genitum tradidit, nescio quas delicias quaesiuisse. Ego vero, vbi Annalistam veterem praeeuntem habeo, vernaculi nugatoris testimonium flocci faciendum esse existimo

ren unde ein Greve to Nothem, de satte sick wedder den Keyser Hinrick den veerden, de nam öme dat Hertogedom to Beyeren, unde gaff dat synem Swager WOLPY, des olden Greven Kuntzen Sone: dem was gelovet dusses Hertoghen Otten, unde Greven van Northem Dochter, de het ETHELINA; de vorleyt he, do he eyn Hertoghe wart to Beyeren in öres Vaders Stidde, umme den willen, dat he do moste Byvall don den Keyser unde synem Swager affvallen. Do nam se wedder Greve Herman van Westvalen. Discimus ex hoc Bothonis loco, *Ethelindam* postea nupsisse Hermanno de Westfalia siue de Caluerla: sed idem etiam affirmat Annalista Saxo ad An. 1082. de liberis Ottonis Ducis inter alia scribens: *Ex quibus vnam, nomine ETHELINDAM, accepit Welfo Dux Bauariae, & postquam eam repudiauit, duxit eam Hermannus Comes de Caluerla, genuitque illi Herimannum Comitem.* Adamus Bremensis Lib. IV. c. 24. meminit quoque, Ducatum Bauariae Welfo datum Anno 1071. *Eodem*, ait, *anno restincta est illa conspiratio prima in Regem facta: in qua Dux Otto & Magnus, deuastata per annum Saxonia, tandem consilio Archi Episcopi* [Bremensis] *in potestatem se Regis dederunt. Rex Ducatum Ottonis WELPO dedit.* (c)

§. 5.

Anno 1071. festiuitate Paschali Coloniae celebrata Rex Henricus Leodium abiit. *Ibi*, vt Lamberti verbis vtar, *vidua Balduini Comitis venit, Regiae Maiestatis patrocinium expetens contra violentiam improbitatemque Rutberti, fratris Balduini, qui & fratrem praelio victum vita priuasset, & Comitatum eius, expulsis vxore & liberis tyrannica crudelitate occupasset.* Causam bellorum inter fratres fuse exponit idem Lambertus; quam tanquam nostra nihil referentem praeterimus. Credibile vero est, *Welfum* nouum Bauariae Ducem tunc in comitatu Regis fuisse, atque apud Richildem, viduam Balduini, vidisse IVDITHAM, viduam

c) Cum hoc modo epocha illati in SERENISSIMAM DOMVM Ducatus Bauarici extra controuersiam sit constituta; quid dicendum est de diplomate apud Hundium (Probat. N. I.) quo initia Owensis Ecclesiae facta esse dicuntur Anno 1068. tempore Hildebrandi Papae, Gebehardi ArchiEpiscopi, Henrici Regis, *WELFONIS Ducis*, Engelberti Comitis, Chunonis Aduocati, Adluini Parochiani? Hoc enim si sequaris, iam Anno 1068. Welfum Bauariae Ducem fuisse suspiceris. At enimvero in numeris annorum vitium cubat. Cum enim Hildebrandus seu Gregorius VII. ante Annum 1073. non inierit summum Pontificatum, & tamen haec, ipso Pontifice, gesta esse dicantur; pronum est coniicere, Anno 1078. potius, quam Anno 1068. diploma datum esse. Instituto tamen Welfo iam Bauariae Duce, Otto Saxo nondum aula cessisse videtur. In promtu enim Henrici IV. diploma est pro Ecclesia Caesariswerdensi scriptum, promulgatumque Wormatiae Anno 1072. (Probat. N. II.) vbi teste Lamberto Schafnaburgensi Rex natalem Domini celebrauit, *subuenientibus & assidentibus Annone Coloniensi ArchiEpiscopo - - - Ducibus quoque Rudolfo Alemanniae, & WELFONE Bauariae, atque OTTONE Saxoniae.*

viduam TOSTI, Balduini occiſi ſororem, & Balduini Pii ex Adela Francica filiam, tuncque Regis inſtinctu nuptias cum ea conſtituiſſe.

§. 6.

IVDITHAM primis nuptiis TOSTVM, filium Godwini Comitis Northumbriae, maritum habuiſſe Ordericus Vitalis Lib. VII. pag. 638. teſtatur: *Adela*, inquiens, *filia Roberti Regis* [Franciae] *Balduino Satrapae Flandrenſi in coniugio data fuit, quae multiplicem ei prolem peperit, Robertum Freſionem, Arnulfum & Balduinum, Conſules; Vdonem Treuirenſium Archi Epiſcopum & Henricum Clericum, Mathildem quoque Reginam Anglorum & IVDITHAM Toſtici Ducis vxorem.* Idem Ordericus iam ſupra Lib. IV. pag. 526. ſcripſerat: *Balduinus gener Roberti Regis Francorum, fortiſſimus Flandrenſium Satrapa fuit, & ex Hadala coniuge ſua filios & filias plures multimoda indole pollentes habuit. Rodbertus Freſio, Arnulfus, Balduinus, Vdo Treuirorum Archi Epiſcopus & Henricus Clericus & Mathildis Regina, atque IVDITH vxor Toſtici Comitis ſoboles Balduini & Hadalae fuit.* Ex Orderico ſine dubio Albericus Monachus Trium fontium hauſit, quae ad Annum 1060. de liberis Adalae & Balduini his quidem verbis refert: *ſoror autem eiusdem Regis Henrici Adela praedicto Balduino Inſulano peperit Balduinum huius nominis ſextum, Robertum cognomento Freſonem, Philippum patrem Gillelmi de Ipra, & filias duas, IVDITH quam nupſit Thoſticus Comes Nordanhumbriorum in Anglia & Mathildem praedictam Normannorum Duciſſam.* Matrimonium hoc Toſtum inter & Iuditham forte contractum eſt circa Annum 1048. cum Pater eius Balduinus Londinum veniſſet, aduerſus Henricum III. Imperatorem imploraturus auxilium Eduardi Regis Angliae, in cuius aula tunc magnae auctoritatis erat Godwinus Weſt-Saxonum Dux, Toſti pater. Mox, quod ſe cum filiis Euſtachio Comiti Bononienſi contra voluntatem Regis oppoſuiſſet, nec arma deponere vellet, Procerum conſenſu in exilium actus eſt. Simeon Dunelmenſis ad Annum 1051. *Qui* [Godwinus] *mox cum coniuge ſua Gytha & TOSTI cum vxore IVDITHA, filia videlicet Baldwini Flandrenſium Comitis, ac duo alii eius filii Suanus & Gyrth, ad Thornegge, vbi nauis eius parata fuerat, venerunt. In qua tantum auri & argenti aliarumque rerum pretioſarum, quam illa portare potuit, feſtinanter imponentes eamque citatim conſcendentes ad Flandrenſium Comitem Baldwinum curſum direxerunt* &c. Anno 1052. Godwinus cum Toſto in Angliam reuertebatur, Rexque illi honores priſtinos licet coactus reſtituebat; ſed anno ſequenti Wintoniae Regiae menſae aſſidens ſubito defunctus eſt, prae-

 ſentibus

ſentibus filiis Toſto & Gyrtha. Ducatum eius Rex filio eius *Haroldo* dedit, quod Toſto infenſior eſſet. Anno tamen 1055. cum Siwardus Northymbrorum Dux obiiſſet, *Ducatus eius*, vt Simeonis verba habent, *Toſtio, Haroldi Ducis germano, datus eſt.* Exinde, Anno praeſertim 1063. fortiter aduerſus Wallos, vna cum fratre, egit. Anno 1065. Toſtus iterum in exilium actus eſt iuſſu Eduardi Regis. Cauſam modo laudatus Simeon Dunelmenſis hanc refert: *Poſt feſtiuitatem S. Michaëlis Archangeli V. Non. Octobris feria II. Northymbrenſes miniſtri Ganielbaru, Dunſtanus filius Agelnothes, Gloinεorn filius Heardulfi cum CC. militibus Eboracum venerunt, & pro execranda nece nobilium Northymbrenſium miniſtrorum Goſpatrici, quem Regina Egitha germani ſui Toſtii cauſa in curia Regis quarta nocte Dominicae natiuitatis per inſidias occidi iuſſit, & Gameli filii Orni, ac Vlfi filii Dolfini, quos anno praecedenti Eboraci in camera ſua ſub pacis foedere per inſidias Comes Toſtius occidere praecepit, nec non pro immenſitate tributi, quod de tota Northymbria iniuſte acceperat, eodem die primitus illius Danicos Huſcarlas, Amundum & Rauenesheartum de fuga retractos, extra ciuitatis muros, ac die ſequenti plus quam CC. viros ex curialibus illius in boreali parte fluminis Humbrae peremerunt. Aerarium quoque ipſius fregerunt, ac omnibus quae ipſius fuerant ablatis, receſſerunt. Omnis de hinc fere Comitatus illius in vnum congregati, Haroldo Weſt-Saxonum Duci & aliis, quos Rex Toſtii rogatu pro pace redintegranda ad eos miſerat, in Northamtonia occurrerunt. Vbi prius & poſt apud Oxenefordam die feſtiuitatis Apoſtolorum Simonis & Iudae, dum Haroldus & alii quamplures Comitem Toſtium cum eis pacificare vellent, omnes vnanimi conſenſu contradixerunt, ac eum cum omnibus qui legem iniquam ſtatuere illum incitauerant, exlegauerunt, & poſt feſtiuitatem omnium Sanctorum cum adiutorio Comitis Edwini de Anglia Toſtium expulerunt. Qui mox cum vxore ſua Baldwinum Flandrenſium Comitem adiit, & apud Sanctum Audomarum hiemem exegit: & iuſſu Regis Morkarus Northumbris eſt praeelectus Comes.* Anno 1066. Rex Eduardus vitam cum morte commutauit, & *Haroldus* callide coronam Angliae ſibi attribuit, contra promiſſa Wilhelmo Normannorum Duci data. Male hoc habebat Toſtum, fratrem eius natu maiorem. Ordericus Vitalis quae ſecuta ſunt hoc modo refert: *Tunc Toſticus Goduini Comitis filius, aduertens Heraldi fratris ſui praeualere facinus, & Regnum Angliae variis grauari oppreſſionibus, aegre tulit, contradixit, & aperte repugnare decreuit. Vnde Heraldus patris Conſulatum, quem Toſticus, quia maior natu erat, longo tempore ſub Eduardo Rege iam tenuerat, ei violenter abſtulit, ipſumque exulare compulit. Exul igitur Toſticus Flandriam expetiit,*

petiit, ibique socero suo Balduino Flandrensium Satrapae Iudith vxorem suam commendauit, deinde festinus Normanniam adiit, & Willelmum Ducem, cur periurum suum regnare sineret, fortiter redarguit: seque fideliter, si ipse cum Normannicis viribus in Angliam transfretaret, Regni decus obtenturum illi spondit. Ipsi nempe iam dudum se inuicem multum amauerant, duasque sorores, per quas amicitia saepe recalescebat, in coniugio habebant. Willelmus autem Dux aduenientem amicum cum gaudio suscepit: amicabili redargutioni eius gratias egit, eiusque exhortationibus animatus Normanniae Proceres conuocauit, & de tanto talique negotio quid agendum esset, palam consuluit. Narrat porro Ordericus, conuenisse inter Wilhelmum & Tostum, vt is in Angliam praeiret, & Wilhelmo aditum pararet. Sed Tostus vi ventorum in Norwegiam propulsus est. Cum vero hoc modo promissis stare non posset, ipse pro se laborauit, Haraldumque Norwegiae Regem induxit, vt classe ipsum in hereditatem paternam reduceret, Regiam dignitatem, si fata velint, in se ipsum deriuaturum. Simeon Dunelmensis de itinere Tosti in Norwegiam nihil habet. Quae autem a reditu eius in Angliam eodem Anno 1066. contigerunt, ita persequitur: *Non multo post Comes Tostius de Flandria rediens* [tunc tamen e Norwegia veniebat] *ad Vectam insulam applicuit, & postquam insulanos sibi tributum & stipendium soluere coëgerat, discessit, & circa ripas maris donec ad Scandicum portum veniret, praedas exercuit. Quo cognito, Rex Haroldus, qui tunc Londoniae morabatur, classem non modicam & equestrem exercitum congregari praecepit. Ipse vero Scandicum portum adire parabat. Quod dum Tostio nuntiatum fuisset, de buthsecarlis quosdam volentes, quosdam nolentes secum assumens, recessit, & cursum ad Lindoriam direxit. In qua villas quamplures incendit, multosque homines neci tradidit. His cognitis, Dux Merciorum Edwinus, & Northymbrorum Comes Morkarus cum exercitu aduolant, illumque de regione ipsa extrudunt. Ille autem inde discedens, Regem Scottorum Malcolmum adiit, & cum eo per totam aestatem mansit. Interea Rex Haroldus ad Scandicum portum venit, ibique classem suam expectauit. Quae cum fuisset congregata, Vectam insulam adiit. Et quia Normannorum Comes Willielmus, Eadwardi Regis consobrinus in Angliam cum exercitu venire parabat, tota aestate & autumno aduentum illius obseruabat. Ad haec etiam pedestrem exercitum locis oportunis circa ripas maris locabat. Adueniente itaque natiuitate Sanctae Mariae, victu deficiente, & classicus & pedestris exercitus domum rediit. Quibus gestis cum classica manu perualida, scilicet plus quingentis magnis nauibus Haroldus Haruager Rex Norreganorum, frater Sancti*

Olaui

Olaui Regis, in ostio Tinae fluminis inprouise applicuit. Ad quem Comes Tostius, vt prius condixerat, sua cum classe venit, & citato cursu ostium Humbrae fluminis intrauerunt, & sic aduersus cursum Vsae fluminis nauigantes, in loco, qui Richale dicitur, applicuerunt, & Eboracum graui pugna obtinuerunt. Quod vbi Regi Haroldo innotuit, versus Northymbriam expeditionem propere mouit. Sed priusquam Rex illuc veniret, duo germani Comites, videlicet Edwinus & Morkarus cum ingenti exercitu in vigilia Sancti Mathaei Apostoli Feria IIII. in boreali ripa Vsae fluminis iuxta Eboracum apud Futford cum Norreganis praelium commisere; & in primo belli impetu viriliter pugnantes, multos prostrauerunt. At postquam diu certatum est, Angli Norreganorum impetum non sufferentes, haud sine paruo detrimento suorum terga dedere, multoque plures ex illis in fluuio demersi fuere, quam in acie cecidere. Norregani vero loco dominantur funeris, & obsidibus D. de Eboraca sumptis, ad naues repedarunt, relictis in ea de suis CL. obsidibus. Verum quinto post hunc diem, id est, VII. Kal. Octobris, Feria II. Rex Anglorum Haroldus multis millibus pugnatorum armis bellicis instructorum Eboracum veniens, & Norreganis in loco, qui Stanfordbriege dicitur, occurrens, in ore gladii Regem Haroldum Comitemque Tostium cum maiori parte sui exercitus occidit, ac plenam victoriam, licet acerrime repugnatum fuisset, habuit. Fatalem hanc Tosti cladem mox insecutus est Wilhelmus Normaniae Dux, qui Haroldum Regem Angliae praelio vicit, interfecit, & vniuersum Angliae Regnum sibi subiecit, *Conquaestoris* inde agnomen vulgo nactus. Apud Wilhelmum Malmesburiensem, Radulfum de Diceto, Rogerium Houedenum & Ranulfum Higdenum eadem fuse exposita reperiuntur. Adamus Bremensis Lib. IV. cap. 169. cum his consentit, & Tosti obitum sic recenset: *Post Regis Sanctissimi Eduardi mortem, contendentibus pro illo Regno Principibus, Haroldus quidam Anglorum Dux, vir maleficus, sceptrum inuasit. Quod dum sibi frater eius nomine Tosti ereptum audiret, Regem Nordmannorum auxilio ducit Haroldum, Regemque Scotorum: & occisus est ibi Tosti, Haroldus & Rex Hyberniae cum toto exercitu a Rege Anglorum.*

§. 7.

Regiam dignitatem affectasse Tostum ex hisce patet. Vnde non mirum, viduam eius a Scriptoribus res gestas rerumque momenta pro ruditate saeculi sui non probe discernentibus *Reginam* vocatam. Eam, vt supra iam innui, Welfus sibi Anno 1071. sponsam elegit, & mox vxorem duxit. Anonymus de Guelfis: *Accepit autem* [Welfus] *Reginam Angliae tunc viduam, filiam scilicet Balduini, nobilissimi Comitis Flandriae,*

Iudi-

Iuditham, in vxorem. Ex qua duos filios, Guelfonem scilicet & Henricum, quorum vterque Ducatum Bauariae, alter post alterum, possederat, progenuit. Et Welfus quidem Iunior hoc ipso anno exeunte vel initio sequentis natus esse debuit, qui Anno 1089. Mathildis Ducatricis maritus factus est; alias enim vix thalamo matronae aptus fuisset. Errat Botho in Chronico Picturato, qui alteram Welfi vxorem vocat *Wichandam, Herodis Regis Angliae viduam.* Neque enim, vt vidimus, *Wichandae*, sed *Iudithae* nomen habuit; neque vidua fuit *Herodis*, ita enim corrupit oscitans librarius nomen Regis *Heroldi*, sed fratris eius *Tosti.*

§. 8.

Cum hac sua *coniuge Iuditha Welfus Dux* Anno 1074. tradidit *ad Cellam, quae vulgo dicitur Raitenpuech,* quendam *sui praedii locum Bebingoë appellatum*, nec non *triginta & vnum Mansos.* Traditionem vtramque Gewoldus ad T. III. Metropolis Salisburg. pag. 109. edidit. Vnde & nos eam Probationibus nostris inseruimus. (Probat. N. III.)

§. 9.

Habuerat interea Imperator Henricus IV. Welfum pluresque potentes Germaniae Principes hactenus in obsequio suo. Sed quod lubricis aliorum consiliis potius obtemperaret, ii Anno 1073. ab ipso alienati sunt. Bertoldus Constantiensis ad hunc annum scribit: *Rodulphus Dux Alemanniae, & Bertulfus Dux Carinthiorum, & WELPH Dux Bauariae, a Rege Henrico discesserunt, quia aliis subintroëuntibus consiliariis, suum consilium apud Regem non valere perspexerunt.* Retraxit tamen eos Imperator in suas partes, & Welfus Anno 1074. XI. Cal. Decemb. interfuit donationi Henrici Regis Episcopo Frisingensi factae, de qua diploma apud Gewoldum l. c. T. I. p. 103. exstat, quod plenius postea exhibuit Maichelbekius in Historia Frisingensi, ex qua infra Probationibus nostris subiicitur. (N. IV.) Eodem anno, rogatu Welfonis Ducis, idem Imperator instaurauit Abbatiam Benedicto-Buranam. Ceu ex Metropoli Salisburgensi discimus, vnde ipsam Chartam infra (Probat. N. V.) exhibitam repetiimus. Anno vero 1075. Welfus Dux Imperatori Henrico IV. validis copiis aduersus Saxones adfuit in proelio Nagelstadensi prope Langensalzam in Thuringia, vbi teste Lamberto Schafnaburgensi ad h. a. *impetum Saxonum Sueui sustinere non potuissent, nisi loco motis iamque pedem retro ferentibus Dux WELF cum exercitu Boioarico accurrisset.* Poëta Anonymus de bello hoc Saxonico agens canit:

Hoc Romanorum sequitur de gente vetusta
Dux Catulus, nomen referens, moresque genusque.

Signa Ducis sequitur gens inclita Baiariorum,
Quam totiens domitis celebrat victoria Parthis.

§. 10.

Volebant Principes Imperatori foederati subdere ei Saxones, non tamen penitus eos opprimere: Hanc vero mentem esse Henrico IV. cum sentirent, viderentque etiam, eum Pontificis Gregorii VII. monita sequi nolle, iterum ab eo recessere. *Alii Duces*, inquit Lambertus, *Rudolfus scilicet Dux Sueuorum, WELF Dux Baioariorum, Bertholdus Dux Carentinorum, Regi auxilium suum petenti denegauerunt; poenitentes, vt aiebant, superiori expeditione in irritum fusi tanti sanguinis; offensi Regis immiti atque implacabili ingenio.* Welfi rationes a Rege discedendi clarius exponit Abbas Vrspergensis his ex Anonymo de Guelfis haustis verbis: *Temporibus Heinrici Imperatoris IV. hic extitit, & bona fide ei adhaesit, donec idem Imperator multis facinoribus reus habitus, Sedi Apostolicae se opposuit, & in mortem praefati Welphonis, vt dicitur, quaedam machinatus fuit. Et tunc recessit ab eo, & cum aliis Principibus Saxoniae & Sueuiae eum impugnauit.* Coniunxere itaque se Anno 1076. aduersus Regem Rudolfus Dux Sueuorum, Welf Dux Boioariorum, Bertholdus Dux Carentinorum, Adalbero Episcopus Wirceburgensis, Herimannus Episcopus Metensis & alii plerique Principes, vt Lambertus testatur. Welfus cum Ottone pridem Duce Bauariae etiam tunc se reconciliauit. Bruno de Bello Saxonico: *Hinc igitur Dux Otto violenter honore suo priuatus, illinc Welph Dux eodem honore non iuste sublimatus, hac conditione sibi inuicem pacis oscula dederunt, vt electo (propter quod ex vtraque parte conuenerant) nouo Rege, quicunque eorum ipsum honorem iure retineret, alter ei non inuidens libenter concederet.* Anno 1077. Rudolfus, Welfus & Bertholdus Duces omnes clusas, per quas ad Italiam itur, Regi illuc tendenti positis custodiis occluserunt, ita vt per Burgundiam Alpesque Penninas illuc iter facere compelleretur. Inter eos, qui recta via Regem eo sequi instituerant, Rupertus Bambergensis Episcopus a Welfo captus est, qui, sublatis omnibus, quae illius fuerant peculiaria, vestes pontificales & caeterum Ecclesiasticum ornatum, quem in thesauris eius reperit, Ecclesiae Babenbergensi cum omni integritate reconsignauit; ipsum vero Episcopum --- sub diligenti custodia tenuit, vt Lambertus Schafnaburgensis ad h. a. narrat. Pertinet ad hoc negotium Cleri Bambergensis conquestio de captione Episcopi sui scripta, quam cum litteris pro liberatione eius ad ipsum Welfum Ducem datis infra (Probat. N. VI. & VII.) subiicimus. Ipsi

autem

autem Principes Henrico IV. offensi iam eo absente Rudolfum Ducem Sueuiae ad Regiam dignitatem euexerunt.

§. 11.

Nec mouit Welfum, quod Henricus IV. Anno 1078. ex Italia redux terras eius vastaret. Contra ea Welfus anno sequenti Curiensibus Nordbertum Episcopum; quemadmodum Anno 1089. Augiensibus diuitis Insulae Vdalricum de Lupfen, Fratribus tamen consentientibus, Abbatum dedit, consecratum in Concilio Placentino per Vrbanum PP. II. praesente Gebehardo Zaringensi, Constantiensi Episcopo. Crusius Annal. Part. II. p. 244. 267.

§. 12.

Sequebatur igitur monita patris Azonis & magnae Ducatricis Mathildis, Pontificique addictissimus erat, quod in Italia eius fauore indigeret ob bona patrimonialia ibi sita, nec non ob feudum, quod a Pontifice pater eius habebat, ipseque recipere post eum debebat. Intelligimus hoc ex Epistola Papae Gregorii apud Baronium Anno 1081. ad Episcopum Patauiensem & Abbatem Hirsaugiensem scripta, vbi inter alia: *Si Henricus*, inquit, *forte Longobardiam intrauerit, admonere te etiam, charissime Frater, volumus, Ducem WELPHONEM, vt fidelitatem B. Petro faciat, sicut coram Imperatrice Agnete & Episcopo Comano mecum disposuit, concesso sibi post mortem patris eius beneficio: illum enim totum in gremium B. Petri desideramus collocare, & ad eius seruitium specialiter prouocare.* Beneficium hic de *Ferraria* intelligit Baronius, nec absone. Thedaldum quidem Mathildis auum, Ferrariam a Pontifice in feudum accepisse, a Domnizone edocemur. Habuerat & eam eius filius Bonifacius; sed hoc mortuo Azo Marchio eandem a Pontifice recepit. Hoc certum est, Mathildem nihil negotii Ferrariae vnquam habuisse.

§. 13.

Rudolfus interea Rex Anno 1080. praelio victus erat ab Henrico Rege, & ex amputata manu occubuit. Sed nihilominus confoederati Principes Henrico aduersi permanebant. Eligebatur inde statim ab iis ex voluntate Pontificis in Rudolfi locum *Hermannus Lotharingiae Comes,* qui tamen Regium nomen non diu tuitus est. Welfus nihilominus & Henricum & asseclas eius feruentissime persequi pergebat. Fautorem eius Sigefridum, Augustanum Episcopum, post acres concertationes Anno 1083. cepit, vrbesque Augustam & Frisingam vastauit. Anonymus de Guelfis, Apologia Henrici IV. Vrspergensis, Otto Frisingensis & Chro-

nicon Auſtrale hiſce de rebus poterunt euolui. Nos ſolius Bertholdi Conſtantienſis verba haec adducimus: *WELPHO Dux Baioariae ciuitatem Auguſtam a quodam Sigefrido, nec nominando Epiſcopo, cum Baioariis inuaſam, viriliter eripuit, eamque legitimo Paſtori Wigoldo ſubiugauit.* Sigefridum Caeſar, Wigoldum Welfus Auguſtae Epiſcopum dederat per ſuae quisque factionis homines e gremio Capituli. At Sigefridus potentior & Canonicis acceptior fuit. Vnde Wigoldus Fueſſae ad Licum, qui locus in Ducis Welfi patrimonio fuit, reſidere conſueuerat, donec armis Welfi in vrbem duceretur. Auguſtam tamen Imperator, ex Italia redux, mox recepit, Welfumque Ducatu priuauit. Ille nihilominus ſociis, qui ſe *S. Petri fideles* vocabant, fidus adhaeſit, & Anno 1086. etiam Principibus Boioariorum reconciliatus eſt. Henricus tunc Imperator Ratisbonae pene captiuus detentus, & inde tandem elapſus ciuitatem Welſo occupandam reliquit, cui & Friſinga ſe dedidit. Mox conuentum Principum ad Herbipolim condictum cum turbare conaretur Henricus, ventum eſt ad pugnam, in qua *Welſus* Dux *cum Legione ſua pedes inceſſit*, victoriamque reportauit. Bertholdus Conſtantienſis Presbyter hic praeſens fuit, eiusque narratio fidem meretur. Anno 1088. Auguſta a Welſo denuo ſubiugata, & Sigefridus Epiſcopus in vincula coniectus (d) Rauensburgi per biennium aſſeruatus eſt, teſtibus Bertholdo, Anonymo de Guelfis & Abbate Vrſpergenſi. Hinc de matrimonio filii Welfi cum Mathilde tractatum, illudque, vt ſupra oſtendimus, Anno 1089. concluſum eſt.

§. 14.

Inter arma tamen & negotia domeſtica non oblitus eſt *Welſus* cultus diuini, qui ea aetate Monaſteriorum aedificatione augeri cenſebatur. Raitenbuchae itaque Cellam in Coenobium Canonicorum S. Auguſtini mutauit, bonis eximiis vna cum coniuge *Iudita* dotauit, Sedique Apoſtolicae ſubiecit, vt intelligetur infra (Probat. N. VIII.) ex Vrbani II. Bulla 1090. Indict. XV. data, quam Gewoldus primus l. c. T. III. p. 99. ſq. publi-

d) Aiunt recentiores quidam, Sigefridum apud ſe habuiſſe quendam miniſtrum, virum nobilem, Vdalricum Pincernam de Blanckenberg. Is defenſurus Dominum ſuum, & hoſti ſe pro eo obiiciens a Welſo trucidatus eſſe dicitur. Achilles Gaſſarus ad Annum 1085. addit, eſſe, qui Welfum Algoia-Boiorum poenitentia ductum, dimiſſo memorato Sigefrido, quidquid violauerit officiis & muneribus recompenſaſſe tradant. Bruſchius ait, ab Epiſcopo redemte Pincernam hoc Epitaphio fuiſſe ornatum:

Pontificis fidi vitam tego dum Sigefridi
Vdalricus ego, ſic tibi notus ero.
Welpho ferens aciem gladio me ſtrauit inermem.
Ne patiar gladios, tu pete, tartareos.

Sed ego quouis pignore certarim, Bruſchium ipſummet hos feciſſe verſiculos. Rumor inde increbuit, Welfum occidiſſe Epiſcopum, & hinc nata fabula de poenitentia Welfi Ducis.

publicauit. In ea Welfum Ducem *fideliſſimum Romanae Eccleſiae filium*, itemque *egregiae ſtrenuitatis Ducem* vocat. Ipſam fundationem huius Coenobii (e) Anno 1085. peractam Arenpekius & Hundius referunt. Bertholdus Conſtantienſis auctor eſt, ad hanc Canonicorum congregationem *in allodio ſuo* inſtituendam conſilio vſum eſſe Altmanni, Epiſcopi Pataulenſis, qui Anno 1091. deceſſit.

§. 15.

Eodem Anno 1091. Welfus in Italiam ſecedebat, vt tandem Imperatorem placaret, ſibique & filio ablata reciperet. Sed nihil profectum, Imperatore conditiones recuſante; vt iterum Bertholdus Conſtantienſis indicat. Plures tamen tunc ex Alemannis eidem Imperatori reconciliati ſunt, ex quibus etiam fuiſſe puto Vdalricum de Brigantio, qui Anno 1094. Welfi terris multas moleſtias intulit.

§. 16.

Eodem anno, vt Bertholdi verbis vtar, *IVDINTA, vxor Ducis Welphonis Baioariae iam diu infirmata, & ea caſtigatione non parum meliorata, diem clauſit extremum, quarto Non. Martii, & apud Monaſterium, quod maritus eius in honorem S. Martini in proprio allodio conſtruxit, a Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo honorifice ſepelitur.* Ad quod Mona-


Mm 3 *ſterium*

e) Litterae fundationis in lucem nondum ſunt productae. Matthaeus Raderus tamen, qui Raitenbuchenſia diplomata inſpexit, Bauar. Sanct. T. III. p. 99. duo Sigilla Welfi alterum, alterum Iudithae in aes inciſa exhibet, quae diplomati fundationis, non vero donationibus ex Anno 1074. quia in his nulla Sigillorum mentio eſt, appendere puto, & fide laudati Raderi hic repeto.

GUELFO QUARTUS.



IUDITHA.



Ex monumentis Raitenbuechensis.

Fundationis tamen inſtar habentur Vrbani PP. II. duae Bullae, quarum altera ex Anno 1090. ipſa fundatio; altera ex Anno 1092. Vdalricus, primus Sacri Collegii Praepoſitus, confirmatur. Autographa non ſine admiratione veterum characterum, inſpexiſſe ſe teſtatur R. P. Meichelbeck Hiſtor. Friſing. T. I. p. 267. vbi ex vetuſto Poëta neſcio quo hos in laudem conditoris Welfi verſus effuſos recitat:

In

sterium maritus eius Dux Capellam ipsius tradidit, (f) *quae in auro & argento & pretiosissimis paramentis mille libras pene valuit, idemque Monasterium in possessionibus centum pene mansis meliorauit*, (g) *sicque melioratum & de sua potestate emancipatum S. Petro sub eius tributario contradidit, vt Apostolicae Sedi deinceps principaliter subiaceret, & sub eius defensione, vt alia libera Monasteria, iure perpetuo polleret.* In veteri quidem Kalendario, quod vetusto libro Euangeliorum, in Monasterio Weingartensi asseruato praemittitur, obitum Iudithae aliter annotatum reperit Mabillon. itiner. German. p. 43. Ibi enim scriptum: *III. Nonas Augusti Iudita Dux.* Quae conciliari nequeunt, si quidem vtrique scriptioni fidem suam constare volumus, nisi dicamus, Bertoldum Historicum diem obitus, Monachum autem Weingartensem diem sepulturae annotasse, diem, inquam, quo Iuditha Dux in templo Weingartensi humata fuit.

§. 17.

In populo quasi lux effulgens Welfo pius Dux,
Qui dulcis quasi nux, cunctis nec corde fuit trux,
Huius fundator Claustri fuit & releuator.
Summus plasmator ipsius sit renouator!

Ibidem primae fundationis memoriam his duobus versiculis conseruatam deprehendo:

Anno milleno septuagesimo quoque quarto
Dux Welfo insignis virtutibus claruit dignis.

Forte Poëta scripserat,

- - - - *Virtute claret vt ignis.*

De Iuditha autem Poëta ita lusit:

Iudith dicta locum struxi studiosius ipsum
Ergo mei memores, precor, vt sint hic famulantes.

f) In alio libro Weingartensi Mabillonius loco supra citato haec inscripta inuenit: *Regina Angliae hic sepulta. Dedit pretiosissimum thesaurum Ecclesiae, sanguinem Dominicum* (leg. *Domini cum*) *reliquiis Sanctorum, pallis & plenariis*, id est, *Missalibus integris*, addit Mabillon; vereor, vt recte. Habemus enim inter reliquias nostras Hanoueranas duos libros vetustissimos membranaceos, crasso tegumento sed vario ac miro ornatu inductos, quorum alteri quod infra Cap. IV. accuratius describetur, inscriptum: *Anno Domini MCCCXXVI. renouatum est* (nam scriptura ipsa est ex aeuo Carolingico circa tempora Ludouici Germanici) *Plenarium istud, in quo positae sunt istae reliquiae:* quarum additur catalogus. In altero: *Anno Domini MCCCXXXIX. factum est Plenarium istud, cui impositae sunt reliquiae istae: Sanguis Domini sacramentalis* &c. Et tamen hi libri, etsi *Plenaria* appellentur, non canonem missaticum, sed sola Euangelia Dominicarum & Festorum dierum continent, adeoque *Lectionaria* sunt. Vnde *Plenaria* non a canone missatico *pleno*, sed inde dicta puto, quod libri tegumentum reliquiis *plenum* ac refertum sit. Ab omni autem verisimilitudine abhorrens Crusii sententia est, qui Annal. Part. II. p. 327. *plenarium* a graeco πλύνειν deducens, *plynarium* appellat, *sacrum*que *malluuium* interpretatur. Quid enim malluuio commune cum libro? Caeterum quae hic donata sacra supellex memoratur, constituit id, quod Bertoldus *capellam* appellat. Capella enim est totus ille vestimentorum, reliquiarum, sacrorum vasorum & librorum apparatus, Episcopo vel Sacerdoti Missam dicturo necessarius. In quem sensum accipiendus idem Bertoldus est, ad Annum 1088. vbi Episcopi in proelio *capellas* suas amisisse dicuntur. Codex picturatus Weingartensis apud Crusium Annal. Sueu. Part. II. p. 31. de Iudithae donis haec habet; *Dedit ea Sanctum Christi sanguinem, aliumque multum ornatum, vt mappam altari auro textam, elephantinum scrinium, crucem auream, calicem aureum, multa plenaria, multas reliquias.*

g) Idem Codex picturatus, seu potius Crusius ex Codice picturato de hac donatione ita scribit: *Anno 1094. Welfus & Iuditha ob salutem animarum suarum tradiderunt sacrae aedi Weingartensi Ecclesiam Bergensem cum omnibus reditibus; Koepfingam, Bamrietam, Sattelmonrietam, Obersulgam & alia*, quae omnia circa lacum Bodamicum sita sunt.

Tab. II. ad p. 278.



Guelpho quartus, filius Chunizæ, Dux Noricorũ. Confirmat Weingartensem fundationē literis germanicè scriptis anno CIↃXC. moritur anno CIↃCI.

§. 17.

Licet igitur insignes Monasterio S. Martini Weingartensi donationes Welfum nostrum largitum esse, Anonymus de Guelfis testetur; fundationem tamen eius Welfo Cunegundis fratri, auunculo nostri, adscribit. Forte tamen, nec immerito hic considerandum, quod Anno 1053. Altorffense Monasterium, teste Hermanno Contracto, igne consumtum fuerit, adeoque post Welfum Carentanum nouo instauratore opus habuerit. Non enim eo aeuo tam durabilia fuerunt Monasteriorum aedificia, ac nunc sunt, trabibus scilicet ligneis firmata; tegulisque ligneis contecta, quae cuncta leuissimum saepe absumsit incendium. Ipsas Monasteriorum possessiones aliorsum facile conuertit vis & impietas militum, vt nullum fere sit Coenobium, quod non pluribus indiguerit instauratoribus, qui instauratores saepe fundatorum laudem tulerunt. Hinc in plerisque annotantur fundatio prima, secunda, tertia. Nec hanc Welfi nostri perennem fuisse Weingartensis Coenobii renouationem ex eo indicium capias licet, quod filius Henricus Niger id de nouo aedificauit. De caetero ad noui fundatoris laudem Welfo IV. adscribendam hoc vnum sufficit, quod Monasterium e potestate Constantiensis Episcopi exemtum Sedi Apostolicae subiecerit, primusque *immediatum*, vti pragmatici loqui amant, reddiderit. Seruatur ibidem vetusta pictura imaginem eius referens, quam delineandam & aeri incidendam curauit Illustris Leibnitius, & nos iam hic exhibemus; licet fabulam sapiant, quae Monachi ei subiecerunt, quod scilicet fundationem Monasterii sui *litteris Germanice scriptis* A. 1090. confirmarit. Sigillum fundationi huic appensum hoc Leibnitio relatum est. Sed valde ego de eius fide dubito, cuius rationes infra C. III. plures reddam. (h)



Ex literis fundationis Coenobii Weingartensis.

h) Et nos ibi rationes reddamus, cur de fide huius Sigilli DN. Eccardus frustra dubitarit. Hic tantum notamus, cum Raderus, qui, vt supra (nota e) dictum, diplomati

§. 18.

Anno 1095. Welfus Iunior se a coniuge Mathilde Ducatrice separauit. Male hoc habuit patrem, qui concitus in Italiam venit, reconciliationem tentaturus; sed frustra. Nec bona filio promissa ab ipsa obtinere potuit; vnde vna cum filio in Germaniam rediit, atque, vt aduersus Mathildem patronum haberet, tandemque bona & Ducatum, Mathildis causa amissa, reciperet, Imperatori Henrico reconciliatus est. Verba hac de re Bertholdi, vbi de filio eius agemus, curatius expendemus. Vt Imperatori placeret, statim omnem lapidem mouit, vt is a Principibus pro Domino denuo agnosceretur; sed frustra. Gauisus tamen est Imperator, Principem tantae potentiae ad se rediisse, eique inde statim Anno 1096. Ducatum Bauariae restituit. Abbas Vrspergensis: *Welpho Dux antea Noricus, qui ab Imperatore dudum abiurauerat, & ob id Ducatum perdiderat, in gratiam eius rediit, Ducatumque recepit.*

§. 19.

Sequenti Anno 1097. Welfi gaudia ob receptum Ducatum & quietem domi nactam interturbabat nuncius de obitu patris *Azonis*, senis venerandi. Bertholdus Constantiensis: *Azo Marchio de Longobardia, pater Welphonis Ducis de Baioaria, iam maior centenario, vt aiunt, viam vniuersae terrae arripuit, magnamque guerram suis filiis de rebus suis dereliquit. Nam Welpho Dux omnia patris sui bona, vtpote matri suae donata, obtinere voluit; sed fratres eius, de alia matre procreati, noluerunt se penitus exhaeredari: vnde & aditum ei in Longobardiam prohibuerunt, cum iret ad possidendam.* Idem Bertholdus paulo post addit: *Interim WELPHO Dux Baioariae Longobardiam profectus est, ad possidendam haereditatem patris sui AZZONIS Marchionis, qui nuper defunctus est. Sed filii eiusdem Marchionis de alia coniuge praedicto Duci totis viribus resistere. Vnde idem Dux adiutorium Heinrici Ducis Carentini & fratris eius Aquileiensis Patriarchae coactus adsciscere, fratres suos hostiliter inuasit, sicque haereditatem patris de manibus eorum, ex magna parte sibi vendicauit.* Pactis itaque dotalibus Cunigundi Guelficae & liberis ex ea prodituris Azo omnia sua bona ex asse do-

mati Raitenbuchensi a Welfo scripto Sigillum appensum suis oculis vidit, hoc ipsum Sigillum, quo Charta Weingartensis superbit, dignum habuit, quod aeri incisum Lectoribus exhibeat, id pro fide eius non leue momentum praebere. Neque memini etiam in Leibnitianis schedis me reperisse, Sigillum *diplomati Germanice scripto* appensum esse; sed duntaxat Viro Summo relatum est, Chartam fundationis a Welfo Duce scriptam hoc Sigillo hodienum exornatam deprehendi. Vt igitur relatio Leibnitio de Sigillo facta nullam cum pictura ista, quam simul Weingartenses ad Virum Illustrem miserunt, connexionem habeat.

donasse videtur; natos vero deinde eidem ex Garsenda accusasse inofficiosam donationem, & nimis enormem sui neglectum. Mortuo igitur patre, omnia eius bona Italica vsurparunt, Welfumque, vt debitam sibi partem armis vindicaret, adegere. Ventum tamen mox est ad aequas conditiones, & concordia inter fratres restaurata, postea, cum procul abesset, non semel turbata, vt in rebus Welfi, filii eius, videbimus.

§. 20.

Interim Imperatori fidelis permansit, & filios quoque ei suos conciliauit. Annalista Saxo & Vrspergensis ad Annum 1098. *Welpho Bauariorum denuo Dux filios suos & ipsos rebellare tentantes, gratiae Imperatoris reconciliauit, & vni eorum Ducatum post se committi impetrauit.* Concinit Andreas Ratisbonnensis ad Annum 1074. ita scribens: *Welfo postea perdens Ducatum Bauariae iterum ad Imperatoris gratiam rediit, & denuo factus Dux Bauariae vni e duobus filiis suis, vt post se sibi committeretur Ducatus Bauariae, impetrauit.* Auentinus Lib. VI. c. 1. n. 10. Ducatum non solum sibi, sed & *filiis suis, Welfoni & Henrico*, eum impetrasse ait. Atque hac via Ducatus Bauariae, qui inde ab Henrici Sancti tempore quasi ambulatorius, & pro lubitu Caesarum modo huic, modo illi viro forti collatus fuerat, in Familia Guelfica quasi hereditarius fieri coepit. (i)

§. 21.

Post haec ad Deum se totus conuertit Welfus noster, & pro more istius aeui Monasteriis benefecit, poenitentiam de commissis peccatis egit, atque, vt grauiora delicta expiaret, Anno 1101. expeditionem in Terram Sanctam suscepit, quae mortem eius accelerauit, vt ex hisce Anonymi de Guelfis verbis intelligimus: *Hic est ille, qui primus ex nostris, eo quod fautoribus suis, in tot commotionibus bellorum, praedia sua distribuendo, paternos reditus comminuit, manus suas Episcopis & Abbatibus praebuit, & beneficia non modica ab eis recepit.* (k) *Omnes posfessio-*

i) Vt adeo Welfus noster, qui tantae fundamenta fortunae iecit, dignus sit, qui *Fortis*, qui *Conquaestor* cognominetur.

k) Mira rerum conuersio. Primi huius Familiae Principes ab ipsius Imperatoris & Imperii beneficiis abhorruerunt. Qui secuti sunt, Imperialia quidem beneficia admiserunt; sed soli Imperatori obnoxii esse voluerunt. Nunc Welfus Conquaestor, qui Serenissimam Stirpem ad summum honoris & fortunae apicem extulerat, sacrorum Praesulum clientelam non aspernatur. Vsque adeo crescente potentia bonorum sitis crescit. Rimanti mihi, quinam fuerint illi Praesules in Welfum nostrum tam benefici, primo loco Gebehardus occurrit, e Familia Zaringensi Constantiensis Episcopus. Is enim, testante ad Annum 1093. Bertholdo Constantiensi, *Welphonem Ducem Baioariae per manus in militem accepit; sicut & proprium fratrem Bertoldum Ducem Ale-*

sessiones Luitoldi Comitis, (l) *quas in partibus istis habuit, praeter illas, quas in Zwifalten Sanctae Mariae contradidit, cum duobus castris Achalm & Wul-*

Alemanniae iam dudum fecerat. Sed haec gratis facta non sunt. Gebehardus enim, teste Burkardo de casib. S. Galli c. 5. Welfo nostro in acceptis tulit cathedram Constantiensem. Vim etiam nonnullibi adhibitam docet idem l. c. Cum enim de Bertoldi Zaringensis iniuriis Monasterio S. Galli illatis conquestus esset, addit haec. *Sic etiam Dux Welf, adiutor illius, res eiusdem Monasterii, sibi e vicino sitas, nobis subtraxit.* Videntur ergo praedia, quorum recuperandorum spes decollauerat, in feudum concessa esse. Inter Probationes (N. IX.) exhibemus veterem libellum, quo Meginwardus Frisingensis Episcopus pro memoria Canonicorum suorum annotauit, quae bona ipse Principibus & Nobilibus in feudum concesserit, quaeue *praedatim*, vt loquitur, Ecclesiae subtracta sint. Ibi pro Duce *Welfhardo* in classe posteriorum ponitur decima in Gennariscowa; in classe priorum autem, apud Germariscowa IV. curtes, IV. hubae & mola & piscatura I. & II. Wademanni ponuntur. Meginwardus, qui haec scripsit, cum coeperit Anno 1078. & desierit Anno 1098. facile apparet, de *Welfo* nostro, qui solus toto hoc tempore Bauariae Dux fuit, haec dicta esse, eumque in his oris *Welfhardi* quoque nomen gessisse: id quod infra dilucidius patebit; vbi ostendemus, *filium eius, Welfum Pinguem, filium se Welfhardi Ducis appellasse.*

l) Rudera Castri Achalmensis, a quo Comites Achalmenses nomen traxerunt, hodienum supersunt, & imminent vrbi Reutlingensi ad Nicrum fluuium in agro Wurtembergico. Vltimi Comites Achalmenses, Cuno & Liutoldus fratres, patrem habuere Rudolfum; matrem autem Adelheidem de Wulfelingen, quae Castrum hocce cum subiecta regione in Achalmensem intulit Familiam. Hi fratres cum essent ditissimi & liberis carerent, pro more eius temporis nouum Monasterium condiderunt, in quo Cuno, qui prior obiit, sepultus est. *In Alemannia,* inquit Bertoldus Constantiensis ad Annum 1092. *Cuno, Comes de Wulfelingen, strenuissimus miles S. Petri, diem clausit extremum Idibus Octobris, & in Monasterium, quod ipse cum fratre suo Comite Liutolfo* (Liutoldo) *in proprio allodio fundauerat, honorifice sepelitur, eiusque bona frater eius Liutolfus hereditario iure possedit, etsi iam dudum saeculari militiae abrenunciauerit. Nec hoc vtique fecit ea intentione, vt ad saeculum rediret, sed potius vt praedictum Monasterium eisdem bonis melioraret.* Et ad Annum 1099. de altero fratre ita scribit: *Liutolfus Comes bonae memoriae iam diu aeger pedibus, sed in caussa S. Petri contra schismaticorum prauitatem propugnator indefessus, tandem ex saeculari dignitate in Monachicam religionem transmutatus, feliciter migrauit ad Dominum XV. Kalend. Septembr. & in Monasterio, quod ipse in proprio allodio de propriis fundauit, & in quo se ipsum Monachum fecit, honorifice sepelitur.* Monasterium istud Weingartensis noster in Codice MS. *antique Zuiuiltam* vocat: de cuius origine, situ & denominatione Martinus Crusius Annal. Sueuiae Part. II. p. 268. seq. ex membranis tertii Abbatis Bertoldi haec memoriae prodidit: *Anno Domini MLXXXIX. Monasterium Zuifaltum siue Zuifaltaha fundatum est ab illustribus Comitibus de Achalm, Liutoldo & Cunone germanis fratribus in praedio suo Zuifaltaha. Vbi Hirsaugiae Abbas, Wilhelmus, huic fundationi ab illis adhibitus, villam satis populosam totam destruxit, suisque manibus Monasterio spatium dimensus est.* Vocatur latine *Ad duplices aquas*, a duobus riuis, *Aich* cognominatis, & in ipso Monasterio concurrentibus. Vocatur etiam *Zuifildense antique.* Magnificum est & opulentum Benedictinae disciplinae Monachorum Coenobium, Constantiensis dioecefeos non longe a Danubio inter Hettingam & Riedlingam oppida, tribus milliaribus supra Vlmam in Alpibus Sueuiae situm. Subiungit deinceps p. 270. seq. ex iisdem membranis catalogum praediorum a Comite Liutoldo huic Monasterio traditorum; nec non a Comite Cunone, in quibus memorabilis haec p. 272. *In pago Duregowe appellato, iuxta Wolfelingam castellum suum sito, vbi ipse magnas opes ex materna hereditate habebat, in villa Buoch XX. mansus cum Parochiali Ecclesia.* Vbi obiter ex Hermanni Contracti appendice animaduerto, in arce *Wilfelinga* Henricum III. Imperatorem patruum suum, Gebehardum, Ratisbonensem Episcopum, criminis laesae Maiestatis reum, Anno 1056. per aliquod tempus sub custodia tenuisse. Hundius Metropol. Salisburg. T. I. p. 131. arcem Wilfelingam hanc ad Danubium collocat; sed pagus Duregowe hic nominatus satis indicat, in regione Tigurinorum eam esse

Wulfelingen ipſo donante poſſedit. Patrimonium quoque Comitis Ottonis de Buchorn, (m) *eo viuente & bona voluntate tradente, recepit & obtinuit.*

eſſe quaerendam, & quidem ad Toſſam fluuium infra Kiburgum & prope Winterduram. Conſentit Stumpfius Chron. Heluet. L. V. p. 385. vbi etiam villae *Buoch* fit mentio; licet vtriusque nomen in opere Gottwicenſi exulet. Fratrum donationes, pergunt membranae, Bauariae Dux *Welfo* & alii Principes, conuentu apud *Rotinaker* habito, ſolenniter ratas habuerunt. Nam Cunone mortuo, cum Monaſterio praeeſſe Liutoldus per valetudinem non poſſet, praefecit ei Aduocatum de conſenſu Abbatis Conuentus, Ducem Bauariae *Guelphonem;* praelecto tamen ante ei diplomate libertatis, quo cautum erat, vt, ſi Aduocatus Monaſterio inutilis repertus eſſet, remoto eo, alius ſubſtitueretur. At licet Monachi huius Aduocatia parum fruerentur, Liutoldi cognatis Caſtellum Wilfelingen & curtim Buoch ſibi vindicantibus, Welfoque aliud allodium, Dietinchouen appellatum, ſine pretio emente p. 285. haec tamen Aduocati dignitas tranſiit quoque in filium *Henricum Nigrum,* & in Nepotes *Henricum Superbum* & *Welfonem Mitem*, qui in his membranis p. 281. itidem *Welphardus* vocatur. Huic ibi ſubiicitur Heinricus quidam de Animarkingen: quod nominis non nihil mihi negotii faceſſiuit, donec deprehendi ex p. 371. militem hunc Henrici Leonis a Domino Monaſterium faſtidiente Aduocatum fuiſſe datum, qui tamen propter inſolentiam ſuam vna cum Domino ſuo remotus eſt: quo res Monaſterii igne ferroque depopulante, Abbas omnem Coenobii ambitum muro cingere coepit. Quomodo caeteri Duces ſuo functi ſint officio, ſub ſingulis ex iisdem membranis ſeorſim dicemus. *Liutoldus* autem, Comitum Achalmenſium & Wilfelingenſium vltimus, cuius donatio nos ad hunc excurſum inuitauit, paullo ante obitum Monachum induit, teſte Bertoldo Zwifaltenſi apud Cruſium Annal. Part. II. p. 298. Proſtant hodie Annales huius Monaſterii ab Arſenio Sulgero ſcripti, ſed ita ſcripti, vt harum rerum intelligentes mallent ipſa illa vetera monumenta legere, quorum in Praefatione mentio fit, quaeue ibi hodienum exſtare dicuntur, veluti Ortliebi & Bertholdi Chronica autographa ab Anno 1089. ad Annum 1148. Tum alia duo Chronica anonyma itidem in membranis ſcripta, quorum alterum pergit ad Annum 1221. alterum ad Annum 1503. Praeterea duo ampliſſima Necrologia, quibus non Fratrum ſolum, ſed & Principum & Comitum vicinorum anni & dies emortuales inſcripti, cum traditionibus quam plurimis. Exoriatur tandem aliquando nouus quidam, ſed veteri conſultior Martenaeoque aut Maxime Reuerendo P. Hergotto conſimilior Bucelinus, qui his monitus tantum mediae aetatis theſaurum ex vetuſtis membranis erutum, in publicos, adeoque & in Hiſtoriae Guelficae, vſus propellat!

m) Comitum Buchornenſium teſtatiſſima in monumentis San-Gallenſibus memoria eſt. Non iam anxius inquiram, num Burcardus ille a Conrado I. Anno 916. Alemannis Dux datus, quod multi volunt, e Comitum horum Familia fuerit. Certiora ſunt, quae Ekkehardus de Caſib. S. Galli c. 10. narrat de *Vdalrico* quopiam, qui Buchornae ad lacum Bodamicum habitauerat, & ex vxore Wendilgarde filium procreauerat *Adalardum;* ſed in Noricum abiens, cum Vngaris pugnaturus, victus captusque in Vngariam abductus eſt: vnde rediens alterum filium ex coniuge ſuſcepit, Burkhardum nomine, qui Anno 959. Abbas San-Gallenſis factus eſt, & Camerarium ſeu potius Dapiferum & Aduocatum maiorem habuit *Richerium*, fratris Adalardi filium. Hactenus bene. Sed dum Richerio Ottonem, de quo hic ſermo eſt, filium adiungunt, nimium properant, patremque fere centenarium faciunt. Otto enim tempore Vdalrici floruit, qui Anno 1076. San-Gallenſem infulam ſuſcepit, & circa Annum 1084. teſte Burckhardo de Caſib. S. Galli c. 7. cum hoc Ottone Caſtrum Markdorff, quod Buchornae vicinum eſt, expugnauit. Vt adeo, ſi alius Comes Richerio & Ottoni intermedius inferatur, qui Ottonis pater ſit, ſeries horum Comitum ſe ſatis belle habeat. Bruſchius, qui libro de Monaſteriis Germaniae p. 578. veteres Chartas & quaedam diplomata Praepoſiturae S. Pantaleonis inſpexiſſe ſe iactitat, Ottonem hunc eodem, quo Welfus noſter obiit, anno, ſcilicet 1101. e viuis ablatum fuiſſe, atque Bertham, Welfi noſtri ſororem in matrimonio habuiſſe tradit. Quae ſi vera eſſent, aut qualitercumque probari poſſent, tam largae donationis ratio pateret. Nunc cum de Bertha illa in vetuſtis monumentis altum vbique regnet ſilentium, rem omnem in medio relinquimus.

nuit. Denique cum ad ſenilem aetatem veniſſet, & Raitenbuchenſem Eccleſiam conſtruere coepiſſet, & ſatis copioſe dotaſſet; Altorfenſe quoque Monaſterium praediis, decimis & mancipiis, nec non Eccleſiaſticis ornamentis abundantiſſime ditauit; alias etiam Eccleſias ad ſe pertinentes aliquo modo melioraſſet: (n) *volens de exceſſibus ſuis difficiliorem ſatisfactionem exhibere,*

n) De Raitenbuchenſi & Weingartenſi Eccleſiis, quomodo a Welfo Duce dotatae & ditatae fuerint, ſatis diximus. Caetera in alias Eccleſias merita & beneficia aetas nobis vel inuidia ſubduxit. Nihil enim eorum ſcimus, praeterquam quod cum iam ad expeditionem Hieroſolymitanam accinctus eſſet, ipſo opitulante, Praepoſiturae *Ochſenhuſanae* in Algoia fundamenta iacta ſint. Praepoſiturae, inquam, medio itinere inter Memmingam & Biberacum in fertiliſſimo agro conditae, Monaſterio S. Blaſii in Hercynia ſilua primum ſubiectae, & per Martinum PP. V. demum S. Blaſii iugo excuſſo liberis Imperii Abbatiis aggregatae. Mentionem huius inſtituti facit Bertoldus Conſtantienſis ad Annum 1093. his verbis: *In Alemannia Hartmannus Comes & Frater eius Otto nouum Monaſterium in proprio allodio, in loco vbi Danubius & Ilaris fluuius conueniunt, in honorem S. Martini conſtruxerunt: quod idem praedictus Conſtantienſis Epiſcopus, in menſe Septembri, ſua conſecratione initiauit, ſed venerabilis Otto Abbas de S. Blaſio regularem diſciplinam ibidem inſtituit.* Haec ad fundationem Coenobii Wiblingenſis & ad Comites de Kirchberg pertinent. Quae ſequuntur ſunt huius loci, & de fundatione Praepoſiturae Ochſenhuſenſis per Ottonem S. Blaſii Abbatem interpretanda. *Eodem etiam tempore idem Epiſcopus praedicto Abbati alind Monaſterium, non longe multum inde, in honorem S. Georgii conſecrauit. Quem locum & quaeque ad illum pertinentia, quidam nobilis homo Cuonradus & frater* (leg. *Fratres*) *eius ad S. Blaſium abſque omni conditione tradiderunt, & praedictum Abbatem, vt Dei ſeruitium in eodem loco inſtitueret, rogauerunt: quorum votis idem Abbas annuere non ceſſauit.* Rei geſtae ſeries ſcriptis conſignata habetur ea formula, quam infra (Probat. N. X.) exhibemus. Praefuit huic & Weingartenſi Monaſterio tempore Caroli V. & Caſparis Bruſchii Gerwicus Blaurerus, Conſtantienſis, a dicto Bruſchio valde laudatus. Cruſius Annal. Sueu. Part. II. p. 387. characterem eius, ne a quouis obuio Lectore facile intelligeretur, verbis ita depinxit: ἔχαιρε παίδων ὡς ἡ κοινὴ φημὴ κόρας ἁπαλὰς, ἃς ἐξωδηκυίας ἄλλοις συνώκιζεν. addens haec: In Comitiis Auguſtanis, hoc & Campidonenſi Abbate in eadem platea ex oppoſito inter ſe diuerſantibus, cum litteras afferens Nuntius interrogaret de vtroque horum, vbi diuerſaretur, reſponſum ei fuiſſe dicitur: videret tantum, vbi multi eſſent pauperes & foeminae impurae. Quae Ducis *Welfi* in conſtruendo Zwifaltenſi Monaſterio partes fuerint, ſupra dicere occupauimus. Nunc reſtat, vt dicamus, huius Monaſterii debitorem eum Hieroſolymas profectum & mortuum eſſe. Ita enim Chronicon Zwifaltenſe Anno 1148. ſcriptum apud Cruſium P. II. p. 285. *Dux in ſuum dominium accepit praedium Dietikouen, ſed ne vnum quidem pro eo dedit numum. Monachi cum diu hoc negotio fatigati taedio defeciſſent, tandem vix quartam pecuniae partem expreſſerunt. Interim idem Dux Hieroſolymam proficiſcitur, qui iterum atque iterum a Fratribus interpellatus, filio ſuo Welfo rem commiſit. Ipſe perrexit. Filius vero Fratres magis quam pater afflixit, praediumque ſuis hominibus in beneficium conceſſit, ac tandem prouiſores Monaſterii huc illuc fatigando eluſit, donec per Henricum V. Imperatorem poſt multas admonitiones ad vltimum Regali potentia victus, ſua recipiens, Fratribus ſuum reliquit inuitus. Abbas tunc Vlricus praeteritis malis edoctus, praecauere in futurum coepit, ne ſimilia pateretur. Ideo cuidam Comitiſſae, coniugi videlicet Ottonis, Comitis ab Habechisburg, illud pro LXX. marcis argenti dedit.* Quae Sundhemius generatim de Eccleſiis, a Welfonibus vel fundatis vel dotatis, annotauit, huc transferre non abs re fuerit. *Familia Welfonum,* inquit, *fundauit vel dotauit Eccleſias ſequentes, videlicet, Curienſem, Conſtantienſem, Auguſtanam, Friſingenſem, Campidonenſem, Vtenheirenſem, Augienſem minorem vulgo Weiſſenau prope Rauenſpurgum, Weingarten, Ambirgawen, Altmunſter, Raitenbuch, Steingaden & S. Nicolai prope oppidum Memmingen: praetereaque in Saxonia & in aliis prouinciis fundauerunt & conſtruxerunt Eccleſias & Monaſteria.*

bere, Ierosolymitanum iter arripuit: (o) *Quod & in maximis persecutionibus & periculis Vngariam & Graeciam transiens, persoluit. Sepulchrum enim Domini & alia loca sancta omnibus suis paene amissis visitauit. Deinde ad reuersionem se parans Cyprum adiit, vbi de hac vita decedens,* (p) *sepultus est. Ossa tamen eius postea inde sublata, ad Altorfense Monasterium translata & reposita sunt. Socii autem peregrinationis & laborum eius, vel interfecti, vel viui Sarracenis, machinante perfidissimo Alexio Imperatore Graeco, traditi sunt.* Chronicon Augustense ad An. 1101. similia his narrat: *Welpho Dux cum multis Hierosolymam proficiscitur. Hic Constantinopolim praeteriens, dum cum conuiatoribus suis multitudine sua non modica collecta veniret & in Romaniam, Barbaris ex improuiso irruentibus ipse sociique eatenus inauditam perpessi sunt miseriam, partim Venetorum barbarorum sagittis interemti, partim fame sitique consumti, partim variis cladibus afflicti. Ipse omni spe destitutus nauim ascendens moribundus Ierosolymam adiit, indeque properans ad Insulam Cyprum venit, ibique moritur & sepelitur.* Breuiter Annalista Saxo: *Dux Welphus reuertendo moriens Papho est humatus.*

Nn 3 §. 22.

o) *Itinerarium huius expeditionis atque historiam exstare, nonnulli sunt, qui prodant. Sed ego nondum legi, neque inueni.* Ita Auuentinus Lib. VI. c. 1. n. vlt. Itineris socios recenset Otto Frising. ad Annum 1101. hoc ordine & in subsequentibus pariter mentionem facit cuiusdam singularis de hac expeditione historiae. *Wilhelmus,* inquit, *Comes Pictauiensis & Dux Aquitaniae, Thiemo Iuuaniensis Archi Episcopus,* Welfo Noricorum Dux, *Itha Marchionissa, Leopoldi Marchionis Orientalis mater,* quibus Auentinus l. c. multorum Bauariae Procerum nomina immiscet, *Wilhelmus, Stephanus Italici Barones, cum multis ex Aquitania, Germania, Italia, Hierosolymam per Vngariam & Graeciam pergunt, quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expositos pene omnes crudeliter exstinxit, elegantioribus ex eis captis & Mempheorum Regi seu Admiraldo praesentatis. Quam historiam miserabiliter ac luculenter in modum tragoediae quidam ex his, qui se eidem expeditioni interfuisse testatur, exsecutus est.* Credo, vtrumque Scriptorem alludere ad *passionem* Thiemonis Salisburgensis Archi Episcopi, Martyris, quae passio seu passionis historia hodie legitur in Metropol. Salisburg. T. I. p. 44. seq. Hanc enim Otto Frising. l. c. ob oculos habet, ita pergens: *venerabilis Praesul Thiemo ad idololatriam, vt tradunt, a Rege angariatur. Ille - - idola, quae adorare debuit, - - in frustra comminuit.* Huic narrationi suum addit iudicium hoc modo: *Quod Thiemo ob fidem Christi passus sit, fidelissima traditio habet. Quod autem idola comminuit, ex hoc credere difficile est, quia constat, vniuersitatem Saracenorum vnius Dei cultricem esse, adeoque idola nulla habere.* En aureum in ferrea ista aetate Episcopum & Historicum, iudicio & dictionis perspicuitate & vsu rerum pariter validum, cui si Ditmarus ille Merseburgensis Scriptor infans & obscurus, paria fecisset, in rebus eius aeui iam non laboraremus. Quis quaeso veterum, vt hoc addamus, de Romani Pontificis ausibus in Henricum IV. Imperatorem Ottone nostro sanius iudicauit, dum ad Annum 1066. ita scribit: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio, quemquam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum.*

p) Die XIII. Nou. MCI. Ita enim Necrologium San-Gallense apud Eccardum Wirceburgic. T. II. p. 922. *Idus Nouembr. obitus Welfhardi Ducis.* Alter Welfhardus, Welfus scilicet Mitis, alio die obiit; vt infra videbimus.

§. 22.

Inuenta in Tegernſeenſi Bibliotheca & communicata nobiscum eſt a Maxime Reuerendo P. Bernardo Pezio *Hiſtoria de Poenitentia Welſi Ducis ſub Conrado tertio Rege Romanorum;* quae tamen ob res ea contentas ad noſtrum Welſum pertineret. Sed tot ea fabulis ſcatet, vt verum vix internoſcas. Neque etiam Welſus noſter ſub Conrado Romanorum Rege vixit. (q) Dicitur in ea, Welſum Epiſcopum Auguſtanum interfeciſſe. Sed ſupra vidimus, eum quidem Sigefridum Epiſcopum captiuitate biennali detinuiſſe; neutiquam tamen eum interfeciſſe. Additur, Welſum Romam ad Papam iuiſſe, veniamque ſceleris commiſſi petiiſſe; re diſcuſſa, Papam ei poenitentiam huiusmodi iniunxiſſe, (r) *vt in continenti,* verba fabulae refero, *gladium ſuum, cum quo Epiſcopum morte crudeli proſtratum de medio plebis Chriſti intrepide ſuſtulerit, recipiat & ad collum ſuum per cathenam ferream ſuſpenſum ſiue iacens ſiue ſedens, ſtans aut vadens, dormiens vel vigilans, bibens vel comedens, diu noctu portare intra ſeptennium non deſiſtat; porro de his ſeptem annis recipiat ſibi tres annos, quos in partibus transmarinis peregrinando, dies, eorum ſcilicet trium annorum, cum luctu & lamento fructuoſè poenitendo, iuſte & pie viuendo inceſſanter expendere valeat; & poſt, rurſus triennium, pro alia poenitentia decentiſſima peragenda Sedem Apoſtolicam aggrediatur.* Aſt Wel-

q) Vixit ſub eo Welfi noſtri nepos, filius Henrici Nigri, Welſus Mitis, in quem multo minus ob ingenii morumque ſuauitatem & animi lenitatem conuenit hoc parricidium. Et tamen in Annalibus eius quoque temporis occiſi cuiusdam Auguſtani Epiſcopi ignoti rumorem quemdam deprehendo. Cruſius enim Annal. Sueu. Part. II. p. 360. ex manuſcripto quodam Codice ſub Anno 1134. haec affert: Temporibus iſtis, vt videtur, *occiſus fuit vnus Epiſcopus* (de Walthero Auguſtano Epiſcopo ante locutus erat) *electus per Welſonem Ducem Noricorum, qui non eſt poſitus inter Epiſcopos.* Verum enim vero verba haec tam ſunt ambigue poſita, vt, etiamſi ea diligenter inſpicias, neſcias tamen, vtrum Epiſcopum illum anonymum per Welſum occiſum, an vero potius per Welſum electum, ſed occiſum ab alio quopiam intelligas. Magna ſuſpicio eſt, huius ſcenae inſtructores, vt in fabulis fere fieri ſolet, tempora turbaſſe, & actores fabulae permutaſſe, fundumque tragoediae eſſe in hiſtoria Sigefridi Auguſtani Epiſcopi, cuius Pincerna occiſus fuiſſe dicitur. Vnde fama in vulgus dimanauit, ipſum Epiſcopum fuiſſe interfectum: quae fama inde vires acquirere potuit, quod Epiſcopus nuspiam appareret, ſed Rauenſpurgi ab hominum conſpectu remotus in vinculis detineretur. Quae vera origo huius dramatis eſt.

r) Modus poenitentiae deſcriptus docet, fabulam diu poſt Welfi Ducis tempora confictam fuiſſe. Tam ſeueras enim poenas ante Innocentium PP. III. nobilibus viris, etiamſi in Clericos manum inieciſſent, dictatas non inuenio. Hic enim, cum Anno 1202. Conradus, ante Hildenſemenſis, tum vero Wirceburgenſis Epiſcopus, inter Sacra necatus eſſet, ſimilem fere parricidis iniunxit poenitentiam: cuius deſcriptionem vide apud Rainald. ad Annum 1203. n. 48. & 67. Sed praeſtat, edicti Pontificii plenum fulmen ob oculos ponere, (Probat. N. XI.) eique (N. XII.) adiungere hiſtoriam poenitentiae ipſius illius Conradi occiſi, qui anno praecedenti Romae, depoſitis calceamentis & pallio, cum reſte in collo, tamquam homo patibuli ſupplicium promeritus, Apoſtolico ſe conſpectui ſiſtere coactus fuerat, eo quod ſine venia Pontificis de Hildenſemenſi ad Wirceburgenſem Eccleſiam tranſierat.

Welfus noſter poenitentiae quidem cauſa, non tamen ob interfectum Epiſcopum, Terram Sanctam adiit, nec per triennium oberrauit; ſed eodem, quo diſceſſit anno, defunctus eſt in reditu. Interim fabula pergit, *Welſum* hanc Pontificis ſententiam aequo animo ſuſcepiſſe; Pontificem tamen ex conſilio Cardinalium, quia *homo fuerit valde nobilis & potens, imo maximus, quem haberet curia Regis Romanorum, & cum talis ac tantus fuerit progenie, & ſtirpis nobilitate praecelluerit innumeros Principes & natu nobiliores in vniuerſa Eccleſia*, eam mitigaſſe & Duci permiſiſſe, *vt de collo ſuo gladium deponendo lineis veſtibus & calceis cum lectisterniis & barbae raſura, vino etiam moderate ſumto & carnibus ter in hebdomada propter refectionem corporis, quod propter magnam abſtinentiam & labores huc vsque nimium fatigetur; obſequio quoque ſeruorum ſuorum & communione fidelium Chriſti vtatur: inſuper etiam conceſſiſſe, vt aſinum vel mulam aut equum infra montana & loca periculoſa, arcta & anguſta equitandi licentiam haberet.* Sed Welfus noſter Romae nunquam fuiſſe legitur. Fingitur nihilominus, adfuiſſe huic actui ſolenni *Milites de Sueuia a filia vnica miſſos, quae Ducatus patris ſui, vice Ducis Welfe, ſuſceperit gubernacula, quia Dux non reliquerit heredem niſi tantummodo iſtam filiam.* Vbique in hoc libello Welfus etiam erronee *Dux Sueuiae* vocatur, qui *Dux Bauariae* erat. Nec vnicam filiam, ſed duos filios habuit, Welfum nempe & Henricum cognomento Nigrum. Pergit fabula, Ducem poſt triennium in expeditione ſacra exactum Papae ſe ſtitiſſe, & aliam quatuor annorum poenitentiam ab ipſo recepiſſe, quibus errare per loca ſacra, nec patriam inuiſere deberet. His quoque quatuor annis abſolutis, eundem Romam rediiſſe, & tunc pleniter a Papa abſolutum eſſe, ea ſolum conditione, vt *S. Nicolao* Monaſterium exſtrueret, & dedicari faceret. Papam illum fabulator Bonifacium vocat; qualis vero eo tempore nullus fuit. Omittimus, quae de Welfo in Germaniam redeunte, & ab Imperatore atque Epiſcopo Auguſtano magnifice beneuoleque ſuſcepto narrat. Tandem dicit, eum *S. Nicolai Monaſterium prope Memmingam* voti exſoluendi cauſa fundaſſe, & Monachis Scotis tradidiſſe; cuius iterum fundationem alii Welfo, Henrici Nigri filio, verius adſcribunt. Concludit, Ducem Welfum denique *ſeptem clauſtra de diuerſis generibus Monachorum* pro animae ſuae remedio fundaſſe, & vnicam filiam ſuam *Albaidam Friderico de Rotenburg* in coniugem dediſſe. En vero iterum mendacium nugiuenduli craſſiſſimum! Neque enim Welfus noſter, aut nepos eius Welfus, huius nominis vltimus, filiam habuere *Adelheidem* nomine. Nec Fridericus vxorem habuit Adelheidem; ſed *Gertrudem*, filiam Henrici Leonis ex Clementia Zaeringica, vt infra

Libr.

Libr. VII. clarissime demonstrabitur. Monstrum igitur narrationis de poenitentia Guelfi nulla plane fide dignum est. Interim si qui sunt, quibus fabulam hanc legere placet, eam in Probationibus nostris (N. XIII.) integram subiicimus. De Welfi vero nostri liberis capite sequenti agemus.

§. 23.

Sororem Welfi & filiam Azonis II. ex Cunigunde putauerim etiam ATHELASIAM, cuius Hugo, auctor contemporaneus, in Vita S. Anselmi Episcopi Luccensis mentionem facit, his verbis: *Rem, quam in praesentiarum enarro, sub D. Mathildis Comitissae narratione didici & testimonio; cuius attestationi indubitanter credendum cognouimus, ex ipsius probata fide & religiosis moribus: quod etiam mihi pariter innotuit, asserente eadem Puella, cui hoc contigit. Nocte quadam repente dolor, vt saepe, Puellam, ATHELASIAM nomine, AZONIS Marchionis Filiam, existentem in praedictae Dominae camera, in parte ventris acriter torquens, magnos cogebat dare clamores. Interrogante autem praedicta Domina, quid ageret, responsum est, eam S. Anselmum frequenter sibi in auxilium inuocare. Cumque ex praecepto ipsius Dominae puluinar, in quo Sanctus Praesul viuens solitus erat sedere, illi parti corporis, in qua dolor imminebat, fuisset impositum, mox clamauit Puella, omni dolore se liberatam.* Poterit *Athelasia* haec in Mathildis Ducatricis aulam delata fuisse, quando illa *Welfo* Iuniori, suo ex fratre nepoti, nuberet.

§. 24.

Clarissimus Muratorius coniicit, illam esse eandem cum vxore *Guglielmi*, *Bulgaro* nati, cuius donationi Anno 1123. subscripsit *Fulco Marchio.* Sed quia haec Adelasia Anno 1149. vt ipse pag. 320. indicat, adhuc vixit, & neptem eius *Azo*, nepos Fulconis duxit, Azonis filiam ab ea diuersam omnino statuo. Nuptiae enim hae alias ob consanguinitatem prohibitae omnino fuissent. Interim crediderim potius, Athelasiam Azonis filiam a Mathilde Ducatrice elocatam fuisse nobili viro, vnde postea *Hyacinthus* Diaconus Cardinalis S. Mariae in Cosmedin, Anno 1191. sub nomine *Coelestini III. Papa* constitutus, ortum traxit. *Senem* eum & *emeritum* Albericus; *admodum senem* Chronicon Reichenspergense ad Papatum peruenisse testantur. Chronicon M. Belgicum *patrem eius* PETRVM, *natione Romanum*, vocat. Vix inauguratus Coelestinus Henricum VI. Imperatorem coronauit. Notatu digna sunt verba Gerhardi Stederburgensis in narratione de Henrico Leone: *Rex*, inquit, *a Coelestino Papa coronam Imperialem cum benedictione vna cum vxore sua percepit. Ad cuius consecrationem adolescens Ducis de Brunsuich, filius*

filius Henrici Ducis, vt consanguineus Domini Papae, summam diligentiae suae operam ostendit, proposita etiam sibi spe, imo data sibi certitudine, quam inde consequeretur, maximi honoris & fructuosae vtilitatis. Vt consanguineus itaque Henricus Palatinus, Henrici Leonis filius, multum valuit apud Papam, eumque, vt Henricum VI. in Imperatorem coronaret, induxit. Quomodo autem Papae huius consanguineus esse potuerit, nisi is ex Azonis filia Adelasia descenderit, non video. Proauia certe Papae fuisse debuit, vt Papa Henrico nostro in quarto & Henricus Papae in quinto gradu coniungeretur; quod hoc modo factum esse potuit: (s)

Azo II. Marchio.

Welfus Dux Bauariae.	Adelasia nupta N.
Henricus Niger Dux Bauariae.	N.
Henricus Superbus Dux Bauar. & Sax.	Petrus, nobilis Romanus.
Henricus Leo Dux Bauar. & Sax.	Hyacinthus, post Coelestinus Papa III. 1191.
Henricus Dux Sax. Com. Pal. Rheni.	

CAPVT II.

De Azonis Marchionis & Garsendis Cenomanicae liberis, *Fulcone* imprimis, a quo *Serenissimi Ferrariae & Mutinae Duces*, quorum Tabula Genealogica subiicitur, descendunt.

§. 1. Azonis Marchionis ex altera coniuge Garsende filii fuerunt *Hugo* & *Fulco*.

§. 2. *Hugo* Cenomanensem Comitatum nactus quidem, sed mox e possessione eius

s) Tollatur itaque Scriptorum Brunsuicensium T. I. p. 863. a Leibnitio temere subiecta nota, quae pro consanguineo *Domini Papae* legere iubet *Domini Imperatoris*. Nam praeter hoc Scriptoris in Guelforum domesticis rebus versatissimi testimonium alia succurrunt argumenta, quae Hyacinthum hunc intimam cum Guelfis amicitiam coluisse produnt, facileque ad credendum adducunt, quandam inter Guelfos & Hyacinthum vel sanguinis, vel affinitatis necessitudinem intercessisse: qualia sunt, quae infra in rebus Welfi Mitis ex tempore Alexandri PP. III. in apricum proferemus, adhuc non edita.

eius iterum deiectus est per Wilhelmum Angliae Regem.

§. 3. Postea in Italiam redux vxorem duxit *Heriam*, Roberti Guiscardi, Ducis Apuliae filiam.

§. 4. Auitorum bonorum ab Azone in Italia possessorum ex diplomate Henrici IV. Imperatoris recensio.

§. 5. Mortuo Wilhelmo Rege Hugo iterum ad Comitatum Cenomanensem occupandum in Galliam proficiscitur.

§. 6. Sed ob diuortium cum vxore Heria factum omnibus exosus rebus parum prospere gestis in Italiam redire cogitur.

§. 7. Hic copiis Mathildis Ducatricis praefectus proditionis reus fit.

§. 8. Postea cum fratre Fulcone de bonis paternis diuidendis pactum iniit.

§. 9. Liberi Hugonis ex Heria coniuge fuerunt *Azo* Marchio, *Robertus*, *Tancredus*, & *Garsendis* Alberto Duci Spoletano & Marchioni Tusciae nupta.

§. 10. *Fulco* secundus Azonis Marchionis filius ex hereditate paterna terras Italicas nactus est.

§. 11. Varia quae ad eius vitam & res gestas spectant recensentur.

§. 12. Is sator *Marchionum Estensium*, Ducum Mutinae, Regii, Mirandulaeque hodie adhuc inter Principes Italicos praecipuo loco florentium exstitit; quorum series iam in tabula Genealogica proponitur.

§. 1.

Ex Garsende vero Cenomanica nati sunt Azoni II. HVGO & FVLCO. De HVGONE Libri II. Cap. 10. aliqua praelibauimus. Ordericus Vitalis in verbis paulo post citandis *Fulconem* quidem natu maiorem fuisse diserte testatur; ast auctor nimis ab Italia remotus erat, & in diplomatibus *Hugo*, vt videbimus, *Fulconi* semper praeponitur; vt adeo verisimile sit, hunc primum Azoni ex Garsende natum.

§. 2.

Nomen Hugo ab auo materno, Comite Cenomanensi, tulit. Quomodo Anno 1066. aduersus Wilhelmum Regem Angliae ad adipiscendam possessionem Comitatus Cenomanici vocatus, & aliquo post tempore artibus Gaufridi de Meduana in Italiam remissus sit, in rebus Azonis II. Lib. II. Cap. 10. iam exposuimus. Wilhelmus Rex circa Annum 1072. iterum Cenomanos sibi subiecit.

§. 3.

Hugoni vero, dum in Italiam rediisset, Azo pater matrimonium cum HERIA, filia Roberti Guiscardi Ducis Apuliae, Anno 1074. conciliauit. Guillielmus Appulus Lib. III. de eo ita canit:

Dumque moraretur Troianae moenibus vrbis,
Nobilis aduenit Lombardus Marchio quidam,
Nobilibus patriae multis comitantibus illum.
Azo vocatus erat, secum deduxit Hugonem,
Illustrem natum: Ducis huic vt filia detur
Exigit in sponsam: Comites proceresque vocari
Quaque facit super his Dux consulturus ab vrbe.

Horum

Horum consiliis **Roberti** *filia nato*
Traditur **Azonis**, *taedas ex more iugales*
Et conuiuando celebrant, & multa ferendo.
Cunctis, coniugii quae postulat ordo, paractis,
Sollicitat comites Dux & quoscumque potentes,
Dona petens, laeti quibus & vir & vxor abire
Donati valeant: nec enim prius, Imperiales
Altera cum proles thalamos Michaëlis adisset,
Quodlibet auxilium dederant. Communiter illi
Omnes tristantur, quasi vectigalia posci
A Duce mirantes; sed non obstare valentes,
Et mulos & equos diuersaque munera praebent.
Iis genero donans, addens sua, classe parata
Ad sua cum magno patremque remisit honore.

§. 4.

Clarissimus Muratorius Ant. Est. P. I. pag. 40. sq. inseruit fragmentum diplomatis Henrici IV. Imperatoris, confirmationi bonorum Estensium Caroli IV. Imperatoris insertum, & multis rationibus euincere conatur, illud Anno 1077. datum esse. In eo bona patrimonialia *Hugoni* & *Fulconi*, filiis *Azonis* Marchionis, confirmantur, in odium, vt credo, *Welfi* Ducis, eius tunc inimici. Quoniam longo ordine allodia ab Azone possessa recenset, nosque saepius ad illud prouocauimus, lubet id hic integrum inserere: *In nomine Sancte & indiuidue Trinitatis. Henricus Quartus Diuina fauente Clementia Rex. Si iustis nostrorum fidelium petitionibus pietatis nostre aures inclinauerimus, & eorum iusta desideria Regali decentia compleuerimus, & Regni gubernacula melius nos regere credimus, & eos fidelium in nostra fidelitate perseueraturos minime dubitamus. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum quam presentium, nouerit industria, qualiter nos pro Patris nostri, nostreque remedio anime, interuentu quoque Gregorii Vercellensis Episcopi nostri dilecti Cancellarii, VGONI & FVLCHONI germanis,* **Aczonis Marchionis Filiis**, *omnes res, que sunt posite in Comitatu Gauelli, Rodigum, Cedermano, Sarzano, Mardimago, & Comitatum & Armaniam, & quicquid pertinet ad ipsum Comitatum, Abbatiam Bursedam, Abbatiam Vangadiciam: In Comitatu Pataniensi, Este, Arquada, Passo, Viguzolo, Surisini, Villa Finale, Ancaranum, Carmegnano, Villa prenominata Merendola, Montem Geniture, Triblanum, Corrigia, Olesia, Saletum, Milarina, Montagnana, Casale, Altadura, Vrbana, Merlaria, & omnes Arimanias, que ad istas Curtes pertinent. In Comitatu Ferrariense*

Manezo, Baniolo, Sanctum Martinum, Villa Comeda, Arquadam. In Comitatu Vicentino Colugana, Albaretum, Arcule. In Comitatu Veronensi Insula Morori (aut Maiori) Summa campagnam (aut Compaguam) In Comitatu Brisiensi Casale Maiore, Videliana, Pomponesco, Paugunedum. In Comitatu Cremonense Sanctum Paulum. In Comitatu Parmense Soragnam, Pairolam, Busscedum, Noxetum, Gunzauegulum, Curtesella, Mairagum, Splelium. In Comitatu Lunense, Poutetremulum, Filateram, Casteulo, Verugala, Mazucasco, Veuegla, Comanum, Panigalem, cum omni re Guidonis filii Dodonis, Abbatia Sancti Crapatii, Martula, Abbatia Sancti Saluatoris in Liuaria, Ceruariam, Valcranam, Barderanam, Bucagnolam, Arcolam, Madragnanam, Ceulam, Monellam, Adarimum, Carcodamum, Vallem planam. In Comitatibus Aretino infra Ciuitatem, Lucensi, Pisensi, omnem terram, quae Obertenga vocatur. In Comitatu Placentino Abbatia Sancti Iohannis de Vigulo, Castro Banciole, Sancto Martino in strada. In Comitatu Mutinensi, Solera, Herbera, Campo Galiano. In Comitatu Terdonensi Sale Nazanum, Arquada. Et quicquid ipse Marchio Aczo iure possidet, & iure possidere debet; & quicquid idem Marchio in omnibus supra dictis Comitatibus, & locis iure tenet, & iure tenuit, VGONI & FVLCHONI supra dictis germanis, eiusdem Marchionis Aczonis Filiis, per nostri precepti traditionem & confirmationem concedimus, tradimus & confirmamus. Precipimus igitur, vt nullus Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Castaldio, nulla prorsus nostri Regni magna paruaque persona predictos germanos, predicti Marchionis Filios, de omnibus predictis rebus molestare, inquietare, disuestire audeat, vel presumat. Vbi autem aliquis, quod non credimus, huiuscemodi precepti paginam & confirmationem fregerit, sciat se compositurum auri optimi libras mille, medietatem nostre Camere, & medietatem prefatis germanis. Quod vt verius credatur, manu propria corroborantes, Sigillo nostro infra sigillari iussimus. Merito itaque tot bonis abundans Azo *ditissimus Marchio Italiae* suo tempore dictus est. Et videtur Azo hanc confirmationem, amore filiorum ex altera coniuge inductus, tunc ab Imperatore clam expetiisse, dum maior natu filiorum Welfus, aliis negotiis districtus, eam impedire nequiret. Anno 1079. Canonici Veronensus Curtem *Lusiae* Azoni Marchioni eiusque filiis *Vgoni* & *Fulconi* certis conditionibus concessere, vti etiam supra Probat. n. XIII. Lib. V. iam commemorauimus ex diplomate a Clariss. Muratorio Ant. Est. P. I. p. 47. euulgato.

§. 5.

Anno 1087. Wilhelmus Rex Angliae decessit, & Cenomani ad res nouas iterum conuersi Hugonem denuo ex Italia ad se euocarunt. Acta

Acta Cenomenensia apud Mabillonium: *Interea Gaufredus* [de Meduana], *cuius supra mentionem fecimus, ratus se opportunum tempus inuenisse, quo regionem denuo perturbaret,* Hugonem filium Athonis *iam adultum crebris legationibus solicitans, vt in regionem veniret, obtinuit. Cum ergo esset apud Castrum, quod Carcer dicitur, occurrerunt ei Proceres Ciuitatis, sacramenta fidelitatis, quae Roberto Comiti* [filio Regis Wilhelmi] *fecerant, pro nihil reputantes.* Hoellus Episcopus tunc ad Robertum filium Wilhelmi Regis confugit, qui iacturam Comitatus Cenomanici parum curabat, & Episcopum solum remittebat, ei iniungens, vt *ad Ecclesiam quidem reuerteretur, de Episcopatu vero nullatenus Hugoni Marchisio responderet. Interim Hugo communi omnium assensu in Ciuitatem receptus, in domibus Episcopi mansionem accepit. Vnde Episcopus de Normannia regrediens diuertit in Monasterium S. Vincentii, atque cum Marchisio inde per internuntios loquebatur.* Hic finiunt Acta Cenomanensia. Ordericus vero Vitalis haec & quae insecuta sunt, distinctius Libro VIII. exponit. Et primo quidem narrat Anno 1090. Cenomanorum Legatos *Azonis Marchisi Liguriae filios* inuitasse ad Comitatum iure hereditario ipsis debitum occupandum. Tunc, addit, a patre factam inter filios diuisionem bonorum, in qua deinde Welfus se laesum esse ostendit, cum ex pactis dotalitiis cum matre sua constitutis omnia patris bona ad se pertinere, post obitum patris, profiteretur. Verba Orderici huc spectantia haec sunt: *Ligures germani* [Hugo & Fulco] *audita Legatione gauisi sunt, initoque consilio cum necessariis amicis, quid agendum esset, perscrutati sunt. Tandem definierunt, vt FVLCO, qui natu maior erat* [ex diplomatibus tamen, vt supra iam dictum, natu minorem fuisse apparet] *patris honorem in Italia possideret; HVGO autem frater eius Principatum ex matris hereditate sibi reposceret. Denique Gaufridus Madeniensis & Helias, aliique Ciues & Oppidani venientem Hugonem susceperunt, eique ad obtinendum ius ex materna hereditate competens aliquandiu suffragati sunt.* Narrat postea pluribus, qua ratione Hugo meticulosus Comitatum Heliae Cognato vendiderit, & in Italiam recesserit; quem deinde *Wilhelmus II.* Rex Angliae, deiecto & capto Helia, sibi penitus subiugauit.

§. 6.

Antequam Hugo ad Cenomanos proficisceretur, Coniugem suam a se separauit. Ordericus hoc indicat: *Hic*, inquiens, [Hugo] *filiam Roberti Wiscardi coniugem habuit, sed generosae coniugis magnanimitatem vir ignauus ferre non valens, ipsam repudiauit. Pro qua re Papa Vrbanus palam eum excommunicauit. Omnes Allobroges eum execrati sunt, & inuenta occasione ferocibus Cisalpinis extorrem destinauerunt.*

Diuortium itaque ante Annum 1090. quo ad Cenomanos abiit, vt dixi, contigiſſe debuit.

§. 7.

In Italiam reuerſus bonis omnibus nudatus erat; nomen tamen *Cenomanicum*, ſiue *de Manſo*, quod idem eſt, vulgo retinuit. Neceſſitate coactus tunc ad Mathildem Ducatricem ſeceſſiſſe, eiusque copiis praefectus fuiſſe videtur. Cum enim Henricus IV. Anno 1092. ad Atheſin ſtaret, paruo milite cinctus, Hugo eum impetere iuſſus, ſed mox accuſatus eſt, maluiſſe potius ab Imperatore vinci. Domnizo lib. II. c. 6. hac de re ſic loquitur:

Tempore Rex hiemis Atheſis trans flumen abiuit,
Principibus vacuus tunc, militibus neque fultus.
Hoc didicit nempe prudens Comitiſſa repente;
Mille viros fortes numero plus iuſſit ad hoſtem
Pergere bellandum, campi certamine tantum.
Cumque Padi latices, Atheſis nec non vada ſiſſent,
Inſidiis plenus Rex ipſos octo diebus
Vitauit, tardans proprias reuocando Phalanges.
Traditor iſtorum Regem dicebat eorum
Nolle ſpatis iungi, deerat quia poſſe, reiungit;
Talia credentes, ſecuri ſtant, & inermes.
En ſubito ſplendent Regis vexilla ferentes
Qui ſuper hos currunt, pars caeditur vtraque multum.
A turba Regis miles capitur, ſed inermis.
Plures euadunt, fugiunt per deuia ſaltus.
Iſte quidem pagus vocitatur tres Comitatus.
Proditor e Manſo fuit Hugo, nobilis aluo.
Hanc contra morem ſed fecit proditionem:
Nam proba Nobilitas non turpe ſcelus patrat vnquam.

§. 8.

Cum tamen *Hugo* ſine bonis & reditibus ſubſiſtere, neque Fulco ſuas ditiones ſecuras ab eo poſſidere poſſet, iniere ambo fratres Anno 1095. certa pacta, quibus Fulco ei ceſſit *medietatem Caſtrorum & terrae, quae AZO Marchio, genitor eius, tenebat a Mincio vſque ad Venetiam, & illam portionem ceterorum Caſtrorum de alia terra Marchionis AZONIS genitoris ſui.* Chartam inde confectam ex Archiuio Eſtenſi Muratorius Ant. Eſt. P. I. p. 272. in lucem emiſit, ex quo nos eam repetiimus (Probat. N. XIII.) Donationem quinquaginta Maſſaritiarum Monaſterio Van-

Vangadicienſi Anno 1097. ab *Azone* filioque eius *Hugone* factam, ſupra Lib. II. Cap. 10. iam commemorauimus. De reliquis *Hugonis* geſtis nihil hactenus repertum eſt; neque tempus obitus eius ſcitur.

§. 9.

Ex filia Roberti Guiscardi Ducis aliquot liberos habuit, ex quibus primus occurrit *AZO Marchio, filius Hugonis Marchionis, qui profeſſus eſt Lege viuere Longobardorum*, & hoc ſub titulo Monaſterio *S.* Mariae Carcerum, in finibus Eſte ſito, aliqua in territorio Patauenſi donauit Anno 1121. *quarto die exeunte Menſe Iunii*, vt Charta eius habet primum a Clariſſimo Muratorio l. c. p. 327. edita (Probat. XIV.) Ab eodem pag. 328. affertur alia Charta (Probat. N. XV.) Anno 1139. data & expedita *Montagnanae in Caſtellaro in domo Bulli*, qua *AZO & FVLCO Marchiones* eidem Monaſterio *Aquam vnam* largiuntur ex beneficio ſuo, quam habuere *in Comitatu Patauenſi in fundo de Villa in loco, qui dicitur Foſſa cauata vſque ad locum, vbi dicitur Scardeuara.* Fulco hic Azonis huius parentis Hugonis ex fratre Fulcone nepos eſt. Ad Azonem Hugonis filium pertinere quoque puto Teſtamentum a Clariſſimo Muratorio pag 330. euulgatum, & Anno 1142. confectum, (Probat N. XVI.) quo *AZO Marchio, qui profeſſus eſt Lege viuere Longobarda, totum illud quod habuit iure proprio, ius e libellario, enphiteotico ſeu Colonario & omne quod relinquere poterat a Luſia & a Remedello de Frutta & a Villa Comitiſſae vſque ad Venetiam & vſque ad plenum mare; item quod habuit in Comitatu Rodigii & Gauelli & Adriani & ſuam portionem de hoc quod acquiſiuit in Tribano & in Agua* Hoſpitali Hieroſolymitano donat; Vxori porro ſuae AICHIVAE legat *totum quod habuit in Curte Vrbanae & partem ſuam de Caracedulo, quam diuiſerat a fratribus ſuis,* item *partem ſuam de Frata a flumine Atheſis vsque ad Hoſpitale Trium Comitatuum* & quicquid habuit *in Sancto Saluatore,* & *portionem ſuam Siluaroli, Runci, Lullui & Seueoloris.* Pro quarta vero portione & omni iure, quod habuit in ſuis rebus, vult, vt *fratres ſui* omnes ipſi ſint heredes, & *habeant omne, quod habuit in Longobardia, & in Merlaria & in Eſte & in omnibus aliis locis, exceptis nominatis & excepta Montagnana* &c. *Actum in Montagnana feliciter.* Liberos reliquiſſe non videtur AZO hic *Marchio*; alias enim eorum mentionem in hoc ſuo Teſtamento feciſſet. Vti vero nomen habuit ab auo *paterno*; ita etiam fratrem habuiſſe crediderim ROBERTVM, ab auo *materno* Roberto Guiscardo ita appellatum. Subſcribit is apud Muratorium l. c. pag. 327. Chartae fratris Azonis (Probat N. XVII.) Anno 1121. pro Monaſterio Carcerum confectae hoc modo: *Signum manibus Azo, qui hanc Chartam offerſionis*

ferfionis fieri rogaui. Signum manibus Fulcho *Marchio; Azo filius eius, ROBERTVS MARCHIO, Angel, Balaldo* &c. Nemo certe praeter Hugonem Roberti Guiscardi generum caufam habuit filium fuum *Robertum* nominandi. Filiis enim ab auis tunc plerumque & proauis nomina indebantur. Roberti Guifcardi pater erat *Tancredus*. Inde Hugo Marchio iterum tertio fuo filio nomen TANCREDI indidit. *Tancredi* autem *Marchionis, Longobardorum lege viuentis* Teftamentum iterum edidit Clariffimus Muratorius p. 331. (Probat. N. XVIII.) Datum id eft Anno 1145. tertio Calendas Martii. In eo vero vult & difponit *Tancredus*, vt MANFREDVS *filius* eius fit heres bonorum; quod fi ille deceſſerit, nec filium reliquerit, tunc ad fucceffionem eius veniant *Ecclefiae S. Mariae de Vangadicia, S. Fidentii* & *S. Mariae de Carcere* vna cum aliis Ecclefiis, quas infra recenfet. *Vxori fuae GOTAE* legat *in Allodium feudum Vgonis Talamaffi & Feudum Graffi de Runcho, nomine fcilicet Morgincap.* Vult porro, *vt propinqui fui, Fulconis filii, iure proprietatis habeant*, quicquid ipfi pertinuit *in Comitatu Rodigii & Gauelli atque Hadriae, faluo Morginhap vxoris fuae; Confanguineae quoque fuae Azonis filiae* habeant, *quicquid fibi pertinuit in Mineruis, faluo Morgincap tantum vxoris fuae.* Dixerim ferme, hic intelligi filias Alberti Fulcone nati, quae in Charta Anni 1184. apud Clariffimum Muratorium pag. 326. *Adelafia* & *Aureplafis* (t) vocantur. (Probat. N. XIX.) Alberti enim contractum nomen eft Azo, vt faepius iam vidimus. Sic tamen forte Clariffimus Muratorius lapfus effet paulisper, dum inter liberos Fulconis ex *Alberto* vel *Azone* duas perfonas diuerfas, fratresque *Albertum* & *Azonem IV.* fecit. Tancredus vero, vt ad eum reuertar, praeterea vult, *vt matrices Ecclefiae vniuscuiusque Epifcopatus habeant*, quicquid iuris vel honoris fibi pertinuit *in Lufina & in Epifcopatu Vercellenfi, Papienfi, Terdonenfi, Placentino, Cremonenfi & Parmenfi, & vbicumque Allodium habere videatur per totam Longobardiam.* Ex quibus diuitias Familiae Marchionum Liguriae metiaris. Filius Tancredi & Gotae MANFREDVS fe in Teftamento fuo Anno 1164. facto, & a Clariffimo Muratorio l. c. pag. 335. euulgato (Probat. N. XX.) etiam MANFREDINVM *Marchionem* vocat, & moribundus aliquid S. Mariae in Carceribus legat; *vxori* vero *fuae VILLAE reliquit omnes fuas rationes: Filiam fuam* AGNETEM *& filium vel filiam, quae in vtero vxoris fuae*

t) Cur non *Aurelapfia?* Non deerunt forte haud obefae naris homines, qui dubitabunt, an non callidus quidam diplomatum plasmator hac hybrida voce credulae pofteritati illudere voluerit. Eadem tamen fere nomina in Teftamento Armandi d'Alegrè occurrunt apud Marten. Anecdotor. T. I. p. 1115. feq. Scriptum eft Teftamentum Anno 1263. in quo filiae Armandi, *Alafais* & *Amphelefa* aliquoties nominantur.

suae erat, sibi heredem instituit in omnibus suis bonis & rationibus, si masculus foret; si foemina, centum & quinquaginta libras & etiam plus, si hereditas potuerit portare, destinat; *Matri* etiam *Gotae* quinquaginta libras addidit & *Albertum de Vrbana socerum suum* tutorem *filiorum & filiarum* constituit. *Actum* hoc est *in Meliadino in domo praedicti Marchionis.* Coniux ergo Manfredi VILLA filia fuit ALBERTI DE VRBANA. Sed vxor haec *Villa* masculum peperisse non videtur. Anno certe 1198. in Responsione Testium de terris controuersis in Baono, quam in rebus Henrici Leonis Ducis Bauariae & Saxoniae infra Libr. VII. afferemus, dicitur verbis expressis: *Item credunt, quod omnes masculi, qui exiuerint de dicto Vgone de Manso, mortui sunt.* Praeter tres vero filios Hugo de Manso filiam quoque habuit GARSENDEM, nuptam *Alberto Duci Spoletano & Marchioni Tusciae*, post obitum Mathildis Ducatricis a Papa hunc honorem nacto, vt clare satis ostendimus supra Lib. III. cap. 5. §. 20. Haec ergo Hugonis de Manso progenies fuit.

Hugo de Manso.
Vx. Heria, filia Roberti Guiscardi, Ducis Apuliae &c.

Azo Marchio † 1142.	Robertus Marchio 1121.	Tancredus Marchio † 1145. Vx. Gotha.	Garsenda, Vxor Alberti Ducis Spoletani & Marchionis Tusciae An. 1128. 1129. 1135.

Manfredus Marchio † 1164.
Vx. Villa, filia Alberti de Vrbana.

Agnes.

§. 10.

Iam redeundum ad FVLCONEM Azonis II. Marchionis filium natu minimum, vt diplomata produnt, in quibus Hugoni fratri semper postponitur, licet eum Hugonem aetate superasse Ordericus, vt vidimus, tradat. *Garsendem* eius matrem fuisse paulo ante iam perspeximus. Ricobaldus in Chronico originem Domus Estensis multis fabulis commiscet, & dicit, *Albertum Azonem* ex Alda, filia naturali Ottonis I. Imperatoris (cuius commenti originem supra Lib. II. ostendimus) habuisse filios *Fulcum* & *Vgonem*; illi Imperatorem dedisse *Comitatum Fausburch*; hunc a patre accepisse hereditatem Marchionatus Estensis. *Comitatus Fausburch in Germania* est re ipsa Ducatus Bauariae, Welfo, Azonis filio, concessus. Confundit itaque hic Ricobaldus Welfum cum Fulcone. Addit tandem, Imperatorem in Italiam venientem confirmasse *Vgoni*, Azonis

filio, Marchionatum Estensem, & tunc Vgonem renunciasse *omni iuri, quod habere posset in Comitatu Fausburch Saxonum*, & *Fulcum pari modo in Marchionatu Estensi.* Sed omnia aliter se habent. Neque enim aut Hugoni aut Fulconi iuris quid in ditiones Germanicas, Welfo parentes, erat. Sed renunciauit Hugo iuri suo in bona patris Azonis in Italia, cum ad Cenomanos discederet, vt vidimus supra, & Fulco vice versa renunciare potuit iuri suo in illud, quod ipsi ex Cenomanica successione debebatur. De confirmatione bonorum *Hugoni* & *Fulconi* facta Anno 1077. ab Henrico IV. Imperatore supra iam egimus, vt & de Curte Lusia *Hugoni* & *Fulconi* iisdem a Canonicis Veronensibus Anno 1079. donata. Commemorauimus etiam conuentionem Fulconis cum fratre Hugone Anno 1095. initam, qua ipsi bonorum ad se pertinentium medietatem concessit. Post Annum 1097. varias cum fratre Welfo eiusque filio concertationes de bonis paternis habuit, & coactus est illi partem inde cedere, vt ex Bertholdo quoque supra retulimus.

§. 11.

Anno eodem 1097. 13. Cal. Septembris Conradus Rex Romanorum, (u) *in Castro Burgi S. Domnini* existens, *FVLCONI Marchioni* concessit priuilegium, vt *nullum bannum Regius exactor a Marchione exigat, ita tamen vt non insolescat in antea Marchio, nec eum radix inflet superbiae, dicendo, quod quia banni poenae non subiaceat, licenter possit perpetrare crimina.* Clarissimus Muratorius hoc priuilegium in Ant. Estens. T. I. p. 275. ex Archiuio Estensi produxit, vnde nos illud depromsimus. (Probat. N. XXI.) Idem Muratorius l. c. pag. 313. edidit Chartam Anno 1100. pridie Cal. Augusti datam, (Probat. N. XXII.) qua *FVLCO Marchio, filius quondam AZONIS Marchionis, habitator in Castro, qui dicitur Montagnana*, donat & offert *Ecclesiae S. Saluatoris, quae est constructa in Comitatu Patauiensi* totam suam terram *in Comitatu Patauiensi & Veronensi, & inter Tres Comitatus & siluam Caracedi, & inter villam Fellidanam & Fractam, praeter vnum mansum, quem Guido de Merlaria habet.* Azonem II. Marchionem eiusque filium Fulconem *Curtis Nasetae* patronos fuisse, eamque ab ipsis Oberto, filio quondam Alberti de Murignano, in feudum concessam fuisse ex Cessione eius pro Monachis S. Prosperi Regiensis Anno 1104. expedita atque a Clarissimo Muratorio l. c. pag. 174. publicata, (Probat. N. XXIII.) atque ex Instrumento Compositionis inter Ottonem Blancum & Monachos eosdem de eadem Curte Naseta eodem anno facto, ibidemque pag. 169. exhibito, (Probat. N. XXIV.) patet. Anno 1115.

2. Cal.

u) Intelligitur filius Henrici IV. Imperatoris immorigerus, Welfonum & Mathildis armis in Italia potens, qui Mediolani Rex Italiae coronatus, sed paullo post, eodem nimirum anno, quo Welfus Senior, Pisis defunctus est, atque hinc inter Reges seu Imperatores Romanos non numeratur. Confer de eo, quae infra occurrunt Cap. 3. §. 2.

2. Cal. Iunii *Fulco Marchio in Monte Silice, in Casa dominicata prope Ecclesiam S. Pauli,* resedit ad iustitiam faciendam, & sententiam pronunciauit pro *Monasterio S. Zachariae* Veneto contra Monasterium S. Iustinae de ciuitate Padua. Placitum hoc, quod infra (Probat. N. XXV.) exhibemus, etiam Clarissimus Muratorius l. c. pag. 314. primus in lucem emisit. Cui similiter debemus Chartam l. c. pag. 316. editam & Probationibus nostris (N. XXVI.) insertam, qua *FVLCO Marchio filius cuiusdam* [h. e. quondam] *AZONIS, qui professus est Lege viuere Longobardorum,* pro anima *Azonis Marchionis genitoris sui* Anno eodem 1115. *decimo die introëunte Mense Iunii,* donat *Monasterio S. Benedicti fundato iuxta quod dicitur Lairone Mansos XX. in loco vbi dicitur Costa.* Actum *in loco Montagnana feliciter. Signum manibus Fulco Marchio, qui hanc cartulam offersionis fieri rogauit.* Et post aliquot testium nomina legitur tandem: *Ego FVLCO Marchio dedi pro ordinacione testamenti GARSENDAE Genitricis meae terram, in qua supra scripta cartula legitur, & Garsenda Comitissa genetrice mea & Vgo germano meo.* Hieronymus Rubeus Hist. Rauenn. Lib. V. pag. 324. Chartam excerpsit, Anno 1123. factam, qua *Guglielmus, Bulgari filius, eiusque vxor Adelasia, IIII. Idus Octobris Coenobio D. Mariae in Porta pro dote templi D. Margaritae Castellare dederunt, in quo aedificatum ipsum templum est, ita vti tum videbatur, fossis atque euripis cinctum; quae sunt omnia in Ferrariensi.* His tabulis testes adscribuntur, *FVLCO MARCHIO, Petrus Canis Salinguerra, Petrus Contrarius, Vgutio, Isnardusque Vgutionis filius.* Vnde concludas, Fulconem Marchiam Ferrariensem tenuisse, & hac de causa huic actui subscripsisse. Habuit quoque Marchio Fulco partem in *Pogio* seu *Monte Caprionis,* quam *Philippo Episcopo* Lunensi vendidit, vt apparet ex Compositione Lunensi Anno 1124. facta, quam Lib. II. aliquoties iam citauimus. Anno 1134. *Fulco Marchio* feudum Azonis filii Vbaldi *dedit pro Allodio ad Ecclesiam S. Saluatoris, quae habetur ex parte Fractae.* (Probat. N. XXVII.) Chartam exhibuit Clarissimus Muratorius l. c. p. 320. Nec diu eum superuixisse credo. Nulla enim eius amplius mentio facta reperitur.

§. 12.

Quam vxorem habuerit, FVLCO nullibi proditur. Hoc certum est, & a Clarissimo Muratorio aliisque Viris doctis iam ante eum solide probatum, ab hoc Fulcone Marchione in recta linea descendere SERENISSIMAM FAMILIAM MARCHIONVM ESTENSIVM ET DVCVM MVTINAE, REGII MIRANDVLAEQVE, nostro tempore superstitum; ex quibus nuper *Renaldus I. Dux* auitam ditionem insigniter auctam summa cum laude gubernauit, qui, adscita Anno 1696. in

thorum *Carolina Felicitate*, Iohannis Friderici Ducis Brunſuicenſis & Luneburgenſis filia, ſuam gentem progenitoris ſui Azonis poſteritati Germanicae coniunxit, & ex ea FRANCISCVM III. Principem pacis belliqueartibus inclytum, tantoque genere digniſſimum heredem, qui hodie auitas prouincias magna prudentia & felicitate moderatur, genuit. Nobis Sereniſſimae huius Familiae ſolidam genealogicam deductionem Clariſſimus Muratorius dedit, ex quo Stemma Eſtenſe, omiſſis foeminis, repetimus, quoniam ad illud in ſequentibus quoque ſaepius prouocandum erit. Nec tamen, vt ſperamus, graue ferent ſuperſtites Summi Viri amici & cultores, quod Fulconi hic filium *Azonem* abſtulerimus, donec certiora de eo nobis conſtent.

AZO II. Marchio Liguriae.
Vx. I. Cunigundis Guelfica.
II. Garſendis Cenomanica.

- 1 WELFVS Dux Bauariae, *Sator Ducum Bauariae Saxoniaeque, poſtea Principum Brunſuico-Luneburgenſium dictorum.*
- 2 HVGO de Manſo Marchio, Vx. Heria filia Roberti Guiſcardi Ducis Apuliae.
  - Azo Marchio 1142.
  - Robertus Marchio 1121.
  - TANCREDVS Marchio † 1145. Vx. Gota.
    - MANFREDVS Marchio † 1164. Vx. Villa, filia Alberti de Vrbana.
      - Agnes.
  - Garſendis Vx. Alberti Ducis Spolet. & March. Tuſc. 1128. 1129. 1135.
- 2 FVLCO Marchio †. poſt 1134.
  - Bonifacius I. Marchio Eſtenſis † 1163.
  - OBIZO Marchio Eſtenſis † 1194.
    - Bonifacius III. Marchio Eſtenſis 1212.
    - AZO Marchio Eſtenſ. † 1193.
      - AZO Marchio Eſtenſis & Anconae Dominus Ferrariae, Veronae &c. † 1212.
        - Aldrouandinus I. Marchio Eſtenſ. & Anconae † 1215.
        - AZO Marchio Eſt. & Anconae † 1264.
          - RENALDVS I. mortuus ante patrem An. 1251.
            - OBIZO II. Marchio Eſtenſ. & Anconae Dominus Ferrariae, Modenae, Regii &c. † 1293.
              a
          - B. Beatrix II. Monialis apud S. Antonium Ferrariae † 1270.
        - B. Beatrix I. Fundatrix Monaſterii Gemmulae 1226.
  - FVLCO Marchio Eſtenſis † 1178.
    - Bonifacius II. Marchio Eſtenſ. † 1190.
  - Albertus vel Azo Marchio Eſtenſ. † 1184.

Azo

a

Azo Marchio Estens. & Anconae Dom. Ferrar. Modenae & Regii, Comes Andriae. † 1308.	ALDROVANDINVS II. Marchio Estens. & Anconae, Dominus Rodigii &c. † 1326.	FRANCISCVS Marchio Estens. & Anconae, Dom. Rodigii. † 1312.

Renaldus II. Marchio Est. & Anconae, Dom. Ferrariae, Comacli &c. † 1335.	OBIZO III. Marchio Est. & Anconae, Dom. Ferrariae, Mutinae, Parmae, Comacli &c. † 1352.	NICOLAVS I. Marchio Est. & Anc. Dom. Ferrar. Mutin. Comacli &c. † 1369.	BERTHOLDVS Marchio Estens. † 1343.	Azo Marchio Estens.

Hugo III. Marchio Est. &c. † 1370.	Fulco III. Marchio Est. &c. † 1358.	ALDROVANDINVS III. Marchio Est. Dom. Ferrar. Mutinae, Rodigii, Comacli &c. † 1361.	ALBERTVS Marchio Est. Dom. Ferrar. Mut. Rodigii, Comacli &c. † 1393.	Nicolaus II. Claudus March. Est. Dom. Ferrar. Mutinae, Fauentiae, Rodigii, Comacli &c. † 1388.	Renaldus III. Marchio Estens. † 1369.	Franciscus Marchio Est.

Obizo IV. Marchio Est. Dom. Rodigii &c.	NICOLAVS III. Marchio Estensis, Dom. Ferrar. Mut. Rodigii, Parmae, Comacli † 1441.

Leonellus Marchio Estens. Dom. Ferrariae, Mutinae, Regii, Rodigii, Comacli &c. † 1449.	HERCVLES I. Dux Ferrariae, Mutinae & Regii Marchio Estensis, Comes Rodigii, Dom. Comacli † 1505.	Borsus March. Est. Dux Ferrariae, Mutinae & Regii, Comes Rodigii, Dom. Comacli &c. † 1471.	Sigismundus Marchio Estensis; vnde descendunt Marchiones de S. Martino Borgomanerio, Portezza &c. Principes S. R. Imp. † 1507.

Ferrantes Princeps Estensis.	ALFONSVS I. Dux Ferrariae, Mutinae & Regii Marchio Est. Comes Rodigii, Dom. Carpi, Comacli &c. † 1534.	Hippolitus I. S. R. Eccl. Cardinalis, Archi Episcopus Strigoniensis, Mediolanensis &c. † 1520.	Sigismundus Princeps Estensis † 1524.

Franciscus Princeps Estensis, Marchio Massae & Padulae, Comes Auellini † 1578.	Hippolitus II. S.R.Eccl.Cardinal. Archi Episc. Mediolan. Episcopus Ferrariensis † 1572.	HERCVLES II. Dux Ferrar. Mut. Reg. & Carnuti, Marchio Est. Princeps Carpi, Comes Rodigii & Gisortii, Dom. Comacli, Montargii, Garfagnana, Frignani, Romagnae &c. † 1558.	ALFONSVS Princeps Estensis, Marchio Montecchii † 1582.	Alfonsinus Princeps Estensis, Marchio Castelli noui † 1547.

Ludouicus S. R. Eccl. Cardinalis Episcopus Ferrariae, ArchiEp. Augustae Auscorum.	ALFONSVS II. Dux Ferrar. Mut. Regii & Carnuti, Princeps Carpi, Comes Rodigii, Dom. Comacli, Garfagnanae &c. † 1597.	CAESAR Dux Mutinae, Regii &c. Princeps Carpi, Marchio Estensis, Dom. Comacli &c. † 1628.	Alexander S. R. Eccl. Cardinalis Episcopus Regiensis † 1614.

b

b

ALFONSVS III. Dux Mutinae, Regii &c. Princeps Carpi, Marchio Estensis, regimen reliquit 1629.	Ludouicus Princeps Estensis, Generalis Venetorum † 1664.	BORSVS Princeps Estensis † 1657.

Philibertus † 1645.	Carolus Alexander † 1679.	Caesar † 1677.	Obizo Episcopus Mutinae † 1644.	FRANCISCVS I. Dux Mutinae, Regii &c. Princeps Carpi & Corrigii, Marchio Estens. & Dom. Comacli &c. † 1658.	Renaldus S. R. Eccl. Cardinalis, Episcopus Regii † 1672.	Ludouicus Princeps Estensis Gubernator Regii † 1698.	Forestus Princeps Est. Marchio Scandiani.	Caesar Ignatius Princeps Est. Marchio Montechii.	Maria Catharina vidua Emanuelis Philiberti Sabaudi, Principis Cariniani.

Isabella Dux Parmae † 1666.	Maria Dux Parmae † 1684.	Leonora Princeps Estensis, Monialis Carmelitana discalceata.	RENALDVS Dux Mutinae, Regii, Mirandulae &c. Princeps Carpi & Corrigii, Marchio Estensis & Concordiae, Dominus Comacli &c. natus 25. April. 1655. † 1737. d. 26. Octobr.	ALFONSVS IV. Dux Mutinae, Regii &c. Princeps Carpi & Corrigii, Marchio Estensis, Dominus Comacli &c. † 1662.	Almericus Princeps Estensis † 1660.

Benedicta Ernesta Princeps Estensis nata 18. August. 1697.	FRANCISCVS MARIA Dux Mutinae, Regii Mirandolae &c. Princeps Carpi & Corrigii, Marchio Estensis & Concordiae, Dominus Comacli. natus 2. Iul. 1698.	Amalia Iosepha Princeps Estens. nata 28. Iul. 1699.	Iohannes Fridericus Princeps Estensis, natus 1. Sept. 1700. † 1723. d. 14. April.	Henrietta Princeps Estensis nata 25. Maii 1702.	Franciscus II. Dux Mutinae, Regii &c. Princeps Carpi & Corrigii, Dom. Comacli † 1694.	Maria Beatrix, Vx. Iacobi II. Regis Angliae nata 1658. † 1718.

FRANCISCVS CONSTANTINVS. Princeps Estensis. natus 1724. d. 22. Nouembr.	Maria Theresia Felicitas Princeps Estensis n. 1726. d. 6. Octobr.	HERCVLES RENALDVS Princeps Estensis n. 1727. d. 22. Novembr.	Mechtildis Princeps Estensis n. 1729. d. 7. Febr.	Fortunata Maria Princeps Estensis n. 1731. d. 24. Nouembr.	BENEDICTVS PHILIPPVS ARMANDVS Princeps Estensis n. 1736. d. 29. Septembr.

CAPVT

CAPVT III.

De Welfi I. liberis *Welfo II.* Bauariae & Spoleti Duce, Tuſciae Marchione, inclytae Mathildis marito, deque *Henrico Nigro* itidem Bauariae Duce.

§. 1. Welfi I. filii fuerunt *Welfus II.* & *Henricus*, quorum vterque Ducatum Bauariae tenuit.

§. 2. *Welfus II.* ſuaſu Pontificis vxorem duxit *Mathildim Ducatricem.*

§. 3. Hoc matrimonio Welfo omnium terrarum a Mathildi poſſeſſarum hereditas promiſſa.

§. 4. Et Welfus eo contracto omne vxoris in his terris imperium ſtatim exercere coepit.

§. 5. Hoc ipſum tamen matrimonium parum firmum fuit, ipſeque Welfus facto diuortio, cuius cauſſae variae recenſentur, a Coniuge Mathilde ſe ſeparauit, & ab hoc tempore Henrici IV. Imp. partes ſecutus eſt.

§. 6. Patri in Ducatu Bauariae ſucceſſit, mitiſſimi animi Princeps, & in Eccleſiam Raitenbuchenſem ſtatim ſub auſpiciis imperii ſui liberalis.

§. 7. De Italicis tamen Azonis, aui ſui, bonis bellum gerere coactus fuit.

§. 8. Interfuit Legationi a Caeſare ad Pontificem Paſchalem II. qui Trecis in Gallia concilium coëgerat, miſſae, ibique & externae pompae & animi magnitudinis multa praeclara documenta dedit.

§. 9. Immo etiam Romae fuit, cum A. 1111. Pontifex Paſchalis a Caeſare cuſtodiae mandaretur.

§. 10. Interfuit expeditioni Caeſaris aduerſus Saxones 1112. ſuſceptae, & Legatus etiam ab Imperatore ad Lotharium Saxoniae Ducem miſſus eſt.

§. 11. Obiit 1120. in villa Chufringen, cuius ſitus explicatur.

§. 12. Welfo II. in Ducatu Bauariae ſucceſſit frater *Henricus*, a Scriptoribus *Catulus* & *Niger* dictus.

§. 13. Is vxorem duxit *Wulfhildem*, Magni Ducis Saxoniae, Billingorum vltimi, filiam.

§. 14. Ante fratris mortem fere ſemper in Italia haeſit, quod varia eius acta ibidem comprobant.

§. 15. An Henricus noſter primus Germaniae Principum fuerit, qui Sigillo vſus eſt?

§. 16. Recenſentur acta eius in Ducatus adminiſtratione,

§. 17. & partes in negotio electionis Imperatoris Lotharii.

§. 18. Quo anno Henricus Niger diem obierit ſupremum?

§. 19. Vtrum ante obitum Monachus factus ſit?

§. 20. De *Wulfhildi* Coniuge eius agitur.

§. 21. An Henricus filium habuerit *Sigebardum*, filiamque *Adelheidem?*

§. 1.

Q VOS liberos habuerit Welfus Senior Dux Bauariae, indicant nobis verba Anonymi de Guelfis, ſupra c. 1. §. 7. citata, qui ſic de eo ſcribit: *Accepit autem Reginam Angliae tunc viduam, filiam ſcilicet Baldubini nobiliſſimi Comitis Flandriae, Iuditham, in vxorem. Ex qua duos filios, GVELFONEM ſcilicet & HENRICVM, quorum vterque Ducatum Bauariae, alter poſt alterum poſſederat, progenuit.*

§. 2.

WELFVS, primogenitus Welfi filius, in prima iam iuuentute armis aſſuetus fortiter egit, famamque virtute conciliauit. Vnde a Pontifice delectus eſt, qui, Mathilde Ducatrice ducta, res in Italia fere nutantes

tes aduersus Imperatorem sustentaret. Matrimonium hoc cum Mathilde initum est Anno 1089. Idque clam & rem omnem nesciente Imperatore. Ita enim Chronographus Saxo ad h. a. p. 270. *Welf iunior, habitu peregrini Italiam ingrediens, Mathildam accepit vxorem; hanc, quam prius habuit Godofridus Dux gibbosus.* Admodum indignabatur Imperator hoc coniugium, quippe per Romanum Pontificem Mathildi conciliatum, vt haec tanto virilius hinc Ecclesiae subuenire, illinc Imperatori resistere posset: quod tanto successu factum est, vt filius Imperatoris Conradus, postquam in Italiam venisset, seque huic Triumuiratui adiunxisset, Anno 1093. Mediolani Rex coronaretur: quae res patrem Henricum tanto dolore affecit, vt sibimet ipsi violentas manus inferre vellet, intulissetque, nisi a suis praeuentus fuisset. Vid. Bertoldus Constantiensis ad Annos 1089. & 1093. Caeterum nos Libro III. Cap. V. §. 9. sqq. iam satis dilucide de hoc matrimonio egimus, nec iam quae ibi dicta sunt exscribimus.

§. 3.

Cosmas Pragensis Satyram de eodem aduersariorum retulit, quam nos l. c. §. 11. penitus destruximus explosimusque, interim literas ad Welfum Mathildis ibidem ex eodem Cosma in medium prolatas fictitias esse non aeque credo. Rebus enim insecutis veritas earum instruitur. Inuitans igitur Welfum ad suum coniugium Mathildis, ipsi secum promisit *totius Longobardiae Regnum. Praeterea*, inquit, *dabo tibi tot ciuitates, tot castella, tot palatia inclyta, aurum & argentum, nimis infinitum: super omnia habebis nomen praeclarum, si te facies mihi carum.* Arbitra illa erat rerum in Longobardia, Regem supra se non agnoscebat, & dignitates, Ducatus & Marchionatus inter patrimonium veluti suum computabat. Omnium itaque horum bonorum heredem instituit Welfum, etiamsi liberos ex eo non haberet, vt iuuenem ad se alliceret sibique deuinciret. Hoc certe ex querela Welfi patrisque eius, quod de bonis suis ipsi post separationem nihil concedere voluerit, apparet; & ex eo, quod heredes Welfi hoc ex fundamento patrimonium Mathildis sibi, tanquam iure debitum, vindicauerint, valide confirmatur.

§. 4.

Cum concessit in thorum Mathildis Welfus, ab Henrico Rege illatas iniurias fortiter repulit, vxoremque aduersus eum defendit, vt supra L. III. c. 5. §. 12. & 14. iam indicauimus; vicissim vero omnem vxoris potestatem vsurpauit. Sic Anno 1090. V. Kal. Iulii Mantuae agentes *Welfo Dei gratia Dux* [sc. Spoleti] *& Marchio* [Tusciae,] *& Matilda Dei gratia si quid est* priuilegium concedunt *suis fidelibus Mantuanis Ciuibus*, quod Clarissimus Mura-

Muratorius P. I. Ant. Est. pag. 280. inseruit, & nos ex eo Lib. III. Probat. N. LXXI. retulimus. In fine eius dicunt: *Et vt haec nostrae confirmationis auctoritas stabilis atque firma permaneat, hanc Cartam inde conscriptam manu propria, vt infra videtur, corroborantes, Sigilli nostri impressione iussimus signari.*



Per *Sigillum* igitur hic signa nominum vtriusque intelliguntur. Nec Sigillum proprie sic dictum vel Welfum vel Mathildem habuisse hactenus repertum est.

§. 6.

Vti vero matrimonium hoc a Mathilde ob status Italicos aduersus regiam potentiam conseruandi rationes, & a parte Welfi iuuenis ob vtilitatem inde in se & gentem suam redundaturam contractum erat; ita amori coniugali parum datum. Mathildis quadragenaria sine dubio non satis illecebrarum pro iuuene habebat. Ipsa a priori quoque marito intacta mansisse videtur; vnde & Pontifex eam, quamuis iam coniugem, *puellam* appellabat. Poterat in ea re matris exemplum sequi, quae etiam cum Gotofredo Duce licet coniuncta, tamen castitatem coniugalem seruarat, nec cum eo concubuerat. Credulitas & superstitio illorum temporum hoc magni apud Deum meriti loco habebat. Pontifex, qui iam ab ea elicuerat, vt Ecclesiam heredem instituisset patrimonii sui, licet tabulae sub tempus contracti cum Welfo matrimonii, rescissae essent, eam in hac sua mente sedulus confirmasse videtur. Hoc Welfum, iuuenem feruidi sanguinis, male habebat, & de eo etiam post separationem publice, vt Bertholdus indicat, conquestus est. Sperabat tamen Regnum Longobardiae in se collatum iri. Anno 1093. dicitur quidem, Welfum non minus ac Mathildem persuasisse Conrado, vt a patre Imperatore secederet, seque Regem Italiae coronari faceret; sed nimia tamen Mathildis cum Conrado familiaritas, de qua Domnizo legendus, (x) Welfo displi-

u) Addatur Vrspergensis & Chronic. Regia S. Pantaleonis Coloniensis ad Annum 1101. *Cunradus Rex adolescens nono, postquam a patris discesserat palatio, anno, Mathildis, magnae illius & nobilissimae, &, vt quidam dicunt, religiosae feminae sicut sanguine, ita &*

displicuisse videtur. Credas etiam, recordatum tandem esse Welfum, se per vxorem hoc modo plane spe obtinendi Regni Longobardici priuatum esse, hocque animum eius aduersus ipsam penitus exacerbasse. Ab omni itaque commodo per coniugem consequendo remotus, & arrogantiae eius pertaesus, ab ea Anno 1095. publice secessit. Nec pater in Italiam aduolans, concordiam inter coniuges restaurare, nec pro filio in pactis dotalibus promissa obtinere potuit. Bertholdus Constantiensis ad An. 1095: *Welpho, filius Welphonis Ducis Baioariae, a coniugio Dominae Mathildis se penitus separauit, asserens, illam a se immunem permansisse: quod ipsa in perpetuum reticuisset, si non ipse prior illud satis inconsiderate publicasset.* Sic loquitur auctor Pontificiae Mathildisque parti addictus. Sed Welfus hoc professus videtur, vt omnibus constaret, se, quoniam vxor ipsi thori vsum hactenus denegasset, iuste ab ea recessisse. Pergit Bertholdus: *Vnde pater ipsius in Longobardiam nimis irato animo peruenit, & frustra diu multumque pro huiusmodi reconciliatione laborauit. Ipsum etiam Henricum sibi in adiutorium asciuit contra Dominam Mathildam, vt ipsam bona sua filio eius dare compelleret; quamuis nondum illum in maritali opere cognosceret. Vnde diu frustra laboratum est.* Ex his sequitur omnino, Mathildem pactis dotalibus omnia sua bona Welfo promisisse; licet etiam heredes non nanciscerentur. Sequitur ex iisdem verbis, Welfum a coniuge se separasse, quod videret, eam bona sua aliis destinasse. Welfus itaque, vna cum patre, Henrico Imperatori, hosti Mathildis, se totum dedidit, vt aegre faceret coniugi ingratae, & vel per Imperatorem sibi debita ab ea extorqueret. Bertholdus ad eundem annum: *Welpho Dux Bauariae cum filio suo Welphone tandem de Longobardia in Alemanniam rediit, multumque de restitutione Heinrici in Regnum, quamuis de anathemate non absolutum, cum Principibus Regni frustra laborauit.*

§. 6.

Welfum patrem mox Ducatum Bauariae, quo priuatus erat, ab Imperatore sibi reconciliato recepisse, & Anno 1098. etiam ab illo impetrasse, vt post mortem eius vnus in eo ex filiis succederet, supra iam indicauimus. Post fata itaque parentis Welfus Iunior *Dux Bauariae* factus est. Mores eius nobis tales Anonymus de Guelfis depingit: *Igitur post mortem patris Gwelfo maior natu paternum Ducatum recepit. Vir moderatissimus, qui magis liberalitate & facilitate, quam crudelitate omnia*

& contubernio coniunctus, & in rebus per Italiam disponendis tam illius, quam Domini Apostolici ceterarumque Deum timentium personarum consilio semper vsus - - - ad aeternum creditur regnum migrasse.

omnia sibi resistentia subiecit. Domum suam ordinatissime disposuit. Vnde & nobilissimi quique vtriusque prouinciae filios suos eius magisterio educandos certatim commendauerunt. Gewoldus ad Hundii Metropolim T. III. p. 109. ex Charta quadam, quam infra (Probat. N. XXIX.) exhibemus, annotat, *Welsonem Ducem, filium Ducis Wolfhardi*, qui is est, de quo agimus, praedium suum in loco, qui dicitur *Wiltsteig*, *quod sibi ex aequa fraterna diuisione obuenerat*, ad reliquias S. Mariae in Raitenbuch tradidisse. Annum non addit, quo hoc actum est; crediderim tamen id factum esse paulo post obitum patris, cum fratres bona paterna inter se diuisissent. (y)

Qq 2 §. 7.

y) Gewoldus non ex Charta quadam haec annotat, sed potius ex Libro Traditionum Raitenbuchensis Ecclesiae traditionem quamdam ad verbum exhibet, quae ad Welfos omnino pertinere videtur; licet nondum in aprico sit, ad vtrum eorum referri debeat, quia instrumentum notis chronicis caret, & ex nominibus testium, qui non satis cogniti sunt, tempus factae traditionis determinari nequit. Haesit sane R. P. Meichelbeck Histor. Frising. T. I. p. 267. Cum enim traditionis eius argumentum recitasset, subiecit illico: *Ita instrumentum donationis. Sane, quis fuerit Welfo ille, Wolfhardi filius, hactenus nos nondum assequi, vltro fatemur.* At enim vero id assequi Vir Clarissimus facillime potuisset, si ei venisset in mentem rotulus donationum Meginwardi Frisingensis Episcopi, quem ipsemet p. 289. exhibuit, nosque ex eo in Probationibus nostris (N. VII.) adduximus. Ibi enim *Dux Welfhardus*, bis nominatus, alius esse non potest, quam *Welfus* primus Bauariae Dux, quia Meginwardus, qui haec scriptis consignasse perhibetur, ab Anno 1078. ad Annum 1098. Frisingensem Ecclesiam rexit, quo temporis interuallo Bauaria, praeter Welfum illum, alium Ducem non habuit. Quia tamen Imperator Welfo Ducatum Bauariae tum abrogauerat; Meginwardus eum non *Bauariae Ducem* appellare ausus est, solo nomine *Welfhardi Ducis* vsus. Equidem verba illa *Welfus Dux, filius Ducis Wolfhardi*, in Welfum iuuenem, filium Welfi Mitis vnicum, qui Anno 1167. Romae peste periit ante patrem, aeque conuenire videntur, quia Welfus Mitis in monumentis Sueuicis, quae infra producemus, pariter *Welfhardus* nominatur. Sed quia pater filium, quoad vixerat, in potestate habuit, tam pinguem is donationem sine auctoritate patris, cuius omnino aliqua fuerat mentio facienda, facere nequaquam potuit. Deinde, quod argumentum plane peremtorium est, Welfus Iunior, Welfi Mitis filius, fratrem non habuit, cum quo patris hereditatem diuidere potuisset, praesertim cum pater filio superuixerit, & viuentis nulla sit hereditas. Haec autem omnia cum bellissime conspirent in Welfo Pingui, eoque solo, quippe qui patrem habuit *Wolfhardum* seu Welfum, primum huius gentis Bauariae Ducem, & fratrem *Henricum Nigrum*, qui aeque ac ipse patri superuixit, & cum quo post fata patris diuisionem hereditatis instituere potuit; non spero fore in posterum, qui dubitet, quis ille *Welfus, Wolfhardi* Ducis filius, sit, & num hoc instrumentum ad Welfum Pinguem, secundum gentis nostrae Bauariae Ducem, recte referatur. Sed & id, quod Welfus noster Coenobio Raitenbuchensi hoc instrumento donasse perhibetur, paucis explicandum est. Vox *Wiltsteig* nostris hominibus idem quod *Wiltbahn* seu *Wiltbann* significat, ac Latine effertur per *semitam ferinam*, seu certum terrae siluarumque spatium, intra quod feras soli venari solemus. Ita sumitur in diplomate Conradi III. pro Ecclesia in Ranshouen, ex Anno 1142. quod infra (Probat. N. XXXIII.) exhibebimus. Ibi: *Ecclesiam in Ranshouen - - - defensionis tuitione suscipimus, cum decimis quas infra semitam ferinam, quae vulgo dicitur Wiltsteich, vel extra, eadem Ecclesia possidet.* At in nostro instrumento *Wiltsteig* est nomen loci, scilicet cuiusdam villulae, quae hodienum visitur ad Ambronem fluuium, medio itinere inter Raitenbucham & Steingaden.

§. 7.

Bona, quae ipsi in Italia ex hereditate aui sui Azonis debebantur, compulsus a consanguineis ea inuadentibus, armis etiam repetiit. Testis Anonymus de Guelfis: *In Italia tamen cum iis, qui patrimonium suum iniuste vsurpauerant, & suos pessimis circumuentionibus molestauerant saepissime durissimos conflictus habuit.*

§. 8.

Anno 1107. Paschalis II. Papa inuitatus erat Augustam Vindelicorum, (z) vt ibi controuersia inter Pontificium & Imperium diu agitata de Inuestituris componeretur. Sed ille Henrico V. Germanisque non fidens, potius in Galliam declinarat, Concilioque Trecis indicto, ibi constituerat sibi eas affirmare, & reuera affirmauit. Vid. Pagi critica Annal. Baronii ad Annum 1107. & Marten. collectione amplisf. T. VII. Annales Hildesheim. ad h. a. gesta ita efferunt: *Papa ex Synodi sententia apud Trecas - - - omnibus Ecclesiis libertatem, vt ex praecepto Canonum Praelatos sibi eligant, quos dignos viderint, restituit.* Regem inde Galliae multis blanditiis in suas partes pertrahere non negligebat. Interim Legati Imperatoris Catalaunum veniebant, ibique eos Papa admisit. Inter eos *Welfus* noster erat, & facie & cultu venerandus. Sugerius Abbas S. Dionysii hisce praesens adfuit, atque in Vita Ludouici Crassi cap. 9. apud Franciscum Du Chesne Scriptor. Francicor. T. IV. p. 289. sq. de Legatis Imperatoris haec habet: *Vbi* [Catalauni] *cum Dominus Papa aliquantisper demoraretur, ex condicto ipsi Imperatoris Legati non humiles, sed rigidi & contumaces, cum apud Sanctum Memmium hospicia suscepissent, relicto inibi Cancellario Alberto, cuius oris & cordis vnanimitate ipse Imperator agebat, ceteri ad Curiam multo agmine, multo fastu, summe phalerati deuenerunt. Hi siquidem erant: Archi Episcopus Treuerensis; Episcopus Aluertatensis* (lege *Halberstadensis*)*; Episcopus Monasteriensis; Comites quamplures, & cui gladius vbique praeferebatur Dux WELFO, Vir corpulentus & tota superficie longi*

z) Ab Henrico Iuniore Legatione persolenni: quae cum in faucibus vrbis Tridentinae a Comite quodam Alberto oppressa & intercepta esset; a Welfo nostro cum valida manu accurrente liberata fuit. Ita enim Vrspergensis ad Annum 1106. p. 189. *At Iesus, qui semper prope est omnibus se inuocantibus, & his iuxta, qui tribulato sunt corde, repente super eosdem sibi rebelles Welfonem, Ducem Noricorum, quasi gladium de vagina sua eduxit, qui tertia superueniens die, manu valida clusas obstructas effregit, Gebehardum Tridentinae Ecclesiae a Catholico Rege nouum constitutum Episcopum, quem numquam se suscepturos ciues conspirauerant, recipi coëgit, Adelbertum suique sceleris complices adeo perterruit, vt eductos, quos clauserant, Proceres, ipsumque castellum nouo Episcopo redderent, ipsi insuper nudipedes ab his, quos afflixerant, veniam postularent.*

longi & lati admirabilis & clamosus: (aa) *qui tumultuantes magis ad terrendum, quam ad ratiocinandum missi viderentur. Singulariter & solus Treuerensis Archi Episcopus, Vir elegans & iocundus, eloquentiae & sapientiae copiosus, Gallicano exercitatus, facete perorauit, Domino Papae & Curiae salutem & seruitium ex parte Domini Imperatoris deferens, saluo iure Regni. Et prosequens de mandatis; Talis est, inquit, Domini nostri Imperatoris, pro qua mittimur, causa. A temporibus antecessorum nostrorum, sanctorum & Apostolicorum virorum, magni Gregorii & aliorum, hoc ad ius Imperii pertinere dinoscitur, vt in omni electione hic ordo seruetur, antequam electio in palam proferatur, ad aures Domini Imperatoris perferre, &, si personam deceat, assensum ab eo, ante factam electionem, assumere; deinde in conuentu secundum Canones, petitione populi, electione Cleri, assensu honoratoris proferre, consecratum libere nec Simoniace ad Dominum Imperatorem pro regalibus, vt annulo & virga inuestiatur, redire, fidelitatem & hominium facere. Nec mirum. Etenim ciuitates & castella, Marchias, telonea, & quaeque Imperatoriae dignitatis nullo modo aliter debere occupare. Si haec Dominus Papa sustineat, prospere & bona pace Regnum & Ecclesiam ad honorem Dei inhaerere. Super his igitur Dominus Papa consulte oratoris Episcopi Placentini voce respondit: Ecclesiam pretioso Iesu Christi sanguine redemptam, & liberam constitutam, nullo modo iterum ancillari oportere. Si Ecclesia eo inconsulto Praelatum eligere non possit, cassata Christi morte ei seruiliter subiacere: si virga & annulo inuestiatur, cum ad altaria eius-*

aa) Valde mihi notatu dignum videtur, quod Sugerius Welfum nostrum *clamosum* vocat. Licet enim Welfus ipse in sollenni consessu non peroraret, sed Oratorem haberet Archi Episcopum Treuirensem, qui nomine Legationis verba faceret; conclusio tamen, cum verba parum proficerent, a Welfo enuntiata fuisse videtur, quia tota militaris est, qualis ex ore cuiusquam Legationis sociorum, qui omnes Episcopi erant, saluo pudore proficisci non potuit. *Clamosus* ergo audit Welfus noster, quod abrupta contentionis serra minas spargeret, & velut alter Pericles sermone Teutonico ad incutiendum terrorem verba quaedam detonaret, quorum sensus fuerit, „videre „se, hic nihil agi; ergo causam Romae gla-„diis esse dirimendam;„ Ex quo, si conferre placet, quae supra de S. Conradi *rauca* & *sonora* voce testimonia attulimus, paene suspiceris, acrem spiritum, firma latera, bene constitutos pulmones ac sonoram vocem Welforum quasi propriam fuisse, & esse. Praeterea vel hinc mendacii arguuntur, qui Welfum ob vitium impotentiae e toro Mathildis eiectum calumniantur. Frigidi enim & malefici clamosi non sunt, nec lacertosi, vel, vt cum Sugerio loquamur, *tota superficie longi & lati admirabiles*. Quin genus istud matrimonii vt artibus Italicis conciliatum, ita iisdem artibus facile disiectum fuit, simulatque id e re videbatur Ecclesiae, quae Welfi consilio & auxilio carere posse credebatur, ex quo Imperatoris filius sacro Triumuiratui accesserat. Mediolanum enim, Cremona, Lauda, Placentia & caeterae Longobardiae ciuitates, in viginti annos contra Imperatorem coniurantes, tantum robur Conradi rebus addiderunt, vt ipse solus, Mathildis praeterea opibus suffultus, patrem perpetuo Italia excludere & dominatum Ecclesiae per omnem Italiam stabilire posse videretur.

modi pertineant, contra Deum ipsum vsurpare; si sacratas Dominico corpori & sanguini manus laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, ordini suo & sacrae vnctioni derogare. Cumque haec & his similia ceruicose audissent Legati, Teutonico impetu frendentes tumultuabant, &, si tuto auderent, conuitia eructuarent, iniurias inferrent. Non hic, inquiunt, sed Romae gladiis determinabitur querela. Verum Papa quamplures viros approbatos & peritos ad Cancellarium misit, qui eum super his composite & placide conuenirent, & audirentur & audirent, & ad pacem Regni eum operam dare enixe rogarent. Quibus recedentibus, Dominus Papa Trecas venit, diu submonitum vniuersale Concilium honorifice celebrauit, & cum amore Francorum, quia multum seruierunt, & timore & odio Teutonicorum ad S. Petri Sedem prospere remeauit.

§. 9.

Anno 1111. Welfus Henricum V. Imperatorem Romam comitatus est, & praesens fuit, cum ille Pontificem in custodiam mitteret, mediatoremque inter vtrumque egit. Anonymus de Guelfis: *Romae cum Imperatore Heinrico quinto fuit, cum Papam Paschalem captiuauit, immunis tamen scelere ab hoc. Nam cum omnimodis ab eo declinare non posset, mediatorem se ad compositionem faciendam interposuit, sicque factum est, vt Imperator tandem eius consilio ad condignam satisfactionem humiliaretur, & Papa eum pro bono pacis clementer ac paterne susciperet & consecraret.* Gesta Anni 1111. in haec pauca verba contrahit Weingartensis noster, quae apud Ottonem Frisingensem Chronic. L. VII. c. 14. diffusius descripta leguntur. Imperator scilicet ex edicto Welfi litem de inuestituris Romae gladio diremturus hoc anno expeditionem tam nobilem eo suscepit, qualem ante haec tempora vix viderat Roma. Triginta enim millia equitum electorum e Germania adduxerat, praeter pedites, & hos, qui ex Italia ad eum vndique confluxerunt. Castra tantae amplitudinis fuere, vt visu vix penetrari possent, noctuque, cum vnusquisque militum ante tentorium suum lumen accenderet, tot cereis collucentibus pulcherrimum praebuere spectaculum. Promiserat Pontifex & datis obsidibus confirmauerat promissa, Imperatori se vel inuestituras sacrorum Praesulum remissurum, vel hos regalia, hoc est, secularium dignitatum, iurium & dominiorum possessiones Imperatori resignaturos esse. Quibus promissis cum stare vel nollet, vel ob Praesulum reclamationes non posset, corpore prehensus in castra abductus, ibique eousque detentus est, donec conuentionem istam denuo firmaret.

ret. Quo facto dimissus, in vrbem regreditur, vbi Henrico Augusto coronam Romanam imponit. Atque haec est illa conuentio, cuius conciliator Dux Welfus fuisse perhibetur, agnoscente ipso Auentino Lib. VI. c. 2. n. 14. cuius verba adscribere placet: *Ibi* (in castris videlicet ante Romam) *bonorum virorum opera, potissimum* Welfonis *Boiorum Reguli, mariti Mathildae, controuersia composita est, hac lege atque omine, vt Caesar posthac perpetuo, absque ambitu, sine pretio, Pontifices assumeret, sicuti hactenus semper more maiorum factitatum foret; Sacerdotia, Pontificatus sine pecunia daret, sicuti hactenus quasi iure haereditario consueuisset. Sacerdotes, Episcopi regia beneficia, Salica praedia, quae possiderent, retinerent, Pontifexque Romanus harum conditionum author fieret.* Welfum autem nostrum inter eos, qui violentas Pontifici manus intulerunt, non fuisse, sed ab omni vi abstinuisse, vel id indicio est, quod in ipso non aeque, ac in aliis, qui huic expeditioni interfuerant, (bb) quidquid manu gestum, vindicatum fuit. Paschalis enim Papa viuens adhuc pactum illud, veluti vi extortum, irritum declarauit, eosque omnes, qui ad vim illam inferendam se nimium faciles ostenderant, a communione & sacris Christianorum remouit.

§. 10.

Anno sequenti 1112. cum Imperator Saxones irritasset, & ira concitus Ducem eorum Luderum proscripsisset, Welfo nostro ob nauatam strenue contra hostes operam publice gratias egit, optauitque, vt eius vestigiis insisteret frater minor natu, Henricus, qui iam cum milite ibi esset, vbi hostes. Rei huius egregium testimonium proferre possumus ipsas Henrici Imperatoris litteras ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 211. quas ad Welfum nostrum circiter Annum 1112. scriptas, quia breuiores sunt, & commode hic recitari possunt, integras exhibere placet: *Heinricus Dei gratia Imperator Augustus, WELPHO glorioso Duci, amico fideli, quicquid in amici affectibus poterit esse fidelius. Cum aliquis priuatum commodum suum postponit, & in amici vtilitatibus insudat; ea est firma amicitia. Quam amicitiae beneuolentiam te nobis impendisse, gaudemus, & sicut optimo fideli & intimo dignam facere remunerationem intendimus. Nam*

bb) In his fuit manu promtus ille Henricus de Kaufringen, e coetu Regis ministrorum, de quo mox plura: in his porro fuit fortissimus ille Bauariae Comes Palatinus, *Otto* de *Wittelsbach*, qui demum a Calixto PP. II. admissi facinoris, non tamen sine iniuncta seuera poenitentia, veniam impetrauit, docente hoc eius ad eumdem Ottonem scripta epistola. (Probat. N. XXX.) Atque huic facinori eiusque expiationi Bauari in acceptis ferunt celeberrimi Vndesdorffensis Monasterii constructionem.

Nam cum velles contra Graecos ire, & cum Dux Poloniae, tuus & amicus & consanguineus, auxilium tuum contra hostes suos peteret; propter nos, sicut amicus fidelissimus, remansisti, vt nostris inimicis resistens, tuum commodum pro nihilo computans, tantummodo vt nostram causam promouendo adiuuares. Quid igitur restat, nisi vt, maximas tibi grates referentes, sicut nostro optimo fideli, votis omnibus exoptemus, eam nobis dari occasionem, qua tibi amantissime vicissitudinem meritam rependamus. Et sicut in nos bono vsus es principio; ita rogamus dulcedinem dilectionis tuae, vt perseueres & deleas & conculces aduersarios nostros, nec parcas eis, donec ex toto conterantur. Nam nos simili modo, sicut tuos amicos amplectimur, ita inimicis tuis erimus infestissimi inimici, & foedus, quod cum patre tuo iniuimus, ab hac die in antea volumus tibi illibatum seruare omni tempore vitae nostrae. Rogamus itaque te, gloriosissime, vt te interueniente frater tuus *futura opera emendet, si quid hactenus propter suas necessitates in caussa nostra negligentius egit, & quia victrici dextera suas angustias recuperauit, ad nostras iniurias sicut fidelis amicus respiciat. Nam quia se cum praesidio in illas partes contulit, vbi inimici nostri morantur, & bona ipsorum sita sunt; ecce locus, ecce occasio, qua & inimicis nostris nocere, & sibi nos poterit amicissimos comparare. Tu ergo, Domine, id modis omnibus, quibus vales, fratri tuo persuade, vt N. non Ducem, sed iudiciario ordine abiudicatum prosequatur, & in omnibus ei aduersetur, sicut infestissimo bosti nostro. Quicunque autem de Familia Saltzburgensis Archi Episcopi & aliorum fidelium nostrorum ducti sunt captiui, rogamus, vt causa nostrae dilectionis facias reddi.* Hactenus Imperatoris Henrici litterae. Anno 1115. Welfus noster Legatus missus est ad Lotharium Ducem Saxoniae, & alios Imperatori aduersos. Annalista Saxo: [Dux Lotharius & Principes Saxoniae] *Corbeiam tendunt. Ibi Welfo Dux Sueuorum & Episcopus Wirceburgensis ex parte Imperatoris de pace & concordia Regni acturi veniunt.*

§. 11.

Obitus Welfi Ducis tempus hactenus incertum fuit. Quidam enim eum in Annum 1118. alii in Annum 1119. & iterum alii in Annum 1120. retulere, nullo vetere auctore citato. Nos tamen eum Anno 1120. decessisse ex vetusto de Fundatione Monasterii Bigaugiensis libello apud Maderum in Opusculis Chronico Montis Sereni subiunctis p. 255. discimus. Sub eo enim anno ibi legitur; *Welpho Dux Bauariae obiit.* Anonymus de Guelfis: *Denique omnibus suis bene compositis, morbo correptus in villa Chufringen diem clausit extremum, & in Altorf deportatus*

iuxta

iuxta patrem & matrem sepultus est. (cc) Kaufringum *vicum Lycatiorum* id est superioris Bauariae castellum esse Auentinus Lib. VI. pag. 376. indicat. Sed operae omnino pretium est, situm & conditionem huius villae, quae morte tanti Principis nobilitata fuit, paullo accuratius rimria. Cum nemo ignoret, quam late Lycatii, quam late superior pateat Bauaria. Scias igitur, *Chufringen* seu *Kaufring*, vt hodie effertur, esse oppidulum dioecesis Augustanae in dextra Lyci ripa paullo infra Landesbergam situm, vbi Lycus ponte iungitur, & frequentissimus e Bauaria in Sueuiam transitus est. Subest praefecturae Landesbergensi & Monachiensi Satrapiae. In documentis Bauaricis, praesertim Diessensibus & Andeccensibus, *Kaufringae* frequens mentio fit. Nam iura patronatus cum decimis in *Kaufring*, Vtting & Schöndorf ad Diessenses Clericos spectant, vt patet ex Metrop. Salisburg T. 2.p. 180. Si Auentino Lib 6. c. 2. n. 13. credimus, Henricus ille Bauarus, qui in tumultu Romano, de quo modo diximus, Conrado Iuuaniensi Archi Episcopo, pro Papa se interponenti, euaginato gladio mortem est interminatus, *Kaufringa* ortus fuit, vel

cc) Scilicet in Monasterio *Vinearum* seu Weingartensi, a patre nuper instaurato & iterum fundato, in quo patrem & matrem sepultos, in quod etiam ossa Maiorum ex Altorffiensi Ecclesia, quae hoc tempore Parochialis tantum modo fuit, translata fuisse, suis locis vidimus; vbi in Capella S. Oswaldi hodienum recondita quiescere dicuntur. Quid Welfus ad hoc Monasterium pro anima dederit, nullibi commemoratum reperio. In tanta tamen gentis Guelficae in Weingartenses pietate solum Guelfum nostrum illiberalem fuisse, atque iis nihil omnino dedisse, vix sit probabile. In promptu quidem insignis donatio est, (Probat. N. XXXI.) quam, si notas chronicas spectes, ad Welfum Mitem referas, huius ex fratre nepotem; si intimius tamen inspexeris, & notas chronicas a primo instrumenti editore temere adiectas mecum statueris, eadem in Welfum nostrum apprime conuenit. Donat hic Welfus Weingartensibus Cellam S. Pantaleonis in Buchorn, ab Ottone Comite, qui Buchorn Welfo patri vt vidimus, dederat, *ad se deuolutam.* Iam si quaeris, vter Welforum hanc donationem fecerit, respondebit pro me titulus *Ducis Noricorum:* quem vmquam Welfum Mitem, qui sub Lothario, Conrado atque Friderico I. vixit, gessisse, ex eius diplomatibus, quorum copia superest, probari nequit. Respondent porro pro me cum Codex Weingartensis picturatus, tum Sundhemius. Ex illo Crusius Annal. Sueu. Part. II. p. 31. haec adfert: *Hic ex Iuditha natus appellatur,* in illo Codice scilicet, *Welfo pinguis. Vxor eius Itala Mathildis. Wingartensi Collegio donauit Ecclesiam Buchornensem cum omnibus ad eam pertinentibus, traditam sibi* (immo patri, & a patre ad se deuolutam) *a Comite Ottone libera voluntate. Donauit & pagos* (villas) *aliquot. Mortuus in pago* (villa) *Chufringa, Wingarti humatus est, carens liberis.* Sundhemius autem Scriptor. Brunsuic. T. I. p. 803. de nostro Welfo ita scribit: *Ecclesias in oppido Buchorn Imperiali & Meckenbeiern Monasterio Weingarten adiunxit, quas ab Ottone Comite de Buchorn legato acceperat pater. Licet plerique patrem eius fecisse autumant; tamen verius creditur, hunc ea donasse, eo quod nullos superstites liberos haberet.* Ex quibus verbis patet, patri Welfo hanc donationem a nonnullis adscribi, qui donationem Ottonis Comitis perperam acceperunt; de nepote autem neminem cogitasse. Quomodo Welfus Pinguis Aduocatia Zwifaltensis Monasterii exciderit, supra occupauimus dicere, ostendentes, praedium Dietekhouen, a patre emptum, filium restituisse, expositamque pro eo pecuniam recepisse, adeoque vtrimque bona gratia a contractu emti venditi discessum fuisse; electo fratre *Henrico*, qui Clero addictior videbatur, Monasterii Aduocato.

vel ex ea ſaltem nomen habuit. Otto Friſing. l. c. ſolum modo quemdam ex Regis miniſtris, Henricum cognomento *Caput* appellat, & Codex noſter membranaceus MS. *cap.* habet, cum quadam, vt ita dicam, abbreuiationis nota. Hinc puto, verum hominis nomen *Kopf* fuiſſe, & Auentinum vel alium codicem in hoc vocabulo ab editis diſcrepantem habuiſſe, vel aliunde reſciiſſe, Henricum Kopfium militem Kaufringo fuiſſe ortum.

§. 12.

Fratrem Welfi fuiſſe HENRICVM ſupra iam vidimus. Helmoldus Lib. I. cap. 35. eum CATVLVM cognominat. Et recte Crantzius Saxon. Lib. V. & Metropol. Lib. VI. cap. 5. addit, *cognomen* hoc illi *non alia ratione additum videri, quam quod Welficae eſſet proſapiae.* Welp enim, vt ſupra oſtendimus, *Catulum* deſignat Germanis. Chronicon vetus Ducum Brunſuicenſium a Madero editum eundem, a colore ſine dubio capillorum, NIGRVM appellat, quod reliqui Scriptores noſtrates ſecuti ſunt.

§. 13.

Duxerat is, patre adhuc viuo, coniugem WVLFHILDEM, filiam MAGNI Saxoniae Ducis ex ſtirpe Billingana vltimi. Anonymus de Guelfis: *Qui vxorem iam dudum, viuente patre, de Saxonia accepit, filiam Maginonis Ducis, & Sophiae ſororis Regis Vngariae Colomanni, Wulfildem nomine. Erat tandem eadem Sophia antea cuidam de Carintia copulata, ex qua genuit Poponem Marchionem, qui duas filias habuit, vnam Bartholdo Comiti de Bogen copulauit. Porro ſoror huius Sophiae Regi Graecorum nupſit. Aliam ſororem eius Berchtam quidam Comes ex clauſtro quodam Sanctimonialium abſtractam duxit, & ex ea Fridericum Ratisponenſem Aduocatum genuit. Ipſa autem Sophia ex Duce Maginone quatuor filias habuit, Wulfildem noſtram; Alicugam matrem Adelberti Marchionis de Saxonia; tertiam, quam duxit Dux Morauiae; quartam quam Egehardus Comes de Schiren a quodam Monaſterio Sanctimonialium in Ratiſpona abſtulit, ac ſibi matrimonio copulauit, Ottonemque Palatinum ex ea progenuit.* Wulfhildem natu maiorem filiarum Magni fuiſſe Annaliſta Saxo prodit ad An. 1106. *Magnus*, inquiens, *Dux Saxoniae obiit, qui duxerat vxorem Sophiam, viduam Odelrici de Wimmar, ſororem Ladislai Regis Vngarorum. Genuit illi duas filias, Wisbildem & Eilicam. Eilica nupſit Ottoni Comiti de Ballenſtide, genuitque ex ea Adelbertum Marchionem, & filiam Adelheidem, quae nupſit Henrico Marchioni de Stathen. Wisbildis nupſit Henrico Duci, filio Welfi Ducis ſenioris de Bauuaria.* Helmoldus

moldus Lib. I. c. 35. *Mortuus est post haec Dux Saxoniae Magnus, & dedit Caesar Ducatum Ludero Comiti, eo quod Magnus non haberet filium, sed filias. Quarum vna, Eilike nomine, nupsit Ottoni Comiti de Ballenstede, genuitque ei Adalbertum Marchionem, cognomento Vrsum. Altera vero filiarum, Wulfhildis nomine, data est Duci Bauariae, Catulo, quae peperit ei Henricum Leonem*, ita enim Henricus, quem nos *Superbum* dicimus, interdum nominatur.

§. 14.

Henricus, patre defuncto, vt paulo ante intelleximus, ditiones hereditarias cum fratre aequa lance solenniter diuisit. Et tunc praeter aliqua in Sueuia & Bauaria bona, praecipue allodia Italica pro se & fratre gubernanda accepisse videtur. Ante fratris enim obitum eum semper in Italia obuersantem, & haec eadem bona gubernantem inuenimus. Clarissimus Muratorius Antiqu. Estens. T. I. pag. 282. donationem eius profert Monasterio Carcerum factam, quam infra (Probat. N. XXXII.) exhibemus. Scripta ea est Anno 1107. siue, si Indictionem VII. sequaris, 1113. *decima quarta die intrante Octobrio.* In ea scribit: *Ego quidem Henricus Dux, filius quondam Guelfonis Ducis, qui professus sum ex natione mea Lege viuere Lombardorum .... dono & offero a praesenti die in eadem Ecclesia* [S. Mariae constructa in loco, qui vocatur le Carcere] *pro animae meae mercede, id est, Braydum dominicatum iacentem iuxta eandem Ecclesiam, & de Clusurella omne illud, quod mihi competebat* &c. *Hoc actum apud Sanctam Theclam de Este feliciter.* Subscribunt non nisi Itali. Elucet hinc, Henricum, licet in Bauaria constitutum, vixisse adhuc lege Longobardorum, more Maiorum suorum. Deinde hinc etiam clarum est, *Castrum Estense* eiusque ditionem Henricum dominum agnouisse. Clarissimus Muratorius l. c. pag. 283. affert Placitum ab Henrico Imperatore Anno 1116. IV. Idus Martii *in Regno Venetiarum in Palatio Ducis, scilicet in Camera*, pro Monasterio Monialium S. Zachariae Veneto habitum, cui interfuit *Henricus, Welfonis Ducis frater.* (Probat. N. XXXIII.) Anno 1117. *quarta die intrante Octobris* ipse *Henricus Dux* Placito praesedit *in Comitatu Patauensi in Villa, quae vocatur Este, iuxta S. Teclam eiusdem villae*, & Monasterium S. Mariae Carcerum in suam protectionem recepit. Vide illud apud Muratorium l. c. pag. 284. & in Probationibus nostris (N. XXXIV.)

§. 15.

Chartas vero hasce Italicas *signo Crucis* solummodo notauit Henricus. Cum autem fratri defuncto in Bauariae Ducatu successit Anno

1120. folenniori modo, Reges imitatus, Sigillo vſus eſt, (dd) teſte Auentino Rer. Boic. Lib. VI. cap. 3. Verba eius ſunt: *Atque hunc Heinricum, Regulum Boiorum, Rrimum omnium priuatis auſpiciis donationem feciſſe, diploma dediſſe, hoc ſua imagine ſignaſſe, id quod antea Imperatores, Reges & Caeſares duntaxat factitarunt, reperio. Initium, finem, exemplum eius tabulae ſubſcribo: In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis, Hainricus diuina fauente clementia Dux Bauariorum, conſenſu Wulfhyldae vxoris, decimas in pago Ranneshofen de nemore Willebart tradit ad aram Diui Pancratii, & alia quaedam praedia. Actum Ranneshofen Anno Chriſti MCXXV. praeſente Ottone Palatino de Vittelomesbach, Friderico de Regensburc Aduocato, Helperto de Geren. Heinricus Dei gratia Dux Bauariae. Data Ranneshofen in Palatio III. Kalend. Aug. per manum Bernhardi Notarii.* Fallitur quidem Auentinus, (ee) dum putat, Henricum

dd) Fallitur Eccardus noſter, ſi putat, Henricum Nigrum ſtatim ab initio & per omne imperii ſui tempus Regio more diplomata dediſſe Sigillis munita. Hiſtoricus enim, quem teſtem citat, de vnico tantum diplomate loquitur, Anno 1125. dato, cauſamque inſolentiae adiicit, quia *tum interregnum erat*, quo ad eum in ſua Prouincia poteſtas Regia reciderat, veluti ad tutorem Regni & Vicarium Imperii in partibus Bauariae & adiacentibus regionibus, qualem olim Arnulfum Ducem Bauariae ſub Ludouico Infante, qui per ſe Imperium regere non poterat, ſe geſſiſſe nouimus: qua de re mox plura.

ee) Immo non fallitur Auentinus, ſi recte intelligatur; ſed ii potius fallunt & falluntur, qui Auentino affingunt, quae ne per ſomnium quidem cogitauit, cum ſcriberet quae ab aliis perperam accipiuntur, & inuita Minerua in ſenſus trahuntur, ab Auentini animo alieniſſimos. Dn. Eccardum non miror, qui praecipiti iudicio & calamo ſaepe in deuia fertur, quae euitare potuiſſet, ſi animum intendere, ſi loca auctorum, in quos commentatur, ſedate & cum cura, vt decet, expendere, ſi denique ſpongiam interdum adhibere voluiſſet. Id vero prodagio ſimile eſt, virum caetera doctiſſimum & ſatis perſpicacem, Io. Michaëlem Heineccium, qui de Sigillis data opera ſcripſit, & de hoc argumento elegantem ſane & magno eruditorum applauſu exceptum librum in lucem emiſit, non ſatis diligenter Auentini verba inſpexiſſe. Hoc enim ſi feciſſet, Part. I. c. 10. §. 15. p. 121. non ſcripſiſſet: *Auentinus iſtam gloriam* (primitus a Ducibus & Principibus adhibiti Sigilli) *vindicat Henrico III. Nigro Regulo Boiorum;* adductoque hoc loco & diplomatis compendio non ſubieciſſet: *Haec Auentinus: quem patet Sigillorum Ducalium originem ad Saeculi XII. initia referre.* Hoc enim tantum abeſt vt ex dictis Auentini pateat, vt potius ex dictis cum Heineccii, tum Eccardi manifeſtum fiat, neutrum eorum Auentini mentem rite eſſe aſſecutum. Quid igitur Auentinus? Si verba eius accurate inſpexeris & ponderaueris, illico patebit, Auentinum minime omnium de origine Sigillorum Ducalium diſquirere; multo minus aſſerere, inter omnes Duces, qui vſquam vel intra vel extra Germaniam Sigillo vſi ſint, Henricum Nigrum primum fuiſſe. Suam enim ſe intra Bauariam continens, affirmat *primo*, inter Bauariae Duces Henricum Nigrum primum ſibi occurriſſe, qui diploma ſua imagine ſignarit. Nam de Boiorum Regulis ſolum eum loqui, manifeſtius eſt, quam vt probatione indigeat. *Deinde* non de diplomatibus, ſed de vnico tantum diplomate loquitur, quod in compendio exhibet, ſubiectis his verbis: *Interregnum tum erat*; quae verba oppugnatores eius omittunt; licet ex opinione Auentini cauſam tantae nouitatis contineant. *Denique* de ſua ſolum ſcientia, atque experientia teſtatur, dum ait, *reperio;* minime autem omnium negat, dari antiquiora Bauariae Ducum Sigilla, ſibi non viſa vel contrectata. Quae cum ita ſint, non video, qui Auentinus vapulet, aut falſi poſtulari queat. Num qua ratio ſubeſt, cur fidem denegemus dicenti, diploma, quod Henricus Niger Anno 1125. Ranshouienſi Mona-

cum primum omnium priuatis auspiciis diplomata dedisse; habemus enim & iam dedimus vel in hoc libro plures eiusmodi solennes donationes a Principibus datas. Sed, qui *Sigillis* ante Henricum vsi sint, rari

 erunt.

Monasterio dedit sub Sigillo, cui Principis imago insculpta, esse primum omnium eorum, quae a Ducibus Bauariae in hac forma data atque expedita ipse viderit? De suo enim visu testimonium perhibens, non impugnat visum aliorum; non negat, dari posse huiusmodi diplomata hoc vetustiora, & sibi non visa: quale est diploma fundationis Weingartensis, datum a patre Henrici Nigri, eiusque Sigillo equestri seu imagine munitum; quod supra vidimus. Cur non crederetur mihi dicenti, Diuum Ernestum primum e Ducibus nostris fuisse, cuius ego quidem pictam viderim imaginem? Qui enim ita loquitur, de suo tantum sensu, de suo visu & de sua loquitur experientia, non negat, Diui Ernesti patrem aut auum pariter fuisse depictos; multo minus affirmat, ab Diuo Ernesto coepisse morem pingendi facies Principum nostrorum. Itaque etiam si alicubi vetustiores Principum picturae ostenderentur; inde non sequeretur, me falsa locutum, sed hoc solummodo, superesse pictas imagines Principum nostrorum Ernesti imagine longe vetustiores, mihi non visas; aut, si mauis, me pinacothecas omnes, quibus Principum nostrorum picturae veteres asseruantur, non perlustrasse. Iam cum idem de se profiteatur Auentinus, praesertim in prooemio libri vltimi; sophistice virum accerrimi iudicii exagitant, qui dicta eius sinistre interpretantur, eumque ad Henricum Nigrum Ducalium Sigillorum originem referre cauillantur. Id tamen diffiteri nolim, Auentinum Laconico suo dicendi & scribendi genere sinistrae huic interpretationi occasionem dedisse. Sic Dn. Eccardus dicenti, hunc primum e Boiorum Ducibus *priuatis auspiciis donationem fecisse, diploma dedisse, hoc sua imagine signasse* contradicit, asserens, & alios *Principes ante eum donationes fecisse* & *diplomata dedisse;* aceptis videlicet Historici verbis in sensu *diuiso*, quae erant in sensu *composito* accipienda, hoc modo, hunc primum e Bauariae Ducibus fuisse, cuius ipse repererit donationis instrumentum in forma diplomatum Caesareorum confectum, Sigilloque, cui Ducis imago inscripta, munitum. Sed praeter stili obscuritatem grauiora ei obiiciunt conterranei eius, Hundius & Gewoldus, quae Hundii, quam meis verbis dare malo. Ita autem ille Metropol. Salisburg T. I. p. 296. *Decreta huius* (Dingalfingensis) *Synodi aliqua Auentinus breuiter, sed suo paraphrastico more mutatis verbis refert, cum tam hoc, quam pluribus aliis in locis meo iudicio consultius fuisset, veterum diplomatum, epistolarum & decretorum verba genuina & authentica, vtcumque parum elegantia, prout Saeculum illud tulit, ponere. Nam mutatio verborum saepe numero sensum quoque ac ipsam sententiam peruertere videtur: quod plerosque doctos viros ac Auentini alias studiosos in ipso desiderare audio.* Et pag. sequenti habet exemplum huiusmodi peruersionis, qua ex Auentini paraphrasi Pontifex Duci Bauariae vices suas in dirigendo Clero demandauit, quae in Rescripti Pontificii propriis verbis Archi Episcopo Salisburgensi mandantur. Atque hic quoque mallem Auentinus non ipsa solum diplomatis Henriciani verba ab initio vsque ad finem posuisset, sed & Sigillum eius vel delineasset, vel saltem aliquo modo descripsisset. Equidem prouidentia Principum nostrorum apographum diplomatis ad nos peruenit; sed Sigillum, quod tempore Auentini adhuc integrum fuit, iam decidit, vt adeo ex Auentino solum sciamus, equestre illud, & ita fuisse inscriptum: HEINRICVS DEI GRATIA DVX BAVARIAE. Contra, nostrum apographum *monogramma* habet, cuius Historicus Bauaricus nullam facit mentionem. Vt autem iudicari possit, bene an male Auentinus diplomatis compendium exhibuerit, en diploma integrum, prout hodienum in scriniis asseruatur Ranshouiensium Clericorum Augustinianorum.


Henrici Nigri Ducis Bauariae & Wulfhildis coniugis donatio ad monasterium Ranshouiense. Anno 1125.

C. In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus Christi & nostris, tam futuris quam presentibus, quod ego HEINRICVS *fauente clementia Christi* **Dux Bauuariorum** *tradidi ad altare Sancti Pancratii Martyris inuictissimi. Cooperante & consentiente* WLFHILDA, **coniuge nostra**, *in pago* **Ranesbouen**, *omnes decimationes, tam de nemore Willebarth, quam de agris cultis & incolendis, vbique in finibus & in parrochia hac exquirendis, nec non predia Hantinperch, & Enchenaha*

erunt. (ff) Edidit quidem Perardus in Monumentis Burgundicis Testamentum Heckardi Comitis, Saeculo nono clari, in quo mentio fit *Sigilli de amatixto, vbi aquila sculpta est*, & alius *item de ametixto, vbi homo est*

naba ecclesiam cum omnibus appendiciis eius. Pronoge cum omni familia: Dorenperch vltra Danubium. Mansum vnum de Erlaba in beneficium cum familia. De Itingen mansum vnum in beneficio. Dimidium mansum de Pipurch in beneficium, traditione Raffoldi Praepositi. Dimidium mansum in Succidio. Dimidium mansum in Kriechreine. Molendinum ad Osterberc. Pratum in Enchenawe, Nec non mancipia in proprietate vel in beneficio a me vel a Praeposito siue Camerario hactenus retenta. In vsum fratrum Christi famulantium sub Regula Sancti Augustini. Si quis vero, quod non optamus, futuris temporibus contra huius pagine auctoritatem venire temptauerit, vel de supra dictis rebus aliquid inuadere vel alienare presumpserit, nouerit se eterni cruciatus pena multandum. Atque pro admisso sacrilegio in camera Regis vel Imperatoris LX. mancusios aureos persoluat.

Ego Berenhardus scripsi



Actum Raneshouen Anno M.C.XXV. Indict. III. Presente Ottone Palatino, Friderico Comite de Regennesborc,



Aduocato Regenberto de Hagenoge. Harinbardo filio eius. Harinhardo de Stouen. Wolfstrigilo de Porren, Odalchalco de Maisaba, Erchanberto de Mosebach, Warinhardo de Wgelbach, Adelberto de Geren. Ministerialibus Ducis: Haruuigo de Iberache; Adelhardo de Hutte. Dietmaro de Raneshoue, Eberhardo & fratre eius Vdalrico, Berchtoldo & fratre eius Conone

Data Raneshouen in Palatio III. Kal. Aug. per manum Berenhardi notarii.

Fundamenta Ranshouiensis Ecclesiae iecit Anno 1040. Henricus Dux Bauariae, gente Lucemburgicus & S. Cunegundis ex fratre nepos; (Probat. N. 35.) quae tamen ad auum suum maternum refert Conradus III. Rex: (Probat. N. 36.) cuius tempore Leopoldus Austriacus, Dux Bauariae intrusus, huius Ecclesiae priuilegia confirmans, itidem Sigillo vsus esse legitur. (Probat. N. 37.)

ff) Quod vt recte intelligatur, paucis explicandum est, quid per *Sigilla* hoc loco proprie designetur. Sigillum enim vel proprie vel improprie accipitur. *Improprie* accipitur pro quouis signo, frequentius autem pro signo Crucis, nomini viri vel foeminae Chartam dantis, vel testium quoque praeposito. Tale signum lectoris conspectui sistimus in diplomate Welfi & Mathildis Mantuano. Talia quoque fuisse existimo Sigilla veterum Sueuiae & Bauariae Ducum, qui diplomata sua Sigillis confirmasse dicuntur ante, quam in Germania vel Principes vel Prouinciae certis insigniis distinguerentur. Huius generis duo habemus; quae tamen magis formam Placiti cuiusdam prouincialis, quam diplomatis habent. Primum est Arnulfi, Bauariae Ducis, sub Rege Ludouico Infante ex Anno 908. quod ex Metropoli Salisburg. T. I. p. 89. Meichelbeccius inseruit Frisingensibus suis T. I. part. instrumento p. 429. & ex Meichelbeccio repetiit Dn. Eccardus in Histor. Wirceburg. T. 2. p. 822. vbi causam huius nouitatis ponit in singulari iure, huic Arnulfo per Bauariam in res ecclesiasticas concesso. Sed quia hoc ius Arnulfi demum cum primordiis Regni Henrici I. Regis coepisse constat; malim id tribuere conditioni temporis, quo sub Rege puero quilibet Ducum in sua Prouincia Regis tutorem & Imperii Vicarium se gessit. Non tamen omni suspicione penes me caret instrumentum, cum quia in Meichelbeccio in duo diuisum, tum quia ab Historico Frisingensi non indicatum, num ipse diploma viderit? num Sigillum affixum vel appensum

est sculptus, qui leonem interficit, nec non *Sigilli de Onychino*, & alterius *de berillo:* Sed hae gemmae fuerunt, quibus Romani Sigillorum loco vsi olim sunt; non vero Sigilla Principum solennia. Haec enim imaginem eorum vel sedentium vel equitantium (gg) specie cum nomine referunt. Geronis Marchionis Sigillum ab Hoppenrodio in Annalibus Gerenrodensibus commemoratum sine dubio fictitium est. Guaimarus Princeps Salernitanus, qui sub Conrado II. & Henrico III. Imperatoribus vixit, diplomati fundationis Monasterii Cauensis, Anno 1025. dato supposuit quidem sigillum, cuius delineationem Mabillonius Annalium Benedictinorum T. IV. pag. 316. exhibuit; (hh) sed is regiam tunc pene auctoritatem

sum sit, vel fuerit? num deciderit? & quae alia hic a sedulo diplomatum lustratore exspectares. Si itaque appendicem, in qua sigilli mentio fit, a posteriore manu instrumento per se sincero adiectam statueris, me non repugnantem habebis. Alterum est Burchardi Sueuiae Ducis ex Anno 926. sub Henrico I. Rege ita subscriptum; *Acta est haec chartula modernis temporibus Heinrici Regis sub Bernoldo Comite in publico mallo in oppido quod dicitur Chirichdorf coram cuncta frequentia populi vtriusque prouinciae tam Mortingauiae quam Brisigauiae. Signum: ipse Burchardus, cum caeteris Comitibus, qui ibi tunc aderant etc.* Vtrumque instrumentum ex integro indimus probationibus nostris. (N. XXXVIII. & XXXIX.) Abstinemus autem a Liutfridi Comitis Habsburgici dotatione monasterii S. Trudperti in silua Hercynia ex Anno 902. non valentes concoquere monogramma Comitis, quo refulget. *Proprie* dicta Sigilla vel scutum gentilitium atque insignia exhibent; vel ipsam Principis imaginem aut stantis, aut equo insidentis. Illud genus, minus; hoc maius, & deriuato a *maius* vocabulo *maiestatis* Sigillum appellari solet. De postremi generis Sigillis hic quaestio est, & de his Dn. Eccardus recte affirmat, ea esse ante Saeculum XII. rariora. Nam praeter scutum gentilitium Welfi primi, qui parens Henrici Nigri fuit, & sigillum *maius*, quod eum equo insidentem sistit, quorum typi ex Saeculo XI. sunt, vix reperias alia antiquiora simul & genuina.

gg) Adde & *stantium*. Sacri Praesules enim *sedentes*; Principes saeculares *equitantes* fere; Marchiones autem Brandenburgici veteres vsque ad Woldemarum vltimum stirpis Anhaltinae *stantes* sistuntur. Reperi in schedis Hoffmannianis diploma Alberti Vrsi pro Monasterio Hillerslebiensi, quod non tam pro confirmatione dictorum, quae notoria sunt, & Sigilli causa, quam quia ineditum est, inter Probationes (N. XXXX.) affero: vbi habebis simul Sigilli descriptionem.

hh) ex quo nos illud huc transferimus, addito alio, in quo sinistra manus sistitur, cuius index porrigitur & reclinat in erectum pollicem





ritatem ſibi vſurpabat, & extra Germaniam fuit. Nihil reſtat, quod Auentini ſententiae obſit, praeter Flandrenſium Comitum Arnulfi, Balduini Pii, Roberti Friſonis, Roberti Iunioris, & Balduini Senioris ab Oliuario Vredio allata Sigilla. Hi enim omnes Sigillis vſi ſunt, quae ille in libro de Comitum Flandriae Sigillis aeri incidi fecit. Sed quaeritur primum, an Chartae horum Comitum, his Sigillis confirmatae, exſtent & genuinae ſint? Vt enim verum fatear, non multum fido Flandricis & Brabanticis monumentis quibusdam, & videre volo, quod credendum eſt. Habeo certe, quae dubia mihi moueant. Quod ſi vero exſtarent huiusmodi Sigilla, ea non inuertunt Auentini ſententiam, quam de Principibus Germanis pronuntiauit. (ii) Flandri enim Gallis computabantur olim. Vnicum Adelberti Comitis Ballenſtedenſis Sigillum a Chriſtiano Knauthio in Diſſ. de Pagis Anhaltinis pag. 8. & Becmanno in Hiſt. Anhaltina delineatum, aliquid aduerſus Auentinum ponderis haberet, ſi genuinum eſſet. Sed non dicitur, vnde depromptum ſit, & diploma, cui ſubnexum eſt, non optimae fidei eſſe, quiuis harum rerum peritus facile agnoſcet.

§. 16.

Breue quidem & ſex tantum annorum Henrici Nigri in Bauaria Imperium fuit, geſta tamen eius, qua Ducis Bauariae, aliqua commemoranda nobis reſtant. Anno enim a ſuſcepto Ducatus regimine ſecundo, qui fuit poſt Chriſtum natum A. 1121. Comitis Wirceburgi habitis ipſe interfuit, quibus ſpecies quaedam *pacis publicae* ſancita eſt. Et finito conuentu *deſtinati ſunt Dominus Otto Praeſul Babenbergenſis,* ***Dux Henricus****, Comes Berengarius, qui omnia Noricis Principibus, qui tunc forte aliis occupati reipublicae cauſſis praedicto conuentui deerant, apud Ratisbonam Kal. Nouembr. conuocatis intimarent; quos & ad omnia haec voluntarios inueniebant atque confirmabant*, teſte Vrſpergenſi ad hunc annum. Praeterea duae maximae Imperii res in hanc inciderunt periodum, electio ſcilicet noui Imperatoris, de qua deinceps; & famoſiſſima illa trans-

ii) Iam monuimus, Auentinum nihil de Principibus, ſiue Germanis, ſiue exteris, generatim pronuntiaſſe, ſed de ſolis Ducibus Bauariae affirmaſſe, eorum, qui diploma imagine ſua ſignarunt, primum ſibi occurriſſe Henricum Nigrum; quemadmodum ſupra nobis eius parens occurrit, Welfus Fortis. Si alii alios ſiue Bauariae ſiue aliarum Prouinciarum Duces in Sigillis viderunt, vel adhuc videbunt, Welfo Forti & Henrico Nigro antiquiores; hoc nihil contra me; nihil contra Auentinum, quippe circumſpectiorem, quam promtiorem ad pronuntiandum de Sigillis ſibi non viſis. De caetero omnis haec diſputatio directa eſt contra exempla illa, quibus Dn. Heineccius ſententiam, qnam Auentino affinxerat, eneruare nitebatur. Hac autem opera vel facilius defungi, vel penitus ſuperſedere potuiſſet Dn. Eccardus, ſi ipſemet ſententiam Auentini penitus percepiſſet.

transactio Wormatiensis, qua Anno 1122. Henricus V. Imperator in maximo Principum conuentu, in patenti campo extra vrbem ad Rhenum habito, die XXIII. Septembris Inuestituram Episcoporum Legato Calixti PP. II. resignauit, & per eum ab anathematis vinculo absolutus est. Ordinem rei gestae eleganter narrat Vrspergensis, seu potius Vragiensis ad Annum 1122. qui & capita transactionis exhibet, & ex eo Annalista Saxo ad h. a. (kk) Gaudebat Germania, gaudebat Curia Caesaris & totus Principum conuentus de pace inter Imperium & Sacerdotium restituta. An vero de pace tanto impendio redemta gaudendi sufficientem causam habuerint, altioris indaginis quaestio est, quam negandam existimarunt subsecuti Imperatores. Quidquid huius sit, Aula Caesarea hanc epocham, veluti ad omnem posteritatis memoriam Caesarisque gloriam perinsignem, fastis adscribi, & diplomatibus inseri iussit. (ll) Atque hoc eodem Conuentu Henrici Nigri filius natu maior, qui tum vicesimum primum aetatis annum egisse videtur, arma accepit. Ita enim Annales Welfici breues, Historiae de Guelfis subiuncti: *Anno MCXIII.* (leg. MCXXIII. qui iam praecesserat,) *Heinricus Dux Iunior, qui postea in Saxonia humatus est, arma accepit.* Arma enim Caesarum & maiorum Principum filii hac aetate & non nisi in frequentibus Procerum Imperii conuentibus acceperunt, & maior hoc conuentu Spirensi tum temporis non fuit. Henricus Superbus a Sueuicis Scriptoribus eleganter circumscribitur per Henricum Ducem illum, *qui postea in Saxonia humatus est;* quia is e Familia Guelfica primus fuit, qui non in Monasterio Weingartensi penes Maiores suos, sed Lutterae Saxonicae penes socerum & socrum tumulatus est. Quin & verisimile est, Henricum Nigrum filio suo natu minori, (quem Welfum Mitem appellamus,) qui tum annum aetatis nonum agebat, Godefridi Comitis Palatini ditissimi, atque in iisdem Comitiis praesentis, filiam Vtam vel Odam hoc eodem

kk) Multa huius negotii admodum ardui momenta addisci possunt ex Vdalrici Babenbergensis Codice epistolari, publicato per Dn. Eccardum Scriptor. med. aeui Tomo II. sed post publicationem, vt apparet, neglecto. Ex eo inter alia obseruare licet, quae Ducum nostrorum in illa compositione partes fuerint.

ll) Tale est, quod Monasterio Cappenbergensi datum habet Schaten. Annal. Paderborn. T. I. p. 703. quod subscripserunt ex Principibus Saecularibus primo loco *Henricus Dux Bawariorum.* In fine sequitur epocha temporis ita consignata: *Data Anno MCXXIII. Indict. I. apud Lobwissen, quando Dominus Imperator annulum & baculum remisit: durante adhuc eo anno.* Dn. Ioannis Spicileg. diplomat. p. 445. habet aliud Henrici V. diploma Spirae hoc anno VIII. Kal. April. datum, quod post Episcopos subscripsere

Heinricus Dux Bauariorum.
Godefridus Palatinus Comes.

eodem tempore & loco desponsasse. Licet enim paullo post dicatur, Henricum Superbum post obitum patris fratri has nuptias conciliasse; hoc tamen non impedit, quo minus credamus, patrem iam puero de diuite hac herede prospexisse. Ditissimis enim matrimoniis inhiasse, vltimisque potissimum magnarum terrarum heredibus filiabus retia tetendisse nostros, exempla docent Azonis, Welfi Crassi, Henrici Nigri, Henrici Superbi, Welfi Mitis, Henrici Leonis, Henrici Palatini, Ottonis IV. & Wilhelmi Principis: qui omnes ante Austriacos illud

\- - - - - - Tu felix Austria nube!

sibi commendatissimum habuisse videntur. Ad Annum subsequentem 1124. obseruandum est, Henricum Nigrum Monasterio Weingartensi denuo manus admouisse, idque de nouo ad durabiliorem statum construxisse. Ita enim iidem Annales Welfici: *Anno MCXXIV. inceptum est Monasterium Sancti Martini Wingartin.* Et ne tot aedificationes & reaedificationes vnius eiusdemque Monasterii te in admirationem ac dubitationem rapiant; ex iisdem Annalibus obserua, si placet, Anno 1157. tantam tempestatem ingruisse, vt Altorfensis Coenobii campanas omnes frustratim confringeret, aedificiaque humo prosterneret. Id quod sine dubio cum antea, tum post, saepe factum est. Hoc ex iisdem Annalibus certum est, Anno 1182. Indict. prima II. Idus Nouembris dedicatum fuisse Monasterium nouum Sancti Martini Weingartense a venerabili Berin, Constantiensi Episcopo.

§. 17.

Antequam Henricus diploma ex Auentino supra §. 15. adductum emiserat, Henricus V. Imperator mense Maio obiit & Spirae sepultus est, cuius exsequiis interfuit Henricus noster, nominatus in epistola, qua Principes ad nouam electionem conuocati, quam infra (Probat. N. XLI.) exhibemus. Fridericus Dux Sueuiae milite multo cinctus ad Imperium aspirabat. Alii Ducem Saxoniae Lotharium in illud dignitatis apud Germanos summae fastigium euehere malebant. Henricus Dux Bauariae propendebat fere in Fridericum. Sed, electo tandem Lothario & proclamato, videbant Principes, necessarium esse consensum Ducis Bauariae, qui cum Friderico abierat ab eorum consessu. Salisburgensis ergo Archi Episcopus conuenit Episcopum Ratisbonensem, deque concordia partium inuicem vterque tractabant, quia optime norant, *sine Duce Bauarico, qui aberat, nihil de Rege diffiniri posse.* Adductus hinc est in conuentum *Dux Bauaricus*, & in electionem Lotharii consensit; cuius exem-



Henricus, Guelphonis quarti
filius, dictus Niger, Dux Nori-
corū. ædificavit de novo hoc
Monasteriū. moritur anno
CIↃ C XXVII.

exemplum Fridericus mox secutus est, vti de his incerti auctoris narratio de Electione Lotharii in Imperatorem Romanorum, a nobis in Monumentorum veterum quaternione pag. 46. sq. edita & infra (Probat. N. XLII.) repetita nos certiores reddidit. (mm)

§. 18.

Non tamen diu superuixit Henricus Dux; sed Anno 1126. vitam cum morte commutauit. Chronographus Saxo ad h. a. *Henricus Dux Bauariorum obiit.* Annalista Saxo ad eundem: *Henricus Dux Bauariae & vxor eius Wulfildis, filia Magni Ducis Saxonum, obierunt.* Auentinus igitur, Crusius & alii auctores male obitum eius in Annum 1125. retulerunt. Anonymus de Guelfis distinctius res, quae ante obitum eius contigere, hisce enarrat: *Circa idem tempus* [quo filius Conradus mortuus est] *pater quoque eius & mater; pater Monachum professus in extremis suis, in Castro Rauenspurg, mater in Altorf XVI. die post mortem mariti obierunt,* (nn) *& in Monasterio S. Martini sepulti sunt.* Monachi picturam eius vetustam in Monasterio Weingartensi eam exhibent, quam in subiuncta tabula Lectorum oculis subiicimus. Caeterum de liberis eius Capite sequenti agetur.

§. 19.

Equidem quae de Monachatu Henrici Nigri hic refert Anonymus de Guelfis aliquo dubio premi videntur. Quodsi enim Monachus factus est, quomodo in castro suo Rauensburg obire potuit, & cur non potius in Monasterio suo Weingartensi obiisse dicitur, cum Monachus extra clausuram non magis degere possit, quam piscis extra aquam? Sed vel hoc ipsum, quod non in Monasterio, sed in arce sua obiit Henricus, satis ostendit, *verum* Monachum eum non fuisse; (licet Historiae Weingartensi de Guelfis Principibus, ex quo haec narratio sumta est, lemma inscriptum sit: *De Heinrico Duce, qui factus est Monachus;*) sed tantum

mm) Hanc ex Codice quodam Gottwicensi descriptam Hieronymus Pezius Scriptor. Austriac. Tomo primo inseruit. Vt autem pateat, quam discrepantia sint, quae exteri de huiusmodi sollenniis narrare solent, subiicio aliam Scriptoris Normannici, (Probat. N. XLIII.) qui loco Leopoldi Austriaci alium Candidatum nominat, Henricum Lotharingorum Ducem: cui facile crederem, si eo tempore & anno quidam huius nominis siue Lotharingiae siue Brabantiae Dux vixisset. Otto Frisingensis Chron. Lib. VII. c. 17. tribus Candidatis addit quartum, Carolum Flandriae Comitem.

nn) Ex his dictis erui quoque potest dies obitus Henrici Nigri, quem ignoramus adhuc. Wulfhildem coniugem eius obiisse constat d. XIII. mensis Decembris. Ita enim vetus Necrologium Hildensemense Scriptor. Brunsuic. T. I. p. 767. *Idus Dec. Wlfildis Ducissa. Dedit Thurtheberc ad hospitale Fratrum.* Iam si ab hac die 13. Decembris retro numeres seu subtrahas dies XVI. habebis *V. Kal. Decembr.* hoc est diem 28. Nouembris 1126. qui erit dies obitus Henrici Nigri Ducis; vt ita Henricus die Guntheri, Wulfildis autem die Luciae obierit.

Monachum ad ſuccurrendum. Quod vt rite intelligatur, ſciendum eſt, iam inde a Saeculo ſeptimo morem inualuiſſe, vt Saeculares homines, immo etiam Epiſcopi caeterique Clerici maiores, in extremis *habitum Monachicum* in ſignum poenitentiae ſuſciperent, docente Mabillonio praefat. ad Saeculi Benedictini VI. partem priorem §. V. n. 35. Sed quia hi, qui in mortis periculo conſtituti habitum Monachicum induerant, ſi forte reconualuiſſent, per reliquum vitae tempus Monaſticae profeſſioni addicti manere, vxoresque, ſi quas habebant, dimittere tenebantur; non niſi in extremis, & vbi ſpes omnis vitae decollauerant, itemque non niſi conſentiente prius coniuge, ad hanc ſacram anchoram confugiebatur. Sic Anno 1088. Rogerius de Belleme illuſtris Comes de Salopia obiit: *qui, cum decubaret, ad ſuccurrendum animae ſuae Monachus factus eſt, Adeliſſa Comitiſſa conſentiente.* (oo) Cauſa ſuperſtitionis fuit inolita perſuaſio, ſolis Monachis patere portas coelorum, qui ſcilicet mundo vale dixiſſent, conuerſi vnice ad Deum & in Deum. Hinc conuerti idem quod Monachum fieri: hinc e Monaſterio nullus regreſſus ad ſaeculum: quod acerrime defendit contra diſſentientes Petrus Damianus Oper. T. III. Opuſcul. 16. vbi pugnat quoque pro libertate amplectendi ſtatum Monaſticum ſub extrema vitae linea, quaerens, cum homo moribundus poſſit de bonis ſuis diſponere, quid eum impediat, quo minus diſponat de anima ſua. Hinc & Monachi ſoli religionem habere creduntur, & religioſi vocantur; caeteri non item. Religio autem, hoc ſenſu & pro ſtatu Monaſtico accepta, tot bona habet & tot praerogatiuas, vt, qui de hac doctrina plane perſuaſus eſt, laeuae mentis ſit, ſi eam, ſaltem in extremis, non amplectatur; plurimum etiam valentibus ſine dubio profuturam. (pp) Quid itaque mirum Henricum Nigrum, ſi haec talia de vitae

oo) Huiusmodi Monachus *ad ſuccurrendum* ſcilicet *animae ſuae* factus etiam eſt ante obitum Liutoldus ille, Comitum Achalmenſium vltimus, de quo ſupra pluribus diximus. Ita enim de extremis eius ſcribit Bertoldus Abbas Zwifaltenſis tertius apud Cruſium Annal. Sueu. Part. II. p. 298. *Decimo fundationis anno Coenobii Zwifaltenſis nondum elapſo, Liutoldus Comes grauiore correptus infirmitate, ſenſit ſe termino vitae praeſentis appropinquare. Qui licet cum Apoſtolo poſſet dicere, bonum certamen certaui, fidem ſeruaui; tamen, vt iuſtus iuſtificaretur adhuc, in hora exitus ſui petiit ſe Monachica benedictione inſigniri. Qua percepta, triduum, quod ſuperuixit, Dominum laudare numquam ceſſans, mundo vale dixit. Obiit Anno Domini 1098. XV. Kal. Septembr. ac ſepultus eſt in capitulo in ſepulchro patris & fratrum ſuorum.*

pp) Adſcribam, quae de religionis praeſtantia ex diuerſis locis iuris Canonici collecta in veteri quodam Codice MS. reperi. Religio liberat intrantem I. ab omni poenitentia iniuncta. II. Ab omni iuramento. III. Ab omni voto peregrinationis. IV. Ab omni obedientia infra obedientiam Apoſtolicam. V. A matrimonio contracto per verba de praeſenti, nondum carnaliter conſummato. VI. A matrimonio conſummato, interueniente amborum conſenſu. VII. A matrimonio conſummato, praeter conſenſum, vt, ſi mulier adulterata fuerit. VIII. A patria poteſtate. IX. A ſeruili iurisdictione vel conditione. X. A iurisdictione temporali. XI. Ab obligatione perſonali, vt,

vitae Monasticae perfectione aures eius circumsonuerunt, tantorum bonorum se cupidum ostendisse, tam facili opera, induendo scilicet cucullo, parabilium. Caeterum de pietate eius in Maiores, Etichonem potissimum Ambergauiensem & S. Conradum, consuli potest editus a nobis Annalista Saxo p. 661.

§. 20.

Wulfhildis de caetero Ducis Henrici Nigri vxor, Hospitali Hildenesheimensi benefecit, & Chartam hac de re eius e veteri apographo produxit Io. Henr. Hofmannus in opere Manuscripto de Insignibus Brunsuico-Luneburgensibus, quam nos infra (Probat. N. XLIV.) emendatiorem producimus e vetustissimo Codice Manuscripto, in forma Traditionis cuiusdam conceptam. Sed non ita sterilis est medii aeui historia, vt non maiora & ampliora huius Principis monumenta indagantibus porrigat, quam priuatam quamdam annotationem tenuium munusculorum Xenodochio Hildensemensi datorum, & a pauperibus Clericis grati animi causa in scriptum redactorum. Primum igitur e Codice picturato Weingartensi apud Crusium Part. II. p. 31. admonemur, Henricum Nigrum *cum coniuge Wulfhilde* non solum de nouo construxisse aedem Weingartensem, sed & eidem tradidisse villam *Einodum.* Deinde inter complures Traditiones Zwifaltenses, quae ibidem p. 370. 371. 372. e membranis Bertoldi recensentur, occurrit vna *Henrici Ducis Noricorum, secundi Aduocati, Welfonis primi Aduocati filii, & Wolphilt coniugis eius.* Haec quippe *mantellum suum dedit rubeum ad cappam, & pallium ad cappam: item stolam auream:* quam Zwifaltenses postea in necessitate positi V. libris argenti vendiderunt. (qq) Denique memorabilis est Wulfhildis nostrae felicitas in impetrandis ex vrbe Constantinopolitana Sanctorum reliquiis, quae successu temporis ad Cappenbergenses, Ordinis Praemonstratensis homines, eo modo peruenerunt, qui edisseritur in Charta in Actis Sanctorum Antwerpiens. Mens. Ianuar. T. I. p. 844. asseruata, quam in Probationibus nostris (N. XLVI.) repetiimus.

vt, si quis obligatus esset alicui ad seruiendum. XII. Ab obligatione reali, si non causa decipiendi debitorem, sed causa seruiendi Deo. XIII. Ab omni poena tam purgatorii, quam inferni; vt dicit Liber continens vitas Patrum de Io. Baptista, scilicet de ingressu Religionis. Sequuntur praerogatiuae secundum B. Bernardum: *Ibi,* scilicet in statu religionis, *homo viuit purius: cadit rarius: resurgit velocius: incedit cautius: purgatur citius: requiescit securius: meretur copiosius: moritur sanctius: praemiabitur gloriosius.*

qq) De his omnibus silet nouior Historicus Zwifaltensis, stili, quam rerum studiosior. Hoc tamen laudis Henrico Aduocato tribuit, quod *in instaurationem Monasterii incinerati,* & ad reliqua loci aedificia pleraque ligna ex silua Heistergouia liberaliter suppeditauerit p. 36. Monasterio autem Weihensteuenensi in Bauaria decimas sex hubarum pro remedio animae suae dedit. (Probat. N. XLV.)

§. 21.

Botho, Chronici Brunſuicenſis Picturati auctor, cuius iam ſaepius mentionem fecimus, praeter Welſum & Henricum, Welſo Seniori adhuc tribuit filium, SIGEBERTVM vel SIGEHARDVM, & filiam ADELHEIDEM, vxorem Conradi Burggrauii Magdeburgenſis. Verba eius ſunt: *Unde Hertoghe Wolpy nam wedder Wichgandam, Konigh Herodes Weddeven in Engelant. De telde öme drey Sone unde eyne Dochter. De erſte Sone de het HINRICK DE SWARTE; de ander het WOLPY; de dridde ZEGEBART. De Dochter heyt ALHEIT, vnde nam Borggreuen Cord to Meydeborch.* Sed grauiter hic fallitur Botho, dum putat, Henricum maiorem natu filiorum Welſi fuiſſe: contrarium enim ſatis probauimus ex auctoribus fidei maioris. Nec Sigebertus vel Sigehardus eo natus fuit; (rr) quippe quem veteri Bauarica Familia ortum, aliunde nouimus. (ss) Nec de *Adelheide* filia quisquam veterum aliquid habet. Reiiciendi ergo ſunt hi liberi e Guelfico ſtemmate, atque ad fabulas ablegandi; licet Ladislaus Sundhemius, Bothonem ſecutus, eosdem nobis obtruſerit.

CAPVT

rr) Bothonem ſiue Leibnitianum ſiue Eccardinum idoneis veterum rerum teſtibus inſerere, eſt fluctus in ſimpulo mouere. Vt tamen aliquantiſper nobis innoteſcat ille Sigehardus, quem nugatores aliqui Welſo Forti filium primogenitum attribuunt, adſcribam verba Vrſpergenſis, quae ex illo repetierunt cum Annaliſta Saxo, tum Chronica Regia Colon. ad Annum 1104. p. 918. *Henricus Imperator natalem Domini Ratisponae celebrauit. Cumque ibidem aliquamdiu moraretur, orto quodam prius murmure inter Bawariae Principes, eo quod Saxones vel Franci familiarius illic & honorabilius, quam indigenae, ab Imperatore tractarentur; Sigehardus Comes, qui huiusmodi ſuſpicionem maxime notabat, coepit Imperatori paulatim inuiſus haberi, propter hoc maxime, quod is ſolus prae cunctis, qui tunc aderant, Principibus abundantiore militum copia adducta, ad reſiſtendum ſe, ſi forte de Curia quidquam ſecus cederet, videbatur communiſſe. Diebus poſthac aliquot exactis, cum iam ſecurior factus idem Comes ſuorum turmas defluere permiſiſſet, excitatur, in illum conſpirantibus tam vrbanis Ratisponenſibus, quam diuerſarum partium Miniſterialis ordinis hominibus, furibunda ſeditio, quae nullo modo, vel ipſo Imperatoris filio interueniente, ſedari potuit, donec ab hora diei tertia vsque ad horam nonam in hoſpitio obſeſſus, tandemque fractis foribus, ipſe prius confeſſione facta, ſumto etiam Dominici ſacramenti viatico, capite truncatus occubuit.* Addit Annaliſta: *Vnde orta eſt maxima perſecutio Imperatori a cognatis illius, & a cunctis Regni Principibus, quia, ſi vellet* (voluiſſet) *ei ſubuenire, nequaquam interemtus eſſet.* Otto Friſingenſis Chron. L. VII. c. 8. rem in pauca verba contrahit: *Imperatore natale Domini Ratisponae agente, orta ſeditione, Sigehardus Comes a Familia Principum, qui Miniſteriales dicuntur, eo quod iuſtitiam eorum infringere dicebatur, occiſus eſt.* Ex quibus fere colligas, Sigehardum vrbi Praefectum fuiſſe, eique incubuiſſe curam mercatorum & annonae procurationem pro Principibus Principumque domeſticis, aulam Caeſaream affectantibus.

ss) Scilicet ex narratione eiusdem Vrſpergenſis, ex qua Dn. Eccardus Genealog. Princip. ſuper. Saxon. p. 35. obiter contexuit ſtemma Comitis Sigehardi, de quo quaeritur. Vbi tamen obſeruandum, patrem huius Sigehardi, quem Vrſpergenſis itidem *Sigehardum* vocat, ab Annaliſta Saxone bis *Fridericum* appellari.

CAPVT IV.

De Henrici Nigri filiis, *Conrado* Monacho Cisterciensi, *Henrico Magnanimo*, Bauariae & Saxoniae Duce, & *Welfo III.* Spoletano Duce, Marchione Tusciae, Principe Sardiniae &c. eorumque sororibus.

§. 1. Liberorum foecunda mater fuit Wulfildis, Henrici Nigri coniux, ex quibus tres filii, *Conradus*, *Henricus* & *Welfus* praecipue notandi.

§. 2. *Conradus* Cisterciensis Monachus factus peculiari vitae sanctitate inclaruit.

§. 3. Alter filiorum *Henricus Magnanimus* ex inuidia *Superbus* dictus fuit.

§. 4. Is Patri in Ducatus regimine successit.

§. 5. Vxorem duxit *Gertrudem* Lotharii Imperatoris filiam, sibi forte tempore electionis Lotharii pactam.

§. 6. Vbi fuerit locus ille *Concio legum*, in quo nuptiae celebratae?

§. 7. Obiter agitur de huius foeminae Principis auia Gertrudi Brunsuici & regionum ad Visurgim herede.

§. 8. Post nuptias Henricus Superbus socero Imperatori Norimbergam obsidenti suppetias tulit, dehinc Herbipoli hastiludio interfuit.

§. 9. Occasione symboli in clypeo suo tunc expressi *Henrico* nostro *cognomen Leonis* datum.

§. 10. Herbipoli Spiram concessit, quae Anticaesari Conrado adhaesit.

§. 11. Conradus rebus prospere gestis elatus in Italiam proficiscitur, ibique Rex coronatur.

§. 12. Recensetur lis, quae Henrico Superbo cum Friderico Comite Bogensi, Aduocato Ratisbonensi, intercesserat.

§. 13. Gesta Anni 1130. perstringuntur.

§. 14. Lotharius Innocentio II. contra Anacletum Antipapam auxilium laturus Italiam petiit, atque Romae in Imperatorem coronatus est.

§. 15. Hac occasione terrae Mathildinae Lothario Imperatori eiusque genero Henrico Superbo a Pontifice Innocentio II. restitutae sunt.

§. 16. Post reditum Imperatoris in Germaniam Henrici in diplomatibus Saxonicis frequens fit mentio.

§. 17. Partes eius in debellando Anticaesare Conrado explicantur.

§. 18. Conradus Imperatori Lothario supplex factus, ab eo *vexillifer Imperii* creatur.

§. 19. Henricus Dux A. 1135. pontem lapideum Ratisbonae Danubio imposuit.

§. 20. Lotharius Imperator ante motam in Italiam expeditionem 1136. Henrico nostro Ducatum Saxoniae confert.

§. 21. Recensentur quae ab Henrico Duce in hac expeditione Italica praeclare gesta fuere.

§. 22. Henricus Tusciam tunc nactus est.

§. 23. Reliqua ab Imperatore Lothario in Italia gesta, eiusque mors enarrantur.

§. 24. Sepulturam nactus est in Regio Lutherana Abbatia.

§. 25. Post mortem Lotharii tumultuarie prorsus Conradus Dux Sueuiae Imperator electus;

§. 26. Qui Henrico nostro inimicus Alberto Vrso contra eum fauet.

§. 27. Henricus electionem Conradi irritam & nullam esse pronunciat:

§. 28. Sed a Conrado proscriptus vtroque Saxonico & Bauarico Ducatu priuatur,

§. 29. Magna tamen virtute aduersus Caesarem suosque aemulos terras suas, praecipue Saxoniam, defendit.

§. 30. Verum in Comitiis Quedlinburgensibus caussam suam perorare volens non sine suspicione propinati sibi ab inimicis veneni moritur.

§. 31. Eius elogium.

§. 32. Agitur de Gertruda eius coniuge.

§. 33. Tertius filiorum Henrici Nigri fuit *Welfus* A. 1115. natus.

§. 34. Is in diuisione hereditatis paternae Italicas ditiones & prouincias acquisiuit.

§. 35. Post mortem fratris Henrici *de Bauariae Ducatu contra Leopoldum sibi asserendo* omni nisu laborauit.

§. 36. Castrum eius *Weinsberg* Conradus Rex obsidione cinxit.

§. 37. Sed Welfus imperterritus *Henrico nouo Bauariae Duci, cui Gertrudis, fratris vidua, nupserat*, strenue resistere pergit.

§. 38. Rogerius Siciliae Rex Welfum ad bellum diutius protrahendum pactis stipendiis annuis hortatur.

§. 39. Expeditioni in terram Sanctam 1146. susceptae Welfus Dux interest.

§. 40.

§. 1.

HENRICO Duci Bauariae quos liberos Wulfildis pepererit, Monachus Weingartensis iterum indicat: *Henricus*, inquiens, *Dux ex Wulfilde, praeter illos, quos infra annos sinus coelestis patriae suscepit, tres filios habuit, CVNRADVM, HEINRICVM, GWELFONEM; & quatuor filias IVDITAM, SOPHIAM, MATHILDEM, WVLFILDEM.* Eadem fere Annalista Saxo profert ad Annos 1106. & 1126. pag. 615. & 661. vtroque tamen loco omittit filium *Conradum*. Vrspergensis autem prorsus eadem habet, quia totam historiam de Guelfis Principibus, vti a Monacho Weingartensi descripta est, demto solum capite & cauda, in commentarios suos retulit a pagina 209. ad paginam 215.

§. 2.

§. 2.

Primus filiorum CONRADVS Ordinis Cisterciensis fidus factus est. Fata eius Anonymus de Guelfis hoc modo exponit: *Conradus in Clericum ordinatus, cum sub puerilibus annis domi litterarum studiis informaretur, tempore maturo Coloniensi Archi Episcopo altiori studio & disciplina claustrali educandus committitur. Ibi in vtroque tantum profecit, sed & aliis virtutibus, vitia declinans, tantum se exornauit, vt ab omni Clero & populo amaretur, ab omnibus summo honore dignus iudicaretur: Ipse vero honores, diuitias, laudem humanam fugiens, quibusdam se Monachis sociauit, cum quibus, omnibus suis ignorantibus, Clarauallense Monasterium adiit, ibique Monachum se fecit. Deinde procedente tempore Ierosolymam petiit: vbi cuidam seruo Dei in heremo manenti adhaesit. Tandem sentiens, se quadam infirmitate tactum de reuersione cogitauit, & ingressus nauem Bairam ciuitatem Sancti Nicolai peruenit, ibi beato fine diem vltimum clausit, honorificeque sepultus ibidem requiescit. Circa idem tempus pater quoque eius & mater .... obierunt.* Defunctus ergo est Anno 1126. quem patris & matris eius emortualem fuisse supra demonstrauimus. Matthaeus Raderus ex temporum ratione colligit, Archi Episcopum Coloniensem, apud quem educatus est, fuisse Fridericum e Foro Iulii ortum. Barii obiit, quo corpus S. Nicolai translatum esse Martyrologium Romanum 9. Maii affirmat. Non itaque opus est, vt cum quibusdam Pataram substituamus. Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi pag. 86. sub die 17. *Martii* Conradi inter Sanctos huius Ordinis mentionem facit, eumque solicite a *Conrado Villariensi*, filio Comitis de Seyne, distinguit, cum quo illum confuderant Arnoldus de Wion, aliique plures. Conradi vero nostri reliquias Bario Molfettam vicinam translatas esse oportet. Anno enim 1722. in Nouis Italicis legimus, eas, vt pluuia impetraretur frugibus proficua, sacra processione & religioso cultu circumlatas atque publicae venerationi fuisse expositas. Publice ergo illum ibi pro Sancto coli, certum est.

§. 3.

HENRICVS alter filiorum Henrici Nigri e Wulfilde fuit, vt §. 1. vidimus, quem nos *Magnanimum* non immerito appellamus. *Leonis* nomen ei etiam tribui confirmat Helmoldus Lib. I. c. 35: *Altera*, inquit, *filiarum* [Ducis Magni] *Wulfildis nomine data est* Duci Bauariae Catulo, *quae peperit ei HENRICVM LEONEM.* Eadem fere verba habet Botho in Syntagmate Gandersheimensi. Sic etiam Chronicon Saxonicum Rythmicum *Leonem* eum vocauit, dum filium eius Henricum cap. 29.

appellat *den iungen Lowen Henrich* h. e. *iuniorem Leonem Henricum.* Cur autem *Leo* dictus sit, paulo inferius exponemus. Alias & *Catuli* cognomen cum patre commune habuit, vt Chronicon Bigaugiense ad Anno 1139. testatur. Chronicon Vetus Ducum Brunsuicensium: *Henricus Niger ex Wulfilde genuit Henricum* Catulum, *generum Regis Luderi.* Vulgo *Superbi* cognomen ipsi datur. Gotfridus Viterbiensis Part. XVII. p. 511. *In gratiam omnes recepti a Cunrado, excepto solo Duce Bauarorum Henrico, qui cognominabatur* Superbus. Putant hoc ipsi nomen inditum ob *mores superbos*, quos ipsi Otto Frisingensis de Gestis Friderici Lib. I. cap. 22. & Chron. l. 7. c. 24. ac Guntherus in Ligurino Lib. I. tribuunt. Sed *Superbus* etiam Italis adhuc *Magnificum* denotat, (tt) & hoc sensu id potius illi attribui potest.

§. 4.

Cum pater eius habitum Monachicum sumsisset Anno 1125. Henricus Ducatum Bauariae regendum suscepit, (uu) & strenue post obitum parentis disposuit. Anonymus de Guelphis: *Igitur, defuncto patre, Ducatum eius adeptus, generalem conuentum Ratisponae omnibus indixit; Quo collecto milite aduenienes, quidquid insolentiae in ciuitate, siue extra circumquaque ad aures eius perlatum est, prouida dispensatione diiudicauit. Discrimina bellorum inter Principes seu Maiores terrae diu exagitata compescuit; pacem firmissimam omnibus annunciauit, & iuramento confirmari praecepit. Et sic demum, accepta a Burgensibus pecunia, terrorem cunctis incutiens, ciuitatem egreditur, & munitiones ac villas praedonum & proscriptorum per totam prouinciam deuastat.*

§. 5.

Lotharius Rex multum debebat Henrici patri. Vnde, vt filio gratias beneficii in electione accepti referret, ei filiam suam GERTRVDEM, festum Pentecostes Merseburgi celebraturus, Anno 1126. in vxorem dedit. Forte & pactiones quaedam interuenerant, quae Lothario hanc legem imposuerunt. Vidimus enim, Capite praecedenti

tt) Haec magnificentia maxime eluxit in nuptiis in Concione legum tanta pompa inter initia imperii celebratis, vt earum similes ad id tempus non viderit Germania. Nec mirum, potentissimum vna Bauariae & Saxoniae Ducem caeteros Duces omnes ac ipsum Imperatorem cultu & splendore aulae superasse. Vt adeo *Superbi* nomen, ab inuidis forte iniectum, in omen fortunatissimi & magnificentissimi Principis conuersum sit.

uu) Dn. Eccardus, vti apparet, patrem saltem vno anno claustro includit, & sic filio vno anno citius habenas imperii tradit, ficta quadam ex parte patris imperii abdicatione, quae statum monasticum amplectentibus necessaria & solennis est. At cum pater non nisi *in extremis* habitum monachicum sumserit, vt ipsemet supra scripserat, & mortuus sit Anno 1126. ante hunc annum 1126. filius ad regendum Bauariae Ducatum non accessit. Nam & ipse Anonymus de Guelfis id demum *defuncto patre* contigisse testatur.

ti §. 17. in Comitiis eligendo nouo Imperatori destinatis Henricum Nigrum stetisse ab initio cum Bauaris suis a partibus Friderici Sueuiae Ducis, quas sine graui causa eum deseruisse non sit probabile, scientibus, Fridericum illum Henrici Nigri generum exstitisse. Intercesserit igitur aliquid, quod Henrico Nigro Lotharium reddiderit genero cariorem ac potiorem. Maius autem suffragii praemium esse non poterat, quam integer Saxoniae Ducatus, qui filiam Lotharii sequebatur, si Lotharius in thronum eleuaretur. Hinc & nuptiae puellae vix puberis tantopere festinatae. Duodecimum enim annum agebat, cum viro traderetur; decimum, cum desponsaretur. Hanc enim veram eius aetatem fuisse docet noster Annalista Saxo, qui simul rem memorabilem solus e veteribus annotauit ad Annum 1115. scribens; *Richeza Ductrix, quindecim annis sterilis manens, Duci Liudero filiam in festiuitate Paschali genuit.* (peperit) Nec omnes pactiones a negotio electionis absuisse docet ipsa narratio Anonymi, qua circa finem dicitur *Ducem Fridericum ducentas marcas satis honeste refutasse, quibus Rex eum inbeneficiare prius,* id est ante electionem, *promiserat.* Quodsi igitur Sueuiae Duci quaedam promissio pecuniaria facta fuit, quid non Henrico Nigro Bauariae Duci promissum putemus? Forsan eo tendunt verba Dodechini, ad Annum 1126. scribentis: *Filius Ducis Baioariae Ducatu Saxoniae a Rege donatur.* Indicant sane, patre adhuc viuente, filio hanc siue donationem siue promissionem factam fuisse. Sed quicquid sit, de nuptiis his quae supra diximus, confirmant Scriptores multi. Idem Dodechinus *Rex,* inquit, *in festo Pentecostes apud vrbem Merseburg Duci Bauarorum filiam suam iuxta regalem magnificentiam coniugio locauit.* Chronicon Montis Sereni: *Henricus Dux Bauariorum Gertrudem, filiam Luderi Regis, duxit vxorem.* Annalista Saxo: *Rex Liuderus Pentecosten Merseburch celebrauit, vbi decentissimo multorum Principum habito conuentu, vnicam & dilectam filiam suam GERTRVDEM, glorioso Bauariae Duci, Heinrico, Heinrici & Wulfhildae, Magni Ducis natae, filio, cum multa honorificentia in matrimonii honore sociauit.* Addamus & testimonium Vrspergensis, sub Lothario Saxone p. 309. ita scribentis: *Lotharius filiam Gertrudim, vnicam, quam habebat, dedit vxorem Henrico Duci Bawariorum, fratri Welfonis nouissimi, quem nos vidimus.*

§. 6.

Nuptiae tamen solennes non Merseburgi, sed in Bauaria in loco *Concio legum* dicto celebratae sunt, si fides adhibenda Anonymo de Guelfis, cuius haec sunt verba: *Interea* (Henricus Magnanimus) *missis legatis in Saxoniam ad deducendam sponsam suam, Gerdrudem scilicet, filiam Lotharii Imperatoris, Optimates quosque Bauariae ac Sueuiae ad nuptias inuitat.*

Quibus laute in plano iuxta Licum fluuium vltra Augustam in loco, qui dicitur Concio, in octaua Pentecostes celebratis, eandem in partes istas adduxit, & in Castro Rauensburg vsque ad autumnum stare constituit. (xx) Vrspergensis l. c. propemodum eadem habet: *Hic est*, inquit, *Henricus ille, frater Welfonis nouissimi, qui filiam Lotharii accepit vxorem, & nuptias cum ea apud Augustam ciuitatem, conuocatis fere omnibus Principibus, magnifice celebrauit in loco, qui dicitur Concio legum.* In eodem loco, vt hoc obiter moneam, *Welfus Mitis* publicas comissationes instituit. Sic enim Weingartensis Monachus de eo scribit: *Conuocatis Optimatibus tam Bauariae quam Sueuiae, in plano Lyci vltra Augustam, in loco, qui dicitur Concio legum, solenne Pentecosten celebrauit, innumerabilemque multitudinem vndecumque coadunatam laute pauit.* Immo etiam Rex Philippus Anno 1196. suas nuptias heic celebrauit, teste Ottone de S. Blasio cap. 44. qui eas celebratas fuisse ait *in loco, qui Gunzinlech, a quibusdam Concio legum dicitur.* Vnde existimo, haec vocabula non esse diuidenda, sed in vnum contrahenda, ita vt *Conciolegum* id sit, quod Germanice *Gunzinlech* effertur. Huius nominis Castrum olim in campo Lycatiorum exstitisse, in quo vrbis Augustanae Aduocati habitauerint, Adolphus Occo Martino Crusio significauit Annal. Sueu. Part. 2. p. 564. addens, se in antiquis diplomatibus scriptum reperisse: *Datum in arce* [castro] *nostra Gunzelen in campis Lyci.* Auentinus Lib. 6. c. 3. n. 6. loci situm determinat inter Fridbergam & Moringen. (yy) Alii locum quemdam intra

xx) Quoties Monachus Weingartensis partes *istas* commemorat, Sueuiam suam, & potissimum circumiectam Monasterio suo regionem intelligit. Vicinum Rauensburgum Guelforum posteriorum sedes fuit, ex quo primum Welfus Carentanus, deinde Welfus Fortis auitum palatium Vinearum, Altorfio imminens, Fratribus Ordinis Sancti Benedicti, Altorfio illuc translatis, inhabitandum tradidere. Vidimus enim Welfum Fortem Sifridum Augustanum Episcopum in vincula coniectum *Rauensburgi* detinuisse. Vidimus Henricum Nigrum in Castro suo *Rauensburg* diem suum obiisse. Nunc filius Henricus sponsam suam in Castro *Rauensburg*, tamquam in loco habitationis suae ordinario, collocat, dum maturescat, & plenis fiat nubilis annis, soceri bellis eum alio & ad arma vocantibus. Vti igitur Altorf seu *vetusta villa* priorum sedes Guelforum fuit; ita Guelfi posteriores, licet Bauariae Duces, Rauensburgi aras & focum suum habuerunt. Et vti priores illi *de Altorf*, ita posteriores *de Rauensburg* dicti sunt. Vnde patet ratio tituli, quem Monachus Weingartensis operi suo historico praefixit: *Welfi, Principes de Altorf, & Domini in Rauenspurg.* Rauensburg autem, si Chronico Weingartensi credimus, demum sub Henrico II. Imperatore & eodem tempore, quo Bambergensis Episcopatus conditus, constructum fuit. Muris autem cingi coepit circa Annum 1100. Hodie est vrbs Imperii libera; Castrum autem ad Praefecturam Sueuiae prouincialem pertinet, quae penes Austriacos est. Crusius Annal. Sueu. Part. II. p. 303.

yy) Auentinum etiam sequitur tabula geographica Operis Gottwicensis. Qui Anno 1741. Francofurti palatium ligneum & reliqua lignea aedificia viderunt, quae Excellentissimus Legatus Hispanicus, Dominus Comes de Montiio, immani sumtu pro tempore ripae Moeni praetendit, & in quibus Principes & Legatos cum reliqua nobilium turba, quae ad videndas in noui Imperatoris electione vsitatas caerimonias confluxerat, diebus solennioribus lautissime excepit, ii, quo-

tra vrbem *Gunzinlech* dictum fuisse volunt, quia ex eo tanquam editiore prospectus in Lycum patuit. Sed planities illa inter Moringen & Fridbergam non *vltra* seu *supra* Augustam, sed e latere Augustae est, Lyco praeterea ab Augusta diuisa. Supra Augustam versus Alpes Iulias inter Vindum & Lycum amplissima planities est, quae hodie *Lechrain* vocatur. Ea in planitie adeoque in patente campo Lyci, sub dio contignationibus pro tempore & papilionibus prope Castrum Gunzinlech, quod sponsi, tanquam Aduocati Vrbis, erat, erectis, nuptiae celebratae sunt; non intra vrbem, quod ea tunc nec capax tantae multitudinis hospitum, & mense Maio foris omnia amoeniora essent. Vrbes enim Germaniae eo tempore nondum tam amplis splendidisque aedificiis exornatae fuerunt, vt vicies triciesque mille Principes, Nobiles & Milites cum suis quemque satellitibus & equis capere possent. Ipsius Lutetiae Parisiorum plateas demum circa Annum 1184. Rex Philippus Augustus lapidibus strauit. Ex quo inferre licet, quae tum facies, quis cultus, qualia aedificia vrbium Germaniae fuerint.

§. 7

Habebat iam Henricus per matrem Wulfildem bona Ducum Saxoniae Billinganorum allodialia, inter quae *Luneburgum* eminebat. Iam vero per coniugem Gertrudem etiam *Brunsuicum* & *regionem ad Visurgim*, cuius *Northemium* caput, adeptus est. Has enim terras Lotharius Rex per Coniugem Richenzam, filiam Henrici Northemii, & Gertrudis, Ecberto I. Principe Brunsuicensi & Marchione Misnensi natae, acceperat. Gertrudis Henrico Northemio nuptae proauus Bruno a Chronici Riddagshusani auctore fundator vrbis Brunsuicensis perhibetur, cui nos omnino multas ob causas assentimur. Et ab heredibus eius illa sensim exculta est. Gertrudis ipsa, nostrae nempe Gertrudis auia, de qua fusius egimus in Historia Genealogica Marchionum Misniae e Principibus Brunsuicensibus ortorum Cap. V. singulare vrbi huic decus addidit, *Monasterio S. Aegidii* in ea extructo, & Anno 1115. completo, Sanctique Authoris reliquiis in illud translatis, vti libellus Tomo I. Scriptorum Brunsuicensium pag. 701. insertus testatur. Habemus & plura alia pietatis eius monumenta. Extruxerat auus illius, *Ludolfus* Comes, in vico Tanquarderode Ecclesiam S. Petro & Paulo dedicatam eo loco, vbi nunc altare maius Ecclesiae Cathedralis S. Blasii cernitur. Hanc Ca-

quomodo Henrici Superbi nuptiae in campo Lyci sub dio & in aedificiis ligneis pro tempore erectis vt recte hic opinatur Dn. Eccardus, iucundius, quam in vrbe celebrari potuerint, facile peruident. Nam in huiusmodi effusis conuentibus, quantum per anni tempestatem licet, amoenitas potissimum quaeritur.

ſtro quoque ſuo prope illam conſtructo ampliaſſe, & honori S. Iohannis Baptiſtae & S. Blaſii conſecraſſe iam ante Henricum Leonem videtur. Extat enim inter ſacras Templi huius reliquias iam apud nos aſſeruatas, Plenarium, *Euangelia & lectiones dierum Dominicarum ac Feſtorum* continens, argenteis bracteis ornatum, cui inſculpta ſunt in margine & quidem in quatuor angulis ſymbola quatuor Euangeliſtarum, Ieſus in horto orans; eius flagellatio ad columnam; idem crucem ferens, cum addita litera A cruce ſignata; Crucifixus cum literis A & Ω itidem cruce ſignatis. Reſurgens cum labaro in ſiniſtra, & dextra benedicente, & tandem in arcu coeleſti glorioſe ſedens cum libro in ſiniſtra, & benedicens dextra. In medio laminae eſt imago Beatae Mariae Virginis, puerum Ieſum brachio ſiniſtro gerentis, eique dextra pomum oſtendentis inter Petrum & Paulum. Sub ea eſt Iohannes agnum paſchalem portans, ad cuius dextram ſtat Epiſcopus cum libro & pedo, caput nimbo ſtellis ornato cinctus, eodem, quo Apoſtoli, modo, vt intelligas inter Sanctos relatum. Hic vero non alius eſſe poteſt, quam S. Blaſius, cui poſt Apoſtolos Eccleſia haec dedicata fuit, vt manifeſtum eſt; & notitia quoque in fine huius Codicis ſcripta prodit, *principale Altare in honore Domini Noſtri Ieſu Chriſti & S. Crucis S. Mariae Virginis & S. Iohannis Baptiſtae & Apoſtolorum Petri & Pauli & Sanctorum Martyrum Blaſii, Pantaleonis, Coſmae, Damiani*, & aliorum plurium conſecratum eſſe. Inter Probationes hanc notitiam integram exhibebimus. (N. XLVII.) Ad ſiniſtram Iohannis Euangeliſtae cernitur figura Praepoſiti, credo, ſiniſtra librum, dextra baculum crucigerum tenentis, cum ſimplice limbo, qui defunctum, ſed non Sanctum, indicat: Et exhibetur forte *Adeloldus primus Praepoſitus S. Blaſii*, cuius nomen & in reliquiarum noſtrarum deſcriptione a Reuerendiſſimo Domino Abbate Luccenſi confecta num. XXIX. annotatum extat, & mox etiam recurret. De beneuola propenſione Gertrudis in nouellam Eccleſiam teſtatur porro alia notitia, ſub initium ſcripta, huiusque tenoris: *Notum ſit tam modernis, quam poſteris, qualiter Praepoſitus huius Eccleſiae Thoncguarderoth Atheloldus tradidit patronis noſtris S. Iohanni Baptiſtae & S. Blaſio Martyri praedia ſubſcripta, per manus Dominae noſtrae Gertrudis, & per manus Domini Marchionis Egberti maioris & filii ſui, ſcilicet in Hurnibuſun XX. manſos, quos comparauit a Comitiſſa Criſtina cum C. Marcis, & in Getlithi VI. manſos, quos comparauit de nobili viro Hilderico & filio ſuo cum XXIV. libris, & in Sicuri IIII. manſos & dimidium, quos comparauit cum XII. libris, & III. manſos in Vrithi, quos comparauit a liberis hominibus cum VIIII. libris, & in Xicthi I. cum III^bus libris & in Cauenheim I. cum II. libr. & in Lenthorp I. cum IIII. libr.*




RELIQVIÆ
SCI PETRI
APLI
ET
SCÆ
LIVTRVDIS
VIRG
hoc
GERDRVD
FIERI
IVSSIT.



Tab. VII. ad p. 335.



libr. a quadam libera muliere, & Aduocato suo, & in Eggaurothe I. cum I. libr. & in Ibaurothe I. cum XVI. solidis. (zz) In reliquiis ornandis studiosa fuit Gertrudis. Extat in Electorali reliquiarum Thesauro num. V. Crux, aurea lamina obducta, ornataque opere filatim elaborato, & pluribus gemmis emblematibusque quatuor Euangelistarum, in qua *reliquiae S. Petri & Liutrudis S. Virginis* latent. Sub quibus legitur HOC GERDRVT COM*itissa* FIERI IVSSIT. Ibidem asseruatur num. XI. arcula quadrata pretiosissima, (aaa) in cuius operculo ex porphyrio lapide auro elegantissime decorato leguntur hi versus:

GER-

zz) Hactenus descriptio Dn. Eccardi. Sed quia ea non satis distincta est, addo paullo accuratiorem. Scilicet Codex ille Euangeliorum, qui *Plenarium* vocatur, membranaceus est in forma quarta maiore. In quo consideranda sunt primum tegumenta: deinde duo folia membranacea, quorum alterum principio, alterum fini Euangeliorum adiunctum est. Denique ipsae membranae, quibus Euangelia sunt inscripta. Tegumentum inferius nihil habet memorabile. Est enim truncus ligneus quadratus, olim serico obductus, cuius fila quaedam supersunt ligno adhaerentia. At tegumentum superius, quod oculos ferit, crassitiem habet duorum pollicum. Ligneum num sit, discerni facile nequit, quia exterius totum lamina argentea obductum est, cui insculptae figurae modo descriptae. Huic descriptioni hoc quoque adiiciendum, quod figurae istae sunt deauratae. Interior facies huius tegumenti, quae corio obducta est, continet titulum libri ita inscripti: „*Anno Dni millesimo trecentesimo vicesimo* „*sexto renouatum est plenarium istud, in quo* „*seruantur iste reliquie suis locis circumscripte.* Caetera vide infra N. XLVIII. Tum sequitur folium membranaceum, cuius facies prior nuda est & sine scriptura; posterior autem continet notitiam donationis a Dn. Eccardo hic descriptam: vbi tamen obseruandum est, verba *per manus domine nostre Gerdrudis* margini tantummodo & a manu recentiore esse adiecta. Alterum huius generis folium fini Euangeliorum subtextum, & tegumento inferiori proximum, continet notitias dedicationis altarium, prout infra exhibentur. Ad Euangelia ipsa quod attinet, quae corpus & substantiam libri constituunt, scripta ea sunt in membranis tenuissimis, puris & admodum candidis, charactere eo, qui Saeculi noni proprius fuit. Effigiatae enim litterae sunt ad formam eius scripturae, quam Reuerendissimus Abbas Gottwicensis tabula sexta egregii Operis ad pag. 39. aere expressam exhibet, & quae suam his verbis aetatem profitetur. *Scriptus est autem-anno octingentesimo XXIII. dominice incarnationis-per ellenhardum & dignum, hildoino orthografiam prestante. Orate pro nobis.* Similem scripturam habet Codex noster Witekindeus quindecim foliorum, qui non solum ob formam litterarum, sed etiam ob dedicationem, quae ad Comitem Walbertum, Witekindi magni nepotem viuentem adhuc atque valentem directa est, ad tempora Ludouici Germanici atque ad Annum 860. circiter iure merito refertur. Atque his duobus canae vetustatis monumentis nescio an Saxonia hodie quid vetustius habeat e litterario genere. Nam falsa, spuria & suppositia diplomata non moror. Quae cum ita sint, incunabula vrbis Brunsuicensis quoque in aeuum Carolingicum incident; nisi statuere malis, hunc Euangeliorum librum, seu has vetustissimas membranas isto aeuo alibi scriptas secuto tempore demum emtas vel donatas fuisse in vsus Clericorum templi Tanquarderodensis: quod difficile creditu est. Epocha Anni MCCCXXVI. libro adscripta neminem morabitur; quia non scripti, sed *reparati* libri, cuius tegumenta longo vsu detrita fuerant, annum diserte enuntiat.

aaa) Multis Sanctorum reliquiis referta: vt adeo *Reliquiarium* potius, quam arcula dicenda sit. Habet in fundo portulam, per quam aditus patet ad interiora, quae constant ex variis officulis syndone inuolutis, & certis litteris inscriptis, quae nomina Sanctorum exprimunt, quorum ossa vel reliquiae sunt. Caeterum vere *auro gemmisque nitet* hoc cimelium, tanta cura asseruatum, vt, licet antiquissimum sit, nullaque ratio, quare ad Gertrudim nostram referri non debeat, occurrat, recens tamen e manu artificis prodiisse videatur.

GERTRVDIS CHRISTO FELIX
VT VIVAT IN IPSO
OBTVLIT HVNC LAPIDEM GEMMIS
AVROQVE NITENTEM.

Afferimus libenter haec veteris pietatis teſtimonia, ſaeculi genium, ſcripturam artemque referentia. Gertrudis tandem Anno 1117. obiit, (bbb) & in Ecclesia S. Blaſii ſepulta eſt ſub lapide oblongo, qui cum Anno 1668. remoueretur, corpus eius atri coloris veſte inuolutum eſt repertum cum tabella plumbea, quae adhuc in Sacriſtia aſſeruatur, & haec verba habet:



Membrana Blaſiana de eadem: *A. D. 1117. obiit Gertrudis Marchioniſſa, filia Ecberti, & fundatrix S. Aegidii in Brunſwick.* Sed ſatis de Gertrude, auia Gertrudis Henrico Magnanimo nuptae.

§. 8.

Sponſalibus apud Merſeburgum & nuptiis apud Concionem legum ſplendide celebratis, Henricus Dux cum ſuis ad Lotharium Regem acceſſit, Norimbergam obſidentem. Parum ibi proficiebatur, quod Fridericus Dux Sueuiae cum fratre Conrado ciuitati ſuppetias ferrent. Anonymus de Guelfis dicit, tunc Henrico Saxoniae Ducatum & feuda quaedam collata eſſe a Rege, vt opem illi aduerſus Sueuos Principes ferret. Sed locus corruptus eſt, (ccc) & Ducatum Saxoniae Henricus poſtea demum

bbb) Annaliſta Saxo, cum ad Annum 1112. Gertrudim noſtram, praeeunte Vrſpergenſi, *illam praepotentem per Saxoniam viduam* nominaſſet, ad Annum 1116. p. 638. ſubiicit: *Gertrudis Ductrix, auia* (ſocrus) *Liuderi Ducis, obiit.* Vt adeo neptis ſuae Gertrudis natalem viderit, qui, vt §. 5. dictum, in annum ſuperiorem inciderat.

ccc) Locus non corruptus eſt, ſed corruptum eorum iudicium, qui more DN. Ecardi locos auctorum vel a ſe non intellectos, vel cum ſuis praeconceptis opinionibus

mum accepit. Rex nunc a Norimberga cum Duce *Herbipolim* recessit. Duces ei aduersi, *eum insequentes*, vt Ottonis Frisingensis verbis de Gest. Friderici Lib. I. c. 17. vtar, *illo in ciuitate manente*, *Tyrocinium*, *quod vulgo Turniamentum dicitur*, *cum militibus eius* [sc. Lotharii Regis] *extra*

bus pugnantes, corruptos pronuntiant, vt excusationem habeat inscitia interpretationis. In Canisiana atque prima Leibnitiana editione Monachi Weingartensis locus hic male lectus est, & inepta interpretatione pollutus. Sanauit eum Leibnitius aliquantisper per nouam lectionem Scriptor. Brunsuic. T. III. p. 658. At si Conradum Vrspergensem, si Vitum Arenpeckium, si denique Io. Auentinum, qui singuli e diuersis Codicibus historiam de Guelfis in commentarios suos transtulere, in subsidium voces, nihil in Monacho Weingartensi adeo luxatum deprehendes, quod, etiamsi Codicibus manuscriptis destituaris, ex istis auctoribus non restitui possit. His enim inter se comparatis loci *praetense* corrupti haec vera lectio est: *Ipse vero Henricus Dux ad Imperatorem reuersus*, *Ducatum Saxoniae*, *Nourenberg*, *Gredingen*, *& omnia beneficia*, *quae Imperator ab Episcopis & Abbatibus habuit*, *suscepit*, *ac rebellionem contra Fridericum Ducem*, *sororis suae maritum*, *pollicetur.* Quibus verbis nihil est planius. Pro *rebellionem contra* Leibnitius edidit *rebelliorem id est.* Sed verum vocabulum cuique legenti facile se ingerit, & *rebellio* Anonymo de Guelfis idem quod *bellum* est; quemadmodum *rebellare* idem, quod *bellum inferre* stilo Weingartensis nostri; immo & stilo Ottonis Frisingensis, qui Chron. Lib. VII. c. 25. scribit, *Henricum Ducem in Saxonia Albertum Marchionem sibi rebellantem* h. e. bellum inferentem, *humiliasse.* Conradus Vrspergensis sub Lothario ait Henricum Bauariae Ducem *ad Imperatorem socerum suum apud ciuitatem Nurenberg venisse, & ibi Ducatum Saxoniae*, *& omnia beneficia*, *quae Imperator ab Episcopis & Abbatibus habuit, in beneficio suscepisse*, *& ibidem pollicitum esse eidem Imperatori auxilium contra Fridericum & Conradum fratrem eius.* Ex quibus locis patet, Henricum Ducem Superbum in Castris ad Noribergam Anno 1127. a socero Lothario Rege, praeter Bauariam, in feudum accepisse

1. *Ducatum Saxoniae:* quod praeter clara Scriptorum testimonia probat Lotharii Imperatoris diploma, Anno 1129. Goslariae datum, (Probat. N. XLIX.) quo confirmat venditionem curtis Abbenrod, *in pago Hartingo*, *in Ducatu Ducis Henrici sitae.* Pagus autem Hartingo Bauaricus certe non est; sed Saxonicus. Ergo Saxonicus Ducatus tum iam Henrici Ducis, & sic Henricus Saxoniae Dux fuit, ex ipsa Lotharii Caesaris confessione.
2. *Omnia Saxoniae Ducis subfeuda*, ab Episcopis & Abbatibus Saxoniae Duci concedi solita.
3. *Castrum Noribergense*, quod demum Anno 1130. ad deditionem redactum est.
4. *Castrum Gredingen* in dioecesi Eichstadiensi, quo Henrico opus fuit ad commeatus inter Bauariam & Castrum Noribergense instituendos & conseruandos.

Ducatum Saxoniae, cui ipse adhuc praefuerat, Lotharius Henrico dedit, secutus morem & consuetudinem ab Ducibus, qui in Romanorum Reges electi fuerant, vsque ad haec tempora continuo obseruatam. Docet enim omnis Germaniae historia, Ducem, qui Rex creatus est, illico Ducatum suum alii Nobili Viro contulisse, quia, si filium haberet, de successione eius in Regno certus esse poterat; si filium non haberet, ipsius multum intererat, tradito Ducatu potentem familiam sibi deuincire. Fuit enim Germaniae Regnum verbis quidem electiuum, re autem ipsa, scilicet si masculi heredes seu liberi generis masculini supererant, hereditarium. Hoc arcanum Henricus IV. Imperator Paschali PP. II. apud Vrstisium Scriptor. German. T. I. p. 395. non solum prodidit, sed etiam nouo argumento confirmauit, substituens filio immorigero Conrado inter medias reipublicae turbas & tempestates fratrem Henricum Romanorum Regem, nemine, quod mireris, vel Saxoniae vel Bauariae Optimatium, qui tamen in armis contra Caesarem erant, vel hiscere auso. Beneficia autem Ecclesiastica Lotharius, qua Imperator, possidere amplius non potuit, quia inconcinnum & informe quid videbatur Dominus vasalli sui vasallus. De Noriberga & de Gredingen infra dicemus, vbi Dn. Eccardus haec duo loca sibi crucem figere fatetur.

tra exercendo, vsque ad muros ipsos progrediuntur. Hic ferme puto, Henricum Ducem virtutem suam ostendisse, & lancea cum aduersariis decurrisse.

§. 9.

Mos erat a Gallis introductus, vt hastiludio decertantes lorica galeaque muniti hastam & clypeum portarent. In clypeo symbolica imago depicta erat, qua distingui possent a spectatoribus. Hinc insignia atque omnis ars Heraldica initium sumserunt. Ante torneamentorum vsum, circa Annum 1066. a Gaufrido de Pruliaco in Gallia inuentum, vt in Cangii Glossario atque etiam in nostra de Vsu & Praestantia studii Etymologici Dissertatione videre est, clypei nudi gerebantur, aut certe nullis hereditariis notis pingebantur; deinde vero distinctionis causa scutis inditae sunt figurae variae, quae ab iis, qui ad eandem familiam pertinebant, solicite conseruabantur, atque ad posteros transmittebantur. Loquentia, siue figura sua nomen familiae exprimentia, arma prae aliis placebant primum. Veterum & recentiorum Guelforum cognomen *Catulus* erat. Catulorum vero nobilissimus cum esset leoninus, veteribus *Welf leuuon* vel *leuuen Welf* dictus, vt supra Libro I. euidenter demonstrauimus; hinc ille Henrico nostro pro insigni placuit, eique is & posteris eius *Leonum* cognomen peperit. Filius eius adhuc numis solidis *catulum leonis* imprimi fecit; postea tamen eum in Leonem iustae aetatis commutauit. Insigne igitur hoc Principum nostrorum, vt Galli appellant, *loquens* primum, vt vetustiora pleraque, fuit, & *Welfi* nomen gentilitium retulit. Aliam certe nominis *Leonis*, Henrico Magnanimo & posteritati eius inditi, originem ostendet nemo.

§. 10.

Ab Herbipoli Lotharii inimici *Spiram* secessere, nec vel hic Lotharius eos superare potuit Friderico totam Alsatiam tenente: licet Argentoratenses, qui beneficio Reginae Richenzae Brunonem Episcopum nacti erant, (Probat. N. L.) a Lothario non penitus alienati essent. Bruno certe Episcopus Argentinensis Lothario Caesari omni fide adhaesit, eumque tum de rebus Alsatiae certiorem reddidit, tum quid actu opus esse existimet, monuit. (Probat. N. LI.)

§. 11.

Sumsit hinc animos Friderici Ducis frater *Conradus*, & in Italiam transiens a quibusdam Regi rebellibus, qui parum curarunt, quod vterque ab Honorio II. Pontifice Maximo & plerisque Germaniae Episcopis tum excommunicati essent, (Probat. N. LII.) ad coronam Regni Italici pro-

promotus eſt Anno 1128. Rem geſtam Otto Friſing. Chron. L. VII. c. 17. narrat his verbis: *Conradus a fratre ac quibusdam aliis Rex creatus, Pyrenaeum iugum Septimi Montis, qua Rhenus & Aenus fluuii oriuntur, tranſcendit in Italiam, vbi a Mediolanenſibus honorifice ſuſcipitur, & ab eorum Archi Epiſcopo Anshelmo Modoyci, Sede Italici Regni, in Regem vngitur. Pro his aliisque praefatus Archi Epiſcopus a Summo Pontifice deponitur, & alter in locum eius ſubrogatur.* Nouus Rex haud felicior fuit. Audito enim Lotharii in Italiam aduentus rumore, pene omnibus ſuis amiſſis, clam inter mille pericula in patriam rediit, cum ante tota fere Longobardia & ipſa Roma trepidaſſet, & Lotharii praeſentiam anxie deſideraſſet. (Probat. N. LIII. & LIV.)

§. 12.

Interea *Fridericus* Comes Bogenſis & *Ratisbonenſis Eccleſiae Aduocatus*, Ducis potentiam non ferens, eius Miniſtris Ratisbonae relictis inſultauit, ſeque Dominum vrbis reddere conatus eſt. Anonymus de Guelfis controuerſiam Henrici cum Friderico Aduocato his verbis exponit: *Interea Fridericus Ratisponenſis Eccleſiae Aduocatus, videns poteſtatem Ducis praeualere, ſuum vero quotidianum in ciuitate minui, quorundam conſilio, quibus pax odioſa fuit, vnum de Miniſterialibus Eccleſiae, qui Duci omni fidelitate in ciuitate & extra aſtabat & miniſtrabat, dolo vocauit ad ſe, inuitatum vita priuauit. Quibus compertis Dux Bauariam feſtinanter ingreditur, ac caſtrum Aduocati fortiſſimum Falſchenſtein* (ddd) *obſidione cingit, omnesque ſuos ad obſidionem compellit. Dum haec in Bauaria aguntur, Imperator quoque Spiram ciuitatem Rheni in iniuriam Friderici Ducis obſedit, miſſoque nuncio, Ducem Heinricum, vt ſibi quantocius in auxilium veniat, inuitat, qui omni cunctatione poſtpoſita, obſidionem & omne negotium ſorori ſuae, Marchioniſſae de Stira, tunc viduae, quae eo tempore cum DCCC. loricis aduenerat, committens, ad Imperatorem cum DC. & eo amplius feſtinat militibus. Quo cum magno labore perueniens caſtra vltra Rhenum poſuit, &, vt impetus & irruptiones fortuitas praecaueret, militem coadunatum prope ſe locauit. Fridericus tamen, vtpote vir armis ſtrenuus, dum quadam nocte armato milite minus caute in caſtra irrueret, Henricus praemonitus, armis & equitatura paratus ad fugam illum compulit, & ita fugientem vsque in Gouningen* (eee) *inſequitur,*

ddd) Potius *Falckenſtein*, cuius nominis quatuor in Bauaria Caſtra ſunt. Hic intelligitur illud, quod haud procul Danubio ad Viſent fluuium ſitum eſt, qui paullo poſt in ripa ſiniſtra in Danubium ſe exonerat.

eee) Ita typis exſcripſerunt hanc vocem, qui legendis vetuſtis Codicibus haud adſueti erant, de loco, cui conueniret hoc monſtrum vocabuli, parum ſolliciti. Relegens autem ſupra memoratos Hiſtoricos, qui hiſtoriam de Guelfis Principibus manibus ſuis triuerunt ante, quam typis traderetur, reperio, *Gruiningen* eos in ſuis Codicibus lectitaſſe.

tur, amissisque aliquot de suis, & omnibus pene equitaturis ignominiose euasit. Deinde satisfactione & pactione Spirensium cum Imperatore, Moguntino mediante, composita, Bauariam vsque regressus, (fff) *Castrum iam diu obsessum capit, suosque ibi ad tutandos fines illos & ad conseruandum sibi Castrum locauit.*

§. 13.

Anno 1130. iterum concertationes plures habuit cum Friderico Duce Sueuiae; vnam ad Werenzam fluuium, apud Donawerdam Danubio se infundentem; alteram in vicinia Zwifaltensis Monasterii. Vtramque describit Otto Frising. de Gestis Friderici I. Lib. I. c. 18. & 19. qui Otto, licet posterior actio quamdam perfidiae speciem habeat, tanta tamen aequitate vtitur, vt Henricum excuset, quippe per apprehensionem Friderici quietem & pacem Imperio restituere molitum. Lotharius interea Spira in fidem recepta Goslariam abiit, vbi teste Annalista Saxone ad Annum 1130. Pascha celebrauit, & pro Castro Scartfeld, quod postea Henricus Leo nactus est, Norberto Magdeburgensi Archi Episcopo dedit Abbatiam in Alsleue in ripa Salae, (Probat. N. LVII.) cui mox dominium totius oppidi accessit. (Probat. N. LVIII.) Mouerant etiam Henricum nostrum hoc ipso anno ad sumenda arma fautores Henrici, in Ratisbonensem Episcopum, ipso inuito, electi, qui frater Ottonis Comitis de Wofrateshusen erat, de quibus Anonymus de Guelfis pag. 787. legendus. Sed anno sequente, Principibus aliquibus mediantibus, pax coaluit, Episcopus ab ipso agnitus est, cum *Comitatum illum, quem Ecclesia Ratisbonensis circa fluuium Oenum habet, Duci in beneficio concessisset,* vt Anonymi de Guelfis verbis vtar. Comitatus ille a Castro Hohoburg seu Hochburg nomen habuit, quod situm est in vicinia Wasserburgi in Bauaria. Vid. Metropol. Salisburg. T. I. p. 132. & Auentinus Lib. VI. c. 3. n. 18. Fridericus quoque Aduocatus subiugatus est.

§. 14.

Eodem Anno 1131. Innocentius Papa Leodium ad Regem veniebat, auxilium expetiturus aduersus Anacletum Antipapam. Quod vt melius intelligatur, reuocandum nobis in memoriam, quomodo anno praecedenti

ctitasse. Vide Viti Arenpeckii Chronicon Bauar. apud Pez. Anecdotor. T. III. Part. III. p. 195. adde Auentinum Lib. VI. c. 3. n. 10. *Gruningen* autem seu *Gröningen* constat esse oppidum cum Castro ad Glemmum fluuium inter Leonbergam & Bietigheim, in confiniis Ducatus Wurtembergici & Palatinatus Rheni situm.

fff) Vna cum socero, qui tum Ratisbonae confirmauit fundationem Monasterii Vndesdorffensis ab Ottone Comite de Wittelsbach ex voto factam, (Probat. N. LV.) & de manu generi sui susceptum Monasterium Munchmunster in dioecesi Ratisbonensi (Probat. N. LVI.) sub Imperialem iurisdictionem redegit.

cedenti poſt obitum Honorii PP. II. Gregorius Cardinalis Sancti Angeli Pontifex electus fuit, nomenque aſſumſit Innocentii II. Huic ſe oppoſuit Petrus, Petri Leonis filius, gente Hebraeus, qui multa pecunia diſtributa aſſeclas nactus eſt, qui ipſum Pontificem declarabant, tributo Anacleti nomine. Hic tantum Romae potuit, vt aemulum vrbe expelleret. Vterque ſcriptis ad Lotharium litteris Caeſaris fauorem aucupabatur. (Probat. N. LIX. & LX.) Rauennatenſis autem Archi Epiſcopus in narratione ſua laudauit partes Innocentii, Caeſarisque praeſentiam ad exſtirpandam *Iudaicae perfidiae haereſin* Romae neceſſariam iudicauit. (Probat. N. LXI.) Rex tunc tempus adeſſe ratus, ius inueſtiturae Epiſcoporum & patrimonium Mathildis ſibi repetiit. Vtrumque Papam conceſſiſſe Petrus Diaconus indicat Lib. IV. Chron. Caſin. Cap. 99. his verbis: *Innocentius Germaniam ingreſſus a Lothario Rege iuxta Leodium excipitur, virgam ei & annulum antiquo ex more confirmans, & terram Comitiſſae Mathildae condonans.* Quanquam enim Baronius huic Petri narrationi quaedam opponat; videtur tamen Papa, vt fauorem Regis obtineret, ſpem ad obtinenda haec vota feciſſe. Anno igitur 1132. Lotharius Rex in Italiam mouit, vbi gener Henricus in tranſitu Ratisbonae interfuit arduo negotio, cum Nobilis *Segebodo de Scartfelde* Engelfrido Sanct-Emmeranenſi Abbati reſtituere cogeretur praedia huic Abbati ablata, & in Thuringia ſita. (Probat. N. LXII.) At Auguſtae Vindelicorum in hoc tranſitu tantus tumultus eſt ortus, vt Vrbi inde pene vltima pernicies ſit nata. Tragoediam depinxit Annaliſta Saxo ad Annum 1132. ſed magis graphice Epiſcopus in ſubiecta epiſtola. (Probat. N. LXIII.) Lotharius poſt ſuum Romae aduentum A. 1133. ſolenniter cum coniuge Richenza in Imperatorem coronatus eſt ab eodem Innocentio, in Sedem ſuam reſtituto.

§. 15.

Tunc Imperator memor promiſſionis a Papa Leodii factae, & iuris Familiae Guelficae in bona Mathildis Ducatricis, quae ipſi hactenus per antecedentes Imperatores & deinde per Papas ſubtracta erant, cum Papa de iis egit. Et cum donatio Eccleſiae de iis facta negari non poſſet, id tamen effecit, vt certis conditionibus Henrico Duci redderentur. Baronius ad Annum 1133. n. 5. diploma ipſius Papae producit, hoc tempore datum, (Probat. N. LXIV.) in quo inter alia haec reperiuntur: *Cum ergo, teſtante ſacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis ſuis debeant impartire: dignum profecto eſt, vt nos, qui diſponente Domino, vniuerſis Catholicae Eccleſiae filiis debemus ſollicitudine paterna conſulere, perſonam tuam arctius diligamus, & tamquam ſpecialiſſimo Eccleſiae de-*

fenſori, in his quae ad Statum Imperii in ſuo robore conſeruandum, & vtilitatem ac liberationem Catholicae Eccleſiae ſpectare noſcuntur, tam ſecundum Eccleſiaſticum officium, quam temporaliter Imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu Allodium bonae memoriae Comitiſſae Mathildae, quod vtique ab ea Beato Petro conſtat eſſe collatum, vobis committimus, & ex Apoſtolicae Sedis diſpenſatione concedimus, atque in praeſentia fratrum noſtrorum Archi Epiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, nec non Principum & Baronum per anulum inueſtimus: ita videlicet, vt centum libras argenti ſingulis annis nobis & Succeſſoribus noſtris exoluas, & poſt tuum obitum proprietas ad ius & dominium Sacrae Romanae Eccleſiae cum integritate absque diminutione & moleſtia reuertatur. Quodſi nos vel Succeſſores noſtros in eandem terram venire, manere, tranſire oportuerit, tam in ſuſceptione, quam in procuratione, atque ſecuro conductu, prout Apoſtolica Sedes decreuerit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terrae fuerit, Beato Petro, & nobis noſtrisque Succeſſoribus fidelitatem faciant. Ceterum pro charitate veſtra nobili viro, Henrico, Bauariae Duci, genero veſtro, & filiae veſtrae, vxori eius, eamdem terram cum praefato cenſu, & ſupra dictis conditionibus Apoſtolica benignitate concedimus; ita tamen, vt idem Dux hominium faciat & fidelitatem B. Petro, ac nobis noſtrisque Succeſſoribus iuret. Poſt quorum obitum praedictum Comitiſſae Mathildae Allodium ad ius & dominium Sacrae Romanae Eccleſiae ſicut ſupra dictum eſt, integrum, & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: ſaluo tamen ſemper in omnibus eiusdem Sacrae Romanae Eccleſiae iure ac proprietate. Datum Laterani ſexto Idus Iunii. Hoc ergo modo Henricus Dux S. Petri & Eccleſiae Romanae fidelis & in Italia plurimarum terrarum dominus factus eſt, Ducatu Spoleti, Marchia Tuſciae & bonis auitis Mathildis potitus. (ggg) Omnia enim haec ad allodium Mathildis Papae retulerant; licet re ipſa Ducatus & Marchia Imperio ſubeſſent.

§. 16.

Eodem Anno 1133. cum Imperator in Germaniam rediiſſet, & Bardewici ageret, mentionem Henrici in Saxonia inuenimus, (hhh) in diplomate

ggg) Si totum hoc negotium intimius inſpicias, videtur Pontifex *Domum* Comitiſſae Mathildis, quae dicebatur, tamquam proprietatem Romanae Eccleſiae Lothario Imperatori in feudum contuliſſe; Lotharius autem eamdem, vt reliqua ſua, genero Henrico ceſſiſſe. Henricus enim, non exſpectata ſoceri morte, Marchionis Tuſciae titulum ſibi adſciuit, ipſaque ſoceri diplomata *Ducis Bauariae & Marchionis Tuſciae* elogio ſubſcripſit; vt paullo poſt videbimus.

hhh) In confirmatione bonorum ad aedem S. Michaëlis in ciuitate Luneburgenſi ſpectantium Lotharius Imperator totius Familiae ſuae mentionem facit, hoc modo: *interuentu Ducis noſtri Henrici, eiusque Coniugis, filiae noſtrae GERTRVDIS, ob reme-*

mate Lotharii Imperatoris (Probat. N. LXVI.) quo Monasterio Nouae Corbeiae, rogatu Abbatis Volcmari piscationem in Wisera, *quae vocatur Houcwar*, confirmat, cum illam *Dux Henricus Bauariae cum quondam Comitissa Eilica & filio suo Adelberto iniuste se possedisse recognouissent.* Statim itaque post matrimonium cum Gertrude contractum, bonorum circa Visurgim sitorum possessionem adeptus est. Diploma integrum *Bardewici* datum apud Schatenium in Annalibus Paderbornensibus extat. Anno vero 1134. etiam Brunsuicum & eo spectantem ditionem a socero accepit, qui pro hisce Gertrudi Comiti Palatinae, sorori Richenzae Imperatricis nunc alia alibi latifundia dederat, vti illud apparet ex diplomate Lotharii Goslariae hoc anno dato & a Maxime Reuerendo Rehtmeiero in Antiquitat. Eccles. Brunsuicensibus edito, quo fundationem Monasterii S. Aegidii confirmat. (Probat. N. LXVII.) Versio quidem ea tantum est Germanica vetus; authenticum tamen in Archiuio Monasterii Aegidiani nostra aetate adhuc extitisse, sed ab Illustri quondam Viro Probstio de Wendhusen, Primario Status Ministro, cum aliis pluribus diplomatibus, quod dolendum, inde ablatum, nec redditum fuisse, ipsi coram cognouimus. (iii)

§. 17.

Henricus post haec e Saxonia in Sueuiam vertit, antequam autem Saxonia excederet, Caesar Buxtehudae Anno 1135. Ministerialibus Wildeshusensis Ecclesiae priuilegia confirmauit, quae tempore *Magni* Saxoniae Ducis habuerunt, eosque per omnia pares esse voluit Ministerialibus *Ducis Henrici*, generi sui, qua Ducis Saxoniae. Diploma ipsum nos in Genealogia Principum superioris Saxoniae edidimus, vnde illud iam repetimus (Probat. N. LXIX.) Lotharius Imperator etiam cum exercitu in Sueuiam properauit, vt Friderici & Conradi motibus obicem poneret, sed antequam eo adueniret Henricus noster Anticaesari Vlmam eripuit, Fridericumque Ducem coëgit, vt Lothario Anno 1135. supplex fieret, Annalista Saxone teste; qui addit postea quoque *Conradum Regii nominis vsurpatorem fratrem Friderici Ducis, coronae ac totius regalis ornamenti oblitum, ab excommunicatione Mulenhusae post Festum S. Michaëlis absolutum, ac deinde per intercessionem Imperatricis Caesaris pedibus prouolutum, gratiam illius promeritum fuisse.*

§. 18.

remedium animae nostrae, carissimaeque Coniugis nostrae RICHINZAE *Imperatricis* -- confirmamus (Probat. N. LXV.)

iii) Non facile credo viris, multa *particularia* litteraria, quae vocant, narrantibus & semetipsos primum, tum & alios decipientibus, postquam ipsi decepti sunt. Dn. Eccardus asseueranter ait, *se coram cognouisse*, quae hic scribit. Ea tamen falsa esse, alii itidem *coram cognouerunt*. Custoditur enim etiamnum Guelfferbuti autographum diplomatis Lothariani, cuius exemplum ab Illustrissimo Crammio, Serenissimi Ducis primariae dignitatis Administro, beneuole suppeditatum inter Probationes exhibeo. N. LXVIII.

§. 18.

Landulphus de S. Paulo in Chronico ea de re scribit: *Princeps Conradus altiori consilio potitus, Imperatoris Lotharii vexillifer est factus.* Godefridus Viterbiensis idem his verbis affirmat:

Regnat Lotharius, Conradus amicus habetur,
Summus & Imperii Signifer ipse fuit.
Lotharius senuit, Conradi longa iuuentus
Obtulit obsequium, sed post sene prorsus ademto,
Succedens iuuenis regia iura tulit.
Interea iuuenis Regni vexilla tenebat
Fit prior in Ducibus semper, primusque sedebat,
Hoc sibi nobilitas, dignaque forma dedit.

Helmoldus Lib. I. c. 41. Innocentium Papam pro Conrado apud Lotharium intercessisse refert: idem de S. Bernhardo Clareuallensi Otto Frisingensis Chron. Lib. VII. cap. 19. tradit. Tunc cusus est iussu Conradi primus, quem ego quidem noui, omnium numorum bracteatorum, media forma, cuius exemplar Amplissimus Schmidius Serenissimi Ducis Brunsuico-Blanckenburgensis Consiliarius Aulicus mecum beneuole communicauit, alia vero plura apud Maxime Reuerendos Viros Dn. Abbatem Schmidium & Dn. Praepositum von der Hart Helmstadii vidimus & accurate considerauimus. Sedet in eo Conradus mystace insignis in solio, mitra Ducali tectus, dextra gladium eleuatum gerens & Sceptrum Regium ad latus affixum habens, sinistra *vexillum*, nouae dignitatis insigne, tenens, & in circuitu cernitur: CVGAT corrupte pro CVNRAT; & ex aduerso latere corruptis litteris SVEV. DZ. h. e. *Sueuiae Dux.* Facies senilis ab imperito iconii artifice est.



In alium certe Conradum numus hic non quadrat, cum ille solus hoc tempore huius nominis Dux Sueuiae fuerit.

§. 19.

Anno eodem 1135. interfuit Henricus conuentui Principum Babebergensi, in quo Fridericus Dux veniam consecutus erat, vt apparet e Lotharii Imperatoris Diplomate (Probat. N. LXX.) XVI. Kal. Aprilis dato

dato & a Gewoldo Metrop. Salisburg. T. II. p. 319. edito, quo concambium quoddam Monasterii Malharstorfensis cum Ottone Praefecto Ratisbonensi confirmat. Ei enim inter caeteros subscripsit (kkk) *Heinricus Dux Bauariae.* Babenberga Noribergam discessum est, si Charta Lotharii, qua Regiam Lutteram Sanctimonialibus expulsis Monachis Ordinis Sancti Benedicti incolendam dedisse perhibetur, genuina est, (lll) quam ex vetusto Codice descriptam infra exhibemus. (Probat. N. LXXI.) Neque praetereundum hic est, eodem hoc anno Henricum nostrum Reginoburgi lapideum illum pontem, quem hodienum omnes admirantur, Danubio imponere coepisse. Opus pro ea aetate magnificum Auentinus Lib. VI. c. 3. n. 28. ita describit: *Reginoburgenses tum atque Dux Henricus Danubio pontem lapideum imposuere, qui vrbem, cum suburbano municipio, tum demum condito, quod Amhoff vocant, iungeret. Inter mirabilia Germaniae opera numeratur; quippe strues saxorum triquetrae subinde lapidibus ex fundamento cumulatae truncis arborum, & stipitum compage, veluti quodam nexu continentur. Fronte recta fluctus excipiunt, amnem morantur, qui retentus, acrius, quam si libero cursu mearet, illiditur. Spumabundus perstrepit, ingenti sonitu sermonem astantium obtundit. Quindecim fornices ingentes saxo quadrato structae, viginti pedum interuallo distantes, quae ex fundamento, vt dixi, lapidum cumulis coniecto, surgunt vtrinque, atque concameratae sunt, opus sustinent, supra quas lapide quadrato solum stratum, saxorum moles, coruis ferreis, harpagonibusque continentur, plumbo obduratae, atque oblitae. Turres in capite, meditullio, & calce erectae, pyramidum altitudinem aequant.*

§. 20.

Rogerius interea, se Regem ferens, plerasque Apuliae ciuitates inuaserat; qua re permotus, & Pontificis insuper litteris excitus Imperator cum Henrico Duce Bauariae genero suo, Conrado Duce, fratre Friderici Ducis de Sueuia, ac Conrado Marchione Saxoniae in Italiam Anno 1136. discessit. (mmm) Antequam vero e Germania moueret, Henrico Duca-

kkk) Immo Henricus Dux negotium illud confecerat, quod nunc Lotharius pro more veterum Imperatorum, qui Duces tamquam Praefectos suos habuerant, confirmat: vti ex diplomate ad oculum patet.

lll) Vt dubitem, Germanismi, tautologiae & hiantis orationis specimina, quibus scatet, faciunt. Interpolatam saltem enormiter mecum iudicabunt, qui de his iudicare poterunt. Data autem ea est Kal. Augusti MCXXXV. Indictione XIII. Regni Regis Lotharii X. Imperii tertio in Neuenberg (lego *Nurenberg.*)

mmm) Habens secum non generum solum, sed & Coniugem Richenzam Imperatricem. Ea ibi sexus sui oblita, seu potius ex more gentis Teutonicae, quae Principes foeminas ad virilia admittit officia, pro tribunali sedit, iudicia exercuit, sententias latas suo nomine signauit, signatas Sigillo muniuit, ceu

Ducatum quoque Saxoniae concessit: Helmoldus lib. I. c. 54: *His ita peractis Imperator ordinatis rebus tam Slauorum, quam Saxonum; dedit Ducatum Saxoniae Henrico genero suo, Duci Bauariae, quem etiam secum assumens parauit secundam profectionem in Italiam.* Eadem ad Annum 1136. profert fere Albertus Stadensis. Anonymus de Guelfis cespitat paulisper, (nnn) dum refert, Henricum *Ducatum Saxoniae* paulo post nuptias obtinuisse. Nec scio, quomodo sibi constent, quae de traditione *Nurenberg* (ooo) & *Gredingen*, qualem locum non noui, (ppp) habet.

§. 21.

ceu patet ex diplomatibus infra (Probat. N. LXXII. & LXXIII.) exhibitis. Quanta potestate ea sub viro vxorio Imperium rexerit, nemo clarius prodidit Anacleto Antipapa in subiecta epistola. (Probat. N. LXXIV.)

nnn) Non cespitat Historia de Guelfis, sed vera narrat, vti ex hactenus dictis patet, & praecipue ex diplomate supra allato, in quo iam Anno 1129. Ducatus, in quo pagus Hartingo situs est, & qui non alius, quam Saxonicus esse potest, vocatur Ducatus *Henrici* nostri. Quin Helmoldus potius, & qui eum exscripsit Albertus Stadensis, cespitant, traditionem Ducatus Saxonici referentes ad Annum 1136. quem tamen in Italia transegerunt Lotharius & Henricus. Immo si omnia pugnantium inter se Historicorum testimonia in censum venire sinas, non nisi cum vita Saxoniae Ducatum penitus dimisit Lotharius. Ita enim Chronicon Casinense Lib. IV. c. 126. apud Murator. Scriptor. Ital. T. IV. p. 599. *Lotharius, morbo simul & senio fessus, videns sibi iam finem vitae imminere, apud clusam Liguriae se contulerat, ibique Henricum Ducem Boioariae, generum suum, de Ducatu Saxoniae sibi heredem instituens, gemmea coeli palatia, cum Christo sine fine regnaturus, intrauit.*

ooo) Inscitiam hic profitetur Dn. Eccardus, non vt erudiatur, sed vt dicta Weingartensis Monachi suspecta reddat, vel saltem locum *corruptum* esse nobis persuadeat. Hoc animo mutat verba Anonymi, de sola *susceptione in beneficium* seu de infeudatione loquentis, & *traditionem* Noribergae immiscet; quae traditio quia tum, obsessa quidem at nondum capta Noriberga, locum habere non potuit, inde cespitasse vel errasse Anonymum de Guelfis concludit. At enimuero si Dn. Eccardo nota fuisset distinctio inter inuestituram abusiuam & realem; si sciuisset, inuestituras dari solere etiam de rebus non possessis, sed possidendis & occupandis, non adeo ipsemet cespitasset.

ppp) Haec ignorantia etiam in causa fuit, quod Scriptor. Brunsuic. T. I. p. 786. verbis Anonymi de Guelfis: *Ducatum Saxoniae, Nurenberg, Gredingen*, a Leibnitio subiiceretur nota; *Haec corrupta. An Nuenberg, Gotingen?* Quo exemplo docemur, viros doctos indoctis saepe esse indoctiores. Indocto si locus *Gredingen*, tamquam locus sibi incognitus, occurrisset, ille vel in compendium quoddam Geographicum, vel in tabulas, quibus abundamus, oculos coniecisset, & vtrobique in dioecesi Eichstadiensi, in pago Nordgauiae, ad fluuium Schwarzach seu Nigram Aquam Castrum Gredingen deprehendisset, tribus milliaribus ab Ingolstadio & Danubio dissitum. Vir doctus autem mauult ignorare, num locus huius nominis vnquam exstiterit, aut adhuc exsistat, & vbi situs sit, vt locum vetusti auctoris, qui eius mentionem facit, corruptum pronuntiare possit. Quod peccatum in Dn. Eccardo tanto minus excusationis habet, quod ipse Codicem epistolarem Vdalrici Babenbergensis non solum manuscriptum manibus triuit, sed & praelo subiecit. Hunc si perlegisset, primo perfacili opera in meliorem ordinem redegisset has epistolas; deinde, quia Anacleti & Innocentii II. Pontificum nonnullae interspersae sunt, eas vsque ad Annum 1125. pertingere non dixisset; denique antiquissimam, quae adhuc exstat, praedii Gredingin in dioecesi Eichstadensi memoriam ibi inuenisset, quae nouissimum quoque Eichstadiensem Historicum fugit. Digitum intendo in epistolam Ruperti Bambergensis Episcopi, ad Henricum IV. Imperatorem in Italia tum degentem scriptam; cui duo Bambergensis Ecclesiae Canonici obsecrationem subiecerunt, vt Imperator H. Comiti Saxoniae *praedium suum Gredingin* per Episcopum Eichstadiensem restituat, si Saxoniam pacatam velit (Probat. N. LXXV.) qua in re Episcopus sine consilio Ducis Bauariae, qui tum Welfus Fortis fuit, se nihil acturum respondit. (Probat. N. LXXVI.)

Sedit

§. 21.

Quae in hac expeditione ab *Henrico* nostro fortiter & praeclare gesta fuerint, Abbas Vrspergensis ita explicat: *Imperator mouit expeditionem in Italiam iam secunda vice: in qua expeditione praefatus Henricus Dux mille quingentos milites duxit in Italiam, & cum Imperatore in citeriore Italia Gardam & Haristallum castra cepit, quae etiam in beneficio suscepit.* Anonymus de Guelfis reliqua Henrici gesta in Italia breuiter complectitur. *Cum Imperatore*, inquiens, *in citeriore Italia Gardam & Garistallum cepit, quae in beneficio ab eo suscepit. Ibi Mediolanenses & Cremonenses, diuturnum inter se bellum habentes, coram Imperatore causam werrae exponunt.*

Sedit enim Rupertus ille ab Anno 1076. ad Annum 1102. in Cathedra Bambergensi, & is Bambergensis Episcopus fuit, quem Anno 1078. in Italiam per Bauariam ad Henricum IV. Imperatorem tendentem Welfus Fortis in itinere interceptum custodiae mandari iussit. Epistola autem ipsa Anno 1091. scripta videtur, quem Henricus in Italia transegit; & quidem e Castro Noribergensi, quia suae salutationi Rupertus salutationem Nurenbergensium adiungit. Iam quaeritur, quis ille H. Comes Saxoniae sit, cuius iuri in Gredingen tantopere patrocinantur Bambergenses. Primus, qui hic in mentem venire possit, est Henricus ille Northemii & terrarum ad Visurgim Comes, filius Ottonis olim Bauariae Ducis, quem supra per excellentiam Comitem Saxoniae vocari audiuimus. Et pro hoc pugnarem, si eum in Bauaria vel Nortgauia bona possedisse, aut appetiisse constaret, & non alius H. in Saxonia Comes tum floruisset, in quem haec omnia apprime conueniunt. Nouimus enim ex opusculo de Familia Reinhardi Halberstadiensis Episcopi Scriptor. Brunsuic. T. I. p. 703. *Mathildim*, nobilis & praediuitis Saxonici Dynastae filiam, *nupsisse cuidam Bauaro Principi, & genuisse Hermannum de Winzenburch. Hic, quia patre Bauarus fuit, domui suae, quam exstruxit, nomen de se indidit.* Vnde non male infertur, Castrum recens constructum a conditore *Beyerburgum* appellatum fuisse; licet praeualuerit vsus, id ex diruto castro *Winzenburg* appellandi. Huius igitur Hermanni Comitis Winzenburgici in Saxonia filius Hermannus is esse videtur, qui praedium *Gredingen*, quod, cum pater e Bauaria atque Nordgauia discessisset, Eichstadiensis Episcopus occupauerat, & duobus aliis militibus tradiderat, nunc repetiit. Neque dubito, quin is ille Comes Hermannus de Saxonia fuerit, qui Anno 1111. Henrico Imperatori Ecclesiam ante portam vrbis Ratisbonensis confirmanti adstitit. (Probat. N. LXXVII.) Equidem Dn. de Falckenstein in descriptione Episcopatus Eichstadiensis Part. II. p. 420. ait, Henricum IV. Imperatorem praedium Gredingen, ab Engelberto Marchione Episcopatui subtractum, Anno 1091. Vdalrico Episcopo restituisse. At sine auctore. Neque enim vel in notis, quarum alioquin foecundissimus est, vel in Codice diplomatico Eichstadiensi quidquam adfert, quo factum hoc probari possit. Ex eo autem, quod Episcopus sine Ducis Bauariae consilio ea in re se quidquam acturum negat, manifestum fit, Ducis Bauariae interfuisse, quem Dominum praedium Gredingen haberet. Fieri enim potuit, vt Imperator id bonis Imperii, Dux Bauariae autem Ducatui Bauarico accenseret. Huius litis iam post exstinctam Henricorum familiam componendae melior modus non occurrebat, quam vt nouus Imperator, iure suo vsus, praedium Gredingen Duci Bauariae in beneficium conferret, commeatui, vt supra diximus, a Danubio Noribergam perutile. Quos post proscriptionem Henrici Dominos, quae fata, Gredingen habuerit, Eichstadiensis Historicus commemorare non potuit. Episcopos ei semper inhiasse credibile; at olim iam possedisse non probabile est; licet Henricus VII. id Anno 1311. Episcopo Philippo de nouo, vt inquit, donauerit. Versatum enim est in priuatorum manibus vsque ad Annum 1375. quo Ludouicus Schenckius, Dns. de Gredingen, Castrum suum Gredingen Rabano Episcopo vendidit. Venditionis instrumentum habet Codex diplomaticus Eichstadiensis p. 209.

Cremonenses ergò a Principibus Italiae hostes iudicantur, proscriptique discedunt: quos ipse subsecutus territoria eorum ac villas seu Castella destruxit. Indeque Papiam veniens, ciues illos pactione pecuniae in gratiam suscepit. Ibi & Otto Comes de Wolferatenhausen vita priuatus occubuit. Bononienses quoque & Emilienses supplices, Duce interueniente, recepit. Post vsque ad Taurinum progrediens, totam citeriorem Italiam sine ferro subegit. Inde ad Pennunum transiens Imperator Anchonam, Spoletum, cum aliis vrbibus seu Castellis vlterioris Italiae in deditionem accepit. Deinde contra Rogerium aciem dirigens Campaniam & Apuliam peragrauit. Porro Heinricus noster per Tusciam exercitum duxit, quam etiam ab Imperatore beneficio obtinuit: Romamque veniens Summo Pontifici Innocentio vsque ad Imperatorem conductum praebuit. Suburbia Albae ciuitatis sibi resistere nitentis expugnauit ac destruxit. Beneuentum cepit, ac Papae restituit. Imperatori non longe a Barra cum Summo Pontifice obuiam venit, ibique Castrum quoddam, vbi praesidia Rogerii fuerant, artificiose valde expugnauit, militesque in eo repertos, & praecipue Sarracenos, patibulo suspendit. Post eiecto de Campania & Apulia Rogerio, Reginaldo vero, viro forti ac nobili, Ducatu Apuliae commisso de reditu disponunt.

§. 22.

Tusciam Henricus *Ducis* titulo accepit; (qqq) sed dubito, an in reditu. Vidimus supra in fine Libri III. Marchionem Tusciae fuisse *Albertum* Salicum, nec remotus ille, cum Pontifex Innocentius Patrimonium Mathildis Lothario eiusque genero Henrico cederet, sed vtrisque obnoxius & subditus conseruatus est. Hic enim est *Marchio*, quem Annalista Saxo *Eggelbertum* vocat, atque ab Henrico Duce in Italiam veniente, *cum a suis pulsus esset*, restitutum dicit, deuicto *in planitie Musellae Widone Comite, eidem Marchioni rebellante.* Wido hic forsan ex Familia Pallauicina fuit, & putauit, non amplius parendum homini, qui a Pontifice in Marchiam Tusciae intrusus fuisset, cum illa alium dominum nacta esset. Sed lubet Henrici nostri expeditionem Tuscicam ipsis Annalistae verbis referre: *Interea*, ait, *Henricus Dux, quem superius diximus a Cassan causa Eggelberti Marchionis ab Imperatore directum, veniens in planitiem Musellae Widonem Comitem eidem Marchioni rebellantem, deuicit, & destructis tribus eius Castellis, ipsum domino suo reconciliari coëgit, sicque cum ipso Florentiam adiens obsedit & ad deditionem compulit, ac eiusdem*

qqq) Contrarium apparet ex eius diplomatibus. (Probat N. LXXVIII. & LXXIX.) Neque obstat, quod alii Tusciae Marchiones memorentur. Hi enim, vt ante Pontificis, sic nunc Henrici, qui ipse praesens in Tuscia habitare non poterat, Vicarii Marchiones fuisse videntur.

dem ciuitatis Episcopum iniuste expulsum Sedi suae restituit. Vnde transiens Pistoriam venit ad Sanctum Genesium, eiusque incolas, sed & Wicik Castelli rebellantes, expugnando subdidit, turrimque Capian destruxit, domicilium scilicet latronum & transeuntes iniuste expoliantium. Inde duro & aspero itinere multis amissis laboriose Lukkam adire temptauit, quam & obsidere parauit; sed mediantibus quibusdam Episcopis & Abbate Clareuallensi (rrr) *data magna pecunia Ducem placauerunt, cogente etiam ad hoc eos timore Pisensium, suorum videlicet aduersariorum, quos modo inuenta opportunitate audierant petere Ducis auxilium ad destructionem sui & Montis Sanctae Mariae, in quo se refugium habere sperabant.* Annalista quoque hic, vt & praesentes expeditioni Lotharianae Petrus Diaconus Hist. Casin. Lib. IV, & Falco in Chronico Beneuentano distinctius singula Henrici fortiter nunc gesta & captionem Capuae, Beneuenti, Troiae aliorumque locorum, recensent.

§. 23.

Cum in Veronensem Episcopatum rediisset Imperator, Canonici Veronenses curtis Ceretae possessionem ab eo petierunt, & impetrarunt, praesentibus tunc *in loco, qui dicitur Isola Ceuese, Duce Chonrado, & Duce Henrico, & Archi Episcopo Magdeburgensi, & Aicardo Subcancellario, & Duce de Carentana*, aliisque, vt ex Diplomate hoc anno dato, & apud Vghellum T.V. Ital. Sacr. pag. 678. & 710. euulgato, (Probat. N. LXXX.) cernere licet. Tunc forte Henricus Dux quoque iuri suo, quod ab Azone in illam Curtem habere sibi videri poterat, in gratiam Canonicorum renunciauit. Imperatore in Liguria haerente, Guibaldus Abbas Casinensis (sss) per litteras nunciauit, Rogerium omnia, quae amiserat, recuperasse: *Sed*, inquit Petrus Diaconus Lib. IV. c. 127. *nihil auxilii*

 referre

rrr) S. Bernhardo, qui potissimum Engelbertum illum Marchionem, de statione sua deiectum Pisanis studiose commendauit per epistolam, quae legitur Oper. T.II. ep. 130. Errauit igitur magnopere Becmannus Histor. Anhalt. vbi per hanc epistolam Albertum Marchionem, quem vulgo Vrsum appellamus, Pisanis commendatum putat, simulque vt id nobis persuadeat, nomen Engelberti, quod apud Bernhardum est, mutat in Adelbertum. Interim & Adelbertum Marchionem huic expeditioni, & praesertim obsidioni vrbis Salernitanae cum Henrico Duce interfuisse, testatur Annalista Saxo p. 678.

sss) In Germania Wiboldus, Wicbaldus, Wicholdus, quod idem est ac notius Guidobaldus, appellatus; Stabulensis etiam & Corbeiensis ad Visurgim, Casini autem tantummodo per paucos dies Abbas, quippe recedente Caesare & redeunte Rogerio, cuius minas verebatur, noctu clam Casino elapsus, & in Germaniam reuersus, vir saecularibus negotiis plus quam Abbatem decebat, immersus, & praeterea sanguinolentus. Exstat in Monasterio Stabulensi Codex eius epistolaris, Codice Vdalrici Babenbergensis vix inferior, quo continentur res in Imperio vltimis Conradi III. annis gestae, quarum pars magna Wibaldus ipse fuit, & de quibus vulgaria Chronica nostra silent. Vnde praeclare de republica meruere, Martenaeus & Durandus, qui hunc Codicem amplissimae suae Collectioni monumentorum medii aeui inseruerunt: quo nihil facere potuerunt gratius.

referre potuit. Nam idem Imperator morbo simul fessus ac senio, finem dierum iamiam sibi imminere conspiciens, apud Clusam Liguriae se contulerat: ibique Henricum Ducem Bauariae, generum suum, Saxoniae haeredem sibi constituens, gemmea coeli palatia cum Christo sine fine regnaturus intrauit. Hic ergo reliqua omnia Lotharii in Saxonia bona adeptus est Henricus. Petrus Diaconus errat, dum Lotharium Moguntiae sepultum tradit. Rectius Anonymus de Guelfis: *Igitur de Italia per Tridentinam vallem redientes, Imperator morbo correptus in silua, quae est inter Oenum & Licum, sub vilissima casa, XIII. Regni sui anno, diem obiit; ac inde per Augustam & Orientalem Franciam in Saxoniam portatus in Monasterio Luther honorifice sepelitur.* Consentit cum his Chronicon Montis Sereni: *Imperator*, aiens, *apud Bredinam villam*, (ttt) *in faucibus Alpium constitutam II. Non. Decembris obiit. Corpus eius in Saxoniam relatum Luttere sepultum est.* Chronographus Saxo: *Imperator Tridentinam veniens, festum S. Martini celebrat gaudens, & ibidem infirmari coepit. Dum vero cottidie languor ingrauesceret, nec ob hoc iter suum intermisisset, tandem praeualente mortali infirmitate apud Breduwam villam, in faucibus Alpium constitutam, II. Nonas Decembris a seculo migrauit.* (uuu) *Corpus eius in Saxoniam perlatum, in sua propria Abbatia, quae Luttere nominatur, terrae commendatum est.* Addantur testimonia Annalistae Saxonis & Annalium Hildeshemensium, additionumque ad Lambertum Schafnaburgensem.

§. 24.

Iacet igitur in Regio-Lutherana Ecclesia in regione Brunsuicensi haud procul Helmstadio, vbi ante haec tempora floruit quaedam Sanctimonialium Canonicarum congregatio. Hanc in Monasterium virorum Ordinis S. Benedicti mutarunt Lotharius & Richenza, Anno 1135. primis in fundamento lapidibus positis, eoque deducto ex S. Iohannis Magdeburgico

ttt) Seu *Breduwam* villam, quam Chronographus Saxo vocat. Sita ea esse dicitur *in silua quae est inter Oenum & Lycum, in finibus Henrici Ducis, in faucibus Alpium.* Villa ibi huius nominis hodie non superest, nisi nomen eius perperam scriptum putes, & hodiernum Partenkirchen intelligas. Partenkircha enim ibi est, vbi *fauces Alpium* sunt *inter Oenum & Lycum:* ibi quoque *silua* illa Scherezerwald; de qua supra dixisse Dn. Eccardum meminimus. Obiit itaque Lotharius in vicinia Vallis Etichonis & Ambergauiae, vbi proximus priorum Welforum prosator cum sociis sepultus iacet.

uuu) Non autem centesimum tum aetatis annum attigerat Lotharius, quod affirmare videtur Chronicon Casin. L. IV. c. 124. apud Murator. Scriptor. Ital. T. IV. p. 597. verbis: *cum iam ad grandaeuam*, centenariam scilicet, *dierum suorum peruenisset aetatem;* sed annos habuit non nisi sexaginta tres: natus quippe Anno 1075. paucis diebus ante praelium Vnstrutense, quo pater eius occisus est, teste Mariano Scoto ad hunc annum. Vnde verba *centenariam scilicet*, quibus nugator quidam grandaeuam Lotharii aetatem in Chron. Casin. explicare in margine forsan sustinuit, Petro Diacono, huius libri auctori, non tribuenda esse existimo, qui Lotharii scriba & familiaris fuit, adeoque vel ex solo aspectu iudicare poterat, senem capularem eum non fuisse.

burgico Conuentu primo Abbate Eberhardo cum nonnullis sodalibus, teste Annalista Saxone p. 668. Vnde facile apparet ratio nominis, loco & Monasterio inditi. Hodiedum adhuc illud superest, Abbatem vt plurimum habens e collegio Theologorum Helmstadiensis Academiae. In eadem etiam Ecclesia vxoris eius Richenzae & generi Henrici Magnanimi sepulchra fuerunt. Sed ruina tecti olim lapides sepulchrales comminuti sunt. Partem inde vidimus adhuc, quae referebat inferiorem partem corporis Henrici Ducis, qui gladium ad latus inclinatum habuerat. Ipso sepulchro Anno 1618. aperto, inuenta est tabula plumbea, quam nos quoque ibi in camera Domini Abbatis vidimus, & cuius iam olim in Chron. Lib. VII. c. 20. meminit Otto Frisingensis, (xxx) cum hoc Lotharii Imperatoris elogio; LOTHARIVS DIGRA ROMANORVM IMPERATOR AVGVSTVS REGNAVIT ANNOS XII. MENSES III. DIES XII. OBIIT AVTEM III. NONAS DECEMBRIS VIR IN XPO FIDELISSIMVS VERAX CONSTANS PACIFICVS MILES IMPERTERRITVS REDIENS AB APVLIA SARRACENIS OCCISIS ET EIECTIS. Mirum, hic Sarracenos vocari Rogerium eiusque Normannos. (yyy) Imperator de caetero in sepulchro inuentus est iacens dextra gladium, fini-

xxx) Dubium, an Otto Frisingensis hanc tabulam intelligat, quia de pluribus loquitur, & tam amplis, vt actus eius omnes inscriptos caperent. En verba eius: *Actusque eius* (Lotharii) *vt nulla possent aboleri obliuione, in plumbeis laminis descripti, iuxta eum reconduntur.* Capite autem praecedenti 19. dixerat: *Lotharius Augustus tam fortia in Apulia ac Campania gessit, vt nullus e Francorum Regibus a Carolo M. vsque ad id temporis tanta ibi fecisse inueniatur.* Haec certe tanta ac talia vna tabula non capit. Forsan quae pluribus laminis ab initio descripta erant, postea contracta sunt in hanc vnam. Forsan & haec ipsa Ottonis verba occasionem dederunt formandae huic tabulae; licet non ad mentem Ottonis effigiatae. Timidior in adhibenda vetustis monumentis sepulchralibus fide factus sum, ex quo veterum Marchionum Misnensium conditorium in Monte Sereno, & delineationes Reiherianas Reinhardsbronnenses veterum Thuringiae Landgrauiorum & aliorum conditoriorum vidi, vbi solus aspectus lapidum, & apposita vbique gentilitia recentioris aeui insignia, & litterarum adscriptarum eadem vbique figura, me docuerunt, vno & eodem tempore, ab vno eodemque opifice ea monumenta cuiusque conditorii omnia fuisse posita, cum vltimo primum & primum vltimo per omnia sit simile. Neque vero tam huiusmodi monumentorum structores, quam falsorum diplomatum fabricatores rudioribus saeculis tantum solertiae habuerunt, vt omnino fallere possint, qui oculos habent, & oculis vti didicerunt.


yyy) Non Rogerius & eius Normanni hic nominantur, quippe qui neque occisi, neque eiecti fuere ex Apulia; sed Sarraceni, quos Rogerius in Apulia tolerauerat, quosue bello vtiles contra Lotharium eduxerat; qui idcirco ipsemet ab Annalista Saxone p. 677. *semipaganus tyrannus* appellatur. Hos vbique deprehensos, quia a sacris Christianorum alieni erant, tamquam vita indignos, ignominiosa patibuli morte affici iussit Lotharius, & sic Prouinciam his malis hominibus purgauit: quam purgationem piissimi ac christianissimi Caesaris amici omni triumpho potiorem habuerunt, tituloque loco sepulcro inscripserunt. Quamquam ne sic quidem penitus hac ab peste purgata Prouincia est. Deprehendimus enim ibi Sarracenorum magnam copiam sub Friderico II. Imperatore, qui ipsis Nuceriam potissimum inhabitandam dedit.

ſiniſtra tenens pomum Imperiale cruciferum ex plumbo deauratum, id quod ibidem ipſi inſpeximus. Dn. Rehtmeyerus meminit, extitiſſe in manu defuncti ſiniſtra ſcatulam deauratam, in qua hoſtiae conſecratae olim aſſeruatae, & in hac repoſitos fuiſſe digitos manus dextrae. Sed erroneum hoc eſt; patena enim argentea fuit & cum calice eiusdem metalli in ſarcophago iacuit; patenae crux inſculpta cum manu & verbis: PATRIS DEXTERA SVM MEI. Omnia haec ad Letzneri Deſcriptionem Regiae Lutherae aeri incidi fecit Maxime Reuerendus Dn. Fabritius Abbas, qui & noſtro tempore monumentum glorioſiſſimo Imperatori marmoreum poni curauit. Nos cum Anno 1722. omnia coram inſpiceremus, ſingula in ſepulchro eius reperta accurate delineari & aeri deinde incidi fecimus, calice & patena exceptis, quae non amplius reperiebantur, a b. m. Friderico Vlrico Calixto Abbate tamen in ſcheda depictis. Petri Diaconi verba conſolatoria ad Richenzam Auguſtam de morte Lotharii Imperatoris eius coniugis extare in antiquitus ſcripto Codice Caſinate Baronius ad An. 1138. n. 13. teſtatur. (zzz)

§. 25.


Defuncto itaque Lothario Henricus ad Regnum aſpirabat, & hac de cauſa ornamenta Regalia ſecum retinebat. Otto Friſingenſis Lib. VII. c. 20: *Regalia Dux Henricus gener eius, in cuius finibus obierat, accepit.* Anonymus de Guelfis: *Dux ergo Heinricus, gener eius, in cuius finibus obierat, Regalia reſeruauit, vt generali Conuentu Principum, qui in proximo Pentecoſtes Moguncia condictus fuerat, praeſentaret. Quidam autem ex Principibus, timentes, ne forte in generali Curia Heinricus Dux, qui tunc praecipui & nominis & dignitatis in Regno fuit, per potentiam praeualeret, circa mediam Quadrageſimam conſilio habito in oppido Rheni Confluentia conuentum celebrant, ibique Cunradum fratrem Friderici, de quo ſupra diximus, praeſente Theodwino Epiſcopo Cardinali, Regem creant.* Eadem fere Otto Friſingenſis Lib. VII. c. 22. habet. Eſt autem, id in hac Anonymi de Guelfis narratione valde memorabile, quod *Conradum praeſente Theodwino Epiſcopo Cardinali Regem creatum* dixerit, nec fruſtra notauerit, Legatum Pontificium huius electionis auctorem & fautorem; Summi Pontificis ac totius populi Romani vrbiumque Italiae aſſenſum, teſte Ottone Friſingenſi, promittentem; idque ex praeſumto Pontificis mandato. Quod incredibile videri poſſet perpendentibus, quae & quanta Lotharius & Henricus pro eius Domino fecerunt, quem Sedi Apoſtolicae reſti-

zzz) Hanc inde a Io. Mabillonio deſcriptam primus typis dedit Martenaeus, ex quo eam repetimus. (Probat. N. LXXXI.)


LOTHARIVS DĪ GRA
ROMANORV̄ IMPERA
TOR AVGVSTVS.
REGNAVIT ANNOS
XII. MENSES. III. DI
ES. XII. OBIIT. AVTEM
II. NONAS. DECEM
BRIS. VIR IN XP̄O FIDELIS
SIMꝰ. VERAX. CONSTĀS. PA
CIFICVS. MILES IMꝑTERRITVS.
REDIENS. AB APVLIA. SAR
RACENIS. OCCISIS. ET. E
IECTIS.









restitutum in ea pro viribus conseruarunt. Vixit enim adhuc dum Innocentius II. tanto ab his beneficio affectus. Sed aula Romana semper est eadem. Vela eo tendit, vnde liberior & gratior aura adspirare solet. Oblitteratis acceptis beneficiis veteres amicitias spernere, nouas ambire atque amplecti parata. Toti enim orbi notum est, quod Vrspergensis de Guelfica Familia scribit p. 209. *Haec inclyta fuit & nobilissima, & Deo semper deuota, Romanaeque Ecclesiae semper assistens, Imperatoribus saepe resistens.* Appropinquabat autem tempus, quo Patrimonium Mathildis ex pacto ad Ecclesiam redire debebat. Henrico ad Imperium euecto spes eius recuperandi nulla erat, Guelfis, quae semel in manibus habent, non facile e manibus dimittere solitis. Quaerendus ergo Imperator erat, qui Henricum non solum ad restitutionem terrae Mathildis adstringeret; sed etiam opibus & potentia Sedi Apostolicae nimium grauis non esset. Prius Conradus statim ab initio prodidit, ab Henrico requirens restitutionem terrae Mathildis; licet ex pacto non sibi solum, quoad viueret, sed etiam ab obitu Gertrudi Coniugi debitae. Posterius facile effectum est elicito voto pro peregrinatione in Terram Sanctam, quod Conradus ante iam fecerat, cum dominante Lothario Imperatore res eius admodum afflictae essent. Huius voti nunc admonitus, non qua priuatus, sed qua Imperator iusto cum exercitu in Orientem ablegatus, reliquis Regibus & Successoribus exemplum praebuit, viamque Pontificibus ostendit, qua Principum animi a curis domesticis auerti, vires Imperii inter inutilia armorum exercitia in exteris oris concidi, & Romanae Sedis auctoritas non solum per Italiam, sed etiam per orbem omnem Christianum nemine repugnante stabiliri posset. Atque hoc votum in caussa fuit, quod praeterito fratre natu maiore, minor electus est maioribus praeterea & corporis & animi viribus instructus.

§. 26.

Interim Richenza, Imperatrix vidua, in fauorem Henrici quidem Quedlinburgi conuentum Saxonum indixerat, vt Annalista Saxo perhibet, sine dubio vt genero suo Ducatum Saxoniae firmaret, & de electione eius in Regem tractaret: Sed impeditus is est ab Alberto Marchione, cognomento Vrso, qui matris Eilicae causa statim post obitum Lotharii Ducatum Saxoniae sibi deberi, asserebat, quod inauditum esset ab vno Principe duos Ducatus teneri, & ipse etiam Magnum Ducem auum haberet. Conradus Rex factus, memor iniuriae ab Henrico olim acceptae, Alber-

tum ea in opinione sustinebat, vt ex Helmoldi Lib. I. c. 54. intelligimus, vbi: *Statim*, inquit, *vt corpus defuncti Caesaris perlatum est in Saxoniam & Lutterae tumulatum, ortae sunt seditiones inter Henricum Regis generum & Adelbertum Marchionem, contendentium propter Ducatum Saxoniae. Conradus autem Rex in solium Regni leuatus, Adalbertum in Ducatu firmare nisus est, iniustum esse perhibens, quenquam Principum duos tenere Ducatus.* Non hic recordabatur Conradus Rex, ante haec tempora duorum Ducatuum possessionem nunquam iniustam visam. Otto Dux & Henricus Auceps eius filius Ducatum Saxoniae & Thuringorum coniunxerant olim. Otto Dux, Ludolfi & Idae filius, Anno 982. mortuus possederat Sueuiae & Bauariae Ducatum. Conradus Ottonis Magni gener Lotharingiam & Franciam moderatus erat. Herimannus Ducatum Sueuiae & Alsatiae tenuerat, Anno 1004. defunctus. Henricus minor circa An. 989. Dux Bauariae & Carentanorum fuerat, vt alia exempla taceamus. Et nemo his controuersiam mouerat, aut dixerat, possessionem duorum Ducatuum iniustam vel moribus Germaniae aduersam esse.

§. 27.

Henricus interim, vt Anonymus de Guelfis ait, *& Saxones aliique, qui electioni* Conradi *non interfuerant, Regem non legitime, sed per surreptionem electum calumniabantur. Quibus omnibus in proximo Pentecostes generalis Curia Babinberch indicitur. Quo Saxones omnes simul cum viduata Imperatrice Richinza venientes, vltro se Conrado Regi subdidere. Heinricus Dux Regalia seruans aberat, ad quae reddenda in festo Apostolorum Petri & Pauli dies ei Ratisponae, in breui post Augustae, describitur: Quo ex condicto, assumptis fidelibus suis & milite non modico, venit; ac super Licum ex opposito ciuitatis, Rege ciuitatem tenente, castra posuit. Internuncii autem ac mediatores ad hanc causam praenominati, per triduum huc ac illuc saepius transmeantes nihil profecerunt. Rex enim non aliter compositionem fieri voluit, nisi Dux quaedam de his, quae a Lothario Imperatore susceperat ac possederat, resignaret. Quod cum Dux renuisset, ac se potius dubiae sorti supponi elegisset, colloquium infecto pacis negocio dissolutum est. Rex ergo metuens aliquid in se machinari, dum peracta coena cubitum se ire simularet, abductis clam equitaturis cum paucis, nulli de Principibus valedicens, exiuit, ac militem suum reliquum in magno discrimine relinquens, Herbipolim peruenit. Ibi iudicio quorundam Principum Dux proscribitur, Ducatusque ei abiudicatur. Dux ergo in subsequenti die post egressum Regis de Augusta, suis, prout poterat, probe dispo-*

dispositis, non multis comitatus in Saxoniam properat. Inter ea, quae Conradus volebat, vt sibi ab Henrico cederentur, fuisse & Tusciam Auentino facile credo.

§. 28.

Sic inimici, quos in expeditione Italica elatior sibi fecerat, tandem eius casum procurarunt. Herbipoli enim constitutus Conradus, eidem Henrico quoque *Ducatum Saxoniae* abstulit, eumque *Alberto Marchioni* tradidit; *Bauaricum* vero *Leopoldo*, Leopoldi Austriae Marchionis filio, fratri suo vterino, concessit. Anonymus de Guelfis: *Ibi* [Herbipoli] *iudicio quorundam Principum Dux proscribitur, Ducatusque ei abiudicatur. Dux ergo in subsequenti die post egressum Regis de Augusta, suis, prout poterat, probe dispositis, non multis comitatus in Saxoniam properat. Et Rex Ducatum Saxoniae Alberto Marchioni, consobrino eiusdem Ducis; Noricum vero post in Bauariam veniens, Leopoldo, filio Leopoldi Marchionis, fratri suo ex parte matris, tradidit.* Otto Frisingensis Chron. Lib. VII. c. 23. eadem repetit & addit: *ac proxima natiuitate Domini in Palatio Goslariensi Ducatus ei abiudicatur. Et mirum dictu, Princeps ante potentissimus, & cuius potentia (vt ipse gloriabatur) a mari vsque ad mare, id est, a Dania vsque in Siciliam extendebatur, in tantam in breui calamitatem venit, vt pene omnibus fidelibus & amicis suis in Baioaria a se deficientibus, clam inde* [Augustae] *egressus, quatuor tantum comitatus sociis, in Saxoniam veniret.*

§. 29.

Bauaria tamen, Sueuia & Saxonia adhuc plena erat amicorum eius; & Richenza Imperatrix, magnae potentiae foemina, omnem lapidem pro salute ipsius commouebat. Vnde Albertus, quamuis Saxoniam inuasisset, hoc minime impune tulit. Anonymus de Guelfis: *Heinricus ergo Dux Saxoniam ingressus, cum casum & miserias suas fidelibus & amicis suis exponeret, ad rebellandum eos Imperatori & Alberto excitauit. Inde in breui eundem Albertum, auxilio eorum, nec non & suorum, qui de Bauaria & Sueuia eum insecuti sub specie peregrinationis, terram intrauerant, adeo humiliauit, vt castris eius dirutis, terris circumquaque vastatis, ad Regem auxilii gratia ire compelleret.* Annalista Saxo indicat, Anno 1139. in partes Henrici, commotos praesertim a Richenza, concessisse *Conradum Marchionem, Fridericum Palatinum Comitem, Sifridum Comitem de Staden, & Conradum Archi Episcopum Magdeburgensem;* & pergit deinde: *Ita crescente odio propinquorum Heinrici & Adalberti,*

quorum vnus Dux in Bauaria, pro desponsatione filiae Lotharii Imperatoris etiam Saxoniae ab eo Ducatum acceperat, alter eum auito beneficii iure vindicans apud Conradum Regem obtinuerat, Saxonia alterno foedata litigio; sed Henricus militari copia praeualens Adelberto ciuitates eius & castella expugnans deleuit. Rex vero ipse Saxoniae hostili manu imminebat. Qui Principes, Episcopi, Abbates & Comites in eius exercitu fuerint, subiecta Charta (Probat. N. LXXXII.) ostendit, data *Hersfeldiae* in Hassia *in expeditione, quam habuit Rex aduersus Saxones Anno Dominicae incarnationis* 1139. *Indictione II. anno vero Regni eius secundo.* Primi inter eos fuere Leopoldus Austriacus, cui Bauariam, & Albertus Vrsus, cui Saxoniae Ducatum destinauerat Conradus: quarum prouinciarum dignitatumque titulos ipsorum nominibus in hoc diplomate subscriptos intuemur. Sed his omnibus fortiter obuiam itum est ab Henrico & Principibus confoederatis; Episcoporum tamen interuentu induciae tandem placuere. Chronographus Saxo: *Appropinquante festiuitate Assumptionis S. Mariae Conradus Archi Episcopus cum Duce* [Henrico] *& praedictis Principibus apud Cruciburch contra Regem conuenit, qui Saxoniam deuastare summis viribus conabatur: Ibi facta per internuncios conuentione pax firmata est vsque ad condictum tempus.* Annalista Saxo eadem pene habet, sed adiungit, *Episcopos, qui perplures illo cum Rege venissent, pugnaturis impedimento fuisse*, & inducias fecisse inter vtramque partem.

§. 30.

Conuentus hoc eodem Anno 1139. mox Quedlinburgi indictus, quo Henricus nullius culpae sibi conscius properauit quidem, sed inopinato ibi vitam cum morte commutauit. Chronographus Saxo: *Deinde facto colloquio in Quidelingaburch, Heinricus nobilissimus atque probissimus Dux Bauariorum atque Saxonum veneficio ibidem* [*vt fertur*, addit Annalista Saxo] *infectus XIII. Kl. Nouembr. vitam finiuit. Corpus eius Lutterae ad dextram Lotharii Imperatoris positum est.* Chronicon Montis Sereni: *Henricus Dux Bauarorum & Saxonum veneno occisus est XIII. Kal. Nouembris & Lutter iuxta Luderum Imperatorem sepultus est.* Aliorum plurium Auctorum de morte eius verba praetereo, addens solummodo Ottonis Frisingensis verba, quae etiam apud Anonymum de Guelfis extant, & indicant, Henricum, Saxonia ab Alberti inuasione liberata, de Bauaria quoque sibi repetenda cogitasse. *Leopoldus*, inquit, *Marchio suscepto a Rege Ducatu Norico, omnibus pene Baronibus ad eum pertinentibus, amoreque seu terrore vltro ad eum confluentibus, primo Metropolim ac Sedem Ducatus, Ratisponam, ditioni suae subdidit. Post collecto milite copioso, totam*

Tab. IX. ad p. 357.



Henricus Dux Bavariæ & Saxoniæ, dictus Superbus.

totam Baioariam pertransiens in ipso eius termino iuxta Licum fluuium, contra vrbem Augustensem negotia terrae per triduum tractans, strenui iudicis officium exercuit. Ea tempestate Henricus Dux, dum in Saxonia Albertum Marchionem sibi rebellantem in tantum humiliasset, vt castris eius dirutis, terris circumquaque vastatis, ad Regem auxilii gratia ire compulisset, omnibusque suis ibidem rite dispositis, iam in Boioariam ire proposuisset, morbo correptus, diem clausit extremum, ac in Monasterio Luter iuxta socerum humatur. Male autem de Henrico meriti sunt veteres Annalistae & Historici, qui tanti Principis diem aut annum natalem annotare, vel quo aetatis anno decesserit, commemorare neglexerunt, cum in rebus minoribus recensendis tam diligentes ac saepe nimii fuerint. Interim tamen si coniecturis aliquid dandum, in flore aetatis diem is supremum obiisse videtur. Anno enim 1123. arma sumsisse dicitur, quae caerimonia sicuti in aliis Principum filiis, ita etiam apud nostrum Henricum procul dubio indicium aetatis legitimae fuit. Hoc vero posito, Henricus Anno 1102. natus, & Anno 1139. defunctus, vixerit annos non plus quam triginta septem. Decessit autem (aaaa) relicto non nisi vnico filiolo, Serenissimae stirpis propagatore felicissimo, cuius tamen altera generatio iterum redacta est ad puerulum vnicum, nouissimae gentis conditorem foecundissimum.

§. 31.

Nos ex vetusta pictura Coenobii Weingartensis Henrici nostri in vtraque fortuna *Magnanimi* imaginem aeri incidendam curauimus, eamque Lectorum oculis in auersa pagina subiicimus. Caeterum insigne est elogium, quo illum Otto Frisingensis, Leopoldi Ducis frater, & Conradi Regis frater vterinus, Lib. I. de Gestis Friderici cap. 19. mactauit, & virtutem etiam in hoste veneratus est. *Erat*, inquit, *natione Alemannus, ex antiqua & nobilissima Guelforum Familia originem trahens, ac per hoc multas possessiones ex ea parte, qua Pyrenaeos montes attingit Alemannia, iure haereditario habens: vir per omnia laudabilis, tam animi, quam generis nobilitate insignis.* Ex eo vero, quod

 natione

aaaa) De reliquo Richenza Imperatrix generi praematurum obitum lugens nouam a Petro Diacono consolatoriam epistolam nacta est, (Probat. N. LXXXIII.) ipsa paullo post lugenda. Decessit enim A. 1141. teste Chronographo Saxone, Chronico Montis Sereni, cum caeteris; & quidem *IV. Idus Iunii*, quem diem habet Necrologium Mollenbeccense apud Schannat Vindem. I. p. 140. Quod viuens illa de traducendis in Vellensheimense virginum Coenobium Monachis Corbeiensibus mandauerat, altero post obitum anno demum exsecutus est Thietmarus Verdensis Episcopus, qui Sifridum, Monachum Corbeiensem, primum ibi Abbatem instituit. (Probat. N. LXXXIV.) Post annum tamen duodecimum a suis eiectum, & Romam recuperandi Monasterii caussa profectum. (Probat. N. LXXXV. & LXXXVI.)

natione Alemannus hic dicitur Henricus, concludendum est, eum ab auita *lege Longobardorum* recessisse, *legemque Alemannorum* suscepisse, qua & postea filius eius *Henricus Leo* iudicari voluit.

§. 32.

GERTRVDIS Lotharii Imperatoris filia, & vxor Henrici Magnanimi post obitum mariti Ducatum Saxoniae strenue gubernauit & a Marcholfo Archi Episcopo Moguntino in diplomate pro Coenobio Fridessela Anno 1141. dato *totius Saxoniae Ducissa* vocatur (Probat. N. LXXXVII.) in alio diplomate apud Lindenbrogium Script. Septentr. p. 153. itidem Ducissae Saxoniae elogio mactatur (Probat. N. LXXXVIII.) Nam qua mater & tutrix filioli vnici tum Saxoniam regebat. Et cum Leopoldus, suae Familiae Dux Bauariae primus, (bbbb) decessisset, Anno 1142. nupsit Henrico fratri Leopoldi, & hoc quidem suasu Conradi Imperatoris, qui hac via possessionem Ducatus Henrico Austriaco tutiorem reddere cupiebat. Otto Frisingensis Lib. VII. Chron. cap. 26. *Non multo post Saxoniam ingressus, data in vxorem vidua Ducis Henrici, Lotharii Imperatoris filia, fratri suo Henrico Marchioni, pacem cum Saxonibus fecit, eidemque Marchioni Noricum Ducatum, quem, consilio matris, Ducis Henrici filio iam abdicauerat, concessit. Quae res in terra nostra maximae discordiae seminarium fuit.* Addatur his Chronicon Australe ad Anno 1142. Chronica Regia Monachorum S. Pantaleonis ad d. a. *Rex* ait, *Pentecosten Frankenefurt celebrat, coadunata Principum tam Bauariae, quam Saxoniae dignitate. Ibi quorundam familiarium suorum Principum fretus auxilio Domnam Gerthrudem, famosissimam Saxoniae matronam, filiam videlicet Lotharii Imperatoris, & praedicti Heinrici Ducis viduam, vni e fratribus suis coniunxit, sciens, hac coniunctione multos confoederari; quod & factum est. Nam Principes hactenus discordantes hac occasione Regi reconciliantur.* Albertus Stadensis adiicit, Gertrudem hoc modo *alienatam esse a negotiis Ducatus.* Non diu tamen cum nouo marito vixit, sed Anno 1143. (cccc) ex partus difficultate

bbbb) Cum Principis huius vita breuis & diplomatum eius mira sit res raritas, subiicimus infra vnum pro Brunfeningensi Ecclesia a Conrado Rege confirmatum (Probat. N. LXXXIX.) & alterum Reichersbergensi Monasterio ipso sui obitus anno datum (Probat. N. XC.)

cccc) Et quidem die XIV. Aprilis huius anni, testante Necrologio Claustro-Neoburgico apud Hieronymum Pezium Scriptor. Austriacor. T. I. p. 493. vbi *XIV. Kal. Maii Gertrudis Ducissa, Henrici Ducis Austriae vxor.* In anno Austriaci Annales quoque omnes conueniunt, verbi gratia Mellicenses p. 230. *Anno MCXLIII. Gertrudis, vxor Heinrici Marchionis, obiit.* Interim diploma Bremense III. Non. Sept. 1143. praesente Gertrude datum, ad quod iam supra prouocauimus, in Probat. N. LXXXVIII. relatum, scrupulum iniicit. Quomodo enim Gertrudis, d. 14. Aprilis 1143. defuncta, mense Septembri eiusdem anni Bremae versari potuit? Dicendum ergo, in hoc diplomate aut anni numerum corruptum, aut rem praesente Gertrude prius actam nunc demum a morte eius in scriptum redactam

cultate deceſſit. Chronica Regia ad hunc annum: *Domna Gertrud praedicta Ductrix, coniux Heinrici fratris Regis ob difficultatem partus diem clauſit extremum, & apud patrem & matrem & priorem coniugem ſuum Henricum, cum moerore totius Saxoniae ſepelitur in Lutheron.* Chronographus Saxo & Albertus Stadenſis eundem annum Gertrudis emortualem habent; ſolus auctor Chronici Montis Sereni Annum 1142. ponit, ex ante adductis corrigendus. Vetus Chronicon Germanicum & nondum editum prodit Gertrudem Brunſuici deceſſiſſe, cum in procinctu eſſet, in Bauariam eundi. Letznerus pro more ſuo errat, dum eam Viennae Auſtriae ſepultam eſſe garrit: Fallitur etiam auctor Chronicae S. Pantaleonis Regiae, non enim Lutterae terrae mandata eſt, nec vt Chronicon Germanicum modo citatum prodit, Brunſuici deceſſit, ſed in Auſtria, & ſepulchrum nacta eſt Nuenburgi ſiue Neobergi ad Oenum fluuium paulo ſupra Pataium ſiti. (dddd) Cum enim Henricus Leo in Terram Sanctam pergens per Auſtriam iter faceret, ei Henricus Dux Auſtriae occurrit *in Caſtro*, vt Arnoldi Lubecenſis verbis vtar, *Nuenburg, vbi mater eius domina Gertrud memorabilem ſortita eſt ſepulturam.*

§. 33.

Henrici Magnanimi frater natu minor erat WELFVS, qui, quod mireris, primus noſtrorum Principum eſt, cuius annum natalem, ſi numeri in Codicibus non corrupti ſunt, certo ſcimus: nam fratris natu maioris natalem annum per coniecturam tantum eruimus. Ex Chronico Weingartenſi conſtat, Welfum noſtrum Anno 1191. diem ſuum obiiſſe. Iam vero Hiſtoria ſeu Anonymus de Guelfis ſcribit, Welfum eo

fuiſſe. In prius tamen potius inclino, quia Indictio V. quae diplomati ſubiecta eſt, cadit in Annum praecedentem 1142.

dddd) Haec licet a Bernardo Pezio Eccardum accepiſſe non dubitem; haereo tamen, an viris caetera doctiſſimis fides ſit habenda. Primum enim Nuenburgum ad Oenum & omnis Oeno & Anaſo fluuiis interiecta Prouincia nondum iuris Auſtriaci fuit, cum Gertrudis ſepelienda erat. Iam vero quis Gertrudem in alieno territorio, & non potius in Auſtria a marito ſepultam credat, & quidem in clauſtro Neoburgico, vbi Principum Auſtriacorum inde a Diuo Leopoldo celeberrimum eſt conditorium? Equidem Arnoldus Lubecenſis Lib. III. c. 3. ſcribit, Henrico Leoni per Bauariam & Auſtriam in Graeciam tendenti *occurriſſe vitricum, Henricum, Auſtriae Ducem, in caſtro Nuenburg, vbi mater eius Domina Gertrudis memorabilem ſortita eſt ſepulturam,* eumque *inde deduxiſſe in ciuitatem Metropolitanam Wene.* Sed ex hoc non ſequitur, Henricum Auſtriacum priuigno vſque ad Nuenburgum ad Oenum occurriſſe, cum inter Oenum & Vindobonam, & quidem ſecundo cis Vindobonam lapide, aliud *Nuenburgum* ſit, vbi & Caſtrum & ciuitas & nobiliſſimum Canonicorum Ordinis Sancti Auguſtini clauſtrum eſt, vulgo *clauſtro-Neoburgum* dictum, in quo eſt id, de quo diximus, conditorium Auſtriacum, quo ſepultam Gertrudim fuiſſe tanto aſſeuerantius ſtatuimus, quod nomen eius Necrologio clauſtro-Neoburgico inſcriptum reperitur, vt ſupra vidimus.

eo tempore Annos 76. habuisse. Quae si vera sunt, vt vera esse non dubito, Welfus noster natus fuerit Anno 1115.

§. 34.

In partitione bonorum hereditariorum ei obuenisse Italicas ditiones auitas inde concludo, quod is ante obitum fratris fere semper in Italia degisse inueniatur. Anno 1130. cum frater Henricus cum Friderico Sueuiae Duce & fautoribus Henrici in Ratisbonensem Episcopum nouiter electi decertaret, Welfus iuuenis ei milites Transalpinos e Sueuia in auxilium adduxit (eeee) Anonymus de Guelfis: *Sed assumto Guelfone fratre suo, qui eo tempore milites transalpinos in partes illas* [Sueuiam & Bauariam] *militiae gratia adduxit, ad ciuitatem* [Ratisbonensem] *vsque reuertitur.* &c.

§. 35.

Post mortem Henrici omnes vires intendit, vt Ducatum Bauariae, quem iure hereditatis ad se deuolutum aiebat, Leopoldo eriperet, qui illum, deposito Henrico, acceperat. Leopoldus Castri Valeii possessores, Henrici Ducis ante hac amicos, sibi subigere tentabat Anno 1140. Sed Welfus in auxilium aduolabat, & caeso Ducis exercitu obsidionem soluebat. Anonymus de Guelfis: *Leopoldus vero Ducatum Noricum ex hinc se potenter habere confidens, dum in obsidione Castri Valeia duorum fratrum, qui in parte Ducis Heinrici steterant, incaute moraretur, Gwelfo, Ducis eiusdem frater, collecto milite superueniens, fortissime dimicando, caesis ex vtraque parte pluribus, multis captis, Leopoldum ignominiose fugere coëgit.* (ffff) Eadem fere legas apud Ottonem Frisingensem lib. VII. Chron. c. 25.

§. 36.

eeee) Aetatis modo indicatae nullam rationem habuit, cum haec scriberet, Dn. Eccardus. Puer enim quindecim annorum Welfus fuit Anno 1130. qua aetate neque Italiam, neque exercitum regere potuisse videtur. Anonymus de Guelfis, nuda rerum gestarum narratione contentus, annos, quibus singulae gestae sint, non adscribit, eaque incuria lectori saepe crucem figit. Neque posteriorum quisquam Scriptorum tempora accurate notare ausus est. Annum itaque 1130. Dn. Eccardus ex ingenio suo depromsit. Si facta factis comparans, cuncta sollicite expendo; si bellum cum Comite Bogensi & Episcopo Ratisbonensi; si nuptias Welfi cum Vtha, filia Gotefridi Comitis Palatini; si tumultum has nuptias in Sueuia secutum; si Fridericum denique & Conradum Duces ab hostibus in auxilium vocatos considero: post annum 1132. haec reiicienda videntur, quia Conradus inde ab Anno 1128. in Italia degens non nisi Anno 1132. quo Rex Lotharius primam expeditionem Romam suscepit, in Germaniam redierat. Neque vero vel sic quidem praecocis militaris indolis laudem amittit Welfus, anno aetatis decimo septimo & octauo exercitus ducens. Quod nobis mirum videri nequit, qui in Serenissimo GVILIELMO nostro simile quid vidimus. Per milites autem *Trransalpinos* non Itali, sed Rhaeti atque Sueui intelligendi videntur, in Bauariam ducti, quia maior Sueuiae pars inter Alpes & Danubium interiecta, & qua Guelfis paruit, *alpestris* est, a veteribus propterea *Alpingowia*, hodie contracte *Algow* appellata.

ffff) Alia igitur hoc tempore feuda Bauarica erant, alia Guelfica: vt patet ex veteri

§. 36.

Animos addebat Welfo auspicatior successus, & inde in ipsum Regem, *Weinsbergam* Castrum obsidentem, signa mouit; sed impari successu. Anonymus de Guelfis: *Ipse vero Gwelfo priuatum Ducatum iure haereditatis ad se spectare proclamans, dum iustitiam apud Regem impetrare non posset, ad rebellionem se parat. Ob hoc Rex circa idem tempus Castrum eius Winsperg obsedit.* (gggg) *Quem Gwelfo collecto milite, in proxima hebdomada Natiuitatis Domini, dum incaute pugna aggredi tentat, amissis aliquot, multis captis, cum paucis fugit e praelio.* Eadem Otto Frisingens. Lib. VII. c. 25. & Dodechinus ad h. a. repetunt. Fabula de Welfo per vxorem vrbe exportato, cum Rex mulieribus permisisset, vt tantum pretiosarum rerum, quantum humeris deferre possent, sibi haberent, ex hisce solide refutatur. Apparet enim clare, Welfum in Castro non fuisse. Caeteras vero mulieres Weinsbergae inclusas maritos

ri Charta. (Probat. N. XCI.) Olim non erat sic. Caeterum Welfus noster iam in prima iuuentute Clero addictior videbatur, quam frater Henricus. Cum enim hic, post ea, quae in Zwifaltensi Monasterio accidisse supra diximus, Monachis infestior factus esset; Welfus, a Monachis exoratus, fratre non repugnante, Monasterii Aduocatiam suscepit. Qua de re Crusius Annal. Sueu. Part. II. p. 371. ex membranis Bertholdianis haec adfert: *Fratrem Henrici* Welphardum *sibi quartum Aduocatum adsciuerunt. Iurauit is per tres Ministeriales suos, se si iusta de causa repudietur, septem diebus de dignitate hac cessurum: decreta priuilegii inuiolata seruaturum: nullum suum militem obtrusurum, nec tyrannidem exercere iturum. Lectus est, quod Coenobium ligna ex siluis eius & fratris habere poterat: item propter vineta, quae in Rhaetica Curia habebat.* Addit Sulger. Annal. Zwifaltens. p. 76. Welfum honori sibi a Monachis habito rependisse gratiam, donando illis in villa *Staig* vnam salicam terram, hubam vnam, tabernam & molendinum. Vbi obserues velim, primum *Sueuis solemne* fuisse, *Welfhardos* seu *Wulfhardos* vocare, quos ceteri *Welfos* appellant; deinde, iam eo tempore Principes, a praestatione sacramenti immunes, per procuratores iurare solitos. Neque vero vel sic quidem cessarunt Monachorum naeniae, de Aduocatorum iugo conquerentium. Faceta partim, partim Clerico indigna sunt, quae Bertoldus ille saepe commemoratus hoc ipso tempore membranis suis inscripta posteritati reliquit: *Hic lector attende*, inquit, *& quae dico memoriae manda. Nunquam nobis profuit, immo multum nocuit, Martiali gladio nosmet defendere. Dampnum nostrum, longo tempore experti sumus, in hoc semper cumulare, non imminuere, nunquam sedare. Et verum dico, non mentior: Monachum gladio non decet pugnare, sed tantum ieiunio & oratione: maxime, cum ipse Dominus Petrum pugnantem his verbis,* mitte gladium in vaginam *studuerit reuocare. Auro & argento, cum Dei adiutorio, hactenus maxime ab inuasoribus protecti sumus. Nam nullus noster Aduocatus, nisi pro suo lucro, nostris oppressoribus fuit oppositus. Omnes enim, quae sua sunt, quaerunt. Nummus semper fuit praecipuus noster Aduocatus: ipse Rex noster fuit & Dominus. Hoc quam maxime de manibus furentium potuimus nos liberare, bellantibus rebellare, discordes pacificare, indomitos domare, furentes contra nos refraenare. Vnde versus:*

Martyris Albini, nec non & membra Rufini
Si quis habet; Romae quaeque valet facere.

Per *Albinos* argenteos & per *Rufinos* aureos nummos intelligi, monitu credo vix opus est. Hoc vero memorabile, in Prouincia Rhenana argenteos nummos iam ista aetate *Albos* fuisse appellatos, vti hodienum appellantur.

gggg) Vt appareat, quos Principes Conradus in castris habuerit, diploma damus, Weinsbergae hoc anno scriptum, pluribus testibus subnotatum. (Probat. N. XCII.)

ritos suos hac arte sibi seruasse Chronicae Regiae Monachorum S. Pantaleonis lubenter credimus. *Anno*, inquit, 1140. *Rex vrbem Welphonis Ducis Bawariorum, Winesberg dictam, obsedit, & in deditionem accepit, matronis ac foeminis ibi repertis hac Regali liberalitate licentia concessa, vt quaeque humeris valerent, deportarentur: Quae tam fidei maritorum, quam sospitati caeterorum, consulentes, omissa supellectili descendebant humeris viros suos portantes. Duce vero Friderico, ne talia fierent, contradicente, Rex fauens subdolositati mulierum dixit, Regium verbum non decere immutari.*

§. 37.

Leopoldus quoque dedecus a Welfo ad Valeiam acceptum Anno 1141. vlturus, terras eius vastauit; Sed mox eodem anno obiit, & Ducatum eius a Rege Henricus frater illius suscepit. Vt eo tutius eo potiretur, conciliatae sunt Anno 1142. inter eum & viduam Henrici Magnanimi nuptiae. Henrico iuueni *Ducatus Saxoniae* concedebatur, vt Bauarico renunciaret, & ita finis contentionem esset. Sed Welfus, vt dixi, Bauariam sibi ipsi iure hereditario deberi affirmabat, &, cum nulla obtestationum eius ratio haberetur, armis Ducatum sibi vindicare constituit. Otto Frisingensis seriem rerum harum Lib. VII. Chron. cap. 26. hisce complectitur. *Non multo post Saxoniam ingressus* [Rex Conradus] *data in vxorem vidua Ducis Henrici, Lotharii Imperatoris filia, fratri suo Henrico Marchioni, pacem cum Saxonibus fecit, eidemque Marchioni Noricum Ducatum, quem, consilio matris, Ducis Henrici filius iam abdicauerat, concessit. Quae res in terra nostra maximae discordiae seminarium fuit. Guelfo enim Princeps praefatum Ducatum se iure haereditario contigisse calumnians, armata manu in praesentia Ducis Baioariam ingreditur, parteque Prouinciae vastata, regreditur. Ob ea Dux inflammatus, immenso coadunato milite, fines nostros ingreditur, multisque Ecclesiarum reditibus direptis, tandem etiam ipsius nostrae ciuitatis munitiones, propter quosdam ex ipsa, qui fautores Guelfonis dicebantur, destruxit. Cui dum Guelfo cum copiis occurrere parat, audito quod Rex superuenturus esset, cessit. Porro Dux simul cum Rege castrum Comitis Conradi, qui ex parte Guelfonis erat, obsidione clausit, vastatisque in circuitu vniuersis, adiutorio Regis in deditionem coëgit, ac igne succendit.* Castrum Comitis Conradi fuisse *Cathouwe*, Anonymus de Guelfis indicat. Sed *Dachouwe* legendum esse alibi demonstrabo.

§. 38.

Placebant hae inter Welfum & Conradum Regem turbae Rogerio nouo Siciliae Regi. Hisce enim Conradus impediebatur ab introitu Italiae,

liae, & iuribus Imperii ibi exigendis. Hinc ille Welfo, vt bellum aduersus Regem & amicos eius continuaret, annua stipendia pactis iuratis promisit. Rex Vngariae eadem de causa pecuniam non modicam Welfo soluit. Anonymus de Guelfis: *Igitur Rogerius Rex Siciliae audiens huiusmodi conflictationes inter Guelfum & Regem, timens ne forte cessante guerra Conradus Rex quandoque Italiam intraret, atque eadem, quae a Lothario, ab eo quoque perpessurus esset, Gwelfonem aduersus eundem muneribus illectum incitat, singulisque annis mille marcas se ad hoc daturum iuramento confirmat. Item quoque Rex Vngariae, eundem Conradum metuens, Gwelf ad se accersiuit: dataque pecunia non modica, ac deinceps omni anno dandam pollicens, ad rebellandum nihilominus instigat. Gwelfo itaque strenui militis officium exercens, modo in Bauaria modo in transalpinis partibus Sueuiae, modo circa Rhenum, tot tempestates bellorum mouit, vt Regem potius ad defensionem sui, quam ad externarum nationum inuasiones excitaret.* Adde eadem affirmantem Godefridum Viterbiensem Chronic. Part. XVII. p. 512. Otto Frisingensis Chron. L. VII. c. 34. miseram Germaniae tum faciem graphice depingit, culpam reiiciens in Regis, licet fratris vterini, partim somnolentiam, partim tractationem rerum ad se non pertinentium. *Rex,* inquit, *Boioariam ingreditur. Ibi Boëmorum Dux patrocinium impetrat. Ex hinc non solum impraesentiarum perturbationes sentimus: sed & maiores superuenturas ex his aliisque argumentis formidando coniicimus. Ecce enim inter nostrum & Vngarorum Regnum, non solum isto militem instaurante, sed & illo multos ex nostris pecunia corrumpente, valida exspectatur commotio. Apud nos vero tam tetra iam videtur confusio, vt non solum reliquo anni circulo praeda & incendio cuncta permisceant; sed & in ipso quadragesimali & poenitentiali tempore* (quae tamen tempora Welfum nostrum obseruasse supra vidimus) *contra diuinas & humanas leges desaeuire non pertimescant. Tantum postremo praeteritorum memoria, praesentium incursu, futurorum metu discriminum vrgemur, vt responsum mortis in nobis accipientes, etiam taedeat nos viuere, praesertim cum tam ex peccatorum nostrorum multitudine, quam tumultuosissimi Imperatoris foetulenta improbitate haud diu stare posse mundum putaremus, nisi Sanctorum meritis verae ciuitatis Dei ciuium sustentaretur.* Scripsit haec Otto Anno 1146. ante expeditionem sacram: quam Annales Bosouienses ad Annum 1147. susceptam esse aiunt ab iis, qui *territi* erant *quorumdam magnae existimationis & religiosi habitus hominum sermonibus, dicentium, quod instaret dies Domini.* Vsque adeo non nisi maximis motibus & cum insigni rerum conuersione non Regna solum, sed & Principatus transferuntur: quod nostri temporis exemplis quoque comprobatur.

§. 39.

Anno 1146. in Concilio Carnotensi placuit expeditionem suscipi in Terram Sanctam. Conradus igitur Rex, cum ingenti Procerum multitudine, Anno 1147. se Cruce signabat. Welfus eosdem comitari constituit. Otto Frising. de Gestis Frid. Lib. I. c. 40. *Guelfo quoque Henrici prioris Ducis frater, de nobilissimis Regni Optimatibus, in ipsa natiuitatis Dominicae nocte* [1146.] *in propria villa Bitengou* (hhhh) *eandem militiam cum multis professus fuerat.* Anonymus de Guelfis: *Circa has tempestates gens Francorum cum Rege suo Ludewico, gens quoque Teutonicorum cum Rege suo Conrado aliisque Principibus, Friderico Duce Sueuiae, postea Imperatore, Episcopis, Comitibus, seu aliis cuiuscunque conditionis hominibus, pro querimonia transmarinae Ecclesiae Hierosolymitanum iter aggrediuntur: Quod & Gwelfum Ducem, licet nondum sedata gwerra, ire compulit.* Idem Anonymus expeditionem illam Welfique reditum breuiter ita describit: *Egressi itaque Anno Dominicae Incarnationis MCXLVII. per Vngariam & Graeciam innumerabilem exercitum ducunt: Qui totus pene, exceptis Principibus, seu aliis plus cautis, vel inedia, vel aëris intemperantia, vel ciborum insolentia, vel Sarracenorum inuasione, infecto negocio, interierunt. In hoc ergo laborioso itinere Conradus Rex commilitioni suo Gwelfoni, sic enim eum nominare solebat, saepissime in necessitate subueniebat. Ac de omnibus, quae a Regio isto in* [*lege* a Regio fisco] *Constantinopolitani Imperatoris sibi offerebantur, partem illi tradebat. Denique Hierosolymam venientes, cum alii procinctum sub Rege Conrado contra Damascum mouerent; Gwelf in infirmitate captus ac in desperatione positus ad reuersionem se parat. Transito igitur mari conualescens Siciliam attingit. Ibi Rogerius eum cum magno domus suae tripudio suscipiens, ac honorifice dimittens, iterum ad rebellandum Regi maximis muneribus illectum incitat.* (iiii)

§. 40.

hhhh) In amplissimo de pagis & villis Germaniae mediae commentario Gottwicensi locus hic desideratur; vt alii plurimi. Adsita est autem in dextra Lyci ripa vrbi Schongauiae villa *Peuting*, & in sinistra Lyci ripa ad fluuiolum Gemnachum inter Kaufbeuram & Schongauiam villa *Biding*: quam posteriorem eam esse puto, in qua Welfus Cruce signatus est. In hoc ipso loco *Bitengow* Welfus etiam boni ominis caussa, & vt secundis auspiciis pergeret, Hirsaugiensi Monasterio restituit praedium circa Heilbronnam & praecipue villam *Hanbach*, quod praedium olim soceri soror Vta Monachis donauerat, ipse vero pro herede adhuc vsurpauerat; vt habes in documento. (Probat. N. XCIII.) Hanc donationem diu post confirmauit Fridericus II. Imperator. (Probat. N. XCIV.)

iiii) Quid in Sicilia actum sit, & quomodo Welfus in reditu Romam transierit, narrauit quidam explorator Clericus in litteris ex Martenaei Collectione Amplissima T. II. p. 413. infra videndis. (Probat. N. XCV.)

§. 40.

Vix domum redierat, cum, memor promiſſi Rogerio facti, terras Regis inuaderet; Interim Conradus III. circa Pentecoſten Anni 1149. ex Aſia in Germaniam redux, tanti itineris labore viribus exhauſtus, aliquot menſes decubuit. Paululum recreatus Romam tetendit, ſed ex Longobardia ſubito reuerſus ineunte Anno 1150. Spiram abiit, ſolitis negotiis in iure dicundo vacaturus; filio natu maiori, *Henrico*, qui iam Romanorum Rex & patris Succeſſor deſignatus erat, (kkkk) in caſtro Hornberg ad Iaxtam fluuium pro finibus tutandis relicto. Sed ad Welfum redeamus. Hic ſedente in Hornbergenſi caſtro Henrico iuuene Rege, intempeſta hyeme impreſſionem in terras Regias fecit, caſtrum Flocberg, quod haud procul a Sueuica Egra inter Nordlingam & Bopſingam iacet, occupaturus, ineunte menſe Februario obſidionis initio facto. Hoc audito, Henricus iuuenis Rex militem e veſtigio colligit, caſtro obſeſſo ſuppetias laturus. Emenſo igitur quinque milliarium itinere cum electis equitibus loco appropinquat. Quo viſo, Welfus imparem ſe iuſtae congreſſioni ſentiens, receptui canit, obſidionem ſoluit, militem abducit. At Henricus Rex, primum hic militiae tyrocinium poſiturus, expeditos equites mittit, qui abeuntem Welfi militem crebris velitationibus laceſſerent. Welfus autem, extremum ſuorum agmen collecturus, obſiſtere, & militem ad fortiter ſuſtinendam pugnam hortari. Sed fruſtra. Pleriſque enim ſuorum fuga dilapſis, equites trecenti capti, & equi quamplurimi lanceis confoſſi ſunt: (llll) nemine, vt Anonymus

Zz 3 de

kkkk) Hic obiter obſeruo, Conradum patrem, ex quo filius Rex appellatus eſt, priuatorum litteris, quia duo Reges in vno eodemque Regno ſimul non eſſe poſſe videbantur, *Imperatorem* Auguſtum appellari coepiſſe: priuatorum litteris; inquam, veluti a Wibaldo, &, vt modo vidimus, ab Ottone Friſingenſi. In documentis autem publicis ac praecipue in propriis diplomatibus, ab Imperatoris nomine, quod nondum Romae coronatus eſſet, tam caute & tam ſedulo Conradus abſtinuit, vt diplomata eius, quae titulum Imperatorium praeferunt, falſa pronuntianda eſſe non dubitem.

llll) Acta ſunt haec die octaua menſis Februarii, & ita acta eſſe Henricus ipſe cum Imperatori, (Probat. N. XCVI.) tum Imperatrici Conſtantinopolitanae (Probat. N. XCVII.) ſcriptis litteris nuntiauit, quibus & ſuas pater iunxit. (Probat. N. XCVIII.) Prima fama, vt in his fieri aſſolet, Welfi cladem multo maiorem fecerat, immo Welfum ipſum captum fuiſſe eo proelio ſparſerat. Hinc credulus ille trium ditiſſimorum Ordinis Sancti Benedicti Monaſteriorum Abbas Wibaldus, omnium mortalium negotioſiſſimus, tum in Aula Caeſarea Spirae haerens, primo gaudii calore & impetu, re nondum ſatis explorata, non ſolum Cancellario Regis, Coloniae tum degenti, (Probat. N. XCIX.) ſed etiam ipſi Pontifici, tertio Eugenio, (Probat. N. C.) dum victoriam Henrici Regis notam facit, Welfum Ducem proelio ſuperatum *captumque* fuiſſe affirmat; iungens ei *Godeboldum* quemdam, virum procul dubio nobilem, Welfi Ducis Aduocatum ſeu Dapiferum: quo nomine olim appellatos conſtat viros, qui in Principum conſilio aeque ac exercitu primum locum tenuere. Nobis illius Godeboldi genus & familiam & gradum, quem in aula Ducis Welfi habuit, nondum expiſcari licuit.

de Guelfis ait, occiſo. Itum inde eſt Spirae in conſilium, quid hac rerum facie actu opus foret, & quemadmodum Rex Senior hac victoria quam commodiſſime vti poſſet. Aliis vim, aliis pacem ſuadentibus, Rex Conradus, vitae finem inſtare ſentiens, & filio quietum Regnum relicturus, Welſum ad reconciliationem perducendum eſſe ſtatuit, (mmmm) operam ſuam ad hoc negotium vltro offerente ex fratre nepote, Friderico, qui poſtea regnauit, & Welfi ſororem matrem habuerat. Interceſſit igitur pax a Friderico, Regis ex fratre nepote & Welfi noſtri ſororio, procurata. Anonymus de Guelfis haec breuiter enarrans: *Igitur*, inquit, *reuerſus in proxima hyeme circa Purificationem Sanctae Mariae collecto milite fines Regis inuadit, ac caſtrum eius Floperch forti impugnatione ſollicitans, dum in reuerſione militem nimis incaute duceret, a militibus Regis circumuentus, ac aggreſſionibus initis cum paucis, aliis circumquaque diffuſis, plus ex infortunio, quam ex inſtantia belli, noſtri fugam arripiunt, plurimiſque captis, nullo occiſo, ignominioſe reuertuntur. Ac ſic gwerra diu anxie inter ipſum & Regem agitata finita eſt. Nam Fridericus fratruelis Regis, ſororius eiusdem Gwelfonis, medium ſe ad compoſitionem faciendam interpoſuit, captiuoſque Duci reddi, ac Regem de coetero ſecurum penes*

mmmm) Male habuit haec Regis lenitas Wibaldum illum, de quo modo diximus, trium Abbatiarum Abbatem, hominem violentum & ſanguinolentum. Cum enim Hermannus Conſtantienſis Epiſcopus eum rogaſſet, vt pro liberando quodam ſuo conſanguineo, quem Welſus & Miniſteriales eius captiuum abduxerant, apud Regem pro ea, qua polleret, auctoritate laboraret; (Probat. N. CI.) Wibaldus in reſponſione ſibi temperare non potuit, quin eum eorum, quae in conſilio acta erant, ſecreto certiorem redderet, ſuumque animum penitus denudaret, affirmans, ſe ſuaſiſſe, vt Rex non ceſſaret ſucceſſus ſuos vrgere. (Probat. N. CII.) *At*, inquit, *contradicebat inueteratus ille Achitofel, qui vix ingentem diſſimulare triſtitiam poterat, & aſſumta ſanctioris amicitiae perſona de tempore & iure cauſabatur, & ſanctiſſimi ieiunii religionem praedicabat, & adſtruebat, oportere hominem legitimis iudiciis & interpellationibus in ius vocari: pium eſſe & conueniens, nullam captiuis laeſionem inferri: de quibus quidem nos, officii noſtri innocentiam attendentes, nihil cenſueramus.* Aperit deinde ſuam quoque de captiuis ſententiam. *Sed vt patri*, inquiens, *& Epiſcopo confiteamur, in mente noſtra erat, vt non ſolum vnus homo, ſed etiam multi morerentur pro populo, & non tota gens periret.* Denique conqueritur, mitiora conſilia praeualuiſſe, ſimulque Regem haud obſcure taxat deſidiae. *Popularis*, inquit, *erat Senis oratio, & ad hominum* (Regis) *negligentiam, pigritiam & deſidiam accommodata. Nos tamen contra nitebamur. - - Sed inermem vicit oratio armati. - - Ita factum eſt, vt nec bella geramus, nec iudicia exerceamus; ſed ſpe rerum inanium animos paſcimus.* En ſermonem! en animum hominis ex eo grege, qui ſanguinem non ſitire fertur. Quis ille Conſiliariorum fuerit, quem Wibaldus *Achitofel* vocat, diuinatu difficile eſt. Fuit, cum Ottonem, Epiſcopum Friſingenſem, Conradi Regis fratrem vterinum, hic pungi crederem, quia ſupra eum de foetulenta tumultuoſiſſimi Imperatoris improbitate & de violatis ſacri ieiunii temporibus conquerentem audiuimus. Sed Otto Epiſcopus tum nondum *inueteratus* ſeu vetulus aut ſenex fuit. Praeterea poſteriora verba *inermem vicit oratio armati* innuunt, Laicum fuiſſe hunc ſiue Principem ſiue Militem, qui Wibaldo reſtitit. In Fridericum autem Sueuiae Ducem haec omnino conuenirent, niſi & aetas eius obſtaret, quae tum non ſenilis ſed floridiſſima fuit. Conradum ergo Ducem Zaringenſem, Henrici Leonis ſocerum, & Ducis Welfi amicum hic deſignari exiſtimo, quia is in ſuperius adlata exploratoris epiſtola in amicis Welfi nominatus eſt, & hoc tempore ſenex fuit.

penes illum esse, prouida deliberatione, confirmauit. Rex ergo, accepto consilio, Gwelfoni aliquos reditus de fisco Regni cum villa Mardingen (nnnn) *concessit, ac sic confirmata pace, ipse in breui post vita decedens, Friderico fratrueli suo sedem Regni reliquit.*

§. 41.

Obiit Conradus Rex (oooo) Anno 1152. & qui successit ei Fridericus Rex Welfum nostrum in aula sua in principio Regni habuit, vt patet e Diplomate ab Vghello Ital. Sacr. T. IV. pag. 1076. edito, (Probat. N. CV.) cui Anno 1152. 16. Kal. Nouembris subscripsere *Dux Welpho, Henricus Dux de Saxonia, Conradus, Albertus, Marchiones de Saxonia,* & alii. Ducatus eius quis fuerit, non additur; (pppp) quia, vt verosimile est, mortuo Henrico eius fratre, Pontifex Ducatum Spoletanum Tusciamque aut ad se receperat, aut certe potentes quidam ad se rapuerant *Domum Mathildis;* quod Radeuicus Lib. II. c. 10. & Guntherus in Ligurino Lib. IX. p. 419. satis manifestant. Sed Friderico Regni gubernacula suscipiente, vetera iura Welfus repetiit & obtinuit a nepote ex sorore. Postquam is Aquisgrani coronatus esset, iter per Westfaliam suscepit, in quo eum Welfus comitatus est. Paderbornam veniens Rex declarauit, quae sint iura Aduocati Ecclesiae Marsnensis in agro Falcoburgensi sitae. Diplomati, quod Miraeus Donat. Belg. Lib. II. c. 51. & Notit. Eccles. Belg. c. 159. edidit, inter alios subscripsit *Dux Welpho,* (qqqq) *Mar-*

nnnn) Hic de alieno liberalis fuit Conradus, dum villam hanc, Archi Episcopo Salisburgensi sub spe reddendi aliam ereptam, Welfo dedit. Consequens fuit, vt, cum Conradus ante promissa perfecta obiisset, Welfus villam Mardingen restituere cogeretur: quamquam is tam sedato animo eius possessionem sibi eripi patiebatur, vt ipsemet diplomati restitutorio nomen suum subscriberet: vt mox videbimus.

oooo) Babenbergae XV. Kal. Martii cum iam in procinctu esset coronae Romanae causa Italiam repetendi, & in gratiam Imperatoris Constantinopolitani Rogerium Siculum debellandi. Consuluit pudori eius diuina prouidentia. Auxilia enim ex Germania promissa tam tenuia, & Principes, qui hanc expeditionem iurauerant, tam pauci tamque infirmi erant, vt ab huiusmodi exercitu Rogerius certe non haberet, quod metueret. De hoc proposito negotiosus ille Wibaldus, *duorum,* vt semetipse appellat, *nobilium Monasteriorum Abbas, Stabulensis scilicet & Corbeiae,* Graecorum Imperatorem Manuelem per litteras, quibus mire ampullatur, certiorem reddidit; (Probat. N. CIII.) quemadmodum paullo post de obitu Regis Conradi & de electione Friderici I. Eugenio PP. II. narrauit quae vulgares Historici non habent. (Probat. N. CIV.)

pppp) Quaestio plus quam Domitiana. Num quaeri dignum, quis Ducatus eius fuerit, qui auum, qui patruum, qui patrem, qui fratrem Duces Bauariae habuit, fratrique ereptum Bauariae Ducatum ad se, vt vidimus, *haereditario iure* pertinere cum voce, tum armis, contendit atque sustinuit? Eodem ergo iure, quo Friderici primi Sueuiae Ducis natu minor filius *Conradus,* Friderici monoculi frater, apud omnes Scriptores huius temporis *Dux* audit, Welfus quoque noster, Henrici Bauariae Ducis natu minor filius, & Henrici itidem Bauariae Ducis frater, *Dux* appellandus fuit. Quid? quod Welfi filius, patre viuente mortuus, semper *Dux* audit.

qqqq) Diplomata, quibus solum Ducis Welfi nomen, qua testis, subscriptum est, caetera

Marchio Albertus &c. Celeberrimam deinde Curiam Merſeburgi habuit, ibique iura & priuilegia Corbeienſibus inſtaurauit Diplomate apud Schatenium in Annal. Paderborn. ad h. a. extante, cui inter plures alios ſubſcripſere: *Sueno Rex Danorum, qui ibidem Regnum ſuſcepit de manu Domni Regis; Knut alter Danus, qui ibidem Regnum in manum Domni Regis refutauit - - - - - - Henricus Dux Saxoniae, Domnus Welpho auunculus eius* &c. Putarem fere, hic legendum *auunculus Regis:* mater enim Regis ſoror Welfi erat; aut vox *auunculi* hic more barbaro pro *patruo* ponitur, & ſic ad Henricum Ducem Saxoniae recte referenda eſt. Vghellus It. Sacr. T. IV. p. 1077. exhibet diploma hoc Anno 1152. 16. Kal. Nouembris *Vitembergi* ſiue, vt legendum eſt, *Wirzeburgi* datum, (rrrr) quo Vercellenſi Eccleſiae priuilegia confirmauit *Fridericus Romanorum Rex Auguſtus.* Ei ſubſcribunt praeter caeteros *Dux Velpho, Henricus Dux Saxoniae* &c. E Franconia Bauariam & Sueuiam Rex ingreſſus, Welfum etiam comitem vbique habuit. Sub quadrageſimam Anni 1153. conuentum Procerum Conſtantiae tenuit, vt Otto Morena in Hiſtoria rerum Laudenſium indicat. Ibi Legatio ad Papam Eugenium decreta, quae mutua pacta Romam ferret, & cum Papa concluderet. Inſeruit ea Baronius Annalibus V. ſq. (ssss) & iisdem ex Laicis primus ſubſcripſiſſe inuenitur *Vulpho Dux.*

§. 42.

In hoc conuentu ego crediderim *Welfo Ducatum Spoleti, Marchiam Tuſciae, Principatum Sardiniae & Domum Comitiſſae Mathildis* a Rege collatum eſſe. Diplomata enim oſtendunt, hos titulos Welfum iam hoc anno geſſiſſe; licet Abbas Vrſpergenſis rem hanc in Annum 1154. minus recte differat. Sigonius Welfum nouam dignitatem Anno 1152. in Comitiis Wirzburgenſibus adeptum putat; ſed iterum non recte. Diploma enim ibi datum, quod adduximus, Welfum tunc adhuc *Ducem* ſimpliciter vocat. Et congruentius Conſtantiae Italis praefectus eſt, cum ibi plurimi ex Italia praeſentes eſſent. Anonymus de Guelfis: *Qui* [Fridericus Rex factus] *auunculo ſuo Gwelſoni Marchiam Tuſciae, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniae, Domum Comitiſſae Machtildis in beneficio tradidit. Reditus tamen illos ad fiſcum pertinentes, quorum iam mentionem habuimus, nihilominus recepit.* Confirmationi Regiae priuilegiorum Eccleſiae B. Columbani Bobienſis apud Vgellum T. IV. p. 1293. *Anno*

caetera ad ipſum nihil pertinentia, Probationibus noſtris non inſerimus, quia hiſce ſolis volumen impleri poſſet. Colligimus ergo ea tantum, quae Welfum propius afficiunt.

rrrr) Eſt idem illud, quod iam commemoratum fuerat.

ssss) Et quidem maculoſiſſime. Nos ea ex Codice Wicbaldino emaculatas damus. (Probat. N. 106.)

Anno 1153. *Indict. I. regnante D. Friderico Rom. Rege inuictissimo, anno vero Regni eius II.* dat. *Constantiae X. Kal. Aprilis*, testis additur *Welpho Dux Spoloti & Marchio Thusciae.* In eodem loco *V. Kal. Aprilis* Fridericus Rex aliud Diploma pro eodem Monasterio B. Columbani dedit, cui iterum *Rudolpho* [lege *Welpho*] *Dux Spoleti & Marchio Thusciae* adfuit. Sub finem huius anni Treuiris cum Rege egit & Diplomati, quo Cameracensis Ecclesiae priuilegia die *IV. Kalendas Ianuarii* confirmata sunt, nomen suum addi fecit *Welpho Dux Spoleti, Marchio Tusciae, Rector Sardiniae.* Vide illud in Miraei notitia Eccles. Belg. c. 155.

§. 43.

Anno 1154. Fridericus coronam Imperialem Romae assumsit; in eius tamen comitatu Welfum fuisse non animaduertimus. Anno tamen 1156. eius in Italia exspectati mentio fit in Registris Manuscriptis Ciuitatis Mutinensis; vnde haec Clarissimus Muratorius Ant. Est. P.I. pag. 299. excerpsit. *Capitanei Baisi Anno* 1156. *iurant esse Ciues Mutinae* &c. *& defendere ciuitatem ab omni homine, saluis Sacramentis illorum, qui iurauerunt Duci Guelphoni* &c. Eodem anno *Capitanei Frignani* idem iurant, (tttt) *exceptis tamen illis, qui iurauerunt fidelitatem Duci Guelfoni, si venerit in Longobardiam & habebit dominium possessionis Comitissae Mathildis, quo amisso, contra omnes homines* &c. Italos itaque sibi subiectos per *Aduocatum* ibi constitutum iurare fecit. Sic Stephanus Notarius apud Muratorium reperitur descripsisse Placitum Mathildis Anno 1114. habitum *per consilium Guidonis Iudicis & Aduocati Ducis Guelfi.*


§. 44.

Imperatore igitur absente, sua in Germania curauit Welfus. Erat is *Aduocatus Ecclesiae Augustanae* & eius sine dubio consilio, cum Anno 1153. die 9. Septembr. Waltherus Episcopus Augustanus obiisset, suffectus est *Conradus.* (uuuu) Memoriam rei videtur voluisse conseruare numo, quem Maxime Reuerendus Olearius Verbi Diuini apud Magdeburgenses Minister mecum communicauit. In eius vna parte est crux cum punctulis, & a dextra ad sinistram legitur: C. E. D. h. e. *Conradus Episcopus.*

tttt) Totum instrumentum exhibemus infra. (Probat. N. CVII.)

uuuu) Welfum Augustanae Ecclesiae Aduocatum fuisse, certum est. Sed eum hac Aduocatia excidisse sub Hermanno Episcopo, infra videbimus. Conradus hic, cui constituendo suffragium suum non denegauit, magnus bonorum Ecclesiae dissipator, & virorum ex regula viuentium vexator fuit. Sed hi in Welfo nostro strenuum defensorem nacti sunt contra Episcopum. In his Welfi auxilium & patrocinium celebrauit Gerhohus, Ecclesiae Augustanae Canonicus & postea Reichersperigensis Praepositus, loco, quo nemo facile requireret vel autumaret. (Probat. N. CVIII.)

pus. D enim vitiose pro P positum est; a sinistra ad dextram vero: W. DVX S. h. e. *Welfus Dux Spoleti.* In auersa parte cernitur frontispicium templi, in cuius medio extat Azo, quod Monetarii nomen est; in circuitu vero scriptum est: AVGVSTA CIVITAS.



Anno 1156. iterum intererat Comitiis Wirzburgensibus *Welfus Dux Spoleti*, vt patet ex Diplomate Imperatoris hoc anno die 15. Kal. Iul. Wirceburgi dato, quo Bergomensem Ecclesiam in suam tuitionem recepit. Videatur Vghellus Ital. Sacr. T. IV. p. 663. Eodem anno aderat in Comitiis Ratisbonensibus, vbi Henrico Leoni Ducatus Bauariae reddebatur, & Henricus Marchio Austriae, qui eum hactenus vsurpauerat, *Dux Austriae* creabatur. Diploma hac de re solenne Friderici Imperatoris datum *Ratisponae* XV. Kal. Octobris ex Miraei Notitia Eccles. Belgii Cap. 159. infra in vita Henrici Leonis adferemus. Ibi inter testium nomina est *Dominus Welfo.* Anno 1157. Welfus noster sedato animo eripi sibi & Patauiensi Episcopo restitui passus est villam Mardingen, quam, vt supra diximus, inter alia a Conrado III. Rege Anno 1151. pacis caussa acceperat. Haec villa Mardingen hodienum superest sita ad Schmutteram amnem, qui Augusta Vindelicorum defluens ad Danubium huic flumini se infundit e regione vrbis Danawerdensis prope villam *Augesheim*, quae memoriam seruat veteris pagi *Ogesgewe.* Fuit ea olim propria Vlrici ab Heessir ex Tyrolensi prouincia nati, qui Anno 1092. Patauiensis Episcopus electus, Anno 1111. praedium hocce, *in prouincia Sueuia, in pago Ogesgowe situm*, Ecclesiae suae donauit. Donationem confirmauit Henricus V. Imperator diplomate dato Patauiae Anno Domini MCXI. quod exstat ibidem, teste Hundio Metropol. Salisburg. T. I. p. 205. Translationis in Ducem Welfonem meminit Historia de Guelfis, c. 13. *Conradus III. accepto consilio, Welfoni aliquos reditus de fisco Regni cum villa Mardingen concessit.* Restitutionis autem mentionem facit idem Hundius l. c. p. 206. sed falsum diplomati Fridericiano annum adscribit, post millesimum centesimum scilicet *quadragesimum septimum*, quo Fridericus neque Rex, neque Imperator fuit. Nos illud a Gewoldo omissum hic exhibemus, quia ad Welfum nostrum pertinet, ac multis illustribus testibus stipatum incedit. (Probat. N. CIX.)

§. 45.

Anno 1158. cum Imperatore in Italiam profectus est, qui domitis ciuitatibus Longobardiae rebellibus, Mediolano praesertim, apud Al-

bam

bam natalem Domini egit. Tunc & de Mathildis Ducatricis hereditate colligenda ſolicitus erat, eamque Welſo, ius vetus in eam producenti integre reſtituit. Radeuicus Lib. II. Cap. 10: *His geſtis Fridericus pro recreando milite in optimis, & nondum bello tactis Italiae locis hyemare ſtatuit, proximumque natalem Domini apud Albam Ciuitatem celebrans, nuncios pro colligendo ſodro per totam Tuſciam & maritima, atque Campaniam direxit; de Principibus quoque ad ordinandos in Ciuitatibus Conſules ſeu poteſtates alium alio dimittit: adiunctis eis Cartulariis, qui de Regalibus, quae fiſco acceſſerant, certam ſummam & plenam notitiam reportarent. Reditus quoque Imperiales, quae dicuntur* Domus Mathildis, *a Duce* GVELFONE *ſeu ab aliis diſtractos & diſperſos, congregauit; quos poſtmodum eidem* nobiliſſimo Principi *adunatos & melioratos liberali reſtitutione noſcitur reddidiſſe. Quorum praediorum magnitudinem eiusque terrae copioſam opulentiam, qui ripas Eridani peruagati ſunt, non ignorant.* Guntherus in Ligurino Lib. IX. p. 419. idem diſtinctius verſibus expreſſit hiſce:

Inde per Etruſcas legatos deſtinat vrbes
Campanasque domos, & quas in littore curuo,
Aequorei lauat vnda ſalis, qui debita fiſco
Iura vetuſta petant, per quos ſtatuantur in omni
Vrbe magiſtratus, & ciuica quaeque poteſtas.
Praeterea reditus, cunctis de finibus illis,
Quos famoſa *prius poſſederat illa* Mathildis
Pluribus inuaſos, Rex in ſua iura retraxit.
Inde recollectos, & tanquam corpus in vnum
Partibus ex multis quadam grauitate redactos,
Neſcio quid priſci ſe iuris habere volenti
Ac velut haeredi, *cumulato munere, Princeps*
Conceſſit Catulo, *qui Regis auunculus illo*
Tempore Dux validus felicia caſtra nepotis
Milite non pauco, mentisque vigore iuuabat.
Hunc ex Romano Catulorum ſanguine clarum
Et genus & nomen, niſi fallit fama trahentem,
Teutonicus verſo Welfonem *nomine ſermo*
Dixerat, ambiguae deceptus imagine vocis.

Anonymus de Guelfis: *Igitur dignitatibus praenominatis ſuſceptis* [Welfus] *Italiam intrat, ac ciuitates, caſtella, ſeu villas per* totam Domum Machtildis *pertranſiens, negotia terrae ciuiliter pertractat. Ibi Legati de*

omnibus ciuitatibus Tusciae, nec non & ex omnibus ciuitatibus Spoleti ad eum venientes ac munera condigna offerentes subiectionem voluntariam promittunt. Cum quibus nuncios suos ad omnes ciuitates dirigens, ac se in breui illo venturum promittens, suis rite dispositis, reuertitur. Post, cum Imperatore collecta multitudine terram ingreditur, ac in obsidione Cremensi vsque ad destructionem eiusdem castri immoratur. Crema destructa est Anno 1159. Otto Morena Rerum Laudens. pag. 47. prodit, quanti Welfum fecerit Imperator: *Posthaec*, inquit, *Dux Guelphus de Bauaria cum suo exercitu ad dictam obsidionem Cremae venit. Imperator vero locum, in quo prius ante Portam Serii hospitatus fuerat, ipsi Duci Guelpho penitus dereliquit.* &c. Male hoc interim habebat Pontificem Hadrianum; atque inter alia postulata, quae Eberhardus Episcopus Bambergensis ad Archi Episcopum Salisburgensem apud Radeuicum Lib. II. cap. 30. recenset, ipsum Anno eodem 1159. monuit *de possessionibus Ecclesiae Romanae restituendis, & tributis Ferrariae, Massae, Ficorolae, totius terrae Comitissae Mathildis, totius terrae quae ab Aquapendente est vsque Romam, Ducatus Spoletani, Insularum Sardiniae, Corsicae.* &c. Guntherus haec Lib. IX. pag. 422. versibus ita exposuit:

Quicquid ad eximii recte patrimonia Petri
Pertinuit dudum, possessio siue tributum,
Restituatur ei, Comitissae terra Mathildis,
Et Spoletanus sub eodem iure Ducatus;
Quicquid ab excelsis Romanae moenibus vrbis
Pendentem seiungit Aquam, Ferraria, Massa,
Et cum Sardois vberrima Corsica campis,
Pontifici Summo prisco de more tributum
Soluat, & antiquas iusto sub canone leges.
Haec satis argutis rationibus omnia Princeps
Extenuans, doctis dissoluit singula verbis,
Opposuitque suam rupta de pace querelam,
Quam secum tali firmatam lege ferebat:
Ne cum Romanis, Siculo, Graioue tyranno
Ipsius iniussu sociaret foedera Praesul.
Denique vel stricto iuri, legumque rigori
Stare, vel arbitrio sapientum velle virorum,
Facturumque satis, suscepturumque libenter
Conditione pari sese promisit: at illi
Accepisse quidem, sed non praestare paratos,
Ridiculum quiddam, sese venisse, ferebant

Nam

Nam se iudicio Papam, qui iudice nullo
Fungitur in terris, supponere posse negabant.
Pluribus exhibitis frustra, subiecit & illud
Caesar, vt electi bis tres a Praesule Summo,
Totque sua de parte viri, quibus omnia vero
Postponenda quidem certa ratione putentur,
Omnia sollicita dirimenda negocia cura
Suscipiant, certoque Dei peragenda timore.
Sed nec in hoc Praesul consensit, & omnia nutu
Ire suo cupiens, iustae se subdere legi
Respuit, vt magnae caussas qui quaereret irae.

Terrae igitur controuersae sub Imperatoris directo & sub Welfi vtili dominio (xxxx) mansere.

§. 46.

Anno 1154. Henricus Leo Dux Saxoniae conuenerat cum filiis Fulconis I. Marchionis, iisque, vt in rebus eius videbimus, inuestituram *de Castris Este*, Soresino, Arquada & Merendola concesserat. Sed cum in iis & patruus Henrici Leonis, Welfus, iura sua haberet, cum hoc deinde separatim quoque egere, vt eadem bona secure possiderent. Anno igitur 1160. sexto die intrantis Ianuarii *cum Imperator Fredericus Italiam intrasset, & in Episcopatu Cremonae apud Cremam cum exercitu ad obsidionem permaneret, Welphus Dux Spoleti Obizonem & Albertum Marchiones pro se & fratre suo Fulcone, qui non aderat, inuestiuit de Este & Arquada & Solesino atque Merendola & eorum pertinentiis, nominatim vero de omni eo, quod pater iam dictorum Marchionum habuit, & isti habuerunt, vbicunque dictus Dux aliquam rationem habet, iam dictis Marchionibus dedit & cessit, & specialiter de Arquada & Merendola: eo quidem pacto, quod isti Marchiones & eorum heredes masculi & foeminae debent ab eo feudum tenere, succedendo vnus alteri, ipsi & sui heredes masculi, tantum ipsis deficientibus foeminae succedant.* Sic verba Chartae habent a Muratorio Antiq. Estens. Part. I. p. 343. editae, quae tandem pergit: *Etiamque ibi in continenti isti Marchiones, videlicet Obizo & Albertus iurauerunt eidem Duci fidelitatem, scilicet Obizo contra omnes personas praeter Imperatorem, & Albertus contra omnes personas praeter Imperatorem & Ducem Henricum* [a quo itaque speciatim bona is habuit] *& Episcopum Adriensem. Item Dux imposuit mandatum Alberto de Orbana,*

xxxx) Idque bona, vt apparet, Pontificis gratia. Adrianus IV. enim Papa Anno 1159. paullo ante obitum suum Welfo nostro commisit tutelam Monasterii S. Sixti apud Placentiam. (Probat. N. CX.)

bana, vt eos mitteret in possessionem. Numerata etiam est Welso certa pecuniae summa, vt in ipsa Charta inter Probationes (N. CXI.) videre licet, quae ita finit: *Actum iuxta Castrum Creme in Castris Ducis feliciter. Factum est hoc anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi Millesimo Centesimo quinquagesimo nono, Indictione octaua. Ego Lanfrancus Sacri Palatii Notarius rogatus interfui & hanc inuestituram scripsi.* Annus incarnationis vsque ad Martium protenditur, cum Indictio VIII. & dies Mercurii sexto Ianuarii incidant in annum Domini 1160.

§. 47.

Crema capta, ad ditiones sibi iam integre restitutas perrexit Welfus, easque Anno 1160. ordinauit. Anonymus de Guelfis: *Deinde* [Crema destructa] *totam militiam suam in Tusciam mouens, maximum Conuentum apud Sanctum Genesium habuit. Ibi Baronibus terrae illius VII. Comitatus cum tot vexillis dedit, caeterisque nihilominus de ciuitatibus seu castellis ad se confluentibus, vnicuique, quod suum erat, tribuit; simul & ipse sua, quae singulae ciuitates ad se iniuste contraxerant, recepit. Denique conuentu dissoluto, Pisam in S. Sabbato cum maximo totius ciuitatis apparatu ingreditur, ac ibidem Pascha iocundissime celebrans, egressus inde a Lucensibus non minori tripudio suscipitur. Sicque ab omnibus ciuitatibus, ad quas declinauerat, honorifice susceptus atque habitus negotia terrae potenter pertractans, suosque vbique in castellis seu villis ad fiscum pertinentibus relinquens, vsque Ducatum Spoleti procinctum mouet. Ibi similiter omnibus bene dispositis, filio suo Gwelfo terram illam ac totam Italiam ad se spectantem commisit, ac de suis strenuissimos quosque secum relinquens per vallem Tridentinam reuertitur.* In hoc apud S. Genesium Conuentu Anno 1160. *Guelpho Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tusciae, Princeps Sardiniae & Dominus Domus Mathildis* Canonicis Pisanis bona confirmauit solenni diplomate apud Vghellum T. III. p. 465. edito, (Probat. N. CXII.) quod & *Sigillis suis insigniri* iussit. Clarissimus Muratorius authenticum eius vidit; sed miror, eum de *Sigillo* nihil addidisse. Finitur vero diploma hoc ita: *Acta sunt autem haec apud S. Genesium Anno 1160. ab Incarn. D. N. Ind. VIII. regnante Frederico Romanorum Imp. Inuictiss. Ego Henricus Ducis Cancellarius recognoui & subscripsi. Ego Albertus Notarius D. Ducis scripsi, confirmaui & dedi.* Memorabile est, Principes Welfum antecedentes vsos esse Notariis Imperatoriis vel Regiis; ipsum vero suos proprios habuisse. Testatur Clarissimus Muratorius Ant. Estens. T. I. pag. 299. se ab Anno 1160. vsque ad An. 1190. plures Chartas, praesertim in Regiensi tractu, inuenisse, in quibus lectum: *Ego Vbaldus*

Nota-

Notarius Domni Guelfi Ducis rogatus &c. vel ſolum *Domni Ducis Notarius:* hasque Chartas datas fuiſſe *in Canonica Carpineti; in Foro Antoniani; in Maraula; in Eccleſia S. Mariae de Felina; in Monteculo; in Eccleſia S. Martini de Gropo; in foro Caniculae; in Caſtro de Filaria; in Caſtro Lucii; in loco qui dicitur Caſaluuoli; in Caſtro Gadii* & in aliis locis: In aliquibus Chartis eundem Vbaldum ſe ſubſcripſiſſe: *Ego Vbaldus Guelfonis Ducis ac Fredrici Imperatoris Notarius.* De aliis quoque Notariis addit, reperiri formulas: *Ego Albertus Notarius Sacri Palatii, Guelfi Ducis & Frederici Imperatoris, rogatus ſcripſi; Ego Gerardus Notarius Domni Guelfonis Ducis & Frederici Imperatoris* &c. Sed ad Annum 1160. reuertimur, quo etiam *Welfo Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tuſciae, Princeps Sardiniae, Dominus Domus Comitiſſae Mathildis* Canonicis Eccleſiae Cathedralis Lucenſis protectionem ſuam impertit. (Probat. N. CXIII.) Diploma Clariſſimus Muratorius l. c. pag. 296. in lucem emiſit, in quo Welfus: *Tam praeſentes*, inquit, *quam futuri agnoſcant, quod ad exemplar Henrici Imperatoris Quarti Romanorum inclitae recordationis ſecundum nobis conceſſam auctoritatem, firmamus ac praeſenti Praecepti noſtri pagina ſtatuimus, vt Eccleſia B. Martini, quae caput eſt Lucenſis Epiſcopatus, ac ſacrum ſanctiſſimum Vultum & oblationes eiusdem Eccleſiae, Clauſtrum etiam & Canonicorum perſonae Deo & B. Martino inibi pro tempore militantium cum rebus eorumdem & ceteris ad Eccleſiam vel Clauſtrum pertinentibus ſub noſtra defenſione & Mundiburdio permaneant.* &c. ✠ *Signum manus Ducis Welfonis Marchionis Tuſciae, Ducis Spoleti, Principis Sardiniae & Domini Domus Comitiſſae Mathildis. Ego Otto Praepoſitus Reitenbuchenſis Eccleſiae ſs. Ego Hainricus Cancellarius Ducis recognoui & ſubſcripſi. Anno Dominicae incarnationis Domini Milleſimo centeſimo ſexageſimo, Indictione Octaua. Actum Fiſchecli. III. Idus Aprilis.* Clariſſimus Muratorius addit ſubnexam eſſe bullam ceream, ſed mancam, & litteris & effigie oblitteratis. Idem l. c. pag. 298. adducit Welfi aliud diploma cum iisdem titulis, ſed dato carens, quo confirmauit bona Eccleſiae S. Fridiani Lucenſi, inter quae ſunt *molendini de Elſa.* (Probat. N. CXIV.) Vnde diſcimus, *Eliſinam curtem*, cuius ſupra meminimus, in Tuſcia quaerendam eſſe.

§. 48.

Welfo Duce in Germania commorante, filius eius WELFVS Iunior Italicas prouincias ſtrenue rexit, Imperatorique Anno 1161. Mediolanum obſidenti adſuit. Otto Morena l. c. pag. 90: *Imperator ſtatuit hyemare Laudae cum Beatrice, Sereniſſima coniuge ſua, & cum filio Ducis Guelfi.* Et manſit cum Imperatore, vsque dum Mediolanum receptum

eſſet.

esset. Sed postea procuratoribus Imperatoris, qui prouinciis graues erant, mascule se opposuit. Anonymus de Guelfis: *Gwelfo igitur Iunior terra potitus constantia animi, districtione iudicii, largitate & affabilitate inaestimabili, omnibus se acceptabilem praebuit: militibus Imperatoris, qui eo tempore ciuitatibus Italiae praeerant, quotiescunque fines suos iniusta oppressione inuadere tentauerant, omnimodis se opposuit; & ob hoc Imperatoris offensam nonnunquam incurrit: popularem autem fauorem eo magis sibi accumulans omnium ciuitatum in se prouocauit affectum.*

§. 49.

Anno 1163. bellum inter Welfum filiumque eius & Hugonem Comitem Palatinum Tubingensem, vasallum eorum, exarsit, varia fortuna continuatum, donec Anno 1166. Hugo compelleretur, vt Welfo supplex se dederet, & admissum feloniae crimen captiuitate lueret. Bellum hoc & eius exitum plenius describit Otto de S. Blasio c. 18. & 19. *Hugo Palatinus de Tuingin* (lege *Tubingen*) *tres latrones, quorum duo sui homines erant, tertius Ducis Welfonis, apud Moringen capiens, suos abire permisit, suspenso illo, qui Welfonis erat. Pro quo Welf Iunior permotus, maxima indignitate in Palatinum exarsit, & igne ferroque acceptam iniuriam vlciscitur. Palatinus itaque a Duce arctatus, ad Fridericum, Ducem de Rotinburch, filium Conradi Regis, se contulit, auxiliumque eius contra Welfonem nanciscitur. Igitur Welf, Bertoldo Duce de Zeringin in adiutorium ascito, ac ab vtroque summo studio exercitu congregato, contra Palatinum & Ducem Fridericum procinctum mouent, ipsosque apud Tuingin* (*Tubingen*) *inuadunt; a quibus non segniter excipiuntur cum expeditis militibus: consertaque pugna Duces a Palatino fugantur, captis de eorum exercitu nongentis militibus. Quo infortunio filii Welf Senior inflammatus, militem instaurat, venienteque Bertoldo Duce cum militia sibi in adiutorium, cunctis rebus Palatini igne ferroque profligatis, castrum* Chelmuntz *obsedit, ac post aliquot dies expugnatum funditus destruxit. Exinde ad castrum* Hildratshusin *diuertens, simili modo expugnatum destruxit, ac inde per* Gilstin *transiens, turres Ecclesiae pro castello munitas a fundamentis euertit. Deinde castrum* Wilare *obsidione circumdedit, vbi aliquantisper moratus, castrum forti aggressione captum, destruxit, omnibusque Palatini prorsus igne consumptis, dimisso Duce Bertoldo, cum victoria in Sueuiam rediit. Interim Dux Fridericus de Rotinburch, educto Bohemico exercitu, Welfonem insequitur, ac apud* Gaizibron *morantem, primae noctis vigilia derepente facto incursu, Welfonem expergefactum cum suis in castrum* Rauensburch *fugauit. Sed non impune cessit haec temeritas. Nam quidam de nobilissimis Bohe-*

micis

micis Baronibus Henricus de Landesberch; in ipso impetu occiditur, inibique cum maximo planctu a suis sepelitur: succensisque quibusdam Welfonis territoriis, ad propria reuertuntur. Anno Incarnationis Dominicae MCLXV. auditis per Principes in Cisalpinis partibus Regni deuastationibus, Fridericus Imperator ex Italia regreditur, eiusque iussu dimissis a Palatino captiuis militibus Welfonis, generalis Curia in quadragesima apud Vlmam Principibus indicitur. Quo Welf cum fratruele suo Henrico Duce Saxoniae & Bauariae, & Bertoldo Duce de Zeringen, ac multis aliis terrae maioribus, perueniens, ab Imperatore honorifice cum filio suscipitur: ac Palatitinus, vt sine omni conditione in manus ipsorum se tradat pro iniuria ipsis illata, aut Regno cedat, ab Imperatore iubetur. Qui tribus vicibus coram Duce Welf in terram corruens, ipso suscipere dedignante, tandem receptus capitur, captusque in exilium Rhetiam Curiensem, ad Castrum Nuinburch transportatur. Sicque Welfone placato, Imperator inde digreditur.

§. 50.

Welfi Iunioris in hoc bello praecipuae partes fuere. Welfus enim pater cum bona Sueuica & quicquid per vxorem adeptus erat, filio cessisset, in Italiam secedebat, suas ibi Prouincias pacaturus. Ibi Anno 1166. Lucensi ciuitati libertatem impertit, qua adhuc gaudet. Ptolemaeus Lucensis: *Anno Domini MCLXVI. Dominus Guelfus Dux Spoletanus, Marchio Tusciae, Princeps Sardiniae & Dominus Domus Comitissae Mathildae concessit Lucensi Communi per priuilegium omnem iurisdictionem ad ius Marchiae pertinentem & ad Domum Comitissae praedictae intra sex milliaria Communis.* Clarissimus Muratorius testatur, se Lucae huius Priuilegii apographum vidisse. Eodem anno apud *Castrum Larianum* agens *Welfus Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tusciae, Princeps Sardiniae ac totius substantiae Comitissae Mathildis Dominus* Gerardum Rangonem inuestit *de omni iure ac possessione, quam Comitissa Mathilda quondam habuit & ipse habet in curte Gauassae.* (Probat. N. CXV.) Apographum huius diplomatis idem Clarissimus Muratorius in Archiuio Regiensi reperit. Notarius attestatur in authentico appensam fuisse Bullam, in qua erat *militis sculptura super equum.* Sigillo igitur vsus est Welfus simili ei, quod Henricus Leo habuit.

§. 51.

Interea Fridericus Imperator cum Alexandro III. Papa, diras inimicitias exercebat, primum Victore, deinde Paschali ei opposito. Anno 1167. Romam ipsam capiebat & Alexandro Beneuentum fugiente, Paschalem in Sede Romana constituit. Welfus Senior has turbas declinans

interea eodem illo anno profectionem in Terram Sanctam suscepit, dimisso prius praedio ad Popenreut Wihensteuenensi Ecclesiae apud Frisingenses, (Probat. N. CXVI.) & filio domi relicto, quem Imperator in partes suas pertraxit. Iuit is ergo in Italiam, & medio mense Iulio Imperatorem Romae inuisit, quo eodem tempore Welfus Senior ex itinere redux peruenit. Videns autem Imperatorem multa secus agere, ab eo in Germaniam secessit, & filius eius pestilentia mox obiit. Omnia haec Anonymus de Guelsis breuiter hisce complexus est: *In subsequenti vero hyeme circa Epiphaniam Gwelfo Senior Hierosolymitanum iter aggreditur, & in Italia Imperatorem reperiens, ac filium suum cum omnibus ad se spectantibus gratiae eius commendans, Pascha sanctum apud Sepulchrum Domini celebrauit. Interea Imperator Gwelfum Iuniorem multis illectum promissionibus ad se in Italiam reuocat. Qui collecto milite sub Paschali tempore Pireneum per iugum, VII^mi montis, quo Rhenus & Oenus fluuii oriuntur, transcendens, Papiam vsque peruenit. Vbi legatos Imperatoris inueniens & stipendium ab eis promissum recipiens, in Tusciam, negocia terrae vbique tractans, transiuit: & sic ad Imperatorem circa medium Iulium non longe a Roma peruenit. Eodem quoque tempore pater eius Hierosolymis veniens, reuersus Romae occurrit, ac visis Imperatoris detestabilibus piaculis, ipsum & omnem exercitum detestans, ad propria per vallem Tridentinam reuertitur. Imperator enim tanta eo tempore in destructione Ecclesiarum, in strage populorum, siue aliis abominationibus Romae exercuit, vt vindictam Dei iusto iudicio sequi oporteret. Maxima enim pars exercitus interiit. Episcopi Coloniensis, ille qui totius mali huius, nec non & schismatis diutini incentor fuit, Spirensis,* (yyyy) *Ratisponensis, Bragensis, Wer-*

yyyy) Episcopis, qui tum Romae peste perierunt, annumerandus quoque est *Conradus Augustanus;* in cuius locum *Hartwicus* suffectus est. Hunc Conradum a Welfo occisum in vulgus sparserunt, qui nullum bonum opus a Principibus facile fieri putarunt nisi expiandi magni cuiusdam criminis causa. Nam Welfus noster Roma redux hoc Anno 1167. nouum apud Memmingen Coenobium condere coepit. Achilles Gassarus Chron. August. p. 1429. *Welfo, Algiobuiarus Princeps, Maurum Scotum cum duodecim suae gentis & ordinis Monachis Regensburgo euocauit, ac primum Abbatem ad nouum S. Nicolai a se prope Memmingam exstructum Coenobium, sub Augustani Episcopi, cuius praedecessorem occidisse, eiusque facinoris causa vltra mare in exilium transmissum esse a quibusdam putatur, confirmatione constituit.* Sed famam illam de occiso Episcopo, deque poenitentia Welfo Duci iniuncta vanam futilemque fuisse, vel hoc indicio est, quod appendix ad Radewicum *p. 559.* in Episcopis, qui Romae peste exstincti sunt, diserte *Conradum Augustensem* nominat, & quod Alexander PP. III. Welfi amicissimus, & Welfus vicissim Alexandro deditissimus fuit, nec vmquam quemquam eorum Pontificum, quos Fridericus Imperator Alexandro opposuit, licet inter mille pericula Pontifices agnouit. Id tamen negari non potest, Conradi Episcopi mortem magnam Welfi fortunarum partem euertisse. Welfus enim adhuc *Ecclesiae* Augustanae, quemadmodum Adelgottus de Schwabbecke *ciuitatis* Aduocatus fuerat. Hoc defuncto, Fridericus Imperator castrum Schwabbeke occupauit, remque eo perduxit, vt ipse cum posteris suis vrbis Aduocatus adscisceretur, cui honori Welfus quoque imminebat. Sed Welfus

Werdonensis, Leodiensis ac caeteri Principes, Fridericus scilicet Dux, filius Conradi Regis; Gwelfo Dux, filius Gwelfonis Ducis; (zzzz) *Berengarius Comes de Sultzbach; Heinricus Comes de Tuingen, cum pluribus Regni huius Maioribus occubuerunt. Quorum omnium pene ossa carnibus per excoctionem consumptis, ad propria reducta sunt. Translata sunt autem & ossa Gwelfonis nostri, & in Monasterio Staingaden a patre suo fundato reposita sunt.* (aaaaa) De morte Welfi Iunioris etiam Continuator Morenae p. 118. mentionem fecit.

fus hoc tempore non solum hac dignitate, sed etiam Aduocatia Ecclesiae Augustanae, quae ista multo pinguior erat, excidit. Hartwicus enim ille nouus Episcopus, Ecclesiae suae priuilegio vsus, Fridericum Imperatorem, in odium Welfi & Alexandri Pontificis, Aduocatum suae Ecclesiae elegit. Ex qua re innumera sunt consecuta mala. Etenim in magno illo inter Imperium & Sacerdotium dissidio pars Principum & Episcoporum a partibus Imperatoris, pars a partibus Alexandri III. stabat, qui armis, quorum compos erat, vsus, Imperatorem & eius asseclas diris deuouit. Inter haec deuota capita Hartwicus Augustensis Episcopus fuit, cuius dioecesis per magnam terrarum Guelficarum partem porrigebatur. Clerici autem minores huius dioecesis Welfo adhaeserunt & Pontifici; a Dioecesano autem abhorruerunt. Vnde crebra Abbatum & Praepositorum exilia: multae inter aulam Pontificiam & Guelficam discursationes, & ordinum vel denegationes vel recusationes.

zzzz) Mors huius filii vnici rationes Welfi omnes penitus conturbauit. Natae statim lites ex administratione terrarum Comitissae Mathildis, quae filio permissa erat. Cuius gesta pleraque ignorans pater nonnumquam disposuit de rebus, quae a filio iam dispositae erant. Sic filius ignorante patre, Monasterio de Marolo vendiderat terram Sortis, quam pater a filii obitu Monasterio Canusio vendidit. Lis haec inter duo Monasteria quomodo a Legato Pontificis decisa fuerit, docent Chartae, quas infra subiicimus. (Probat. N. CXVII. CXVIII. & CXIX.)

aaaaa) Monasterium Steingadense iam Anno 1147. a Welfo nostro fundatum, & Monachis Praemonstratensis ordinis incolendum datum fuit. Hund. Metropol. Salisburg. T. III. p. 243. Situm id est in dextra Lyci ripa haud procul Raitenbucha in dioecesi Augustana. Fundationis litterae nondum sunt editae. Sigillum tamen iis inhaerens aeri incisum exhibet Matthaeus Raderus de Sanctis Bauariae Tom. III. p. 99. hac forma:



Insignia Gvelfonis in Staingadensis Coenobii literis fundationis.

Nec dum Eugenii PP. III. confirmatio prodiit in lucem; eius tamen mentionem fecit Adrianus IV. Anno 1156. hanc fundationem confirmans, cuius Bullam (Probat. N. CXX.) subiicimus. Quam liberalis in hoc Monasterium post mortem filii ibi sepulti Welfus fuerit, postea videbimus. Nunc notare iuuat, Welfum hoc eodem tempore, consentiente Henrico Leone, allodium suum Amergauiense cum Ecclesia Campidonensibus Monachis donasse, *vt singulis annis anniuersarius dilecti filii nostri,* inquit, *Ducis Welfonis, in eodem Monasterio agatur & lumen, quod sine intermissione ibi ardeat, in ipso iam saepe dicto Monasterio habeatur. Actum Augustae coram Friderico Impe-*

§. 52.

Ex hoc tempore Welfus plurimum laborauit pro pace inter Ecclesiam & Imperium restituenda; Alexandro tamen magis fauit, quam Imperatori, & cum illo secretum litterarum commercium habuit, vt apparet ex Epistolis eius, quas a Maxime Reuerendo P. Pezio olim communicatas inter Probationes exhibemus. (Probat. N. CXXVI.) Cum Hartwico etiam Episcopo Augustano, qui Anno 1167. contra Welfi voluntatem constitutus erat, inimicitias graues exercuisse Welfum, ex iisdem Epistolis intelligimus. (bbbbb) Inter Epistolas Tomo IV. Script. Franc. Quercetani annexas Num. CCCLXXIV. illa est, quam infra (Probat. N. CXXXVII.) exhibemus. Hanc *Ludouico gloriosissimo Regi Francorum ac dilecto consanguineo suo Welpho Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tusciae, Princeps Sardiniae ac Corsicae & Dominus totius Domus Comitissae Mathildis* misit, gratias ei agens pro officiis Alexandro Papae praestitis.

§. 53.

Post obitum filii omnium ditionum suarum heredem instituit nepotem ex fratre Ducem Henricum Leonem, postulata solum ab eo certa argenti summa. Henricus, qui mortem Welfo breui insecuturam credebat, a Consiliariis seductus, semper procrastinabatur, nec pecuniam soluebat. Hoc aegre ferens Welfus ad Fridericum Imperatorem se conuertit, eique qui pecuniam hoc in loco vtiliter negligebat, omnia feudalia & auita quoque bona resignauit, ingenti Familiae Guelficae damno. Otto de S. Blasio cap. 21. *Anno Dominicae Incarnationis MCLXVII. Paschali Papa defuncto, Calixtus ab his, a quibus prius Paschalis & Victor, substituitur, Alexandro in potestate sua vsque adhuc consistente. Eodem tempore Fridericus Imperator reuersus ad Cisalpina, totam terram & vniuersam substantiam Friderici de Rotinburch ditissimi, fidelis in possessione praediorum Principis fratruelis sui, haereditaria possessione possedit, ac multorum Baronum possessiones postmodum in suam potestatem contraxit. Welf vero Dux orbatus haerede in amisso*

Imperatore & multis Episcopis: quorum adscripta sunt nomina. (Probat. N. CXXI.) Successu temporis Campidonenses, praeuio decreto de alienando ab Henrico Constantiensi Episcopo, qua Dioecesano, impetrato, (Probat. N. CXXII.) vendiderunt ius patronatus Ecclesiae in Amergau cum tribus Curiis Monasterio Ruitenbuchensi, (Probat. N. CXXIII. & CXXIV.) cui Emicho Frisingensis Episcopus eam vniuit Anno 1298. (Probat. N. CXXV.)

bbbbb) Welfus Dux durante schismate Legatum in Aula Alexandri Pontificis habuit, Ottonem Praepositum Raitenbuchensem. (Probat. CXXVI. n. 4.) qui ipse tamen postea gratia eius excidit; ceu patet ex litteris ibidem n. 11. & Probat. N. CXXVII. & CXXVIII. relatis. Longam eius absentiam Raitenbuchenses aegre tulerunt, quibus murmurantibus etiam copiam eligendi alterius Abbatis fecit, (Probat. CXXIX.) Vnde postea variae eius querelae natae Probat. CXXX.) Diuersas ab eo in hac Legatione scriptas epistolas aliaque huc spectantia infra exhibemus (Probat. CXXXI. vsque CXXXV.)

amiſſo filio, tactusque dolore cordis intrinſecus, Henricum Ducem Saxoniae & Bauariae, fratruelem ſuum, in haeredem adſciuit, ab eoque pro hoc quantitatem pecuniae exigens, dum conſequi putat, fruſtratur promiſſis. Dux enim Henricus, quorundam prauorum conſilio, Welſonem iam grandaeuum cito moriturum praeſagiens, argentum pro conſtituto dare diſtulit. Welf iratus Imperatori Friderico ſororio ſuo, recepta ab eo prius pro libito ſuo pecunia, primo beneficiis, ſcilicet Ducatu Spoleti, Marchia Tuſciae, Principatu Sardiniae ipſi reſignatis, omnia praedia ſua ipſi condidit, (lege: *concredidit*) *eaque vſque ad terminum vitae pluribus aliis addictis recepit.* (ccccc) Continuatio Steingadenſis Anonymi de Guelfis haec diſtinctius enarrat, & Welfi Senioris mores nobis depingit his verbis notatu dignis: *Igitur Guelſo Senior poſt obitum filii nullatenus haeredem ſuſcepturum ſe de coniuge ratus, cum & illa minus diligeretur, & alienorum magis amplexibus delectaretur; ſtuduit per omnia ſolenniter viuere,* (ddddd) *venationibus inſiſtere, conuiuiis & voluptatibus deſeruire, in feſtiuitatibus & variis donationibus largus apparere. Itaque ne talibus rebus minor ſumtus contingeret, Principatum Sardiniae, Ducatum Spoleti, Marchiam Tuſciae, & egregiam Curtem Eleſinam, quae domus dicitur Dominae Mathildis, cum ſuis appendiciis, Imperatori Friderico ſororio ſuo, tradidit; auri & argenti quantitate, quam poſtulabat, accepta. Cuius pecuniae non modicam partem diuerſis Monaſteriis pro remedio animae ſuae* (eeeee) *diſtribuit, maxime tamen Staingadenſi Eccleſiae, quam fundauerat, obtulit; cuius & artifices, tam murorum, quam aliarum aedium, quoad vſque vixit, ſingulis annis per ſe remunerare voluit. Eodem etiam tempore conuocatis optimatibus tam Bauariae, quam Sueuiae in plano Lyci vltra Auguſtam, in loco, qui dicitur Concio legum, ſolenne Pentecoſten celebrauit, innumerabilemque multitudinem, vndecunque coadunatum, laute pauit. Omne demum patrimonium ſuum Henrico fratrueli ſuo, Duci Saxoniae & Bauariae,*

ccccc) Idem auctor commemorat quoque multorum aliorum Dynaſtarum & Comitum heredibus carentium hereditates, quas Fridericus Imperator eo tempore donatione vel pretio acquiſiuit, & quomodo eas inter filios, quorum plures habuit, viuens adhuc diſpertierit.

ddddd) Iucunda ſunt Auentini verba, quibus Welfi comiſſationes deſcribit haud ſecus ac ſi ipſemet interfuiſſet: *Welpho pater*, inquit Annal. l. VI. c. 6. n. 5. *vbi filio defuncto nullos amplius ſperat liberos, ab re vxoria abhorret, Vtam coniugem ad Alpes migrare iubet: potat, obſonat, comiſſatur, amat; conuiuiis, nimio veſtitu, venationibus, gaudiis corporis indulget: otio aetatem tranſigit. Equites, Milites obaeratos, proſcriptos, ad ſe confugientes benigne appellat. Hos ſodales ſibi adſciſcit: cum illis libenter viuebat & libenter victitabat. His equos, veſtes, ſumtus ſuggerit &c.*

eeeee) Sic Anno 1172. Eccleſiae S. Vdalrici & S. Afrae in Auguſtana ciuitate *Welfus Dux Spoleti, Marchio Tuſciae, Princeps Sardiniae*, cuius liberalitate plures Eccleſiae ornatae & auctae fuerunt, de praedio ſuo *Moringano* duas villas & molendinum in *Tagebrechtshouen* dono dedit, narrante Hertſeldero p. 22. & 169.

riae, conuentione facta, tradere spopondit. Sed orto inter eos dissensionis scandalo, ipsam transactionem ad Imperatorem Fridericum & eius filios conuertit. Imperator ergo Fridericus, vir omni modis sagax & prouidus, in auro & argento toto nisu satisfaciens auunculo, traditam sibi haereditatem lege gentium possedit: & quaedam in signum possessionis sibi retinuit; reliquis vero ipsum Guelfonem inbeneficiauit, quaedam & de suis superaddidit. Exceperat tamen idem Guelfo quaedam praedia, quae iam dudum pro remedio animae suae daturum se Deo vouerat, scilicet, Vidanshouen cum suis appendiciis, quod S. Petro in Augusta donauit; Berge & Wilare cum suis appendiciis, quae S. Martino in Wingarten delegauit; Widergeltingen & curiam in honorem Sardis, singula cum suo iure, quae S. Iohanni Baptistae in Steingaden pro dote obtulit.

§. 54.

In Italia Welfus Anno 1173. memoratur (fffff) in Charta Gerardi de Carpeneta apud Muratorium Ant. Estens. T. I. p. 299. qua is Communi Mutinensi se iuramento obligat *excepto contra Imperatorem & Ducem Welfonem* &c. Anno 1177. pax inter Fridericum Imperatorem & Alexandrum Papam Venetiis coaluit, & Alexander Papa hic constitutus 7. Cal. Iunii *dilecto filio, nobili viro Duci Guelfoni* Epistolam scripsit, qua Ecclesiam Steingadensem in suam protectionem recipit, *apud quam*, vt verba Alexandri habent, *corpus filii eius tumulatum erat.* (Probat. N. CXXVI. n. 8.) Welfo cum Hartwico Augustano Episcopo non conueniebat; Papa igitur ratam habuit consecrationem Ecclesiae a Frisingensi Episcopo factam; hocque aliis litteris Abbati & Fratribus S. Ioannis Baptistae de Staingaden notum facit. (Probat. N. CXXXVIII.) Vtramque epistolam Gewoldus Metropolis Salisburgensis Tomo III. p. 245. imprimi fecit. Nec in Pacificatione Veneta oblitum est Patrimonium Mathildis; sed in vltimo congressu *Pontifex*, vt gesta Alexandri III. apud Baronium referunt, *ab Imperatore petiuit, vt Regalia S. Petri, & possessiones S. R. E. sicut per mediatores Cardinales & Principes apud Anagniam constitutum fuerat & firmatum, sibi restitui faceret. Cui respondens Imperator, dixit: Regalia Sancti Petri, & possessiones alias Romanae Ecclesiae, praeter terram Comitissae Mathildis & Bertinorum, libere ad praesens restituam. Sed quia ista mihi videntur ad Imperii ius pertinere, vos eligite de vestris Cardinalibus tres, & nos de nostris Principibus totidem eligemus ad ista tractanda, quorum iudicio pars vtraque irrefragabiliter stare debeat. Quod licet*

fffff) Sed non tamquam in Italia praesens. Vti enim Imperator, ita Welfus quoque absens excipi potuit in sacramento illius Gerardi.

licet Pontifici graue nimis & durum fuerit, quoniam & in forma pacis de restituenda terra Comitissae Mathildis expressum fuerat & iuratum, & tunc ipse castrum Bertinorum, sicut superius dictum est, possidebat: ne tamen occasione ista Ecclesiae pax turbaretur, voluntati eius tandem assensum praebuit. Statimque Christianum Moguntinum Archi Episcopum & Wormatiensem Electum, & A. Protonotarium, qui presentes aderant, ad id faciendum delegit Imperator; & Alexander Papa suos, videlicet Ostiensem & Portuensem Episcopos, & Cynthium Diaconum Cardinalem elegit. Pro restituendis vero praedictis Regalibus, & caeteris Ecclesiae possessionibus, illico eundem Moguntinum assignauit Pontifici, praecipiens ei sub obtentu gratiae suae, vt restitutionem ipsam intra tres menses cum integritate perficeret. Idem Baronius Romualdi Archi Episcopi Salernitani, quem Rex Siciliae pro pace inter Imperatorem & Papam componenda miserat, relationem inseruit, in qua inter caetera haec leguntur: *Episcopus Clarimontis cum Abbate de Bonaualle, qui remanserant, videntes, quod nullum a Papa possent habere responsum (licet inuiti) petitionem Imperatoris Papae exposuerunt. Erat autem haec petitio: Imperator Papae per Nuntios suos promiserat, quod, si pacem cum eo faceret, terram Comitissae Maltendis, quam ipse tenebat, in manu eius, & Ecclesiae potestate remitteret. Petebat ergo, vt liceret ei vsque ad quindecim annos, videlicet, quousque pax Regis Siciliae perduraret, eiusdem terrae reditus sine contradictione recipere, completis vero quindecim annis volebat, possessione penes eum remanente, statim de eadem terra cum Ecclesia placitare, asserens, illam ad ius sui Imperii pertinere. Papa autem intuitu Regis Siciliae, quem plurimum diligebat, vsque ad condictum terminum Imperatori praenominatae terrae fructus habere concessit, hac tamen conditione, quod completis quindecim annis, ad potestatem & possessionem Romanae Ecclesiae terra illa rediret. Et tunc Ecclesia in possessione posita, si Imperator vellet de proprietate terrae illius agere, libenter ei Ecclesia iustitiam faceret. Postquam autem hic modus petitionis implendae per Episcopum Clarimontis & Abbatem de Bonaualle fuit Imperatori propositus, plurimum illi displicuit, & sic concordia per illos tractata remansit.* Imperatori itaque animus non erat Pontifici tot opimas regiones & latifundia restituendi. (ggggg) Notabile est, nominari inter restituenda Pontifici *terram Bertinorum.* Bertini iidem sunt cum iis, quos Domnizo *Baratinos* vocauit, Parmae nobiles inquilini ab abauo Mathildis Ducatricis Sigefrido orti, vt Libro III. demonstrauimus. Sed hinc sequitur, Anno 1177. Familiam eorum iam emortuam

ggggg) Mansit enim in possessione & Anno 1178. compositionem inter vasallos Domus Comitissae Mathildis & Monachos Padolironenses confirmauit. (Prob. CXXXIX.)

tuam & bona ab Imperatore recepta fuisse. Anno 1185. in congressu Veronensi Lucius *Papa & Imperator* iterum, vt Arnoldi verbis Libr. III. c. 10. vtar, *de Patrimonio Dominae Mechthildis Matronae nobilissimae litigabant, quod Imperator in possessione habebat, dicens ab eadem Imperio collatum. Et e conuerso Dominus Papa Sedi Apostolicae ab ea datum affirmabat. Cumque in argumentum probandi testamenti ex vtraque parte priuilegia porrigerentur, nullo fine causa terminata est.*

§. 55.

Meminit Otto de S. Blasio cap. 21. Fridericum Imperatorem filio Friderico *haereditatem Welfonis* dedisse. Sed hoc de bonis Sueuicis & Bauaricis solum intelligendum est. Hinc enim factum est, vt, cum Welfus Dux fundationem Steingadensem renouaret, (Probat. CXL.) a Lucio PP. III. de nouo confirmatam; (Probat. CXLI.) non solum Henricus VI. Imperator (Probat. CXLII.) sed & frater eius Fridericus, qui paullo post in bello sacro periit, eam confirmarent. (Probat. CXLIII.) In Italia autem iam Anno 1185. *Conradus Dux Spoletanus* erat. (hhhhh) Vghellus Ital. Sacr. T. I. pag. 113. refert, in Ecclesia Cathedrali Reatina in antiqua tabula marmorea hanc de nuptiis Henrici VI. Regis cum Constantia Rogerii Siciliae Regis filia memoriam extare: *Anno 1185. Indict. III. mens. Aug. die 28. temporibus Lucii III. Papae & Friderici Rom. Imp. & Benedicti Reatinae Sedis Episcopi &* Conradi Ducis Spoleti, *Rex Henricus, filius eiusdem Imperatoris, recepit Reatae Reginam Constantiam, filiam Rogerii Regis Siculi, in vxorem per Legatos suos, cum maxima multidudine Principum ac Baronum.* Eodem anno V. Kal. Octobris Fridericus Imperator apud Cucurionem constitutus *ad preces dilectissimi Ducis Spoleti* ciues Spoletanos *in plenitudinem gratiae imperialis recipit, & inter puram sinceritatem fidelium Imperii confidenter adnumerat, expectans de ipsorum honestate ac prouida discretione, quod nec rerum blanditiae a constantia suae fidelitatis de caetero eos emollient, nec tempestate aduersitatum aliquo modo deuiare compellent.* Inter testes est Conradus Dux Spoleti. Videatur Vghellus l. c. pag. 175. In Henrici Romanorum Regis priuilegio Monasterio S. Mariae de Nouo Portu Anconitano concesso Anno 1186. quinto Kal. Decembris apud Vghellum l. c. T. I. p. 377. etiam

hhhhh) Haec nihil ad rem. Nobiles enim illi cum e Sueuia tum ex Alsatia, ab Hohenstauffensibus Principibus ad regendas terras Mathildis in Italiam missi viri, Duces & Marchiones Vicarii erant, Hohenstauffiis ad rationes reddendas obstricti. Friderico enim huic mox videbimus in his Prouinciis successisse fratrem Philippum. Nobiles isti Sueui in patriam reuocati nonnumquam titulos istos retinuerunt. Aliam enim originem Vrslingenses Duces exempli gratia non habuerunt. Conradus ille in Germania vocabatur Conradus de Luzelinhard, teste Vrsperg. p. 225.

etiam inter testes reperitur *Consalvus* [lege *Conradus*] *Dux Spoleti.* Sigonius hinc errat, dum Conradum Anno demum 1191. ab Henrico VI. Imperatore Ducem Spoleti constitutum putat.

§. 56.

Verum ad Welfum redeundum est. Is Anno 1183. insignem donationem Monasterio Steingadensi fecit, quam recitat Gewoldus in Additionibus ad Hundii Metropol. T. III. p. 245. Sed hanc quidem sub titulo renouatae fundationis supra iam attulimus; nunc alia adferemus. Anno 1180. Welfus Dux praesens fuit, cum homo proprius Ecclesiae Frisingensi sollenni ritu traderetur. (Probat. N. CXLIV.) Anno 1181. Welfus Dux quamdam praediorum commutationem instituit cum Abbate Rothensi. (Probat. N. CXLV.) Anno 1185. Welfus Dux cum Vtha Coniuge sua Fratribus in Adelberg donationem olim factam confirmauit; (Probat. N. CXLVI.) confirmatam quoque ab Hermanno Constantiensi Episcopo. (Probat. N. CXLVII.) Eodem anno Fridericus Dux, Welfi Ducis heres, Welfo praesente, in placito prouinciali Abbatiae in Salmansweiler fauit; (Probat. CXLVIII.) qui ipse etiam Anno 1186. donationes Welfi Ducis & fratris eius Henrici Augiae minori factas ratas habuit: (Probat N. CXLIX.) quas post eum Anno 1192. Henricus VI. Imperator, (Probat. N. CL,) & Anno 1197. frater Philippus itidem confirmarunt. (Probat. N. CLI.) Porro Welfus noster, vt Raitenbuchensis Canoniae (iiiii) Aduocatus natus fuit, ita eius quoque Ecclesiae curam vsque

iiiii) Cum non defuerint, qui ex Raitenbuchensi Monasterio jam pridem condito, & in iusti Monasteri speciem consecrato sacras quasi colonias aliorsum deduxerint; forte non abs re erit, historiam eius altius paullo repetiisse. Sita est *Raitenbucha* ad Ambronem fluuium inter villas Ambergauias & vrbem Weilheim; eique iam *Welfus*, quem *Conquaestorem* diximus, A. 1074. cum coniuge *Juditha* mirifice fauit, dum praeter triginta & vnum mansus villam Bebingoë seu Pobingen ex aduerso fluminis Raitenbuchae proxime adiacentem Monachis ibi congregatis donaret; quae ipsa donatio A. 1085. noua eaque pinguiore horum ipsorum illustrium Coniugum studio aucta tantum res Monasterii huius amplificauit, vt iam in illud Cohors virorum Augustiniani Ordinis, qui *Canonici regulares* dici amant, & a quibus Collegia huiusmodi *Canoniae*, appellantur, introduceretur. Pristina eaque simplicior eorum appellatio est *Clericorum* Deo Sanctisque eius *sub regula S. Augustini* seruientium. Atque hoc elogio ornatos eos inuenio, quibus Reichersbergensis Coenobii hoc eodem tempore fundati conditor, Comes Wernherus praedia sua concessisse legitur Chron. Reichersberg. ad A. 1084. Auentinus L. VI. c. 1. n. 11. dum de Welfo Conquaestore scribit: *Raidenbuch nouum Collegium Augustalibus flaminibus in superiore Bauaria instituit*, hos nostros *Augustiniani ordinis homines* in mente habuit. Primi Raitenbuchensis Canoniae incolae tantum sanctitatis odorem non per Bauariam solum, sed etiam per totam Germaniam sparserunt, vt praestantissimi quique iidemque ditissimi viri ad eam incolendam vndique confluerent. Lambertum Coloniensis Ecclesiae Canonicum, qui Raitenbuchensibus adgregatus cum quibusdam sociis in Saxoniam migrauit, vbi ab Adel-

ad vitae finem retinuit. Euicit enim ei coram Augustensi Episcopo ius Patronatus Ecclesiae in Muhlhausen, idque, vt Lucius PP. III. confirmaret,

Adelgoto, Magdeburgensi Archi Episcopo, Monasterio Noui operis ad muros Hallenses a se condito praefectus fuit, Dn. Meichelbeckius Histor. Frisingensi cum primis laudat, eumque ex Rotenburgicis in Orientali Francia Comitibus ortum putat. Rem gestam ita narrat Chronicon Montis Sereni ad Annum 1144. *Lambertus, venerandae memoriae primus Hallensis Praepositus, obiit. V. Idus Februar. Sedit Annis XXVI. Primus autem dicitur, quia illi Ecclesiae in loco, qui nunc est, primus praefuit. Adelgotus siquidem Archi Episcopus, cum primum inchoandi hanc Ecclesiam propositum habuit, & Canonicos secundum regulam B. Augustini in ea instituere disponeret, huiusmodi viros de quadam Ecclesia Bauariae, quae* Reidenbug *dicitur, vnde & Ordo Canonicorum regularium per Saxoniam deriuatus est, timore Henrici Imperatoris recedentes, inter quem & Summum Pontificem longa discordia trahebatur, tanquam a Deo sibi transmissos suscepit, eosque in castro Giuekenstein, data eis eiusdem castri capella, & vno, Berwigo nomine, qui ceteris praeesset, ordinato, qui etiam Ecclesiae illius, de qua recedebant, Praepositus fuerat, per biennium detinuit. Infra quod temporis spatium Berwigus defunctus est.* (Hic Berwigus non comparet in catalogo Praepositorum Raitenbuchensium. Praepositus ergo eorum fratrum fuerit, qui in Saxoniam migrarunt.) *Inde Archi Episcopus ad locum, vbi nunc Ecclesia est* Noui operis, *eos transtulit, &* Lampertum, *de quo hic agitur, qui vnus erat ipsorum, eis Praepositum feliciter ordinauit; qui mox diuino timori se ex toto corde subiiciens, in regulari conuersatione ita se exhibuit, vt in paucis annis plurimi, quorum plerique erant nobiles, & ex delicatis moribus, bonae opinionis eius odore tracti, ad locum illum, tanquam ad portum post naufragium, conuersionis gratia festinarent. Ex qua re factum est, vt illa Ecclesia, inter ipsa fere suae inchoationis primordia, numerositate personarum venerabilium, multis veteribus Ecclesiis praestantior haberetur.* Lambertus non solum fundatae Praemonstratensis Ecclesiae in gratia Dei testis fuit, sed etiam ipsum fundationis diploma IV. Non. Mart. MCXXXV. datum est *apud Canonicam* (seu Canoniam) *Sanctae Mariae genetricis Hallae, quae dicitur* Nouum opus, *praesente Hallensi Praeposito reuerendo* Lamberto, apud Leuckfeld Antiq. Praemonstrat. de Monasterio Gratia Dei p. 25. 26. Caue tamen putes, Gratiam Dei nouam Noui operis coloniam fuisse. Praemonstratensis enim ordo nuper admodum a Diuo Norberto institutus erat, cum Clericorum seu Canonicorum Regularium Sancti Augustini secta sit antiquissima, & vtriusque ordinis homines non vestitus solum, sed & cerimoniae non nihil distinguant. Ab vtrisque differunt Monachi Eremitae ordinis Sancti Augustini, quos olim in diuersis locis per casulas more Eremitarum viuentes collegit in communem vitam Alexander PP. IV. Anno 1265. Monachis mendicantibus annumeratos, in quorum numero & ordine Erfurti olim vixit Beatus noster Martinus Lutherus. Lamberti vitam statim ab obitu eius scriptam in lucem edidit Dn. Schannat Vindem. liter. II. p. 68. seq. e qua patet, eum Bernhardi Hildensemensis Episcopi fratrem fuisse, pluresque alios fratres saeculares habuisse, quos editor *Comitibus Walbusanis* annumerat; nihil commune habentibus cum *Rotenburgicis* illis Meichelbeccii, qui forte numquam exstiterunt. Tum Meichelbeccius *Sigismundum* quemdam cum aliis quatuor fratribus *Quelphoropitum* (ita enim apud eum scriptum est) vocatum esse, vt *Hammerslebiensi Coenobio* eiusdem ordinis recens constructo praeesset, ex domesticis membranis commemorat. Porro alius, nomine *Rogerius*, datus esse dicitur Rhodensi Collegio prope Aquisgranum Praepositus. Ipsum Bercholdesgadense Collegium, quod hodie Principum dignitate gaudet, Raitenbuchensi Canoniae suam originem debet. Ex ea enim emissus *Eberwinus* cum septem collegis Anno 1108. Berchtoldesgadae Monasterium condidit, ipseque primus eius Ecclesiae Praepositus fuit. Vid. libellus vetustus de Ecclesiae Berchtesgadensis fundatione apud Hund. Metropol. Salisburg. T. II. p. 106. ex quo haec pauca propinare lubet: *Eodem tempore* (quo Beringerus Comes de Sulzbach nouum Monasterium condere moliebatur) *Reitenbuchensis Ecclesia, communis vitae priuilegiis regulariter instituta, laetissimae congregationis filiis foecunda, religiosae conuersationis patribus sublimata, fama & opinione*

maret, impetrauit. (Probat. N. CLII.) Post Welfi obitum Otto II. Episcopus Frisingensis Raitenbuchensibus Ecclesiam in Gresolfingen donauit; (Probat. N. CLIII.) Aduocatia autem ad Hohenstaufios peruenit, (Probat. N. CLIV.) e quibus Conradinus potissimum (Probat. N. CLV.) in Raitenbuchenses, quibus Rudolfus I. Rex conseruatorem constituit, (Probat. N. CLVI.) tam liberalis fuit, vt cum Ludouicus Bauarus eumdem se exhibere vellet, Conradini priuilegium confirmaret & explicaret. (Probat. N. CLVII.) Vbi Anno 1190. Fridericus Imperator & anno sequenti filius eius Fridericus Dux in Terra Sancta decessissent, Welfus omnem suam hereditatem Henrico VI. Imperatori delegauit. Chronicon Weingartense *Nobile patrimonium cum praediis nec non Aduocatiis & Ministerialibus Friderico Romanorum Imperatori, filio videlicet sororis suae, & filio illius, Friderico Duci Sueuorum, sub iure possessionis contulit. Quibus in expeditione Hierosolymitana mortuis, idem Welfo propter innatam familiaritatem &* con-

ne sanctitatis longe lateque fulgebat. Inde itaque, tamquam de fertilissimo sanctitatis & religionis horto, nouae institutionis plantaria quaerere optimum ducens, Vdalrico, *tunc eiusdem loci venerabili Praeposito, suae ac maternae voluntatis propositum insinuans, summopere supplicat, quatenus ei & consilio adesset, qualiter id faceret, & auxilio, consilia vt perficere posset. Qui tanti Principis a Deo inspiratum affectum nefas existimans denegato assensu ab opere pio auertere, octo illi misit pro auxilio honestas personas, quatuor videlicet Clericos, & totidem Laicos fratres, factoque de ipso suo Collegio ex communi electione Praeposito venerabili videlicet* Ewerbino, Berchtesgademe *venerunt, ibique breui tempore commorati, coeperunt paulo negligentius rebus suis operam dare, vastam solitudinem, vtpote syluam terribilem, perpetui frigoris & niuium horrore squalentem, fastidientes. Aque ideo silentio praeterire quam exponere maluimus, quam saepe loca mutauerint, aptiorem sedem futurae congregationi quaerentes. Inde contigit, vt circa ipsos & locum inuitatoris eorum animus paulatim languesceret, cum tandem memoratus* Eberwinus, *diuini consilii armatus virtute, iacto in Dominum cogitatu, a quo sperabat omnem difficultatis asperitatem fidelium sensibus & posse mitigari, & mitigandum, siluam* Berchtersgademe *repetiit, omnemque demum dubietatis nebulam, ac mutabilis animi postponens leuitatem, conductis lapidum artificibus Monasterii fundamenta locauit. &c.* Praeteriit tamen idem Dn. Meichelbeck *Hartwicum*, Decanum Raitenbuchensem, qui Anno 1132. Diessensem Ecclesiam in Canoniam S. Augustini mutauit, & primus eius Praepositus factus est, approbante cuncta Hermanno Episcopo Augustano. Ille Hartwicus, vt legitur in Catalogo Praepositorum Diessensium Metropol. Salisburg. T. II. p. 184. quondam aulae Bauaricae Cancellarius, ad Monasterium Raitenbuchense forte venerat in Comitatu Principis (an Welfi nostri Conquaestoris? an filii Henrici Nigri?) cum Ecclesiam ad vespertinas Dei laudes ingressus, verba illa Christi per voces cantantium accepit; *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Quae ipse verba ad se referens, & ornatum suum sericum ac versicolorem Euangelicis nuptiis parum conuenire interpretatus, mundo nuntium extemplo remisit, Canonicumque regularem induit. Primus Raitenbuchensis Praepositus Vdalricus fuit, vir tantae existimationis, vt ab Ottone Frisingensi Episcopo Archidiaconi dignitate ornaretur: quamquam Dn. Meichelbeck l. c. p. 324. Rudolphum tertium loci Praepositum nominet, qui hunc honorem ad omnes successores transiturum impetrauit, quo hodienum vtuntur, sacram Archidiaconi iurisdictionem per amplum satis terrarum spatium exercentes. Inter Ascetas Raitenbuchenses duo potissimum eminent *Otto* & *Gerhardus*, de quibus quia Principum nostrorum maximis legationibus in aula Pontificia functi sunt, in superioribus satis actum est.

consanguinitatis lineam praedictorum patrimonium cum omnibus suis pertinentiis Heinrico illustri Romanorum Imperatori sub haereditaria possessione contradidit. Vltima haec additiones ad Anonymum de Guelfis Steingadenses sic vberius exponunt. *Nunc qualiter de reliquo vixerit, paucis ostendemus: siquidem de praeteritis solennitatibus in continuis sumtibus nihil vel parum remisit; arma praeclara cum vestibus pretiosis, curiae suae militibus & consociis idoneis temporibus ministrando: Proscriptos & vndecunque refugientes ad se, benignissime fouendo; in amore mulierularum plura dissipando. Nec minus eleemosynis studens, pauperum, & maxime caecorum & leprosorum curam solicitus agebat. Quid multa? equidem quanto plura nitebatur expendere, tanto plura diuinitas ei dignabatur impendere; vt apte dicatur, quod hic homo fuit, cui fortuna non caecis, sed claris oculis, arriserit. Tandem pater misericordiarum, qui flagellat omnem filium, quem recipit, & hunc dum iam metas senectutis transisset, tentatione caecitatis corripuit. Quod flagellum sic patienter & honeste sustinuit, vt a paucis vix sciri potuerit. Ex tunc eleemosynis magis intendit, a consuetis delectationibus temperauit, libidinem frugalitate mutauit. Spiritualibus hominibus, sed praecipue Steingadinensi loco, toto desiderio subuenire satagebat. Vxori quoque suae Otae, nobilissimae & castissimae foeminae, a Transalpinis partibus ad se vocatae, reconciliatus est; & sic demum Maningen, vbi frequentius morabatur, infirmitate graui correptus, anno aetatis suae 76. plenarie poenitens, diem clausit extremum. Inde sublatus a suis Ministerialibus, quos ipse viuens ad hoc fide data constrinxerat, versus Staingaden deportatur. Sed in ipso transitu, talem honorem, vt putamus, honorabili Principi diuinitate deferente, Henricus Imperator, ex Italia egressus, occurrit in Bourron: Et illuc exanimi corpore delato, exequias eius satis honesto celebrauit obsequio. Imperatore vero iter suum aggrediente, corpus venerabile cum multo comitatu Abbatum, Praepositorum, Clericorum, hominum nobilium & militum, tam suorum, quam comprouincialium, ad praescriptum locum deducitur; vbi ab Augustano Episcopo Vdalschalco honore condigno iuxta filium sepultus quiescit.* Eundem Annum 1191. (kkkkk) Chronicon Weingartense emortualem Welfi fuisse testatur: *Anno*, inquiens, 1191. *XVIII. Cal. Ianuarii Gwelfo nobilis Altorfensis, Principum nostrorum illustrissimus, Heinrici Ducis videlicet & Woulfhildis filius, carne solutus migrauit a seculo; in quo nobilitas Altorfensium non mediocriter completa*

kkkkk) Anonymus de Guelfis vt nullos annos annotare solet, ita neque hic annum mortis Welfi annotauit; ita vt eum ex solo Chronico Weingartensi sciamus: in cuius vltimis paginis tamen annorum numeri aliquantulum conturbati sunt. Dies obitus fuit XVIII. Kal. Ianuar.

pleta desiit. Addit deinde idem Chronicon: *Transiens* [Henricus Imperator] *per terminos Alemanniae Welfonem illustrem cognouit occubuisse, cuius omne patrimonium suo mancipauit dominio.* Errat ergo Otto de S. Blasio cap. 41. qui obitum Welfi in Annum 1195. reiicit. (lllll) Henricus Imperator Anno 1195. *fratri Philippo dominium totius Tusciae & terram Dominae Mathildis* tradidit, indice Abbate Vrspergensi; qui in diplomatibus se *Philippum Dei gratia Ducem Tusciae, & Dominum totius Poderis Comitissae Mathildis* (mmmmm) ex hinc vocauit.

§. 57.

Vxor Welfi Ducis, Anno 1191. defuncti, fuit VTA, filia Godefridi de Calbe Comitis Palatini ad Rhenum. Anonymus de Guelfis: *Gwelfo sub annis adolescentiae suae, mediante fratre suo Heinrico Duce, filiam Gotefridi, ditissimi Palatini de Caluwe, Outam nomine accepit vxorem; vnde & omnia, quae illius erant, tam beneficia, quam patrimonia obtinuit.* Equidem Tolnerus in historia Palatina passim contradicit iis, qui hunc Godefridum Comitem Palatinum *Rheni* vocant, ostenditque, eum Comitem Palatinum *de Tubingen* fuisse, & Palatinatum ad Rhenum tantum per paucos annos administrasse, donec iuuenis Sifridus, & iterum Sifridi filius Wilhelmus adolesceret. Sed nos, hanc litem nostram non facientes, ex Crusii Annalibus Sueuicis P. II. p. 331. seq. infra (Probat. N. CLXI.) diploma subiicimus, cui subscripti cum *Godefridus*, tum fratruelis *Albertus*, qui *Comes de Löwenstein* vocatur. Caeterum Godefridus ille iam anno 1148. in Monasterio Hirsaugiensi diem suum obiit, notante eodem Tolnero l. c. p. 284. Lites hinc inter Welfum & Albertum, defuncti Palatini fratruelem, enatas idem Anonymus recenset. Chronicon Laureshamense pag. 88. meminit, Bennonem Abbatem Laureshamensem per *Godefridum Palatinum Rheni Comitem, cuius sententia momentum Curiae per id temporis fuerit, restitutionem suam ab Henrico IV. Imperatore obtinuisse, promissa Godefrido omnium beneficiorum, quae suis diebus Ecclesiae vacarent, concessione. Quam,* pergit, *conuentionem mirabilis*

lllll) Quia diplomata post annum 1191. data Welfum *bonae memoriae* vocant.

mmmmm) Insigne est diploma Philippi, quo, tanquam Dominus terrarum Mathildis, Monasterio S. Benedicti Padolironensi confirmat omnia iura, bona & priuilegia, a decessoribus suis, nominatimque a *Duce Welfo*, data & confirmata. *Acta sunt haec anno Dominicae Incarnationis 1195. Indictione 13. Anno Ducatus nostri primo.* (Probat. N. CLVIII.) Tempore Friderici II. Imperatoris Honorius PP. III. maiorem harum terrarum partem recuperauit, & praesertim in diplomate super Marchia Spoletana & Anconitana dato rationes Ecclesiae Romanae publice proposuit, (Probat. N. CLIX.) paulloque post Azonem Estensem Marchionem Romam vocauit, eique Marchiam Anconitanam contulit, (Probat. N. CLX.) ante ab Ottone IV. Imperatore collatam.

ac miserabilis excepit euentus. Nam septem principalia beneficia, quae vulgo appellantur Volleben, morte septem nobilissimorum Ecclesiae fidelium, in vnam personam Godefridi in breui deuoluta sunt, & post ipsum ad generum eius Welphonem transierunt, maximo videlicet Ecclesiae detrimento. Exinde siquidem militaris clipeaturae, scilicet Hereschult integritas confusa, atque in diuersa distracta est, & Ecclesiae status tam in militari frequentia, quam in re stipendiaria, in suis opportunitatibus & regalibus expeditionibus imminutus est, multorum seruitiis in vnam personam collatis, solumque remansit inane nomen dominii & hominii. Idem Chronicon paulo inferius pag. 89. *Mortuo*, inquit, *Godefrido Comite Palatino, cum eius beneficia Ecclesiae* [*Lauris hamensi*] *vacarent, & Lotharius Imperator ex his duo tantum, nam septem erant, Welphoni Duci concedi rogaret, ipse* [*Diemo Abbas*] *vno verbo prolapsus est vsque ad irremediabile detrimentum Ecclesiae. Quidquid feodi, inquiens, Godefridus Palatinus Comes in supremo vitae articulo de manu nostra tenuit, eo vos vestimus. Vnde multa vi, multaque instantia tres curias vix retinuit.* Continuatio Anonymi de Guelfis Steingatensis Vtam *castissimam foeminam* vocat. Paulo tamen ante dixerat, Welfum ratum esse, se nullatenus heredem de coniuge suscepturum, *cum illa minus diligeretur, & alienorum magis amplexibus delectaretur.* Sed manifestum est, legi debere *alienarum*, vt sensus sit, Welfum magis alienarum mulierum, quam vxoris propriae amplexibus delectatum fuisse. Poenituit tamen Welfum ante obitum vxorem offendisse, vnde & illam a Transalpinis partibus, h. e. ex Italia, quo confugerat, reuocauit, eique bona fide reconciliatus est. Quando obierit illa, hactenus annotatum non inueni. In Necrologiis Monasteriorum Sueuicorum, & inprimis Hirsaugiensis Coenobii, quod ex liberalitate huius Familiae in immensum opibus creuit, *Vtae* diem & annum emortualem annotatum esse non dubito. Vnde optandum esset, vt huiusmodi vetera monumenta, nulli noxia, omnibus vtilia, pleniore manu, quam adhuc per Sueuiam factum est, in publicum spargerentur. Apud Crusium Annal. Sueu. Part. II. p. 492. & seq. habentur traditiones Hirsaugiensis Monasterii, cuius Aduocati nati fuere Comites Calwenses, & in his quoque Godefridus, Vtae nostrae pater. Caeterum haec Vta per matrem admodum diues fuit. Nam inter traditiones illas Hirsaugienses p. 430. habetur ista: *Vta Ducissa dedit oppidum Zell cum iure patronatus Ecclesiae; villas Ernstmulin, Schamberg, Colbach, dimidium Maisenbach, totum Böfelsberg, Niederlingenhart, Wickarteshusen; duas partes in Igelsloch; cum hominibus, siluis & omnibus attinentiis, & eodem iure, quo ipsa possedit.*

§. 58.

§. 58.

Praeter hos tres filios, de quibus hactenus egimus, *& eos, quos infra annos sinus coelestis patriae suscepit*, vt Anonymus de Guelfis loquitur, Henricus Dux, cognomento Niger, quatuor filias habuisse memoratur, IVDITHAM, SOPHIAM, MATHILDEM & WVLFHILDEM.

§. 59.

IVDITHA, nupsit Friderico Sueuorum Duci, primi scilicet e Familia Hohenstauffica Sueuiae Ducis filio natu maiori, Conradi III. Regis fratri, quem vulgo *monoculum* vocant, & qui Spiram ciuitatem per annos tres contra Lotharium Caesarem tam pertinaciter defenderat, vt Spirensibus, cum ad noua auxilia conquirenda vrbe excessisset, *vxorem* veluti obsidem relinqueret. Vnde Anno 1130. cum vrbs Lothario se dederet, Iuditha in ea reperta fuit. Quam comiter eam in generi gratiam Lotharius habuerit, Annalista Saxo narrat ad hunc modum: *Rex natale Domini cum multa frequentia Principum circa vrbem Spirae in tentoriis celebrat. Tandem Spirenses, videntes constantiam Regis, fame insuper & bellis coacti, sese vna cum vrbe in deditionem Regis tradiderunt in natali Sanctorum Innocentum. Coniux Ducis Friderici, quae ciuibus ad solatium a Duce infra vrbem relicta fuerat, fame & nuditate acriter afflicta, a Rege Lothario regalibus donis liberaliter ditata, cum suis discessit.* (nnnnn) Liberos eius Anonymus de Guelfis nobis nominat, quando *Iuditha*, inquit, *nupsit Friderico, Sueuorum Duci, quae Fridericum Imperatorem nostrum & vxorem Mathaei Ducis Lotharingiae progenuit.* Otto Frisingensis de Gestis Friderici I. Lib. I. c. 14. *Accepit*, inquit, [Fridericus Dux Sueuorum] *Henrici Noricorum Ducis filiam in vxorem, ex qua postmodum Fridericum gloriosissimum, qui in praesentiarum Imperator est, & Iuditham, quae modo Mathaeo Lotharingorum Duci copulata noscitur, genuit.* Idem Lib. II. c. 2. de electione Friderici in Regem Romanorum agens: *Duae*, ait, *in Romano orbe apud Galliae Germaniaeue fines famosae familiae hactenus fuere: vna Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altdorfio: altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita. Istae, vt inter Viros magnos, gloriaeque auidos solet fieri, frequenter sese inuicem*

nnnnn) En heroinam Welficam longae obsidionis incommoda in gratiam mariti magna animi constantia perferentem! Ea procul dubio filiarum Henrici Nigri natu maxima, & apud Hohenstaufios non in minore existimatione, quam mariti mater, Henrici IV. Imperatoris filia, Agnes fuit. Vt enim per Agnetem Hohenstaufii heredes Imperatorum Henricorum facti sunt; ita nunc ob Iuditham, Henrici Nigri filiam & Welfi Ducis sororem, quae omnium Hohenstaufiorum a Friderico I. Imperatore oriundorum mater facta est, heredes se Illustrissimae & Serenissimae gentis Guelficae, Guelficarumque terrarum omnium gesserunt.

cem aemulantes rei publicae quietem multotiens perturbarant. Nutu vero Dei, vt creditur, paci populi sui inposterum prouidentis, sub Henrico quinto factum est, vt Fridericus Dux, pater huius, qui de altera, id est Regum Familia descenderat, de altera, Henrici scilicet Noricorum Ducis filiam in vxorem acciperet, ex eaque Fridericum, qui in praesentiarum est & regnat, generaret. Idem Lib. I. c. 18. de Henrico Magnanimo scribit: *Henricus Noricorum Dux, Henrici Ducis filius, ob gratiam Principis, cuius filiam Gertrudim nouiter in vxorem duxerat, Friderico Duci, haud memor affinitatis, quae ex copula sororis suae Iudithae inter ipsos erat, bellum indicit.* Hinc Fridericus Imperator in diplomate Anni 1147. quo Conrado Episcopo Patauiensi, patruo suo, villam Meerding restituit, Welfum, Henrici Magnanimi fratrem, *auunculum suum* apud Hundium Metropol. Salisburg. T. I. pag. 206. (Probat. N. CLXII.) nominat; ipse vero Welfus in Charta Raitenbuchensi apud Hundium l. c. T. III. p. 110. edita, Fridericum Imperatorem *filium sororis suae* vocat. (Probat. N. CLXIII.) Filius Friderici Imperatoris Henricus VI. Rex in diplomate Steingadensi Anno 1189. dato ibidem T. III. p. 248. eundem Welfum *proauunculum*; (Probat. N. CLXIV.) & frater eius Philippus II. Rex in diplomatibus aliis ibidem pag. 243. & 249. relatis *praedilectum auunculum* (Probat. N. CLXV.) dixerunt. Henrici vero VI. filius Fridericus II. l. c. pag. 250. hunc ipsum Welfum nostrum *praedilectum consanguineum*, (Probat. N. CLXVI.) & in alio diplomate pag. 251. *magnificum progenitorem*, (Probat. N. CLXVII.) abusiue paululum; Fridericus tandem Dux Sueuorum, Friderici I. Imperatoris filius, ibidem pag. 252. *magnum auunculum suum* appellauerunt. (ooooo) (Probat. N. CLXVIII.) Hoc notari meretur, filiam Iudithae nostrae IVDI-

ooooo) Haec omnia post superius dicta nulla probatione opus habuissent. Quia tamen Steingadensis Monasterii mentio rursus incidit; subiiciemus reliqua ad hoc Coenobium spectantia diplomata, his consanguinitatis notis scatentia, & historiam eius continentia. Primum est Caelestini PP. III. (Probat. N. CLXIX.) quo Anno 1194. Welfi Ducis nouam fundationem confirmat, *quondam Welfum Ducem bonae memoriae* vocans: cui similia succedunt Innocentii PP. III. ex Anno 1200. (Probat. N. CLXX.) & Honorii III. ex Anno 1219. (Probat. N. CLXXI.) Alterum est Philippi Regis, (Probat. N. CLXXII.) quo Anno 1201. non solum vetera omnia *ab inclyto Duce Welfo, auunculo suo*, donata confirmat, sed & vasallis suis liberam seque & bona sua Steingadensibus offerendi facultatem dat. Hunc imitatus Fridericus II. Monasterium in tutelam suscipit, eique Aduocatiam in Sibeneich adiudicat. (Probat. N. CLXXIII. & CLXXIV.) Huius filii, Henricus & Conradus, Anno 1228. & 1251. nec non nepos, qui vulgo Conradinus vocatur, Anno 1263. paria faciunt. (Probat. N. CLXXV. CLXXVI. CLXXVII.) Exstincta in hoc Familia Hohenstaufica, Raitenbuchensis & Steingadensis Monasteriorum cura ad Duces Bauariae peruenit, in quibus Ludouicus Imperator Anno 1322. Steingadensibus etiam recens acquisita confirmauit quidem; Aduocatiam tamen cum in Monasterium Steingaden, tum in vallem Amergauiensem aedificato a se in valle Etichonis Monasterio Etal dimisit, (Probat. N. CLXXVIII.) idque consentiente Electorum Sacri Romani Imperii Collegio. (Probat. N. CLXXIX.)

IVDITHAM Matthaei Ducis Lotharingiae vxorem, quam cognatus & contemporaneus auctor Otto Frisingensis ita vocat, in diplomatibus nominari BERTAM, quod nomen forte in confirmatione sacra accepit. Vignierius in Probationibus Origin. Familiarum Alsatiae pag. 118. duo diplomata adducit hocce confirmantia. In priori ex Archiuo S. Genguphi desumto Henricus Episcopus Leucorum: *Confirmamus*, inquit, *vobis de redditibus Gondulphi villae XX. solidos, quos Matthaeus venerabilis Dux & Marchio, simul & vxor eius Berta Ducissa nobilissima cum filiis suis Matthaeo & Friderico Ecclesiae vestrae multa deuotione contulerunt . . . . Actum Anno* 1159. In altero ex Cartulario Molismensi deprompto legitur: *Ego autem Matthaeus Lotharingorum Dux & Marchio facientibus hoc, considerans cum vxore mea Berta* &c. Conuenit cum hisce Albericus Triumfontium Monachus ad Annum 1193. scribens: *Dux iste Simon & Fridericus de Bites, & Comes Mathaeus Tullensis, & Theodericus, qui fuit electus Metensis ante Episcopum Bertrannum, quatuor isti fuerunt filii Ducis Lotharingiae Mathaei, qui Dux Mosellanorum dicebatur, nati ex Berta sorore Imperatoris Frederici.*

§. 60.

Altera filiarum Henrici Nigri erat SOPHIA, quam BERTHOLDVS Zaeringiae Dux huius nominis III. duxit, Anonymo de Guelfis teste, qui addit, *eo mortuo illam LEOPALDVM Marchionem de Stira in vxorem accepisse*, ex eademque *Odocarum primum Marchionem* [Stiriae] *genuisse.* Hanc pater Henricus Niger ex bonis Zwifaltensis Monasterii, seu potius, vt ego interpretor, ex bonis hereditatis Achalmensis, quam Monachi ad se deuolutam clamitabant, mansis scilicet viginti tribus dotauerat, qui omnes nominantur in libro traditionum apud Crusium Annal. Sueu. Part. II. p. 269. Sed pater ante obitum itemque ipsemet Bertoldus mansus eos Monasterio reddiderunt. Vignierius in Genealogiis Alsaticis eam falso Henrici Superbi siue Magnanimi filiam facit. Primus eius maritus Munstero, Stumphio, Crusio, aliisque testibus Anno 1122. Molshemi occisus & in Monasterio S. Petri sepultus est. Crusius manuscriptum membranaceum citat, in quo haec verba legit: *Cono Strazburgensis Episcopus solo nomine, quia in nece Bertoldi Ducis consensit, ab Episcopatu deponitur & Bruno Babebergensis Ecclesiae Canonicus ibidem Episcopus constituitur.* Zaeringensium Genealogia confuse primum à Lazio proposita est. Melius eam exposuit deinde Stumphius Chron. Heluet. Lib. VII. cap. 28. sq. Sed hic non minus ac Vignierius & Blondellus Bertholdo nullam ex Sophia prolem natam esse asserunt. Hen-

ningesius interim nobis exhibet filiam eius SOPHIAM nuptam BERTHOLDO Marchioni Estensi, quem Azonis & Cunegundis filium faciunt. Pigna eundem fratrem huius Azonis & patrem Rainaldi Marchionis Estensis constituit. Omnes falluntur; Bertholdus enim in fabulis cubat, nec vnquam Marchio huius nominis Estensis fuit, licet iam Ricobaldus Ferrariensis in Chronico Imperatorum eius & filii Rainaldi mentionem faciat. Quod si constaret certo Sophiam ex Sophia & Bertholdo natam esse, (ppppp) e fabula hac veri quid elici posset, si diceremus SOPHIAM hanc concessisse in thorum OBIZONIS I. Marchionis Estensis Fulcone nati & circa Annum 1094. defuncti. Hunc enim coniugem *Sophiam* habuisse certum est ex documentis a Clarissimo Muratorio Antiqu. Est. P. I. cap. 36. & 37. allatis. Tempora quoque congruunt. Sola saltem consanguinitas obest. Obizoni enim in quarto gradu cognata est. Sed potuit etiam dispensatio Pontificis interuenisse. Schema hoc est:

Azo Marchio.

Welfus † 1101. — Fulco † circa 1136.

Henricus Niger † 1125.

Sophia vxor Bertholdi
Ducis Zaeringiae An. 1122. occisi.

Sophia ═══ Obizo Marchio
vixit adhuc 1194. — † 1194.

§. 61.

LEOPOLDVS Stiriae Marchio, alter Sophiae Henrico Nigro natae maritus, patrem habuit *Ottocarum Marchionem*, eique Anno 1122. successit. Chronicon Mellicense ad An. 1122: *Ottaker Marchio Stiriae obiit: filius eius Liupaldus succedit.* Idem refert Chronicon Salisburgense. Defunctus est Anno 1129. Chronicon Mellicense ad illum annum: *Liupaldus Marchio de Stire obiit.* Necrologium Mellicense obitus diem *VI. Kal. Octobris* nominat. Marito mortuo Sophia pro liberis Marchiam Stiriae libera potestate regere coepit: id quod fratribus saluti fuit. Cum enim Henricus Superbus Castrum Falschenstein, de quo supra dictum, obsideret, Sophia Marchionissa, auctore Anonymo de Guelfis, octingentos ei loricatos

ppppp) Crusius l. c. filiam Bertoldi *Iuditham* nominat, quae maritum habuerit Vlricum Comitem de Gamirtingen.

tos adduxit, & a fratre ad ſocerum properante commiſſum ſibi totum obſidionis & belli negotium in ſe ſuſcepit, & feliciter geſſit. Vt adeo haec Sophia quoque Heroinis Welficis adnumeranda ſit.

§. 62.

Tertia filiarum Henrici Nigri MATHILDIS fuit. De hac Anonymus de Guelfis: *Mathildis primo Theapoldo filio Theapoldi Marchionis Cambienſis de Voheburck, poſtea eo mortuo Gebehardo de Sulzbach copulata eſt.* Theopaldus & Gebhardus ſub Conrado III. Imperatore clari fuerunt, & THEOPALDVS quidem Marchio Vohburgenſis Henningeſio obiiſſe dicitur Anno 1146. Idus Aprilis, ac in Waldſaxenſi Coenobio ſepultus. GEBHARDVS Comes Sulzbacenſis, eodem teſte, obiiſſe dicitur 1177. Sed ego Hundio in his talibus, & praecipue in texendis Bauaricis familiis, maiorem fidem adhibendam eſſe cenſeo, quam Henningeſio, qui Bauarica monumenta inſpiciendi nullam facultatem habuit. Hundius itaque in Stemmatographia Bauar. T. I. p. 145. ait, ad annum quidem 1177. ab auctoribus Bruſchium ſecutis Gebhardi mortem referri, ſe autem apud Sancti Emmerani alumnos Ratisbonenſes adhuc Anno 1179. reperiſſe *Gebehardum Comitem Sulzbacenſem, Ratisbonenſis Eccleſiae Aduocatum.* (qqqqq) Caeterum Gebhardus cum vxore Mathildi ſepultus eſt in Monaſterio Caſtlenſi.

§. 63.

Quartam Henrici Nigri filiam *WVLFHILDEM Rudolfus Bregantinus Comes duxit*, vt ait Anonymus de Guelfis. RVDOLFVS hic etiam *de Phullendorf* cognominabatur. Vetus Genealogia Murenſis: *Albertus per Itam Comitiſſam de Phullendorff, filiam ſororis Ducis Welph genuit Rudolphum & Comitiſſam de Liningen.* Rudolphum Wulfhildis maritum Vignierius in Genealogiis Alſaticis erronee *Robertum* nominat. *Rudolphus* hic *de Pfullendorf* ſiue *Bregantinus* in pugna Tubingenſi Welfo adſuit, vt Anonymus de Guelfis indicat.

qqqqq) Quae ſi vera ſunt, vti vera eſſe non dubito; hoc ipſo tamen anno Gebehardum obiiſſe exiſtimo, quia ſupra adlata Ottonis Praepoſiti Raitenbuchenſis epiſtola ad Mathildem, tamquam viduam ſcripta eſt, cum ille poſt compoſitionem inter Papam & Imperatorem ex Italia in Germaniam rediiſſet. Addimus hic (Probat. N. CLXXX.) aliam ab ipſa Mathilde ad Rupertum Praepoſitum Tegernſeenſem ſcriptam Epiſtolam, qua de orbitate ſua grauiter conqueritur, & Plenarium, quod illi ligandum transmiſerat, repetit, quia bonum artificem reperiſſet, qui leui pretio & opera opus perficeret.

§. 64.

Recentiores Henrico Nigro adhuc filias tribuunt HELENAM Wartislao Duci Pomeraniae nuptam, & BERTAM Ottonis Comitis Buchornensis vxorem; sed hae fictitiae sunt, & nulli veterum nominantur.

§. 65.

Sed Liberis tamen Henrici Nigri Ducis addendus adhuc est filius, nulli recentiorum memoratus, ADELBERO nempe, Anno 1138. Folcmaro Abbati Corbeiensi defuncto subrogatus. Meminit eius ad hunc annum Annalista Saxo his verbis: *Folcmarus Corbeiensis Abbas obiit, cui successit Adalbero, frater Heinrici Ducis, electus ex eadem congregatione.* Annalista Saxo, siue Continuator eius hoc ipso tempore vixit, & Henricum Superbum Ducem optime nouit, gestisque eius non vnas paginas impleuit; vnde de veritate rei, quam hic narrat, dubitari nequit. Et confirmatur ab Annalibus Corbeiensibus, in quibus etiam ad Annum 1138. legitur: *Obit Volkhmarus Abba noster: quiescat in pace. Successit Albero Ducis Henrici frater.* (rrrr) Nomen, vt suspicor, Adalberoni Abbati inditum est ab *Adalberto* siue *Azone II. Marchione Liguriae*, & obiit is, teste Auctore Annalium Corbeiensium, Anno 1144. Etenim hoc anno eum in regimine Abbatiae excepisse dicitur Henricus I. Anno 1146. mortuus. Henricum I. eodem anno secutus est Henricus II. quo remoto A. 1147. Wicboldus electus fuit, mortuus denique Anno 1174. Quae ideo annotanda duximus, quoniam pleniorem historiam Corbeiensem nobilissimi & antiquissimi inferioris Saxoniae Monasterii, ex quo tot prodierunt Christiani nominis decora, adhuc desideramus.

PROBA-

rrrr) Abbatum Corbeiensium successio hoc temporis interuallo non satis liquida est. Vtcunque: & nominis peregrinitas, & scriptorum Weingartensium silentium, & iners in Monasterio otium eo tempore, quo Welforum fortunae in Saxonia euertebantur, cum puer Henricus per aetatem se defendere non posset, cohibent me, quo minus hunc Adelberonem Welforum genuinorum choro inserendum putem. Si itaque Henrici Superbi frater fuit, vt Chronica ab Eccardo adducta volunt, Henrici Nigri filium naturalem, & Monachum fuisse existimo, quem Fratres Abbatis titulo honorarint, & pro legitimo fratre Henrici Ducis falso venditarint, vt Coenobio suo qualemcunque inde splendorem conciliarent. Etenim ad exemplum Ottonis Magni Imperatoris, surculos extra tori pomoeria propullulantes in sacro viridario deponere, & natalium sordes claustris recondere, plerisque Germaniae nostrae Principibus persollenne fuit.

PROBATIONES
LIBRI SEXTI
DE ORIGINIBVS GVELFICIS.

CODICILLVS MONVMENTORVM
ATQVE DIPLOMATVM,
QVIBVS VERITAS HACTENVS DICTORVM ADSTRVITVR.

No. I.

Initia Ecclesiae & Monasterii Auensis in dioecesi Salisburgensi, tempore Ducis Welfi Conquaestoris. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. II. p. 88.

No. II.

Welfus Conquaestor Imperatori Henrico IV. Ecclesiae Caesariswerdensi donationem facienti assidet. ex PEZII Anecdot. T. VI. P. I. p. 258.

No. III.

Eiusdem Welfi traditiones duae ad Cellam Raitenbuchensem factae. ex HVNDII Metrop. T. III. p. 109.

No. IV.

Welfo Duce praesente ac consentiente Henricus IV. Imperator Ecclesiae Frisingensi donat centum Regales mansos cum omni vtilitate, exceptis venationibus. ex HVNDII l. c. T. I. p. 103. & MEICHELBECK Historia Frisingens. T. I. p. 268.

No. V.

Welfi Ducis precibus motus Henricus IV. Imperator Monasterium Benedicto Buranum in integrum restituit. ex HVNDII l. c. T. II. p. 99.

No. VI.

Cleri Bambergensis conquestio de captiuitate Episcopi sui in Italiam tendentis. ex VDALRICI BABENBERG. Codice Epistolari ap. ECCARD. Corp. Histor. medii aeui T. II. p. 285.

No. VII.

Cleri Bambergensis epistola ad Welfum Ducem pro liberatione Episcopi sui Ruberti. IBID. l. c.

No. VIII.

Vrbanus II. Pontifex Maximus Canoniam Raitenbuchensem in tutelam Sedis Apostolicae recipit. ex HVNDII Metr. Salisb. T. III. p. 99.

No. IX.

Catalogus bonorum, quae Welfus Conquaestor habuit ab Ecclesia Frisingensi. ex MEICHELBECK Historia Frisingens. T. I. p. 289.

No. X.

Per manum Welfi Ducis villa Ochsenhausen Abbatiae S. Blasii oblata fit Monasterium. ex Veteri apographo.

No. XI.

No. XI.

Innocentii III. Pontificis Maximi iniuncta parricidis Conradi Hildensemensis postea Herbipolensis Episcopi poenitentia. ex Vetusto diplomatario Hildens.

No. XII.

Historia poenitentiae Conradi Episcopi, qui sine Pontificis venia ab Ecclesia Hildensemensi ad Wirceburgensem transierat. ex Gestis Innocentii III. PP. c. 44. ap. BALVZIVM T. I. Epistol. Innocentii III. p. 19.

No. XIII.

Historia de poenitentia Welfi Ducis. ex veteri Codice MSčto Monasterii Tegernseensis *descripta, & iam olim a Reuerendiss. huius Monasterii Abbate D. QVIRINO MILONE cum* LEIBNITIO *communicata.*

No. XIV.

Diuisio bonorum Azonis filiorum iuniorum & Hugonis appanagium. ex MVRATOR. Antiq. Estens. P. I. p. 272.

No. XV.

Hugonis Cenomanici filius Azo donat quaedam Monasterio Carcerum. ex MVRATOR. l. c. p. 327.

No. XVI.

Azo Hugonis & Fulco Fulconis filius in Monasterium Carcerum liberales existunt. ex MVRATOR. l. c. p. 328.

No. XVII.

Azonis filii Hugonis testamentum. ex MVRATOR. l. c. p. 330.

No. XVIII.

Robertus Marchio fratri Azoni testis est. ex MVRATOR. l. c. p. 327.

No. XIX.

Testamentum Tancredi Marchionis, fratris Azonis, in quo mentio fit filii Manfredi. ex MVRATOR. l. c. p. 331.

No. XX.

Testamentum Azonis, filii Fulconis, in quo mentio fit filiarum Adelasiae & Aureplasis. ex MVRATOR. l. c. p. 326.

No. XXI.

Testamentum Manfredini seu Manfredi, Tancredi & Gotae filii. ex MVRATOR. l. c. p. 335.

No. XXII.

Fulco Marchio, Azonis ex Garsende minor natu filius, a Conrado Henrici IV. filio, Italiae Rege, Regii banni mitigationem impetrat. ex MVRATOR. l. c. p. 275.

No. XXIII.

Fulconis Marchionis, filii Azonis, donatio ad Ecclesiam S. Saluatoris. ex MVRATOR. l. c. p. 313.

No. XXIV.

No. XXIV.

Obertus Azonis & Fulconis Vasallus Curtim Nasetam cedit S. Prospero Regiensi. ex MVRATOR. l. c. p. 174.

No. XXV.

Compositio de Curte Naseta. ex MVRATOR. l. c. p. 169.

No. XXVI.

Fulco Marchio in Monte Silicis pro tribunali sententiam pronunciat pro Monasterio S. Zachariae Venetiis. ex MVRATOR. l. c. p. 314.

No. XXVII.

Fulconis Marchionis donatio ad S. Benedictum in Padolirone ex iussione matris Garsendis & fratris Hugonis. ex MVRATOR. l. c. p. 316.

No. XXVIII.

Fulconis Marchionis donatio ad Ecclesiam S. Saluatoris. ex MVRATOR. l. c. p. 320.

No. XXIX.

Welfus Crassus, filius Ducis Wolfhardi, seu Welfi Conquaestoris, Bauariae Dux, Cellae Raitenbuchensi donat praedium suum in Wiltsteig, quod sibi ex fraterna diuisione obtigerat. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 109.

No. XXX.

Calixti II. Pontificis Maximi epistola ad Ottonem de Wittelsbach, qua ei noui Monasterii constructionem iniungit, eo quod Romae captioni Paschalis II. PP. interfuerat. ex HVND. l. c. p. 305.

No. XXXI.

Welfus Dux Weingartensi Coenobio vnit Cellam S. Pantaleonis in Buchhorn. ex BRVSCHIO de Monaster. Germ. p. 577.

No. XXXII.

Henrici Nigri Ducis donatio Monasterio Carcerum facta. ex MVRATOR. Antiqu. Estensib. T. I. p. 282.

No. XXXIII.

Placitum Henrici V. Imp. in caussa Sanctimonialium S. Zachariae, cui interfuit Henricus Niger Dux. ex MVRATOR. l. c. p. 283.

No. XXXIV.

Placitum Henrici Ducis Nigri in caussa Monasterii Carcerum. ex MVRATOR. l. c. p. 284.

No. XXXV.

Henricus IV. Ransbouensibus omnem decimationem donat, eosque Henrico, cui Ducatum Bauariae dedit, commendat. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. III. p. 146.

No. XXXVI.

Conradus III. fundatae Ransbouiensis Ecclesiae honorem adscribit auo suo materno, Henrico IV. Imperatori. ex HVND. l. c. p. 145.

No. XXXVII.

Post Henricum Superbum Leopoldus Austrius, Dux Bauariae intrusus, in confirmando Monasterio Reicherbergensi Sigillo est vsus. ex Chron. Reicherberg. p. 252.

No. XXXVIII.

Placitum prouinciale, quod Arnulfus Dux Bauariae in gratiam Frisingensis Chor Episcopi Sigillo suo muniuisse dicitur. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. I. p. 89.

No. XXXIX.

Placitum prouinciale sub Burchardo Sueuiae Duce & Bernolfo Comite, pro Argentinensi Ecclesia. ex FRANCISCI GVILLIMANNI Comment. de Episcop. Argentin. p. 136.

No. XL.

Alberti Vrsi donatio ad Monasterium S. Laurentii in Hillersleben. ex Veteri apographo.

No. XLI.

Moguntini & paucorum aliorum Principum, in quibus Henricus Niger Bauariae Dux, epistola, qua Ordines Imperii conuocantur Moguntiam ad eligendum nouum Imperatorem. ex VDALRICI BABENBERGII Cod. Epist. p. 320.

No. XLII.

Incerti Auctoris Narratio de electione Lotharii Regis. ex HIERONYMI PEZII Script. Austriae. T. I. p. 56. & ECCARDI Quaternione Monument. Veter. p. 46. sq.

No. XLIII.

Orderici Vitalis narratio de electione Lotharii Romanorum Regis. ex DVCHESNE Scriptor. Normannic. p. 882. sq.

No. XLIV.

Traditio Wulfhildis Ducissae ad hospitale Hildensemensis Ecclesiae. ex Veteri Codice MSCto.

No. XLV.

Henricus Niger Dux ad Monasterium Weihenstephan decimas sex mansuum pro anima donat. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. III. p. 329.

No. XLVI.

Notitia de cruce aurea plurimis reliquiis referta per Wulfhildem Bauariae Ducem Constantinopoli impetrata, postea ad Cappenbergenses in Westphaliam delata. ex Veteri Charta Cappenbergensi inserta Actis SS. Mens. Ianuar. T. I. p. 844.

No. XLVII.

Notitia dedicationis Altarium in Brunsuicensi S. Blasii Ecclesia, ex Plenario, *quod Hanouerae inter sacras reliquias asseruatur.*

No.

No. XLVIII.

Titulus antiquissimi Euangeliorum libri, cuius tegumentum superius sacris reliquiis refertum.

No. XLIX.

Lotharius Imp. confirmat venditionem Curtis Abbenrod in pago Hartingow in Ducatu Ducis Henrici generi sui situm. ex MADERI Antiqu. Brunsu. p. 227.

No. L.

Richenzae Augustae Bruno Argentinensis Episcopus gratias agit, quod per eam Cathedrae suae restitutus sit. ex VDALRICI BABENBERG. Cod. p. 362. *& Maxime Reuerendi Dn.* HERGOTTI Geneal. Habsb. T. II. p. 151.

No. LI.

Bruno Argentinensis Episcopus Lotharium Caesarem certum reddit de rebus Alsatiae, & quid actu opus esse existimet. ex VDALR. BABENBERG. Cod. p. 362.

No. LII.

Adelbertus Archi Episcopus Moguntinus Ottoni Bambergensi Episcopo nuntiat excommunicationem Ducis Conradi Regni inuasoris. Indidem p. 350.

No. LIII.

Senatus Romanus Lotharium Regem Romam inuitat ocyus, ne aemulus Conradus ei Longobardiam praeripiat. Indidem p. 358.

No. LIV.

Lothario Regi ex Italia plurium ciuitatum in fide constantia & simul noui Longobardiae Regis Conradi res afflictae nuntiantur. Indidem p. 361.

No. LV.

Teste Henrico genero Lotharius Imp. probat fundationem Monasterii Vndesdorffensis factam ab Ottone, Ottonis I. Bauariae Ducis patre. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 303.

No. LVI.

Henrici Superbi opera Monasterium Munchmunster in Dioecesi Ratisbonensi in integrum restitutum iam A. 1131. *agnoscit Conradus III. ex* HVND. l. c. T. II. p. 359.

No. LVII.

Lotharius Saxo Magdeburgensi Archi Episcopo Norberto dat Abbatiam in Alsleue ad Salam fluuium, & ab eo recipit castrum Scartfelde in Montanis Hartz. ex Veteri MScto.

No. LVIII.

Rudolfus Comes Stadensis suam partem oppidi Alsleue dimittit Ecclesiae Magdeburgicae. ex Diplom. Magdeb. MScto.

No. LIX.

Anacleti Antipapae epistola ad Lotharium Regem & Richenzam Reginam, qua eos Reges agnoscit, commendatque diligenter Romanam Ecclesiam. ex VDALR. BABENBERG. Cod. p. 351.

No. LX.

Innocentius II. Lothario Regi nuntiat, se vestigiis decessoris Honorii II. qui eum confirmasset, & Conradum inuasorem Regni excommunicasset, insistere, eumque Romam inuitat. ex EOD. p. 352.

No. LXI.

Rauennatensis Archi Episcopus Norbertum Magdeburgensem rogat, vt Lotharium Regem incitet ad iter Romanum, & ad exstirpandam ibi Iudaicae perfidiae haeresin, digitum intendens ad Petri Leonis seu Anacleti Iudaicum genus. ex EOD. p. 354.

No. LXII.

Praesente Henrico Superbo Engelfridus Abbas Sanct-Emmeranensis praedia Monasterii sui in Thuringia sita e manibus Segebodonis Nobilis de Scartfelde extorsit. ex PEZII Anecdot. T. I. Part. III. p. 134.

No. LXIII.

Hermannus Augustanus Episcopus Ottoni Episcopo Bambergensi narrat excidium vrbis suae per milites Lotharianos & caussam eius. ex VDALR. BABENBERG. Cod. p. 364.

No. LXIV.

Diploma Innocentii II. Pontificis Maximi, quo Terram Mathildis post Lotharium Imperatorem genero Henrico Superbo eiusque coniugi confert. ex BARONII Annal. Ecclef. Tom. XII. p. 221. n. 5.

No. LXV.

Lotharii Imperatoris confirmatio bonorum ad aedem Michaëlis in ciuitate Luneburg spectantium, qua mentionem facit coniugis Richenzae, filiae Gertrudis & generi Ducis Henrici. ex veteri apographo.

No. LXVI.

Lotharius Imperator Monasterio Corbeiensi piscationem in Wisara adiudicat ab Henrico genero & Eilica Comitissa vsurpatam. ex SCHATENII Annal. Paderborn. T. I. p. 736.

No. LXVII.

Lotharii Imperatoris confirmatio Monasterii S. Mariae, hodie S. Aegidii in ciuitate Brunsuicensi a sorore Gertrude conditi, & in partem filiae natu minoris delapsi, iam vero ex permutatione ad Lotharium reuersi. ex Act. Brunsu. T. I. p. 138. *vnde hausit* RETHMEYER Ant. Ecclef. Brunsu. P. I. addit. p. 32.

No. LXVIII.

Lotharius Imperator fundatum a socru Gertrude Monasterium S. Mariae Brun-

Brunsuicense a Coniugis sorore Gertrude Palatina pro aliis bonis acceptum in tutelam suscipit, variisque priuilegiis ornat. ex autographo.

No. LXIX.

Lotharius Imperator Ministeriales Ecclesiae Wildeshusensis pares haberi vult Ministerialibus suis & generi Henrici Ducis. ex veteri apographo, *vnde etiam habet* ECCARD. Geneal. PP. Super. Saxon. p. 23.

No. LXX.

Lotharius Imperator confirmat negotium generi sui, qui praedium Steinkirchen cum Abbate in Madelhardestorp pro bonis in villa Leutharstorff commutauerat. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. II. p. 319.

No. LXXI.

Lotharii Imperatoris Priuilegium pro Regia Luttera. ex vetusto Chartulario *vnde id etiam habet* LEYSER Obseru. diplom. ad Instit. II. p. 5.

No. LXXII.

Placitum Richenzae Imperatricis Regii Lepidi habitum in caussa Monasterii Nonantulani. ex MVRATOR. Antiquit. Ital. T. I. p. 613.

No. LXXIII.

Placitum Richenzae Imperatricis in caussa Canonicorum Ecclesiae Regiensis. ex MVRATOR. l. c. T. VI. p. 233.

No. LXXIV.

Anacletus Pontifex intrusus Richenzae Imperatricis imperium regentis auxilium & consilium in regenda Ecclesia sibi expetit. ex BARONII Annal. T. XII. ad A. 1130. n. 24.

No. LXXV.

Henrico IV. Imperatori consulitur vt praedium Gredingen euitandi tumultus caussa H. Comiti Saxoniae per Eichstadensem Episcopum reddat. ex VDALR. BABENBERG. Cod. p. 211.

No. LXXVI.

Eichstadensis Episcopi sententia de eo proposito. ex EOD. p. 212.

No. LXXVII.

Comes Hermannus de Saxonia & Gotefridus Comes de Calwe Henrico V. Imperatori Ecclesiam ad portas Ratisbonae confirmanti adsistunt. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. I. p. 173.

No. LXXVIII.

Lotharii Saxonis diploma pro Monasterio Walciodorensi, subscriptum a genero Henrico Duce Bauariae & Marchione Tusciae. ex MARTENAEI Collection. Ampliss. T. I. p. 747.

No. LXXIX.

Lotharii Imperatoris diploma pro Monasterio Stabulensi aureis characteribus exaratum, bullaque aurea munitum & subscriptum a genero Henrico Bauariae Duce & Marchione Tusciae. ex MARTENAEI l. c. T. II. p. 98. sq.

No. LXXX.

Lotharius Imperator Canonicis Veronensibus praesente Henrico Duce Curtes Ceretae & Englariae confert. ex VGHELLI Ital. Sacra T.V. p. 710.

No. LXXXI.

Petri Diaconi, Casinensis Monachi, consolatoria ad Richenzam Imperatricem de obitu coniugis Lotharii. ex MARTENAEI Coll. Ampl. T. I. p. 756.

No. LXXXII.

Conradi III. Regis donatio ad Monasterium Volkolderode facta in expeditione Saxonica. ex SAGITTARII Antiqu. Thuring. MSCt.

No. LXXXIII.

Petri Diaconi consolatoria ad Richenzam Imperatricem generum Henricum Bauariae & Saxoniae Ducem lugentem. ex MARTENAEI Coll. Ampliss. T. I. p. 760.

No. LXXXIV.

Thietmarus Verdensis Episcopus ex praecepto Lotharii & Richenzae Imperatricis in Virginum Monasterium Vllerheimense Monachos Corbeienses immittit. ex MARTENAEI l. c. p. 769.

No. LXXXV.

Wibaldus Abbas Corbeiensis Abbati de Monte gratias agit, quod a Verdensi Episcopo ex Monasterio Vllerheimensi eiectum Abbatem Sifridum ad se recepit & fouit. ex MARTENAEI l. c. p. 769.

No. LXXXVI.

Idem Wibaldus Sifridi Abbatis exulis caussam defert ad Curiam Romanam. Indidem p. 534.

No. LXXXVII.

Marcolfus ArchiEpiscopus Moguntinus Ecclesiae Virginum Fredesselensium confirmat donationem Dominae Gertrudis totius Saxoniae Ducissae. ex autographo.

No. LXXXVIII.

Adalbero Archi Episcopus post diuisam cum Gertrude Ducissa, filii sui Henrici Tutrice, & cum Alberto Marchione paludem Australem sinistrae ripae Visurgis ad Bremam praetensam colonis nouas leges praescribit. ex LINDENBROG. Script. Septentr. p. 153.

No. LXXXIX. (a.)

Luitpoldus Bauariae Dux Henrico Superbo substitutus confirmat bonorum commutationem inter Abbatem Prunfeningensem & Ratisbonensem Praefectum. ex MELCHIOR. WEIXERI Fontilegio sacro fol. 62. sq.

No. LXXXIX. (b.)

Conradi III. Regis confirmatio. Indidem fol. 60.

No. XC.

No. XC.

Luitpoldi Ducis Bauariae donatio ad Monasterium Reichersbergense. ex Chronico ap. LVDEWIG T. II. p. 252.

No. XCI.

Annotatio praediorum atque beneficiorum Comitis Sibotonis (de Niuwenburg ad Oenum fluuium). ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 344.

No. XCII.

Conradus III. apud Weinsbergam confirmat permutationem inter Walckenredenses & quemdam Ministerialem Imperii. ex MSCto authentico.

No. XCIII.

Welfus Dux ad iter sacrum accinctus Hirsaugiensi Coenobio restituit praedium quoddam ad Heilbronnam. ex CRVSII Annal. Sueuic. P. II. Libr. 10. p. 430.

No. XCIV.

Friderici II. Imperatoris confirmatio praediorum Hirsaugiensium, in quibus & illud ad Heilbrunnam a Duce Welfo donatum. ex BESOLDI Docum. Wurtemb. p. 553.

No. XCV.

Explorator quidam nuntiat perniciosa Welfi Ducis cum Rogerio Siculo consilia, eiusque complices nominat. ex MARTEN. Coll. Ampl. T. II. p. 423.

No. XCVI.

Conradi III. filius Henricus Rex Constantinopolitano Imperatori victoriam suam ad Flochbergam a Welfo Duce reportatam notam facit. ex MARTENAEI l. c. T. II. p. 378.

No. XCVII.

Idem eamdem victoriam nunciat Imperatrici. Indidem p. 379.

No. XCVIII.

Conradus II. Rex Imperatrici Constantinopolitanae filii victoriam Flochbergensem nuntiat, petitque pro eo vxorem neptem Imperatoris. Ibid. p. 376.

No. XCIX.

Wiboldus Abbas Cancellario Regis nuntiat Welfum Ducem in praelio ad Flochbergam superatum & captum. Ibid. p. 372.

No. C.

Idem idem nuntiat Romano Pontifici. Indidem p. 403.

No. CI.

Hermannus Constantiensis Episcopus rogat Wiboldum, vt semet interponat pro liberatione consanguinei sui a Welfo Duce capti. ex EOD. l. c. p. 373.

No. CII.

Wiboldus Hermanno aperit sanguinolentum suum in Welfum Ducem consilium, Regemque hoc spernentem desidiae incusat. ex EOD. l. c. p. 374.

No. CIII.

No. CIII.

Wiboldus Imperatori Constantinopolitano nuntiat decretam a Conrado III. Rege contra Rogerium Siculum expeditionem, nominatque Principes, qui in proxima Curia hanc expeditionem iurauerant. ex MARTENAEO l.c. T. II. p. 496.

No. CIV.

Idem Wiboldus Conradi III. obitum & Friderici I. electionem Eugenio III. Pontifici Maximo significat. ex EOD. l.c. p. 514.

No. CV.

Friderici I. Imperatoris priuilegium pro Ecclesia Vercellensi subscriptore Welfo Duce. ex VGHELLI Ital. Sacr. T. IV. p. 1077.

No. CVI.

Conuentio inter Fridericum I. Imperatorem, & Eugenium III. Pontificem Maximum subscripta a Welfo Duce. ex BARONII Annal. T. XII. ad A. 1152. N. VII. & Codice Wibaldino Corbeiensi ap. MARTENAEVM l. c. p. 557.

No. CVII.

Praesides Prouinciae Friniani Mutinensibus iurant contra omnes homines, exceptis iis, qui Welfo Duci, Domino possessionis Comitissae Mathildis, fidelitatem iurauerunt. ex MVRATOR. Antiqu. Ital. T. IV. p. 202.

No. CVIII.

Excerpta ex Gerhohi Praepositi Reicherspergensis Commentario in Psalmum CXXXIII. de filiis Kedar. apud PEZ Anecdotor. T. V.

No. CIX.

Fridericus I. Imperator Ecclesiae Patauiensi restituit villam Maerdingen in Sueuia a Conrado III. olim Welfo Duci datam. ex Archiuo Patauiensis Ecclesiae.

No. CX.

Welfo Duci Adrianus IV. Pontifex Maximus defensionem Monasterii S. Sixti penes Placentiam committit. ex MVRATOR. Antiquit. Estensib. P. I. p. 308.

No. CXI.

Concordia inter Welfum Ducem & Obizonem, Albertum & Fulconem, Marchiones Estenses de Ateste & aliis terris. ex MVRATOR. l. c. p. 343.

No. CXII.

Welfus Dux Spoleti, Marchio Tusciae, Princeps Sardiniae & Dominus Domus Comitissae Mathildis Canonicis Pisanis bona confirmat. ex VGHELLI Ital. Sacra T. III. p. 465.

No. CXIII.

Welfus Dux Canonicos Luccenses in tutelam suscipit. ex MVRATOR. Antiquit. Estensib. P. I. p. 297.

No. CXIV.

Idem Ecclesiae Luccensi sua bona confirmat. ex MVRATOR. l. c. p. 298.

No. CXV.

No. CXV.

Idem inuestit Gerhardum Rangonem de curte Gauassae. ex MVRATOR. Antiq. Estensib. P. I. p. 299.

No. CXVI.

Welfi Ducis Ministerialis praedium Pabenrieth consentiente Domino transfert in Ecclesiam Wibensteuen Frisingensem. ex MEICHELBECK Frising. Instrum. p. 556.

No. CXVII.

Lis de terra fortis, quam Welfus Iunior Monasterio de Marola, pater autem Monasterio Canusino vendiderat, decisa per Legatum Apostolicum, vna cum examine testium. ex MVRATOR. Antiqu. Ital, T. IV. p. 203.

No. CXVIII.

Breue recordationis eiusdem decisionis. ex EODEM p. 206.

No. CXIX.

Aliud examen testium in eadem caussa recrudescente. ex EOD. l. c. p. 207.

No. CXX.

Monasterii Steingadensis fundationem ad exemplum Eugenii III. Pontificis Maximi confirmat Papa Adrianus IV. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 244.

No. CXXI.

Welfus Dux pro anima filii in Italia amissi allodium suum in Amergau Monasterio Campidonensi donat. ex EOD. l. c. T. III. p. 110.

No. CXXII.

Ius Patronatus Ecclesiae in Amergow cum tribus curiis a Campidonensibus peruenit ad Raitenbuchenses. ex EOD. l. c. p. 126.

No. CXXIII.

Henrici Constantiensis Episcopi, qua Dioecesani, consensus in istam alienationem. ex EOD. l. c. p. 127.

No. CXXIV.

Reuersales Aduocati in Schongau. ex EOD. l. c. p. 127.

No. CXXV.

Ecclesiam in Amergow Conuentui Raitenbuchensi vnit Emicho, Frisingensis Episcopus, qua Dioecesanus. ex EOD. l. c. p. 128.

No. CXXVI.

Welfi VI. Bauariae Ducis, Tusciae Marchionis & Sardiniae Principis epistolae XIII. ex Codice membranaceo in celeberrimo Monasterio Tegernseensi Ordinis S. Benedicti a Maxime Reuerendo P. BERNHARDO PEZIO *Benedictino descriptae, & cum Dn.* ECCARDO *communicatae; qui Vir Celeberrimus simul affirmat, scripturam, seu manum Codicis ipsi Welfo coaeuam, id est Saeculi XII. fuisse.*

- - 1. *Dux Welfus Alexandro III. Papae de spe pacis Ecclesiasticae scribit,*

eumque rogat, vt cuidam ſuo Clerico ab Hardouico Auguſtenſi Epiſcopo abhorrenti ſacros ordines ipſe impertiatur.

- - 2. *Idem eidem gratulatur pronum ad pacem Imperatoris animum, accuſans ſimul Hardouicum, Auguſtanum Epiſcopum, Clericos a Catholicis h. e. Alexandro III. addictis Epiſcopis ordinatos, acerbe diuexantem.*

- - 3. *Idem eidem queritur in Eccleſiaſticae pacis negotio exiguam ſui curam haberi, cum tamen ſit Eccleſiae & Alexandro addictiſſimus, adiecta petitione pro Auguſtani Epiſcopi tyrannide coërcenda.*

- - 4. *Idem Alexandro III. Legatum mittit Ottonem Reitenbuchenſis Eccleſiae Praepoſitum.*

- - 5. *Welfus Dux Pontificem rogat, vt in negotio pacis caute verſetur, & permittat, vt Clerici ſui ſacros ordines a quocunque Epiſcopo Catholico ſuſcipere poſſint.*

- - 6. *Otto Praepoſitus Reitenbuchenſis Duci Welfo ſignificat aduentum ſuum in Venetias, Conciliumque Rauennae habendum.*

- - 7. *Supplices Legatorum Welfi Ducis ad Pontificem litterae.*

- - 8. *Alexander III. Pontifex Maximus reſpondet, conſecratam a Friſingenſi Epiſcopo Eccleſiam Steingadenſem, in qua Welfi filii corpus tumulatum, ſe in tutelam ſuſcipere, & pace reformata Auguſtano praecepturum, ne ordinatis a Catholicis Clericis moleſtiam inferat. Habetur etiam in* HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 245.

- - 9. *Welfus Dux Hyacintho Cardinali ſuam aperit ſententiam de Concilio indicto, cui vterque Papa interſit.*

- - 10. *Idem Welfus Dux amicum E. rogat, vt pace inter Imperatorem & Pontificem reſtituta coërceatur Auguſtanus Epiſcopus, ne ſibi, Praepoſito Reitenbuchenſi aliisque ſuis Clericis incommodum afferre poſſit.*

- - 11. *Idem Ottoni Praepoſito Reitenbuchenſi admiſſae culpae veniam concedit.*

- - 12. *Idem Conradum II. Salisburgenſem Epiſcopum rogat, vt Sifrido Clerico ſuo ablatam reſtituat Eccleſiam.*

- - 13. *Idem Ruperto Abbati Tegernſeenſi ſignificat, ad actionem Domni Lantfridi, qui certum hominem eius Eccleſiae mancipauerat, ſuam auctoritatem acceſſiſſe.*

No. CXXVII.

Ottonis Reitenbuchenſis Praepoſiti epiſtola ad Mathildem Sulzbacenſem Comitem viduam, qua enixe rogat, vt apud Welfum fratrem, cuius gratia exciderit immeritus, intercedat. ex PEZII Codic. diplom. P. II. p. 23.

No. CXXVIII.

Ottoni Praepoſito Reitenbuchenſi reditum ex Italia & gratiam Welfi Ducis recuperatam gratulatur Welfi Sacellanus. ex EOD. l. c.

No. CXXIX.

Otto Reitenbuchenſis Praepoſitus murmurantibus ſuis de longa per legationes abſentia copiam facit eligendi alterius capitis. ex EOD. l. c. p. 22.

No. CXXX.

No. CXXX.

Idem Otto Domino suo Duci Welfo reconciliatus cum Reitenbuchensibus suis reconciliari nequit. ex EOD. l. c. p. 28.

No. CXXXI.

Rupertus Abbas Tegernseensis fratri germano Ottoni Praeposito Reitenbuchensi in aula Pontificia degenti commendat negotia sua. ex EOD. l. c. p. 6.

No. CXXXII.

Idem eidem commendat legatum suum. Ibid.

No. CXXXIII.

Otto fratri suo Ruperto narrat, quae Tegernseensi Ecclesiae ab Alexandro III. Pontifice Maximo priuilegia impetrauerit. ex EOD. l. c. p. 24.

No. CXXXIV.

Idem Otto praescribit eidem Ruperto Abbati modum medicinam faciendi pro saeculi captu haut insulsum. Ibid. p. 25.

No. CXXXV.

Idem de obitu fratris & sororis dolens fratrem superstitem Rupertum sollicitat pro munusculo. Ibid. p. 25.

No. CXXXVI.

Alexander III. Pontifex Maximus Praeposito Reitenbuchensi potestatem dat schismaticos recipiendi in gremium Ecclesiae. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 102.

No. CXXXVII.

Welfus Dux Galliarum Regi pro praestitis Alexandro III. Pontifici officiis gratias agit. ex DVCHESNE T. IV. Script. epist. 374. p. 702.

No. CXXXVIII.

Alexander III. Steingadenses in tutelam suscipit contra Hartwicum Augustensem Episcopum. ex HVND. Metrop. Salisb. T. III. p. 245.

No. CXXXIX.

Friderici I. Imperatoris compositio inter Vasallos Domus Comitissae Mathildis & Monachos Podolironenses. ex MVRATOR. Antiq. Ital. T. I. p. 603.

No. CXL.

Welfi Ducis repetita fundatio Monasterii Steingadensis. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 245.

No. CXLI.

Lucii III. Pontificis Maximi confirmatio Monasterii Steingadensis. ex HVND. l. c. p. 246.

No. CXLII.

Henrici IV. Imperatoris diploma pro Coenobio Steingadensi. ex EOD. l. c. p. 247.

No. CXLIII.

Fridericus, Friderici I. Imperatoris filius, confirmat Monasterio Steingadensi donationes Welfi Ducis. ex EOD. l. c. p. 252.

No. CXLIV.

Praesente Welfo Duce homo proprius solemniter traditur Ecclesiae Frisingensi sub Alberto I. Episcopo. ex MEICHELBECK. Frising. Instrum. p. 561.

No. CXLV.

Welfi Ducis praediorum commutatio cum Abbate Rothensi. ex huius annotatione. ex vetusto Chartulario.

No. CXLVI.

Welfi Ducis donatio fratribus in Adelberg confirmata. ex CRVSII Annal. Sueuic. P. II. L. XI. p. 488.

No. CXLVII.

Hermannus Constantiensis Episcopus confirmat permutationem praediorum inter Monasterium Adelbergense & Plebanum in Achtertingen cum consensu Aduocatorum vtriusque Ecclesiae Welfi scilicet Ducis & Friderici Ducis Sueuiae factam. ex CRVSII l. c. p. 494.

No. CXLVIII.

Fridericus, Friderici I. Imperatoris filius, Dux Sueuiae in placito prouinciali, quod Koenigstul vocatur, fauet Abbati in Salmansweiler teste Welfo Duce. ex LVNIG Reichs-Archiv T. XVIII. p. 509.

No. CXLIX.

Eiusdem confirmatio donationis Henricianae Augiae minori facta. ex LVNIG l. c. p. 748.

No. CL.

Henrici VI. Imperatoris confirmatio donationis Henricianae Augiae minori. ex LVNIG l. c. p. 748.

No. CLI.

Philippi Regis & Coniugis Irenes confirmatio donationis Henricianae Augiae minori facta. ex LVNIG l. c. p. 749.

No. CLII.

Reitenbuchensi Collegio ius Patronatus Ecclesiae in Muhlhausen per Ducem Welfum coram Episcopo Augustano euictum confirmat Lucius III. Pontifex. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 102.

No. CLIII.

Reitenbuchensibus Otto II. Frisingensis Episcopus donat Ecclesiam in Greffolfingen. ex MEICHELBECCII Histor. Frising. T. I. p. 388.

No. CLIV.

Fridericus II. Imperator confirmat Praepositurам Reitenbuchensem saluo iure suo & salua Aduocatia sibi & filio Henrico Regi. ex HVNDII Metrop. Salisburg. T. III. p. 110.

No. CLV.

Conradinus, seu Conradus minor, Sueuiae Dux, qua Aduocatiae heres Reitenbuchen-

buchensibus confirmat & auget priuilegia fundatorum, Maiorum suorum. *ex* HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 110.

No. CLVI.

Collegio Reitenbuchensi Rudolfus I. Rex conseruatorem constituit. *ex* HVNDII l. c. p. 111.

No. CLVII.

Ludouicus Bauarus Imperator Collegio Reitenbuchensi confirmat priuilegium Conradinum. *ex* HVNDII l. c. p. 112.

No. CLVIII.

Philippus, Friderici I. Imperatoris filius, Possessor terrae Comitissae Mathildis, bona & iura confirmat Monasterio S. Benedicti de Padolirone. *ex* Bullar. Casinens. T. II. Const. 218.

No. CLIX.

Instrumentum Honorii III. Pontificis super recuperatione Castrorum terrae Mathildis, praesertim in Marchia Spoletana & Anconitana. *ex* MVRATOR. Antiqu. Ital. T. I. p. 175.

No. CLX.

Litterae quibus Honorius III. Pontifex Azouem Estensem Marchionem vocat Romam ad Inuestituram Marchiae Anconitanae. *ex* MVRATOR. l. c. p. 333.

No. CLXI.

Henricus V. Imperator Alpersbachense Monasterium confirmat, testibus Gottefrido Comite Palatino de Calewo & Adelberto Comite de Loewenstein, fratruele eiusdem Palatini. *ex* CRVSII Annal. Sueu. P. II. p. 331. sq.

No. CLXII.

Fridericus Imperator Conrado Episcopo Patauiensi, Patruo suo, villam Meerdingen restituit. *ex* HVNDII Metrop. Salisb. T. I. p. 206.

No. CLXIII.

Welfus Dux Monasterio Campidonensi donat allodium suum in Amergaw. *ex* HVNDII l. c. p. 110.

No. CLXIV.

Henrici Regis, Friderici II. Imperatoris filii, Confirmatio Monasterii Steingadensis, qua Henricum Leonem, adhuc Saxoniae Ducem vocat. *ex* HVNDII l. c. T. III. p. 248.

No. CLXV.

Philippus Rex Steingadensibus confirmat omnia priuilegia & praedia, quae ex ordine recenset, data facultate suis seque & bona sua offerendi Steingadensi Monasterio. *ex* HVNDII l. c. p. 243.

No. CLXVI.

Fridericus II. Imperator Monasterium Steingaden in tutelam suscipit. *ex* EOD. l. c. p. 250.

No. CLXVII.

Idem litem de Aduocatia in Sibenaich decidit secundum Steingadenses. ex HVNDII Metrop. Salisb. T. III. p. 250.

No. CLXVIII.

Fridericus Dux Sueuorum donationes Monasterio Steingadensi factas confirmat. ex EOD. l. c. p. 252.

No. CLXIX.

Coelestinus III. Pontifex Maximus Steingadensi Monasterio confirmat omnia bona a bonae memoriae Duce Welfo collata. ex EOD. l. c. p. 248.

No. CLXX.

Innocentii III. Pontificis Maximi Confirmatio. Indidem. p. 249.

No. CLXXI.

Honorius III. Pontifex Maximus Steingadensem Praepositum dehortatur ab omni innouatione. Indidem.

No. CLXXII.

Philippus Imperator confirmat Monasterio Steingadensi bona sua. ex EOD. l. c. p. 249.

No. CLXXIII.

Fridericus II. Imperator Monasterio Steingadensi bona sua & possessiones confirmat. ex EOD. l. c. p. 250.

No. CLXXIV.

Idem bona eiusdem Monasterii Steingadensis sub Imperii Aduocatia esse pronunciat. ex EOD. l. c. p. 250.

No. CLXXV.

Henricus VI. Imperator ad preces Ducis Welfi, sui proauunculi, Monasterium Steingadense in protectionem & tutelam suam suscipit. ex EOD. l. c. p. 248.

No. CLXXVI.

Conradus IV. in tutelam suscipit Monasterium Steingadense. ex EOD. l. c. p. 251.

No. CLXXVII.

Conradinus Monasterium Steingadense in tutelam suam suscipit. ex EOD. l. c. p. 251.

No. CLXXVIII.

Ludouici Bauari Imperatoris confirmatio veterum priuilegiorum Steingadensium, speciatim autem praediorum recens acquisitorum. ex EOD. p. 254.

No. CLXXIX.

Iohannes Bohemiae Rex consentit Ludouico IV. Imperatori Monasterio Etal collaturo Aduocatiam in Steingaden & vallem Ambergow. ex EOD. T. II. p. 206.

No. CLXXX.

Mathildis Welfica, soror Henrici Superbi, nunc Gerhardi Comitis Sulzbacensis vidua, repetit a Ruperto Abbate Tegernseensi, cuius se cognatam vocat, Plenarium suum. ex PEZII Cod. Diplom. P. II. p. 14.

No. I.

No. I.

Initia Ecclesiae & Monasterii Auensis in dioecesi Salisburgensi tempore Welfi Fortis Ducis Bauariae.

Anno 1068. (seu potius Anno 1078.) Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. II. p. 88.

Ego *Hartwicus*, Ouensis Ecclesiae Dei gratia Praepositus, atque Archipresbyter, notum facio omnibus Christi fidelibus, qualiter quidam nobilis vir, nomine Waltherus, constituit vnum diem quatuor propriis mancipiis suis, Esinpreht, Pecila, Traso atque Ganenwip vocatis, ad suum legitimum diem, ea scilicet ratione, vt in his tribus continuis diebus, id est in sexta feria, & in sabbato, atque in dominica die iure perpetuo habeant libertatem eundi, manendi, vbi velint, ac propriis vtilitatibus consulendi, prout queant ac velint. & ita in praesentia & consensu ac consilio atque manu haeredum suorum, nomine Richer atque Mahtfrit, pro remedio animae suae atque parentum suorum eadem mancipia cum agris & pratis ad hoc dispositis, cum pascuis circa atriolum equis inibi Deo militantium interim pascendis cum diuina peragantur officia, cum exitibus & reditibus, ac cum omni lege, qua possidebat, potestatiua manu delegauit ad altare S. Valentini in loco, qui dicitur Pettinheim, ea videlicet conditione, vt in vsum Touschirchensis parochiani penitus cedant. Sic tamen, si in singulis vigiliis seu ieiuniis, atque in festiuitatibus cunctis, & in secundo vel saltem in tertio die Dominico, in vnaquaque hebdomada ter missam ob honorem Dei pro redemptione animarum, quarum corpora eo loci tumulata requiescunt, celebrare voluerit. Si autem in vna hebdomada de supra memoratis quicquam omiserit, & in proxima adimplere satagerit, vtilitatem supradictorum bonorum non minus ex debito habuerit. Sin vero seruitium Dei, vt praelibatum est, idem Sacerdos negligens existat facere aut patrare, pari modo desistat ex omnibus ad idem altare pertinentibus in suum ius vel quicquam temerare. Nam si in progenie eorundem Dominorum iam praenominatorum aliquis fuerit presbyter, qui eodem ordine voluerit inibi ministrare Deo & Sanctis, quorum reliquiae in illa Ecclesia continentur, omnia ad illam pertinentia ei rite debentur. Quod si seruitus Christi nec tali modo profectum ad id loci habere potuerit, tunc demum Sancti Spiritus instinctu potenti manu decreuit, vt mancipia eidem altari tradita, cum omni eorum posteritate, seruilis conditionis iugum absque omnium in Christi consortio commorantium retractione excu-

excutiant, & pro redemptione animae suae suorumque parentum de cuiusuis seruiminis molestia lege perpetua omnimodis liberati, vtilitatem eiusdem altaris cum agris & pratis sine omnium Christi fidelium contradictione in proprium iure perpetuo possideant. Sic tamen, vt in singulis annis tam ipsi quam omnis eorum posteritas quinque nummos in precio cerae ad illuminationem, aut lignorum ad eiusdem basilicae constructionem (*addendum forte* pendant.) Veruntamen posteaquam filii iam adulti censum designatum dare maturescant, parentes quippe absque huiusmodi datione, violentia omnium Christianorum seclusa, mox quiescant, ac preces indefessas pro eis ad Deum semper fundant, ex quorum pietate tam immensam gratiam habeant. Quod si quislibet Clericus siue Laicus, quod absit, inuidiae veneno suffusus, auaritiae facibus accensus, stimulis Sathanae agitatus, mente vesana non respiciens ad vindictam, quae eum ab omnipotente consecutura sit, nisus fuerit hanc legem inspiratione Sancti Spiritus potestatiuae manus auctoritate stabili tenore statutam infringere, aut deteriorare siue adnichilare, vel quolibet modo impugnare, adhaereat lingua eius faucibus suis, ne loquatur mendacium, veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, obscurentur oculi eorum ne videant, & deorsum, effundat Dominus super eum furorem suum, fiat habitatio eorum deserta, cum iudicatur, exeat condemnatus, &c. vsque pro eo quod non est recordatus facere misericordiam. Hiatu terrae ceu Dathan & Abyron deglutiatur; cum Iuda, cum Pilato in profundum abyssi dimergatur, vbi cum suis consimilibus poenas luat sempiternas. Vt lex ista stabilis & inconuulsa firma permaneat & rata, his testibus est corroborata: Vlrich. Deil. Tiemo. Altman & filius eius Wergant. Marchwart. Wecil. Rudolf. Engiluuan. Adelpreth. Lagile. Grimhart. Altmann. Macil. Ainhart. Pranthot. Hanzo. Dieppo. Riphum. Richer. Hecel. Malitfrit.

Hi nobiles viri: Gerolt. Diepolt. Adelun. Gnanno. Engil. Eccl. Antrich. Enolt. Frumehere. Wiheman. Dietmar. Menigoz. Wasegrin. Wecil. Hi viri domus Dei & alii complures.

Haec facta sunt anno ab Incarnatione Domini MLXVIII. tempore Hildiprandi Papae, Gebehardi Archiepiscopi. Heinrici Regis, *WELFONIS DVCIS*, Engilberti Comitis, Chuononis Aduocati, Adlwini Parochiani, feliciter. Amen.

No. II.

No. II.

Welfus Fortis Henrico IV. Imperatori Ecclesiae Caesariswerdensi donationem facienti assidet Wormatiae. Anno 1072. Ex Pezii Anecdot. T. VI. Part. I. p. 258.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS* diuina fauente clementia Rex. Si Ecclesiis Dei deferamus honorem, easque ampliare & exaltare curemus, certam habemus & spem & fidem, ex his rebus prouenire stabilitatem Regno, nobis vero salutem tam in hac vita, quam & in futura. Vnde vulgatum vbique in Regno nostro & publicum esse volumus, quod fecimus Ecclesiae Werdensi ad honorem quoque Dei & S. Swiberti Confessoris, qui in eadem Ecclesia in membris requiescit, & coruscat miraculis. Adiit namque suppliciter ad reuerendi Maiestatem solii nostri Capellanus noster, Sigefridus, eiusdem videlicet loci Praepositus, fratribus suis inibi seruientibus dimidium panem singulis festiuis diebus nostra clementia adaugeri postulans. Nos vero eius petitionem adimplere dignantes, opitulante nostra dilecta *Bertha* Regina, subuenientibus quoque nostris fidelibus, Annone videlicet Coloniensi Archi Episcopo, Adelberto Hammenburgensi Archi Episcopo, Erpone Cicensi Episcopo, Bennone Osnabrugensi Episcopo, Adelberto Wormatiensi Episcopo, Henrico Spirensi Episcopo, Wernero Strasburgensi Episcopo, Ducibus quoque Rudolfo Alemanniae & *WELFONE* Bauariae, atque Ottone Saxoniae, tradimus ad praedictum S. Swiberti Monasterium in augmentum praebendae fratrum, quicquid Guntram patris nostri seruiens in Comitatu Hermanni Palatini Comitis, & in his villis, scilicet Mundelinckheim, Rynheim, Sermethe, Rothe, Aredemenawalde, Soëueno, Ypheim in beneficio habuit. Damus autem regio more ad perpetuam proprietatem cum omnibus appendiciis, id est, vtriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, exitibus & reditibus, terris cultis & incultis, viis & inuiis, molendinis, piscationibus, syluis, & cum omni vtilitate, quae vlla ratione inde prouenire vel excogitari potest, ea quippe ratione, vt Missa ibi amodo & vsque in sempiternum pro animabus parentum nostrorum, *aui* videlicet nostri *CONRADI*, & *patris* nostri piae memoriae *HENRICI* Imperatoris, nec non *Genitricis* nostrae *Agnetis*, & ob nostram perpetuam salutem singulis cantetur diebus. Ergo vt haec nostra regalis traditio firma & inconuulsa omni tempore permaneat, & posteris etiam in notitiam veniat, literis mandari iussimus, easque manu propria roborantes sigilli nostri impressione firmari & subsignari.

Data IV. Kal. Ian. Anno Dominicae incarnationis MLXXII. Indict. X. Anno autem Ordinationis Domini Henrici Regis XVIII. Regni vero XVI.

Actum Wormatiae in Dei nomine feliciter Amen.

No. III.

Welfi I. Bauariae Ducis, eiusque Coniugis Iudithae traditiones duae ad Cellam Reitenbuchensem factae. Anno 1074. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 109.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. Notum sit omnibus in Christo fidelibus: Quod quidam *Dux* nomine *WELFO* cum *coniuge* sua, nomine *IVDITA*, quendam sui praedii locum, Bebingoë appellatum, cum villis, mancipiis, agris, pratis, siluis, & reditibus, ad Cellam, quae vulgo dicitur Raitenbuech, tradidit. Quae in nomine Iesu Christi, eiusque Sanctae Genitricis Mariae, condita & consecrata est. Hac scilicet conditione, vt deinceps Deo ibidem seruientibus Clericis in vsum cedat. Huic facto interfuit beatae memoriae Patauiensis Episcopus Altmanus cum suis Clericis. Sunt autem huius rei testes, Roprecht, Reginhart, Luitolt, Heinrich, Adelbero, Hatto, Kerolt, Marquart, Heinrich. *Idem* etiam praefatus *Dux* felicis memoriae triginta & vnum mansos proximos ad Raitenbuch donauit Reliquiis Sanctae Mariae, aliorumque Sanctorum, quae ibidem continentur, pro redemptione animae suae, omniumque debitorum suorum stabiliter illic ad Dei seruitium manendos. Testes sunt Reginhart, Tagino de Ginahart.

Anno Dominicae incarnationis Millesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, sexto Kalend. Ianuarii traditio facta est.

No. IV.

Welfo I. Duce praesente ac consentiente Henricus IV. Imperator Frisingensi Ecclesiae donat centum Regales mansos cum omni vtilitate, exceptis venationibus. Anno 1074. Ex Metropoli Salisburg. T. I. p. 103. & Meichelbeck. Historia Frisingens. T. I. p. 268.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS* diuina fauente clementia Rex. Omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam praesentibus notum esse volumus, qualiter nos in praesentia Principum nostrorum Gebehardi Saltzburgensis Archi Episcopi, Ottonis Ratisbonensis, Willehelmi Traiectensis Episcoporum, *WELPH*

Ducis

Ducis Bauariorum, ceterorumque fidelium nostrorum ex praedio, quod Salomon Rex Vngarorum nostrae potestati subiugauit, sanctae Dei Genitrici Virgini Mariae in Ecclesia Frisingensi, vbi Corpus Sancti Corbiniani quiescit, rogatu & seruitio eiusdem Sedis Episcopi *Ellenbardi* centum mansos, his locis sitos, Ascherichesbrugge, Chuningesbrunnen, Nowendorf, Hasilowe, sicque de Litaha vsque ad eum locum, qui terminus est inter Litaha & Vertowe, cum omnibus appenditiis, hoc est, vtriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, pratis, pascuis, vineis, terris, cultis & incultis, viis & inuiis, aquis, aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, exitibus & reditibus, quaesitis & inquirendis, exceptis venationibus & Wiltbanno in Litahaberge, aliis autem omnibus vtilitatibus, in proprium tradendo firmauimus, firmando tradidimus, ea videlicet conditione, qua cum omnibus ex praefato praedio donatis conuenimus, vt idem Frisingensis Episcopus *Ellenbardus*, suique successores in quolibet Castello, specialiter in Miesenburc muniendo, pro his centum regalibus mansis nobis seruiant, & in aliis omnibus nobis fideles existant. Cuius traditionis testem cartam praesentem nostro iussu conscriptam, nostra autem manu confirmatam, sigilli quoque nostri impressione insignitam cunctis saeculis reliquimus.

Signum Domini *HEINRICI Quarti* Regis inuictissimi.

Adalbero Cancellarius, vice Sigefridi Archicancellarii, recognoui.

Data Anno Dominicae Incarnationis millesimo LXXIIII. Indictione XIII. VI. Kl. Decembris; Anno autem Ordinationis Domni Heinrici IIII. Regis XX. Regni XVIII.

Actum Ratisponae in nomine Domini Iesu, Amen.

No. V.

Welfi Ducis precibus motus Henricus IV. Imperator Monasterium Benedicto-Buranum in integrum restituit. Anno 1074. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. II. p. 99.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICVS* diuina fauente clementia Rex. Deo seruire, regnare est. Cum ergo propitia diuinitate Regni gubernacula teneamus, iuxta Regiam magnificentiam volumus omnes sub pace Serenitatis nostrae gaudere; sed maxime, quos specialiter nouimus ad munimen Regalis defensionis attinere. Nouerit ergo vniuersus Ecclesiae Catholicae coetus, quod quandam Abbatiam, *Beyrn* dictam, a primis fundatoribus, & a praedecessoribus nostris & a nobis liberaliter & omni ingenuitate nobilitatam, in nostram

protectionem ac tutelam ſuſcepimus, & quaecunque nunc in loco ſunt, vel in futurum qualibuscunque vſibus profutura, iuſte & legitime acquiri poſſunt, *Gottehelmo* (*) Abbati, & eius ſucceſſoribus illibata conſeruari decreuimus. Idem ſiquidem Monaſterium antiquitus liberalitate Regum, largitate Principum magnifice ditatum, nunc variis euentuum caſibus quaſi deſpoliatum remanſit, eo quod ad Regnum omnia primae fundationis praedia, praeter ipſum determinalem locum, translata ſint. Eius igitur deſolationi condolentes, tum conſilio Principum noſtrorum Bertoldi, Friderici & Vdalrici, tum rogatu *WELFONIS Ducis*, tum fratrum inibi commorantium iuſtis petitionibus annuentes, Tuzzingen, Zeizmaringen, Karershuſen cum ſuis appenditiis, cum famulis & famulabus, & cum pratis de Seshopten iuxta ripam fluminis Wirmine, vsque Dietpurcce, eidem Monaſterio Imperiali Maieſtate reſtituimus, & Abbati ea loca poſſidendi, vendendi, vel ad quoslibet vſus inflectendi liberam facultatem pro debito noſtro concedimus. Ne ergo quaelibet perſona per aliquam ſurreptionem temere venire praeſumat contra hanc noſtram conſtitutionem, praeſentem paginam ſigilli noſtri impreſſione roboramus, & libertatem, quam loco illi pie indulſimus, & reditus, quos redonauimus, omni aeuo irrefragabiliter B. Benedicto ſibique ſeruientibus ſtabilimus, &c.

No. VI.

Cleri Bambergenſis conqueſtio de captione Epiſcopi ſui in Italiam tendentis. Anno 1078.

Ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 285.

Reverentissimo N. Epiſcopo humilis & luctuoſus Bambergenſis Clerus obſequium & deuotas in Chriſto orationes. Quia viſcera Chriſtianae pietatis & fraternae conpaſſionis in vobis habundare, & Eccleſiaſtici Zeli vigere tenorem omnino ſperamus; horrendum facinus, quod in Deum & Chriſtum eius, Dominum noſtrum videlicet Epiſcopum, contra omnia diuina & humana iura praeſumptum eſt, veſtrae ſanctitati lacrimoſa ſuggeſtione deploramus. Autorem vero tam diri ſceleris omnemque rei euentum plenaria a nobis narratione explicare otioſum eſſe credimus. Quo enim iam tam inauditae praeſumtionis fama non peruolauit? Vnum hoc fideli atteſtatione confirmamus, eum nullius noxiae reum in hanc calamitatem incidiſſe. Sed cum eum nullo genere perſuaſionis impellere potuiſſent, vt ſacroſanctum

Dei

*) Gotthelmus Monaſterium rexit annos tres, defunctus Anno Domini 1076.

Dei nomen, fidem videlicet iuratam fallendo violaret, viderentque eum fretum innocentia ad Sedem pro diluendis Apostolicam properare criminibus, quod ipsi ei commentitiis accusationibus imposuerant, tum demum in apertam execrandi furoris prorupere violentiam. Et certe cum pro fide ac veritate patiatur, quis dubitet, hoc & sibi & nobis non magis calamitosum esse, quam gloriosum? Sperantes, vt praediximus, animum vestrum in fraterno casu debito iustoque dolore incendi, per ipsum vos Dominum nostrum Iesum Christum omni genere humillimae supplicationis obsecramus, vt ad liberandum eum omne, quod potestis, consilium conferatis, neue inultam tam insignem nominis ordinisque vestri contumeliam vlla ratione patiamini. Prouidendum est enim, ne haec profana pestis latius grassetur, simulque cauendum, ne dissimulatio iniuriae singulorum fiat subinde pernicies omnium. Ostendite in vobis, obsecramus, illum Dominici discipulatus caracterem, quo ipse praecepit, vt dilectionem habeatis ad inuicem.

No. VII.

Cleri Bambergensis Epistola ad Welfum Ducem pro liberatione Episcopi sui Ruperti. Anno 1078. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 285.

Illvstri & Magnifico W. Duci humilis & luctuosus Bambergensis clerus deuotas in Christo orationes. Quia Magnificentiam vestram non magis fortitudine insignem, quam clementia placabilem ex bonae opinionis vestrae odore late diffunditur; contra indignissimum facinus, quod in Deum & Episcopum nostrum admissum est, vt pro indignitate rei Christianissimus animi vestri zelus insurgat, per ipsum vos Christum obsecramus. Neque enim simplici in eum genere saeuitum est. Cum enim & Episcopo & ad Sedem Apostolicam religioso habitu proficiscenti sacrilegas manus iniecissent, deinde ingentes pecunias, quas ad tanti itineris impensas parauerat, diripuere: nec adhuc tanta praeda contenti, nunc ab eo mille *manseros* (*) id est, totum Episcopi patrimonium, extorquere conantur. Quis, rogo, Barbarus crudelius in aliquem captiuum saeuiret? Certe periculosus iste temporum motus, hunc quia titulum non fert, pro correctione morum & meliorando statu Ecclesiarum ea, quae vsquequaque patimur, actitat. Itane vero per sacrilegia & rapinas boni illi mores nobis reuocantur? Itane vero per vastationem & direptionem florentissimae Ecclesiae damna Ecclesiarum resarcienda sperabimus?

*) Mancusos, vt in diplomate Henrici Nigri Bauariae Ducis ex Anno 1125.

mus? Veſtram ergo glorioſam eminentiam & pro liberatione paſtoris noſtri, qui innocentiſſimus tenetur, & pro incolumitate Eccleſiae noſtrae omni genere ſupplicationis imploramus, vt a patronis noſtris, beato videlicet Petro, Georgio, dignam compenſationem meritorum veſtrorum ante illud terribile Chriſti tribunal conſequi mereamini.

No. VIII.

Vrbanus PP. II. Canonicam Reitenbuchenſem in tutelam Sedis Apoſtolicae recipit. Anno 1090. Ex Hundii Metropoli Salisburg. T. III. p. 99. ſq.

VRBANVS Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei, Chariſſimo filio, Vdalrico, Praepoſito Canonicae, quae in loco *Raitenbuech* ad honorem S. Dei genitricis & Virginis Mariae ſita eſt, eiusque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis, in perpetuum. Poteſtatem ligandi atque ſoluendi in coelis & in terra B. Petro eiusque ſucceſſoribus auctore Deo principaliter traditam, illis Eccleſia verbis agnoſcit, quibus Petrum eſt Dominus allocutus: Quaecunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in coelis, & quaecunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta in coelis. Ipſi quoque & propria firmitas & alienae fidei confirmatio eodem Deo auctore praeſtatur, cum ad eum ait: Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Oportet ergo nos, qui licet indigni Petri reſidemus in loco, praua corrigere, recta firmare, & in omni Eccleſia ad interni arbitrium Iudicis ſic diſponenda diſponere, vt de vultu eius iudicium prodeat, & oculi, noſtri videant aequitatem. Quia igitur fideliſſimi Romanae Eccleſiae filii, *WELFO Dux Bauariorum*, & *coniunx* eius *IVDITHA*, pro animarum ſuarum ſalute Canonicam Fratrum, ſecundum regulam beati Auguſtini viuentium, in loco, qui Rettenbuch dicitur, conſtituentes, eandem domum beato Petro deuotione debita obtulere; Nos tum pro reuerentia & deuotione B. Dei genitricis ſemperque Virginis Mariae, cuius nomine locus ipſe dedicatus eſt, tum pro dilectione praedictorum filiorum noſtrorum, tum etiam pro fraternitatis veſtrae religione, praefatam Canonicam, cui Deo diſponente praeſidere cognoſceris, in ius perpetuum ac tutelam Apoſtolicae Sedis ſpecialiter ſuſcipimus. Tibi itaque tuisque legitimis ſucceſſoribus eandem regendam ac diſponendam praeſenti decreti noſtri pagina confirmamus, cum omnibus, quae ei iam ex praedictorum Ducum facultatibus ſeu aliorum conceſſa ſunt oblatione fidelium. Quam ob rem per praeſentem noſtri priuilegii paginam Apoſtolica auctoritate

ritate ſtatuimus, vt quaecunque hodie idem Coenobium iure poſſidet, ſiue in poſterum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium iure atque canonice poterit adipiſci, firma tibi tuisque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat eandem Canonicam temere perturbare, aut ei ſubditas poſſeſſiones violenter auferre, minuere & temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum ſuſtentatione ac gubernatione conceſſa ſunt, vſibus profutura. Obeunte te, nunc eiusdem loci Praepoſito, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia praeponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris elegerint. Conſecrationes altarium ſiue baſilicarum, ordinationes Clericorum, Chriſma, oleum ſanctum & cetera ad Epiſcopale officium pertinentia, ab Epiſcopo Friſingenſi, in cuius Dioeceſi eſtis, accipietis; ſi tamen Catholicus eſt, & gratiam ac communionem Apoſtolicae Sedis habuerit; & gratis & ſine prauitate impendere voluerit: Alias vero liceat vobis Catholicum, quem volueritis, adire Antiſtitem, & ab eo conſecrationum ſacramenta ſuſcipere, vel ad Sedem Apoſtolicam recurrere, qui fultus Apoſtolica auctoritate ſine ambiguitate poſtulata concedat. Praeterea Aduocatum vobis ſiue protectorem conſtituimus *GVLFONEM, egregiae ſtrenuitatis Ducem*, eiusque poſt eum filios, ſi eiusmodi, Deo praeſtante, fuerint, vt Eccleſiae veſtrae vtiles, & paternae inſtitutionis exiſtant executores. Sin autem, veſtri erit arbitrii, quem placuerit, eligere veſtrae Eccleſiae idoneum protectorem, qui ſine lucri ſaecularis exactione id diuinae ſeruitutis obſequium ſtrenue ac reuerenter exhibeat. Omnipotenti autem Domino, cuius melior eſt miſericordia ſuper victimas, gratias agimus, quia vos eſtis, qui SS. Patrum vitam probabilem renouatis, & Apoſtolicae inſtituta diſciplinae, in primordiis Eccleſiae ſanctae exorta, ſed creſcente Eccleſia iam pene deleta, inſtinctu Sancti Spiritus ſuſcitatis. Duae enim ab Eccleſiae ſanctae primordiis vitae eius filiis ſunt inſtitutae; vna, qua infirmorum debilitas retinetur; altera, qua fortiorum iter beate perficitur; vna remanens inter paruula, altera ad montis altiora conſcendens; vna lachrimis & eleemoſynis quotidiana peccata redimens, altera quotidiana inſtantia merita aeterna conquirens; alteram tenentes inferiorem terrenis bonis vtuntur, alteram ſequentes ſuperiorem bona terrena deſpiciunt ac relinquunt. Haec autem, quae a terrenis diuino fauore deuertitur in duas vnius pene eiusdemque praepoſiti diuiditur, portionem Canonicorum ſcilicet atque Monachorum. Harum ſecunda per diuinam miſericordiam

fre-

ſrequentia facta etiam in ſaeculo vniuerſo elucet. Prima vero decaleſcente feruore fidelium iam pene omnino defluxit. Hanc Martyr & Pontifex Vrbanus inſtituit, hanc Auguſtinus ſuis Regulis ordinauit, hanc Ieronimus ſuis Epiſtolis informauit, hanc Gregorius Auguſtino Anglorum Archi Epiſcopo inſtituendam praecepit. Itaque non minoris aeſtimandum eſt meriti, hanc vitam Eccleſiae primitiuam aſpirante & proſequente Domini ſpiritu ſuſtentare, quam florentem Monachorum religionem eiusdem ſpiritus perſeuerantia cuſtodire. Veſtrum ergo propoſitum noſtri auctoritate officii confirmamus, & firmos vos in eo perſiſtere adhortamur, & tanquam Deo per nos exhortante obſecramus. Quam ob rem omnibus in veſtro Coenobio vitam Canonicam ſecundum huius tenorem ordinis profitentibus, & in ea adiuuante Domino permanentibus, Nos, licet indigni Apoſtolorum Vicarii, eorum ac noſtram benedictionem, peccatorumque abſolutionem, poteſtate illis a Domino indulta, concedimus. Conſtituentes, ne cuiquam liceat omnino hunc veſtri ſtatum Ordinis commutare, de quo in Domino confidimus multum fructum excreſcere. Statuimus etiam, ne profeſſionis veſtrae quispiam, poſtquam Dei vice ſuper caput ſibi hominem impoſuerit, alicuius leuitatis inſtinctu vel diſtrictioris religionis obtentu, ex eodem clauſtro audeat ſine Praepoſiti totiusque congregationis permiſſione diſcedere; diſcedentem vero nullus Abbatum vel Epiſcoporum & nullus Monachorum ſine communium literarum cautione ſuſcipiat. Decimas quoque noualium eiusdem Canonicae ad eandem pertinere decernimus, ſaluo vicinarum iure Eccleſiarum. Vos igitur, Filii in Chriſto chariſſimi, oportet regularis diſciplinae inſtitutioni ſollicitius ac deuotius inſudare, vt, quanto eſtis a ſaecularibus tumultibus liberi, tanto ſtudioſius placere Deo totius mentis & corporis viribus anheletis, praecipue ſtudentes Romanae Eccleſiae decreta veneranda ſeruare. Cuius patrocinio ab omni iugo viuentium eſtis donante Domino praemuniti. Ad indicium autem huius a Romana Eccleſia libertatis per annos ſingulos ad noſtrum noſtrorumque ſucceſſorum vſum quotidianum Albam lineam & Stolam Lateranenſi Palatio perſoluetis. Sane ſi quis in craſtinum Archi Epiſcopus, Epiſcopus, Imperator, aut Princeps, aut Dux, Comes aut Vicecomes, Iudex, perſona quaelibet, potens aut impotens, huius noſtri priuilegii paginam ſciens contra eam temere venire, & eorum, quae conceſſa vel ſtatuta ſunt, quicquam irritum facere tentauerit, ſecundo tertioue commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, eum honoris & officii ſui periculo ſubiacere decernimus, & a corpore Chriſti & Eccleſiae,

clesiae, auctoritate Apostolicae potestatis segregamus; conseruantibus autem pax & misericordia a Deo praesentibus & futuris saeculis conseruetur. Amen.



Datum Anagnie Cal. Febr. Anno Dominicae Incarnationis 1090. Indictione 15. Pontificatus Domini Vrbani secundi Papae.

Scriptum per manum Lanfranci Viceagentis Cancellarii Sacri Palatii, cum signo eiusdem.

No. IX.

Catalogus bonorum, quae Dux Welfus Fortis habuit ab Ecclesia Frisingensi. Anno 1090. circiter.

Ex Meichelbeck. Histor. Frising. T. I. p. 289. qui eum descripsit ex libello coaeuo.

Haec dona praestita a Domino Meginwardo, huius Sedis venerabili Episcopo.

SKIRENSES Comites P. & frater eius O habent apud Seleprettesteten III. Curtes, & apud Witinchaim II. Curtes.

Dux WELFHARDVS habet apud Germariscowa IIII. curtes, IIII. hubas & molam, & piscatorem, & II. Wademannos.

Wolfher de Perigo, Minister vester, (*) habet apud Skestelarun II. curtes.

Chuonrad de *Dachchou* habet apud Spachbrucka II. curtes.

Gebehardus Archidiaconus habet apud Piscofesriet. - - - -

Wernher de Vagana habet apud Wichanriet II. curtes.

Comes Sigeboto habet apud Strazloch II. hubas.

Reginhalm de Hoffteten habet curti ferum I. apud Tustetin.

Comes Otto de *Omeras* II. curtes apud Tiniggen, & duas hubas apud *Cirlo.*

Adalpero de Sindellestorf habet II. curtes, & molam I. in eadem Villa.

Ouzi de Husan habet hubas II. vnam apud Wilperch, alteram apud Sindelesstorf.

*) Scripsit pro Canonicis & posteris suis.

Otto de Richolftorf, Vodalrich minifter Comitis Gebehardi habent II. curtes apud Wilperch.

Arnolt de Perego habet hobam in media Silua. (*Zu Mittelwalde.*)

Haec autem funt bona, a feruitio veftro praedatim fubtracta:

Dux WELFHARDVS habet decimam apud Germarifcowa.

Comes de *Omeras* habet apud Diniggen V. hubas, & molam I. & I. paftorale aruum, & figulum I. & Carpentarii beneficium I. & apud Vorchaideh curtem I.

Rudolf de Owelftat habet apud eandem villam molam & Sindmanni beneficium.

Pillunch de Pruchco habet apud Hurlingen II. curtes, & duo hubas, & hortulani aruum & curtem I. & hobam I. & hortulani aruum apud Polingen, & habet hobam apud Litan, & II. hobas apud Cirlan.

Rihhero de Paierbrunnen habet nemus fitum apud eandem villam Baierbrunnen.

No. X.

Per manum Welfi Ducis villa Ochfenhaufen Abbatiae S. Blafii oblata fit Monafterium.

Anno 1100. Ex veteri apographo.

ANNO Domini millefimo centefimo, anno vero Henrici IV. Imperatoris quadragefimo quarto, Hawinus, Adelbertus & Conradus, fratres, per manum *Ducis Bauarie, GVELFONIS*, locum, qui vulgariter dictus eft *Oxenhuffen*, Monafterio S. Blafii in proprietatem dederunt, in prefentia Domini Vttonis Abbatis & Adelgozii tunc Aduocati de S. Blafio, coram multis teftibus, cum omnibus appenditiis fuis, id eft, vtriusque fexus mancipiis, areis, edificiis, exitibus, & reditibus, agris, aquifitis & aquirendis, pratis, pafcuis, aquis, aquarum decurfibus, molendinis, pifcationibus, filuis, & cum omnigena vtilitate, que vllo modo inde prouenire vel excogitari poteft, absque omni contradictione, cum omni proprietate. Venerabilis vero Vtto Abbas, cum confilio *Thiemonis*, Archi Epifcopi Salzburgenfis, & *Gebhardi*, Epifcopi Conftantienfis, & aliorum religioforum virorum petitione ad eundem locum Fratres fuos direxit, fcilicet quendam Fratrem, nomine *Burchardum*, religiofum moribus, qui poftmodum primus Prior factus eft in eodem loco, Monafteriumque in eodem loco fieri fecit in honore inuictiffimi militis Chrifti Georgii, in quo Fratres ordinis S. Benedicti in vnum

vnum congregaret, qui Deo die noctuque seruirent, & S. Blasio deinceps obedientiam seruarent, & vt semper inuiolabiliter diuinum seruitium ibi perseueret. Deinde etiam decretum est, vt essent sub Abbate de S. Blasio secundum ordinem suum, quem de Fructuaria habemus, & vt idem locus cum omnibus ad illum pertinentibus iure proprietatis Monasterio & Abbati S. Blasii semper in omnibus obediat & subiaceat, sicut & alie sue Celle eidem obediunt & subiacent; & vt semper sit Prior de S. Blasio. Qui scilicet *Burchardus* iussa complens omnia, que eidem Pater & Abbas S. Blasii iniunxerat, adimpleuit, & Monasterium construens in honore S. Georgii, sicut hodie cernitur, fideliter cum Dei adiutorio consummauit. Vt nullus Dux, aut Comes, aut aliqua maior, vel minor persona aliquid iuris habeat, vel aliquam potestatem exerceat, aut vllam inquietudinem Monachis in eadem Cella manentibus presumat inferre, sed omnia sub potestate & dispositione Abbatis S. Blasii perenni iure permaneant. Ad haec sane illam constitutionem, quam Venerabilis Pater Vtto sanxit, & nos approbamus & sancimus, vt nullus Abbatum vel potentum de rebus, ad dictam Cellam Oxenhaussen pertinentibus, aliquid inde abalienare vel subtrahere presumat, & vt alius nullo modo sit Prior, nisi quem Abbas nostri Monasterii preesse voluerit: Prior autem de his, qui ad conuersionem veniunt, siue sit Monachus, siue Clericus, siue Laicus, nullum admittat in consortium Fratrum sine voluntate & concessione Abbatis nostri Monasterii. Omnia maiora negotia in mutandis locis, in transferendis eiusdem beneficiis, & cetera huiusmodi, pendeant ex arbitrio Abbatis dicti Monasterii.

Et haec omnia postea sunt confirmata primo Argentine a Lothario Rege, Anno Domini Millesimo, Centesimo, vigesimo sexto; Anno vero Regni eius primo.

No. XI.

Innocentii PP. III. iniuncta parricidis Conradi, Hildensemensis, postea Herbipolensis Episcopi, poenitentia. Anno 1203. Ex vetusto Diplomatar. Hildensem.

INNOCENTIVS Episcopus Seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus, has literas inspecturis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quam execrabile facinus & peculiare flagitium perpetrauerint, qui ausu sacrilego manus impias in Christum Domini nequiter iniecerunt, bone memorie Conradum, Herbipolensem Episcopum, Imperialis aule Cancellarium, crudeliter occidentes, flere potius libet,

quam referre. Verum cum diuina pietas humanam impietatem excedat, & miserationibus Domini miserie hominum comparari non possint, cum nolit Dominus mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur & viuat, vtpote qui patiens & multum misericors est, & prestabilis super malitia; nos, qui licet indigni vices eius exercemus in terris, scientes, quod maius gaudium est angelis super vno peccatore poenitentiam agente &c. quantumcunque huiusmodi deliquerint homicide, non potuimus tamen, nec debuimus poenitentibus aditum venie precludere; cum nouerimus, dixisse Dominum per Prophetas: In quacunque hora peccator conuersus fuerit & ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. *Bodonem* igitur, *Henricum* quoque *vasallum* eius, milites, cum *Heroldo* & *Conrado*, *seruientibus suis*, ad nostram presentiam venientes, & confitentes, se predictum Episcopum occidisse, cum de suis excessibus lachrymabiliter poeniterent, & humiliter postularent, sibi poenitentiam a nobis pro tanti sceleris immanitate iniungi; quia poenitentibus non est indulgentie ianua precludenda; de fratrum nostrorum consilio, dilecto filio, *Hugoni* tituli S. Martini presbytero Cardinali, commisimus audiendos: Qui, confessione illorum audita, postquam fecit eos nudos coram nobis in braccis, tortas habentes in collo, diebus aliquot in frequentia populorum astare, de mandato nostro talem poenitentiam illis iniunxit, vt nunquam de cetero, nisi contra Sarracenos, vel ad defensionem vite, armis vtantur. Varium, griseum, ermelinum & pannos coloratos non portent: Ad publica spectacula non accedant, & coniugati non contrahant matrimonium post mortem vxorum: Eantque, quam cito poterunt, in Hierosolymitanam prouinciam, per quatuor annos ibi contra Sarracenos Domino seruituri. *Bodo* vero, qui maior existit, tres vel vnum saltem in suis expensis secum adducat. Et, donec ipsi quatuor execrabiles homicide Hierosolymitanum iter arripiunt, sicut publice poenitentes, discalceati & laneis induti vestimentis, incedant. Secundam, quartam & sextam feriam, quatuor tempora, vigiliasque Sanctorum solennes in pane & aqua ieiunent. Tres in anno quadragesimas, videlicet ante Natiuitatem & Resurrectionem Domini & post Pentecosten, faciant. Carnibus, nisi in eisdem tribus festiuitatibus, non vescantur, eaque die, qua predictus fuit Episcopus occisus, carnes non comedant in eternum. Orationem Dominicam decantent centies inter diem & noctem, & genuflectiones faciant quinquaginta. Corpus & sanguinem Domini, nisi in vltimo mortis articulo, recipere non presumant. Cum fuerint vltra mare, quartam & sextam feriam, Sanctorum vigilias & quatuor tempora, sicut dictum est, in cibo quadragesimali ieiunent. Carnes come-

comedent die Dominica & quinta feria tantum. Orationem Dominicam dicant, & genuflectiones semper faciant pretaxatas. Quandocunque aliquam ciuitatem Alemanicam poterunt secure intrare, ad maiorem Ecclesiam nudi procedent, tantum in braccis cum torta in collo & virgis in manu, & a Canonicis eiusdem Ecclesie recipiant disciplinam. Si vero quesitum fuerit, cur hoc faciant, dicant, hoc se facere pro sceleris perpetrati iam dicti satisfactione. Si quando forte in ciuitate Herbipolensi poterunt esse securi; in Resurrectione, Pentecoste, Natiuitate Domini, ac in solennitate maioris Ecclesie, videlicet S. Kiliani, exeant ciuitatem & tamen nudi cum braccis tantum, tortam in collo & virgas deferentes in manu, in Misse celebratione maioris, ad Ecclesiam Cathedralem accedant, & ante Episcopum & Canonicos prosternentes se in terram, petant humiliter & recipiant disciplinam ab eis. Cum autem de partibus redierint transmarinis, ad Apostolicam Sedem accedant, recepturi consilium & mandatum.

Datum Laterani XIV. Kal. Maii, Pontificatus nostri Anno VI.

Addit Pontifex etiam poenas seculares huiusmodi:

Ceterum vt in homicidas huiusmodi, & fautores eorum per priores litteras, quas super hoc vobis meminimus destinasse, *spiritualiter* duximus procedendum; vt tamen *temporaliter* etiam puniantur, & sicut eorum est excessus notorius, sic memorialis sit de generatione in generationem sceleris perpetrati vindicta; presentium auctoritate statuimus, vt tam homicide ipsi, quam heredes eorum, vniuersis *feudis* & *beneficiis Herbipolensis Ecclesie*, quam specialiter offenderunt, *Ecclesiarum* etiam *ceterarum*, careant in perpetuum, nec illa vllo vnquam tempore assequantur, nisi forsan aliquando de Sedis Apostolice indulgentia secutura posteritas misericordiam mereatur. Adiicimus etiam, vt, si *beneficia* vel feuda quelibet *Ecclesiarum*, vbiubi fuerint, obtinuerint, vniuersa *dioecesis*, in qua id attentare presumpserint, subiaceat interdicto, ita quod nullum in ea diuinum officium, vel sacramentum Ecclesiasticum, preter baptisma paruulorum & poenitentias morientium, celebretur; sed nec mortuorum corpora tradantur ecclesiastice sepulture, donec vel illi a sua presumptione desistant, vel habitatores eiusdem dioecesis eorum conatibus se opponant &c.

No. XII.

Historia poenitentiae Conradi Episcopi, qui sine Pontificis venia ab Ecclesia Hildensemensi ad Wirceburgensem transierat. Anno 1202. Ex gestis Innocentii PP. III. c. 44. ap. Baluzium T. I. Epistol. Innocentii III. p. 14.

PROPTER similem quoque causam excommunicauit (Innocentius III. PP.) Conradum, Hildesemensem Episcopum, Imperialis aulae Cancellarium, virum vtique nobilem, diuitem & potentem, ingeniosum, industrium, & astutum, quia videlicet ad Herbipolensem Ecclesiam sua praesumpsit temeritate transire, monitusque contempsit resipiscere ab errore, praetendens, quod a Celestino Papa sibi fuerat indultum, vt inuitatus maiorem posset assumere dignitatem. Sed haec indulgentia eum non poterat excusare, quoniam Herbipolensis Ecclesia, quamuis ditior, non tamen dignior quam Hildesemensis existit, & maioris est indulgentiae, vt transeat quis ad parem, quam ad maiorem dignitatem ascendat. Et ideo cum post admonitionem contemptam praecepisset eidem, quatinus Ecclesiam vtramque dimitteret, (quia cautum est in canonibus, vt qui ad maiorem se plebem transtulerit, & a cathedra pelli debeat aliena, & carere propria, vt nec illis praesideat, quos per superbiam spreuit, nec illis, quos per auaritiam concupiuit;) ipse tandem excommunicari fecit eundem, & excommunicatum per totam Prouinciam publicari. Qui cum ab omnibus vitaretur, tentauit multotiens per honorabiles nuncios, si forsan intercessione Principum, aut oblatione munerum, eius posset animum inclinare. Quod cum nullo modo proficeret, proprium tandem recognoscens excessum, primo coram Magdeburgensi Archi Episcopo & multis Principibus, ac secundo coram Moguntinensi Archi Episcopo & multis aliis Magnatibus iuramento firmauit, quod mandatis apostolicis obediret. Et exinde nec viarum euitans discrimina, nec incommoda temporis impacati, ad Apostolicam Sedem accessit, in multa contritione cordis & humilitate corporis, absolutionis beneficium implorans. Qui cum fuisset iuramento rursus praestito absolutus, *depositis calceamentis & pallio, cum corrigia in collo*, apostolico se conspectui praesentauit, & prosternens se totum in terram, in modum crucis manus expandit, cum grandi fletu postulans indulgentiam, proprium confitendo peccatum. Commota sunt autem viscera Summi Pontificis super eum. Sed ne dissolueret neruos ecclesiasticae disciplinae, post deliberationem multiplicem in publico consistorio praecepit eidem sub debito praestiti iuramenti, vt tam Hildesemensem. quam Herbipolensem Ecclesias omnino dimitteret: qui quamuis omnino confusus humiliter obediuit, faciens de necessitate vir-

virtutem. Misitque munera quaedam ipsi Domino Papae, videlicet vasa argentea pulcra visu; qui animo haesit paulisper, haesitans vtrum deberet illa recipere, an potius refutare. Sed ne ille de gratia sua penitus desperaret, recepit oblata, &, ne putaret quod munerum posset donatione corrumpi, misit ei per honorabilem nuncium vnam cupam auream preciosam, maioris quam illa vasa essent argentea vniuersa. Volens autem infundere oleum super vinum, cum praecepisset, vt Hildesemensis Ecclesia idoneum sibi Pontificem per electionem canonicam prouideret, ordinationem duxit Herbipolensis Ecclesiae differendam, vt si forsan eadem Ecclesia iterato postularet eundem, humiliatum erigeret, quem deiecerat exaltatum; sicque post annum factum est, vt praeuidit de eo. (*)

No. XIII.

Historia de poenitentia Welfi Ducis ex veteri Codice MSCto Monasterii Tegernseensis descripta & iam olim a Reuerendiss. Abbate D. Quirino Milone cum Leibnitio communicata.

Incipit Historia de poenitentia Domini Welffe Ducis Sueuiae propter interfectionem Episcopi Augustensis Ecclesiae, & de fundatione Monasterii S. Nicolai FratrumScotorum ab eo prope Maemming (forte deest: *suscepta.*)

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti amen. Regnante Conrado III. Serenissimo Rege Romanorum fuit potentissimus *Dux in Sueuia* nomine *WELFFE.* Hic in tantum nobilis exstitit, quod nullus ei inter totius Alemmaniae Principes linea nobilitatis & diuitiarum copia & Cognatorum similis inueniri potuit, qui sicut (*lego:* si vt) dicebatur, superstes esset Regis Conradi, omnes Principes vnanimiter in Regem elegerunt (*forte* eum elegissent) Romanorum. Cum igitur huic potentissimo Duci fauente Dei gratia omnis mundana gloria, temporalium videlicet affluentia rerum, Parentum quoque Nobilium & amicorum copiosa multitudo, & omnis bonae fortunae prosperitas plurimum arrideret, accidit tunc currentibus horis, ceu Philosophi (aliqui) eximii de naturis introducuntur ad humanae conuersationis circumstantiam conueniens dicentes. Quia saepe vrtica vel spina proxima rosae est; ita gaudium & laetitia maerori vel luctui saepe solet esse vicinum: sic etiam hostis humani generis, diabolus videlicet, est semper praesens & promptus, praetendens laqueos suae nequitiae, vt decipit diuitem, pauperem & inopem, & trucidat etiam si posset rectos corde. Quia huius Ducis Welffe dicti felicibus inuidens successibus veniens seminauit zizania in agro cordis eius, inuidiam scilicet, qua iam fere totum orbem obnubilans sua malitia deturpauit. Sic tempora istius Ducis tranquilla

*) Forte legendum: & *prouidit* scilicet Ecclesiae Wirceburgensi *de eo.*

quilla & bona fama, quae iam quasi per totum mundum laudabiliter fuerat resperfa, penitus obfuscans misit in cor saepe dicti Ducis, vt interficeret Christum Domini, videlicet Episcopum Augustensem. Quo interfecto & tam miserabili & inopinato casu & grauissimo scelere secundum daemonis suggestionem viliter admisso, affuit etiam huius Ducis miserrimae fortunae & propter peccatum iam fere desperato ille clemens Spiritus, orphanorum pius consolator, qui vbi vult spirat per gratiam suorum septiformium donorum, tribuens vnicuique prout vult sui amoris gratiam infundendo. Iste, inquam, pius & benignissimus Spiritus, qui consolatur in omni tribulatione nostra, de corde istius Ducis faciens sibi mundum receptaculum & solenne, quod per dominationis artem & crudelis sceleris perpetrationem penitus fuerat inquinatum, gratiae suae dulcedinem misericorditer infudit, tanquam bonus consiliarius prouidus & discretus, qui nunquam deserit sperantes in se, & neminem vult perire, sed vt conuertantur per poenitentiam & viuant, & dat omnibus affluenter & non improperat, vt per fidei suae constantiam maneant in eo, in quo & fundati sunt, hoc est supra firmam Petram Christum, qui per Spiritum suum cordi Ducis misericorditer aspirans consuluit, vt pro nefandis & grauissimis suis peccatis, quibus Dei clementiam grauiter offenderat, limina Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Christi & personam super hoc Domni Apostolici adiret, & ibi prout sibi pro peccatis suis poenitentia iniungeretur, indulgentiam obtineret. Et demum post veram contritionem & puram confessionem fructu poenitentiae salutaris adepto a Beato Petro Principe Apostolorum, & suo Vicario, videlicet Domno Papa a peccatorum suorum vinculis misericorditer absolutus ad propria cum gaudio remearet. Post haec autem sequens huius salubris consilii monita magna contritione interiora cordis & riuulis lachrymarum interioris & exterioris hominis duritiam permulcens poenitentia ductus Deo, quem offenderat, cupiens & desiderio summo desiderans satisfacere de peccatis, & ei per poenitentiam iterum placere. Venit Romam vt mereretur per puram confessionem & congruam satisfactionem exoptatam indulgentiam consequi peccatorum. Inuocata itaque Sancti Spiritus gratia & Sanctorum Apostolorum suffragia toto mentis conamine implorans accessit ad Papam & pedibus eius prosternitur. Et cum ingenti cordis amaritudine & grauissimo fletu & lachrimarum multimoda effusione rigans Vicarii Iesu Christi (*forte deest*: pedes,) multorum malorum se conscium protestans, inter caetera tamen peccata, quibus Maiestatem Dei grauius offenderat, se Christum Domini occidisse, & ex hoc propter magnitudinem peccati plus quam scelus homicidii se perpetrasse est publice protestatus. Confessus est enim & non negauit, deprecans Domnum Apostolicum humiliter & deuote, vt pro tam grandi & nefando scelere sibi

com-

competentem & condignam poenitentiae satisfactionem iniungere dignaretur, per quam posset salubrem fructum dignae poenitentiae feliciter adipisci, & gratiam Dei, quam miserabiliter perdiderat, obtinere. His auditis Domnus Papa glorificauit Deum, qui non vult mortem peccatorum, sed vt magis conuertantur, & post luctam verae poenitentiae viuant perpetuo coronati. Huic autem Duci tam pure confitenti sua peccata inquit Domnus Papa: Fili in Christo charissime! quodcunque agis, prudenter agas, respice finem. Et quod iam facere incipis perfice citius, quia mors subita & certa manet omnibus. Et nihil incertius die mortis. Id certo necesse est, & saluti tuae videtur plurimum expedire, vt antequam horrendae & inprocogitatae mortis excipias imperium, possis peccata, quae commisisti, ita diluere, quod per veram compunctionem cordis, & puram confessionem oris & fructuosam poenitentiam lamenti valeas in pace Deo reddere spiritum quem creauit. Vnde charissime fili, si propter limina Sanctorum Petri & Pauli Apostolorum Christi huc venisti, & vt peccata tua deuotissime plangas, oportet quod Sacrosanctae vniuersalis Ecclesiae velis fideliter astare, & iniunctam a Nobis tibi poenitentiam salutarem suscipere non recuses, per quam possis tui reatus poenam euadere hic & in saeculo futuro. Respondens autem Dux Domno Papae dixit: Domine Sancte Pater & Rector vniuersalis Ecclesiae, nec non & Pastor totius gregis Christi, rogo vos humiliter & deuote, quod me patienter audiatis, quia non veni vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, cuius gratiam me offendisse profiteor. Et certe iam liber, iam non liber mihi videor esse, quia propter peccatum perdens libertatem & praeuaricator Dei legis effectus alterius subiicior dominio & potestati. Nunc igitur Sancte Pater & Domine nemine me compellente, sed Spiritu Dei bono & conscientia mea me ad hoc inuitante veni ad vestrae gratiae Sanctitatem, cupiens vestris omnimodo obtemperare consiliis & mandatis, vt assumpto labore iniunctae mihi poenitentiae indulgentiae fructum recipiam salutarem. Ad haec Domnus Papa: diligenter, inquit, attende diligenter, fili mi charissime, quoniam secundum modum culpae poenitentia est vnicuique statuenda, quam tibi volumus plenius explanare. Cum igitur peccatum homicidii inter septem principalia vitia sit grauissimum, & multum indigeat medicamento. Hic autem casus homicidii caeteros casus ad homicidium pertinentes excedere videatur per magnitudinem sui facti enormiter perpetrati, quia suadente diabolo Pastorem Sanctae Ecclesiae peremisti. Imo quod maius est & grauius, Christum Domini occidere praesumpsisti. Cuius talis ac tanti nefandissimi sceleris satisfactio debet esse pariter & poena, vt tu incontinenti gladium tuum, cum quo saepe dictum Episcopum morte

crudeli proſtratum de medio plebis Chriſti intrepide ſuſtuliſti, recipias, & ad collum tuum per catenam ferream ſuſpenſum ſiue iacens, ſiue ſedens, ſtans aut vadens, dormiens & vigilans, bibens vel comedens, die noctuque portare infra ſeptennium non deſiſtas. Porro de his ſeptem annis recipe tibi annos tres, quos in partibus tranſmarinis peregrinando, dies eorum ſcilicet trium annorum cum luctu & lamento fructuoſe poenitendo, iuſte & pie viuendo, inceſſanter expendere valeas. Et poſt rurſus triennium pro alia poenitentia decentiſſima peragenda Sedem Apoſtolicam aggredi non omittas, vt vel ſic ira Dei & indignatio per luctum poenitentiae erga te valeat mitigari. At ille Chriſti Vicarii monitus praeceptis ſalutaribus gladio ad collum eius miſerabiliter dependente flens & eiulans atque dicens: Domine Reuerende & Pater in Chriſto Sanctiſſime, ego infeliciſſimus & flagitioſiſſimus homo merito haec patior, quia peccaui in Sanctum Dei, & amodo non ſum dignus Ducis nomine cenſeri, ſed traditor& interfector Chriſti Domini debeo ſemper dici. Qui cum trium annorum poenitentiae tempus in peregrinatione grauiſſima peregit, in diuerſis periculis & anguſtiis conſtitutus, periculis fluminum, periculis in mari, periculis latronum & vias praedantium, periculis ſibi crudeliter aduerſantium & cumulum moleſtiarum & multarum iniuriarum & grauaminum eſt perpeſſus, rurſus inquit: Sancte Pater & Domine, veſtram deprecor Maieſtatem, quatenus pro veſtrae voluntatis arbitrio adhuc iugem poenitentiae fructum carni meae imponere dignemini. Sicut decet, & velut peccaui me puniat Sanctitas veſtra. Non enim recuſo maiorem ſubire laborem, & omnem ſatisfactionem nequaquam refugio, ſed in ſpiritu humilitatis & in animo contrito ſuſcipiam, quidquid Paternitas veſtra mihi decreuerit faciendum. Audiens autem Domnus Papa, mentem Ducis eſſe pronam ad omnem ſatisfactionem & in omni luctu poenitentiae totaliter perſiſtentem, dixit ei: Filii in Chriſto chariſſime tuae, poenitentiae perſeuerantiam non modicum acceptamus, ſed plurimum commendamus in te perfectae patientiae humilitatem. Idcirco dignum duximus tibi ſalubriter conſulendum, vt die craſtino ad noſtram praeſentiam veniens audias, quid te adhuc oporteat facere pro tuis peccatis nondum ad plenum per poenitentiam priſtinam abolitis ac deletis. Ipſo quidem ab aſpectu Domni Apoſtolici recedente coepit Domnus Papa tractatum ſuper facto Ducis cum Cardinalibus habere, quid de ipſo faceret, vel quam adhuc poenitentiam ſibi iniungeret, & quam gratiam ipſi eſſet facturus conſuluit Cardinales. Qui confeſtim habita communi deliberatione Domno Papae taliter reſponderunt: Domine Sancte Pater, nos veraciter didicimus & certi ſumus, quia homo ſit valde nobilis & potens, imo maximus quem habet Curia Regis

Ro-

Romanorum. Et cum talis ac tantus ſit progenie, & ſtirpis nobilitate praecellat inter vniuerſos Principes & natu nobiliores in vniuerſa Eccleſia, & iam congruam poenitentiam infra tres annos in partibus transmarinis cum maxima deuotione & cordis contritione peregerit; & licet in grauiſſimis periculis in peregrinatione ſoepius conſtitutus veſtris tamen mandatis obediuit humiliter & deuote; idcirco ſi veſtrae complacet Sanctitati ei, vt decet, gratiam impendentes, & grauiſſimum ipſius iugum aliquantulum alleuiantes, de collo ipſius quoque gladium deponendo, lineis veſtibus & calceiis cum lectiſterniis, balneis & barbae raſura, vino etiam moderate ſumpto, & carnibus ter in hebdomada propter reformationem corporis eius, quod propter magnam abſtinentiam & labores hucusque nimium fatigatum, obſequio quoque ſeruorum ſuorum & communione fidelium Chriſti eum vti permittere dignemini. Inſuper etiam ne propter magnos labores & intolerabiles ſudores, vel hyemis algores penitus deficiat, praecipue tamen in ſcandendo montes excelſos, ex veſtra immenſa pietate aſinum vel mulam aut equum infra montana & loca periculoſa arcta & anguſta ſibi liceat equitare. Quorum conſilio ſatis vtili & maturo Domnus Apoſtolicus adhibens pias aures ſummo mane miſit pro Duce, vt veniret ad praeſentiam ipſius & Cardinalium, & audiret, quae ſibi de poenitentia grauiori minui, vel de leuiori poena deberent aliqua ordinari. Tunc Dux cum omni feſtinatione & grauitate veniens ante conſpectum Domni Apoſtolici ſibi talia imperantis & dicentis, Fili in Chriſto chariſſime, notum tibi fieri volumus, quod nos proborum virorum, videlicet Cardinalium curiae noſtrae, vſi conſilio ſaniori tecum gratiam facere volumus, tibi grauem poenitentiam aliquantulum relaxantes, maxime cum te viderimus in poenitentia magna conſtitutum ſtabilem & benignum, & omnia deuote & reuerenter ſufferentem, & ad effectum omnem ſatisfactionem deuotiſſime perducentem. Ideoque tuae deuotionis & magnae conſtantiae tuae fidei circumſtantiam conſiderantes ex authoritate Dei omnipotentis & Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum Chriſti, nec non & noſtra authoritate munus miſericordiae & gratiae tibi volumus impertiri, tantummodo patienter audias & attente qualis & quanta ſit poenitentia vel poena, quae te adhuc omnino liberum eſſe non ſinit; verumtamen cum adhuc quatuor anni poenitudinis tibi ſint ad ſatisfactionem debitam repoſiti, & in operis pro peccatis tuis Deo ſatisfacere tenearis, eosdem tibi pro magna gratiae indulgentia cupimus temperare: vt primum gladio tuo de collo recepto demum communionem omnium fidelium conſequaris; & omnia, quae ſuperius in tractatu per conſilium Cardinalium fuerant ordinata, Domnus Apoſtolicus ſibi remiſit miſericorditer & indulſit. Dux au-

autem videns penes se tantam gratiam esse factam procidit ad pedes Domni Papae prae gaudio magno, & laetitia fletu mixta referens ei immensas gratiarum actiones & omnibus Cardinalibus, qui Domni Papae conspectui fuerant assistentes, similiter & Domnus Papa cum caeteris Cardinalibus est prae immensa laetitia lachrymatus, praecipiens vt gladius de collo ipsius solueretur, & cilicium, quo fuit indutus, deponeretur in instanti cum catenis, quas in corpore iuxta carnem gestabat a primordio peregrinationis suae vsque ad tempora, quibus gratiam Domni Papae misericorditer fuerat consecutus. Soluto igitur gladio de collo ipsius, & catenis iam per membra & carnem ipsius multipliciter cruentatam ab ipso proiectis, cilicio deposito, per quod infra trium annorum spatium vehementissime fuerat attenuatus pariter & attritus, liberatus ab his omnibus oneribus per gratiam Domni Papae balneis est mundatus; barbam quoque radens & tonsuram capitis habilem faciens & aptam, calceos in pedibus recepit; & nouis amictus vestibus & ornatus, quamuis idem, tamen omnibus in se iugiter inspicientibus velut alter esse videbatur. Nam decor vestium saepe fit signum nobilitatis. Sed tamen nec vestis pretiosa, nec forma carnis speciosae quemquam nobilitat, sed morum honestas & discretio perfecti sensus per bonam voluntatem prodiens de cordis cellulis & emanans; Huic autem spectaculo quidam etiam milites de Sueuia tunc temporis aderant, missi ex parte filiae saepe dicti Ducis, quae illis diebus Ducatus patris sui, videlicet Ducis Welffe, susceperat gubernacula, quia Dux non reliquerat haeredem, nisi tantummodo istam filiam, cuius facimus mentionem. Et haec ipsa tamdiu terram Sueuiae rexit cum magna potentia & honore, & pacifice possederat, quamdiu pater suus in peregrinatione & poenitentia fuerat constitutus, quae etiam infinita munera & magnas pecunias auri & argenti Domno Papae & Cardinalibus per eosdem milites & legatos transmiserat ob amorem dilectissimi patris sui Ducis Welffe in poenitentia grauissima persistentis, postulans cum summa deuotione a Domno Papa, patri suo loca poenitentiae & poenae clementer relaxari. Quoniam multiplicatis intercessoribus etiam Deus hominibus placabilis efficitur & benignus. Reuersi autem, milites ad Dominam suam, videlicet filiam Welffe Ducis, nuntiarunt ei dicentes: Pater tuus viuit, & Domnus papa, post poenitentiam trium annorum ad consilium Cardinalium & preces & ad instantiam tuae petitionis & aliorum plurimorum proborum virorum cum patre tuo omnimode dispensauit, excepto quod patriam natiuitatis & haereditatis suae possessionem infra quatuor annorum curricula ipsum intrare nullo modo permisit, donec reliquis quatuor annis in poenitentia peractis licentiam ei ad terram suam concederet reuertendi. Quae auditis piis relationibus

bus gaudio ineffabili perfunditur propter gratiam, quam Domnus Papa erga patrem suum dignatus fuerat demonstrare, alleuians grauissimum & fere importabile iugum poenitentiae ipsius, hoc est sarcinam catenarum & gladii cum cilicio de corpore ipsius misericorditer deponendo communioni fidelium aggregatum ipsum a poena priori multo liberiorem esse concessit. Ipsa autem venerabilis Domina & totius Sueuiae illustris Ducissa dilectissimo patri suo Duci Welffe in peregrinatione manenti, & in luctu poenitentiae quamplurimum laboranti disposuerat satis prouide & discrete, vt diebus atque noctibus quatuor electi milites cum honestissimis expensis & fortissimis equitaturi, quocunque pater ipsius proficisceretur, seruirent ei honorifice & decenter, custodientes latus eius ab omni incursione hostium & diuersis periculis, quibus genus humanum miserabiliter fere totaliter est subiectum. Quamuis autem isti Duci Welffe humanitatis seruitia vel solatia a suis famulis large & copiose exhiberentur, tamen viam veritatis & labores poenitentiae salutaris nullo modo deserens se constanter exhibuit, sicut Dei ministrum in multa patientia, in vigiliis, in ieiuniis, & assiduis orationibus, in dandis eleemosinis, & in charitate non ficta. His praelibatis & de filia ipsius aliquantisper quasi historice lucidius exaratis redeamus ad poenitentiam & poenam, quam Domnus Apostolicus eidem Duci infra spatium quatuor annorum imponere studuit dictante iustitia contra tales. Postquam igitur Dux iste semper poenitendo cor contritum & humiliatum semper haberet, & labores infinitos patienter sustineret, & omne pondus ferri, gladii videlicet, catenarum & cilicii austeritatem deponens, barbamque radens, ornamentis quoque vestium decenter exornatus venit ad curiam Domni Papae, & introiuit Palatia, vbi Domnus Papa cum Cardinalibus residebat. Et procidit ad pedes eius & Cardinalium grates non modicas referens pro misericordia, quam fecerat erga ipsum deponens onera ipsius, per quae nimis fuerat exhaustus & attenuatus. Ad quem Domnus Papa: haec est, inquit, poenitentia & satisfactio, quam tibi infra quatuor annos anteponimus, declarantes, quod, quocunque tu perueneris, siue ad ciuitates vel ad quaslibet villas, nequaquam duabus noctibus in vno eodemque hospitio tua lassa membra quiescere patiaris, nec patriae tuae terminos visere te contingat, nisi prius poenitentiam tibi iniunctam perduxeris ad effectum; limina quoque Sanctorum per hos quatuor annos adeas incessanter, & appropinquante Quadragesima illis quatuor annis Romam venias, & per totam Quadragesimam propter magnas indulgentias penes Nos, vel si de medio sublati fuerimus, circa nostrum maneas Successorem. Peractis autem quatuor annis tuae poenitentiae ad nostram venias praesentiam, auditurus, vt qualiter a modo te oporteat viuere, plenius instruemus, te-

cum ſpecialem miſericordiam facientes. Dux autem his diligenter auditis & conſcriptis omnibus, quae ſibi a Domno Papa fuerant propoſita ſingulis (*forte deeſt* annis) in Quadrageſima Romam venit. Sed aliis temporibus extra Quadrageſimam voluentibus limina Sancti Iacobi aliorumque Sanctorum cum maxima deuotione & contritione amariſſima cordis inceſſabili greſſu terebat. Poſt conſumationem vero illorum dierum, ſcilicet quatuor annorum poenitentiae ſuae, venit Romam ad Domnum Papam, vt ſi aliquod adhuc iugum poenitudinis & ſatisfactionis imponere vellet ſuppliciter poſtularet. Quia reuera facile eſt volentem cogere, & de facili obedit, qui ſe ſpontanea voluntate praeparat ad obediendum. Cui Domnus Papa reſpondit: O Fili mi Chriſto chare, Deo & hominibus acceptabilis, nos veraciter cognouimus & ſcimus, te pro peccatis tuis deuotiſſime ſeptem annorum poenitentiam peregiſſe, per quam praeſumimus tibi Deum eſſe propitium & placatum. Quia tamen ſunt iudicia Dei abyſſus, multae & inueſtigabiles viae & ſententiae illius, & nemo ſcit vtrum dignus ſit amore vel odio, flamma vel gloria; idcirco neceſſarium tibi eſt adhuc viuenti, & poſt mortem animae tuae ſaluti videtur plurimum expedire, vt, ſi tu hic poenitere ceſſas & viuere, remaneat tamen poſt mortem quidam pro te & anima tua, qui nocte & die Deo pro peccatis tuis inceſſanter famulando reddat debitas gratiarum actiones, vt vel ſic Dominus Deus, qui eſt Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, te faciat euadere tuorum ſarcinam peccatorum hic & in ſaeculo futuro. Vnde, Fili chariſſime, tibi conſulimus bona fide, quod tu in remisſionem omnium peccatorum tuorum & remedium tuae animae & omnium Parentum & amicorum tuorum, praecipue tamen propter grauisſimum peccatum, pro quo poenitentiam infra ſeptem annos te oportuit agere, & quamdiu viuis, licet a Nobis tibi de caetero poenitentia non iniungatur, tamen de tua voluntate propria aliquam ſpecialem poenitentiam aſſumens te in ipſa quamdiu viuis habeas occupatum. Quia reuera nihil tam charum & acceptum Deo fore perhibetur, quantum propriae voluntatis libatio, de qua Dauid in Laudatorio canit, dicens: voluntarie ſacrificabo tibi, quoniam bonum eſt. Bonum igitur Nobis videtur, & ſaluti animae tuae proderit non modicum, ſi in honore Sanctae & indiuiduae Trinitatis & Sanctae Dei Genitricis Mariae perpetuae Virginis & omnium Sanctorum Dei Eccleſiam fundaueris reuerſus ad terram natiuitatis tuae, cuius ſupremus titulus & patrocinia Beato Nicolao Confeſſori & Pontifici adſcribi debet. His auditis Dux Welſſe ſpondit ſe animo libenti cuncta deuotiſſime completurum, quae ſibi a Domno Papa dicebantur. Videntes autem Cardinales miram patientiam & conſtantiam Ducis & ipſum

ipſum ad omnem ſatisfaċtionem & ad omne bonae voluntatis propoſitum penitus flexibilem, praecepta quoque Domni Papae toto niſu & omni conamine complectentem, dixerunt Domno Papae: Domine Sancte Pater, nobis congruum videtur & opportunum, vt iam cum Principe iſto Veſtrae Maieſtatis Celſitudo dignetur miſericorditer diſpenſare, quia venit tempus miſerendi eius, vt ad honorem ſui Principatus iterum reformetur. Quibus reſpondit Domnus Apoſtolicus, dicens: Si id bonum videtur in oculis veſtrae fraternitatis, iuſtum & rectum debet eſſe in aſpectu noſtrae Paternitatis. Aſſenſum enim vobis paternum praebeo ceu filiis, quia reuera non praeeo niſi ex veſtris ſalutaribus conſiliis. Conſcribantur igitur litterae noſtrae diſpenſationis in teſtimonium poenitentiae ipſius Archi Epiſcopis & Epiſcopis, & omnibus Praelatis, Regi quoque Romanorum & cunctis Principibus per Alemmaniam degentibus, vt nulli dubium videatur, quod ipſe vere poenitentiae tempus per Nos ſibi impoſitae infra ſeptennium cum ſummo deuotionis affectu compleuerit & effectu. Statimque ad nutum & ad praeceptum Domni Papae ſcribebantur litterae in hunc modum: Bonifacius Epiſcopus Seruusſeruorum Dei, dilectis in Chriſto fratribus Archi-Epiſcopis & omnibus Praelatis, Conrado quoque Illuſtri Regi Romanorum, & omnibus Principibus per totam Alemmaniam conſtitutis. Sacroſanctae Romanae Eccleſiae vniuerſalis & praeceptis Apoſtolicis & mandatis, ſi fas eſt dici, vsque ad mortem fideliter obedire, & vt iuris ratio dictaret, ſe pro peccatis ſuis omnimodam ſatisfactionem, licet grauiſſimam atque longam ſpopondit excipere & effectu mancipare inclytus Dux Welffe. Nos vero peccati ipſius circumſtantiam plenius indagantes, poenitentiam, per quam tale peccatum poſſet dilui vel deleri, infra ſeptem annorum ſpatium ipſi ſtatuimus peragendam. Et poſt ſeptennium, ſicut eſt in praeſenti, has litteras conſcriptas in teſtimonium poenitentiae ſuae noſtris Bullis fecimus communiri, perhibentes ei in omnibus teſtimonium veritatis, & effectum poenitentiae iam peractae & mirae patientiae tolerantiam vltra modum humanum, diſpenſantes cum eo miſericorditer & paterne, vt reuertatur ad terram natiuitatis ſuae, & poſſideat eam, ſicut & antea poſſederat pacifice & quiete. Et nunc benedictione caeleſti inſignitum remiſimus eum ad vos, vt amore Sedis Apoſtolicae ipſum tamquam ſpecialem filium Romanae Eccleſiae ſuſcipientes honorifice pertractare dignemini &c.

Recipiens igitur litteras Dux Welffe a Domno Papa, licentiamque cum benedictione petens ab eo & a Cardinalibus & ab omni curia Domni Papae cum ſumma reuerentia & deuotione curiae Romanae ſuam praeſentiam abſtrahens, receſſit gaudens & exultans, & laudans

Deum

Deum in omnibus, quae de ipso per Domnum Papam per dispensationis litteras fuerant ordinata, & fine bono & stabili consumata. Nam qui ligatus pondere peccatorum ad Sedem Apostolicam miser & sordidus accesserat, ipse ab eisdem peccatis misericorditer absolutus per poenam satisfactionis iam quasi mundatus & purificatus per flammam & ardorem verae compunctionis exultante spiritu recedebat; & vbi spurca pridem fuerant cordis hospitia, ibi deinceps essent Spiritus Sancti domicilia, & vbi ei ad curiam Domni Apostolici venienti per suggestionem diabolicam abundans praefuit iniquitas, inde reuertenti superabundauit Christi gratia & aequitas. Iisdem autem Dux transiliens Alpium loca nimis aspere celsa & caduca misit nuntios suos ad Conradum Regem Romanorum, vt inquirerent vbicunque tum temporis moraretur: quem inuenientes diligenter salutarent ex parte sui, & omnes Principes & Nobiles, quos Regia tunc haberet Maiestas, & salutato Rege interrogarent eum, vbi, vel quando ad ipsum venire deberet ei dignaretur per ipsos remandare. At illi cum magna festinatione ad Regem venientes omnia, quae per ipsos Regi & cunctis Curiae ipsius nobilioribus fuerant nuntianda, studiosissime & fideliter peregerunt. Rex autem Conradus audiens, quod Dux Welffe post peractam poenitentiam cum magno honore de curia Domni Apostolici adueniret, gauisus est gaudio magno valde cum omnibus Curiae suae nobilioribus, inter quos plures Ducis Welffe Cognati & Consanguinei fuerant & amici. Qui properans in occursum ipsius cum magna comitatus sui gloria occurrit ei apud villam, quae vulgo Bartenkirchem dicitur, & recepit eum cum ingenti gaudio & laetitia & maximo honore, ducens eum secum ad Ciuitatem Nürnberg nuncupatam, in qua Regina, Conradi eiusdem vxor, cum sua familia morabatur. Quem videns Regina plurimum gauisa est, & omnis Curia eius cum illa. Post haec omnia exiit edictum a Conrado Rege Romanorum, vt omnes Principes totius Alemmaniae prope villam Frankenfurt appellatam pariter conuenirent & Regio placito interessent. Cum autem omnes Principes & caeteri nobiliores totius Alemmaniae ad Villam Frankfurt dictam peruenissent, venit Rex Conradus adducens secum Ducem Welffe, & exhibens ei suae gratiae plenitudinem cum omnibus Principibus & honorem, mandans & praecipiens, vt litterae Domni Papae dispensatoriae super causa Ducis in omnium Principum audientia legerentur, & super poenitentia per satisfactionem congruam peracta, & super reformatione sui Ducatus & omnis possessionis & haereditatis sicut antea possessae ita & nunc pacifice possidendae. Lectis autem litteris Papalibus coram Rege & omnibus Principibus reformatus est ad Principatum & possessionem sui Ducatus.

Et

Et quaſi nouus homo & nouus Princeps & tyro coram omnibus apparuit gloria & honore coronatus. Celebrata Curia Dominus Rex & fere omnes Principes direxerunt iter ſuum verſus Ciuitatem Auguſtam appellatam. Et ibi ſimiliter coram Praeſule Auguſtenſi & vniuerſo Clero lectae ſunt litterae Papales ſuper diſpenſatione & reformatione omnis poſſeſſionis & honoris ſui Principatus & poteſtatis. Qui & ipſe Praeſul Auguſtenſis Eccleſiae multum gauiſus erat de aduentu Ducis Welffe, quia per lineam conſanguinitatis ei propinquus extiterat & amicus. Auditis igitur litteris Epiſcopus & omnes Clerici ingenti laetitia perfuſi vltra quam credi poteſt magna exultatione exultabant, quia multum erat affabilis & benignus erga omnes homines tam pauperes quam etiam locupletes, praecipue tamen gaudio duxerunt eo quod Domnus Papa cum ipſo miſericorditer diſpenſauerat, & ipſum iterato conſtituiſſet Principem omnis prioris poſſeſſionis, quam cum magna poſſederat pietate pacifice & audaciter. Porro Epiſcopus Auguſtenſis, fecit in tota Eccleſia & vniuerſo Clero ſuae Dioeceſis & populo promulgari, quod per diſpenſationem Domni Papae Dux Welffe haereditariam poſſeſſionem & Dominii ſui reciperet principatum. Quod & factum eſt. Recipiens igitur ſui Ducatus gubernacula talem ſe exhibuit in omni morum honeſtate & patientia, vt Pater filiorum appellaretur, & a Deo & hominibus non mediocriter, ſed ſinceriter & pleniter amaretur. Qui exiſtens in ſui Ducatus honore & in Dominio plenae poſſeſſionis non immemor fuit ſuae ſalutis, ſed ſemper pro peccatis, quibus diuinam grauiter offenderat clementiam, interius compungebatur, orationibus aſſiduis animum occupans, eleemoſinas pro Chriſti nomine tribuens inceſſanter, nudos veſtiens, vagos & hoſpites & orphanos colligens & diligenter fouens, moeſtos ſine intermiſſione conſolando, vinctos & infirmos cum omni charitatis ſtudio viſitando, de die in diem in bonis operibus coram Deo & hominibus in tantum proficiebat creſcens de virtute in virtutem, vt qui prius admodum bonus & pacificus & hoſpitalis eſſe dicebatur, nunc per omnipotentis Dei adiutorium optimus Chriſti miles, & propagator ſanctiſſimorum praeceptorum Dei, & pauperum pius conſolator effectus, Eccleſiarum Dei ſtrenuus defenſor & fundator earum vſque ad diem obitus ſui extitit & protector. Qui etiam igne Sancti Spiritus inflammatus quaedam praedia ſui Ducatus contulit ad Eccleſiam Cathedralem, videlicet ſeptem Caſtra cum omnibus ſuis attinentiis rebus mobilibus & immobilibus ob animae ſuae ſalutem. Poſt haec Rex Conradus iuit verſus Nürnberg, & omnes Principes & Magnates totius Sueuiae vnusquisque ad ſua diuerticula cum magno gaudio repedarunt. Dux autem Welffe poſt magnos & infinitos labores & aerumnas cum dilectiſſima filia ſua requieuit

ab omni facto & labore, quo multo & longo tempore fuerat vehementer affectus. Haec autem filia ipsius, cuius mentionem superius fecimus, infra tempus, quo Pater suus in poenitentia fuerat constitutus, non vt debilis mulier, sed vt fortissima mulierum Ducatum patris sui potentissime gubernabat. Cum autem Dux Welffe esset in magna & tranquilla quiete & commodo, haec ipsa filia, valde prouida & discreta mulier, misit per totum Ducatum patris sui, vt omnes Beneficiati & Dispensatores bonorum totius Ducatus conuenirent ad praesentiam patris sui, vt quilibet ipsorum de bonis, quae annis septem & eo amplius possederat, infra quod pater eius in peregrinatione fuerat constitutus, plenam faciat rationem. Qui omnes postquam conuenerunt, Dux & filia ipsos congregantes in vnum posuerunt rationem cum eis, vt scirent quantum vnusquisque illorum medio tempore rerum ipsarum diuitias cumulasset. Qui subito ad inquisita Domno Duci & filiae suae intrepide responderunt: Domne Dux cum filia vestra Domna nostra nos audire dignemini patienter. Ecce enim substantia rerum vestrarum per Dei misericordem prouidentiam infra istos septem annos in tantum succreuit, quod Cellaria & horrea vestra & promptuaria, quibus humanae naturae necessaria reconduntur & reseruantur, omni saturitate & opimi abundantia sint repleta & redundent vltra modum; pecuniam autem auri & argenti, quae vobis annis singulis reddi solet in aerarium vestrum, filia vestra vos reddat per omnia certiorem & nos vestrae Maiestati faciet inculpabiles & innoxios. Dux autem auditis omnibus circumstantiis, quae ad rationem villicationis reddendam pertingere videbantur, & bonam suorum dispensationem diligenter indagando, laudauit villicos aequitatis, quia prudenter egerant res suas dispensantes fideliter, & eas cum magna lucri copia suo Domino exportantes. His itaque peractis venit rumor ad aures Ducis, quod Rex Conradus in Herbipoli cum vniuersis Alemmaniae Principibus vellet Curiam celebrare, qui etiam illuc veniens a Rege Conrado & omnibus Principibus cum magna gloria fuit receptus & honorifice pertractatus. Interea cum in eodem colloquio multa & infinita curiose tractarentur, Vir quidam Religiosus, genere Scotigena, Monachus regulae Beati Benedicti, tunc Abbas in Herbipoli claustri Scotorum, in praesentia eiusdem Ciuitatis Episcopi narratur magnum fecisse miraculum, vinum videlicet in aquam mutatum. Quam ob rem nimis stupendam & plus solito admirabilem laudabilis Deus & gloriosus in Sanctis suis, dans in coelo sursum prodigia, & in terra deorsum mirabilia per merita Sanctorum suorum, & per talem pietatem contulit Sanctis hominibus, vt propter fidem populi miracula & signa conuersionis operarentur, & incredulos ad viam iustorum reuoca-

rent

rent parantes Domino plebem perfectam. Verumtamen nouum spectaculum quantum ad homines praesentis temporis, mutatio videlicet vini in aquam, sed virtus Christi & ante actum miraculum, quod demum per Abbatem Macharium potuit reuocari, & nullis potuit tergiuersationibus occultari. Cunctis etenim, qui aderant, quid actum foret, innotuit, superuenientibus & recedentibus hoc ipsum rumor celebris propalauit. Nihil enim opertum, quod non reueletur, occultum, quod non sciatur, nec Ciuitas super montem posita potest abscondi, nec lucerna super candelabrum caligine nubilari, sed vt pateat & luceat omnibus, qui in domo sunt: & non solum in domo, sed etiam super tecta huius miraculi spectaculum debuit praedicari, quod in illa tota Dioecesi pusillis & magnis exstitit manifestum. Huic autem tam nobili & claro miraculo interfuit Dux Welffe, quando idem Abbas Macharius fuerat operatus, cuius miraculi superius pleniter & perfecte descripsimus principium & finem, scilicet quando Rex Conradus habuit colloquium in Herbipoli cum omnibus Principibus Alemmaniae. Et sub eodem colloquio Abbas Macharius ab Episcopo eiusdem Ciuitatis cum Canonicis & omnibus Maioribus Clericis Ecclesiae Cathedralis ad prandium inuitatus hoc miraculum fecerat annuente Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, virtus, & potestas, & imperium per infinita saecula saeculorum amen. Dux autem Welffe, quia per Scoticam gentem multa mirabilia in terra sua fieri viderat & audierat, recordatus praecepti Domni Papae, quod ob remissionem omnium peccatorum suorum fundare deberet Monasterium in honorem S. Nicolai Episcopi & Confessoris, in quo die & nocte per Religiosas personas diuina Mysteria deuote & incessabiliter personarent, cui etiam dotem sufficientem tribueret & aptaret, ad consilium prudentum Virorum decreuit, vt non alias personas quam Scoticae gentis viros vtique Religiosos & in seruitio diuino valde deuotos ibi poneret & locaret, quod & factum est. Exstruens igitur Dux Welffe Monasterium iuxta Ciuitatem Maemmingen vocatam satis sumptuose, erigensque parietes ipsius Monasterii in altitudine competenti, consumatum demum Domino Deo & S. Nicolao conferens, dotem, per quam Deo famulantes possent commode sustentari, largitus est. Et cum haec & alia cum summa diligentia essent facta & fine debito consumata, Dux Welffe conuocans omnes maiores Curiae suae suscitabatur ab eis, vbi personas Scoticae gentis colligeret, & in eam, quam fabricauerat nouam domum Altissimi poneret, & congregationem inibi perpetue collocaret, per quam laus & gloria & iubilatio & gratiarum actio nocte & die omnipotenti Deo deuotissime resonaret, & peccatorum exoptata remissio & redemptio animarum fieret salutaris & coelestis remuneratio sine fine. Cui talia suscitanti responde-

 runt

runt Curiae suae nobiliores: Domine Dux, nos audiuimus & veraciter sumus experti de gente ista, quod sit gens sancta, populus acquisitionis, populus vtique ille, in quo Deo beneplacitum est habitare in eo. Et haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Iacob. Et haec est generatio simplex & humilis, quae direxit ad Deum cor suum, & ideo creditus est cum Deo spiritus eius. Haec enim gens voluntarie dedita paupertati, abnegans semetipsam, & tollens crucem suam secuta est Christum Dominum, & vsque ad terras nostras perueniens salutem operata est in medio incredulae & peruersae gentis nostrae & populo durae ceruicis sicut est hodie. Quidam enim illorum post innumera miraculorum insignia palmam Martyrum sunt adepti confitentes Christum Regem. Quidam autem de medio sublati numero Confessorum aggregati terras nostras sanctis operibus illustrarunt. Illi roseo cruore ob fidei Christianae firmitatem irrigantes moenia terrae nostrae. Isti sicut & illi fere omnes partes mundi pertransierunt benefacientes, pristinam sanitatem hominibus conferentes, & alios ad viam veritatis per bona exempla & verborum salutifera seminaria reuocantes, terrarum omnimodam sterilitatem depellentes, fertilitatem per vigorem & effectum suae deuotionis attrahentes, Christique iugum suaue in suo corpore iugiter gestantes, & passionem ipsius summo desiderio imitantes cum palma verae confessionis & martyrii Domino ducente ad Regna coelestia peruenerunt. Quapropter, Domne Dux, vobis consulimus bona fide, quod vos nuntios vestros solennes ad Herbipolensem Episcopum dirigatis, supplicantes ei cum omni precum instantia, vt ipse Dei & vestri causa, pio & paterno motus affectu, mittat vobis Scoticae gentis personas, Monachos regulae Beati Benedicti, quantoscumque suo complacet honestati, per quos domus Dei, quam fundaueras, posset per cultum diuini operis multipliciter adornari, & populus Christianus, qui adhuc imperfecte diuinis subiacet legibus propter duritiam cordis sui, per eorum bonam & sanctam & Deo acceptabilem conuersationem & exempla cultu fidei Christianae valeat adunari. Dux igitur vsus consiliis Nobilium & Magnatum suorum, subito misit nuntios expeditos ad Episcopum Herbipolensem, supplicans ei cum omni, qua potuit, diligentia, quod dignaretur ei mittere Fratres Scoticae gentis ad habitandum in Monasterio, quod nouiter fundauerat propter diuini cultus & patriae coelestis amorem. Episcopus autem Herbipolensis receptis nuntiis & honorifice tractatis remisit eos ad Dominum ipsorum, praetendens causam excusationis legitimam & honestam, quia nullo modo mitteret sibi Monachos, quorum defectum etiam in suo Monasterio non modicum pateretur. Sed salubriter consuluit ei, dicens, vt mitteret in Ratisbonam ad Abbatem S. Iacobi, virum vtique

que iustum & sanctum, qui tunc maximam Fratrum congregationem sub Regula Beati Benedicti pauit & fouit, a quo ipse etiam cum maxima supplicatione Fratres sibi mitti postulauerat. Ipse quoque peteret ab eo, vt, si fieri posset, mitteret sibi aliquos de congregatione Fratres ad manendum, & multiplicandos intercessores in domo Domini, & seminatores verbi Dei. Vt autem Episcopus sermonem compleuit nuntii Ducis accepta licentia ab Episcopo subito recesserunt, & ea, quae per Episcopum Domno Duci mandata fuerant & consulta, de verbo ad verbum totaliter explanantes causam suae legationis nihil horum, quae Episcopus efficaciter mandauerat, omiserunt. Dux autem ad consilium Episcopi Herbipolensis misit Legatos suos in Ratisbonam, qui venientes ad Claustrum S. Iacobi Domno Abbati Fratrum Scoticae gentis porrigerent suas preces humiles & deuotas, postulantes ab ipso, vt propter nomen Sanctae & indiuiduae Trinitatis & interuentum omnium Sanctorum Dei de congregatione sua aliquos Fratres sibi transmitteret, quod domus Dei, quam aedificauerat, per tam dignas & Religiosas personas posset in diuino seruitio decorari, & populus Dei talibus intercessoribus multiplicatis sine intermissione gloriari valeat, & ab omnium hostium incursione eorum piis meritis suffragantibus semper mereatur protegi & defendi. Legati autem Domni Ducis agili cursu vsque ad Ratisbonam peruenientes ingressi sunt Claustrum S. Iacobi, inquirentes faciem Domni Abbatis, & inuenientes eum magna reuerentia salutauerunt eum ex parte Ducis. Et omnem legationis suae & arduae petitionis causam coram ipso diligentissime proponentes illic vsque in crastinum permanserunt in omnibus necessariis per Domnum Abbatem honestissime procurati. Mane autem facto Domnus Abbas congregatis Fratribus in vnum dixit eis: Filii in Christo charissimi, vniuersitati vestrae notum fieri cupimus, quod Domnus Dux Sueuiae, nomine Welffe, mittens ad nos Legatos suos supplicauit nobis & vobis, omni qua potuit diligentia & maxima precum instantia, praecipue tamen propter nomen Domini nostri Iesu Christi & omnium Sanctorum Dei interuentum, quatenus de congregatione nostri Conuentus Fratres aliquos sibi mittere dignaremur, ad habitandum & seruiendum Deo in Monasterio, quod ad honorem & laudem Dei & omnium Sanctorum eius fundauit nouiter & exstruxit, & omnem eius Monasterii supellectilem ampliauit. Et nunc dilecti flioli mei, bonum videatur in oculis fraternitatis vestrae, vt tanti Ducis petitio repulsionis ingratitudine nullo modo priuetur, sed verae & rationabilis petitionis affectus per effectum piae exauditionis perfici debeat & laudabiliter terminari. At illi vnanimiter & quasi vna voce Domno Abbati responderunt dicentes, Pater Sancte & Domine, videtur dignum & iustum, aequum & salutare

est, vt tanti ac talis Principis petitio effectui salutari debeat mancipari, qui apud Deum & homines magnus & praepotens & multum honorabilis nullo modo dubitatur. Cuius annuentes piae petitioni, in hac parte nostrae vniuersitatis consilium vestrae porrigimus Sanctitati, vt ad minus duodecim electae personae Deo & Sanctis eius omnimodam reuerentiam exhibentes ad ipsum cum nuntiis transmittantur, per quos domus Dei tam in spiritualibus, quam in temporalibus proficiat incrementis, vt Deus Deorum in Syon sursum & in terris deorsum possit ab omnibus non immerito commendari. Abbas autem audito Fratrum consilio statim elegit de ipsa congregatione duodecim Fratres, viros valde religiosos, sanctitate & omni gratia perspicuos, ex quibus elegit vnum vita & moribus approbatum, Maurum nuncupatum, & constituit eum Abbatem & Dominum super eos, & Pastorem animarum eorum, ne aliquando per leuia gradiendo luporum morsibus lacerati succumberent & perirent. His itaque plane & decenter ornatis curribus & summariis sufficienter oneratis, sumptis etiam secum largissimis expensis, profectus est ipse Domnus Abbas Gregorius cum Fratribus in Sueuiam, nuntiis ante duos dies amplius praecedentibus, vt nuntiarent Domno Duci Abbatem S. Iacobi de Ratisbona cum Fratribus, pro quibus eidem supplicauerat, aduenire. Qui vt audiuit aduentum Abbatis Gregorii & Fratrum, qui cum ipso veniebant, vltra modum gauisus est, & pollicitus est nuntiis magna donaria se eis daturum, eo quod sollicite & diligenter sua negotia peregissent. Facto autem breui interuallo Dux assumpta secum multa militia & comitatu veniebat in occursum Abbatis & Fratrum cum maxima reuerentia & honore. Videns autem Gregorium Abbatem & conuentum Fratrum sequentem eum, prae gaudio ruens in oscula eorum lachrymatus est coram eis, amplexans & deosculans colla ipsorum, eo quod tales viros religiosos & Scotos mereretur recipere, & suis licet indignis manibus attrectare, quos omni quo potuit honore deuotissime pertractans duxit ad Claustrum, quod ab ipsa Ciuitate Maemmingen videlicet est nomen sortitum, in quo collocat eos cum summa diligentia & honore, conferens eis redditus, per quos satis honeste possent sustentari in victualibus & vestitu, familiam quoque sufficientem, quae singulis diebus debita seruitutis obsequia persolueret, sollicite & deuote tradidit fratribus in perpetuum. Videns autem Dux omnia fieri secundum velle & beneplacitum suum retulit Domno Gregorio Abbati maximas gratiarum actiones pro personis, per quas Monasterium ipsius fuerat decentissime procuratum tam in diuino cultu, quam etiam temporalibus, quia Domnus Maurus, electus eorum Abbas, intromittens se de possessione totius Abbatiae singulis Fratribus singulas dispośuerat officinas. Qui existentes in plena possessione rerum Monasterii

nasterii sic agere coeperunt de rebus claustralibus, vt prudentes & fideles dispensatores, a quibus familia Domini tempore opportuno statutam tritici reciperet mensuram. Dux autem accipiens secum Gregorium Abbatem & Maurum electum de Maemmingen venit ad Episcopum Augustensem, rogans quatenus manus confirmationis & benedictionis imponeret electo de Maemmingen. Episcopus autem satisfaciens petitioni Domni Ducis electum confirmans consecrauit in Abbatem, conferens ei in spiritualibus plenariam potestatem. His itaque peractis Abbates & Dux acceperunt licentiam a Domno Episcopo, venerunt ad Claustrum Maemmingen, & ibi post laborem aliquantulum quieuerunt. Sequenti vero die conscripta sunt Priuilegia super omni libertate & donatione praediorum, & roborata sunt munimine sigillorum Ducis Welffe, sub hac tamen conditione, vt quamdiu Scotica gens vel congregatio eidem praeesset Monasterio, tamdiu priuilegia ipsius Monasterii forent inuiolata & persisterent inconuulsa. Praeterea disposuit Dux Welffe, quod Abbas de Maemmingen & omnes successores ipsius & ipsum Monasterium cum personis & caeteris attinentiis suis Domno Abbati & Capitulo S. Iacobi in Ratisbona subesset in omnibus, quamdiu voluitur mundus iste. Post haec omnia Dux Welffe Domno Gregorio Abbati S. Iacobi tradidit munera copiosa in Ratisbonam Fratribus deferenda, inter quae contulit dona praecipua ipsi Domno Abbati Gregorio valde conuenientia, scilicet Calicem ex auro purissimo per manum nobilissimi artificis fabricatum, & Palefridum fortem & agilem inaestimabili pecuniae pretio computatum. Quibus omnibus decenter & honorifice peractis Domnus Abbas S. Iacobi a Duce sufficienter remuneratus licentia ab ipso recepta valedicens Fratribus, & confortans eos & exhortans in omni opere bono & perseuerantia mandatorum Christi & Dei, recessit ab eis & venit in Ratisbonam ad S. Iacobum. Receptus autem a Fratribus cum magna laetitia narrauit eis omnia, quae gesta fuerant in via, & qualiter reliquerit fratres in Sueuia, collocans eos in nouo Monasterio cum magna reuerentia & honore secundum beneplacitum Welffe Ducis, omnibus factis eorum authoritate Domni Ducis perpetuo stabilitis. Claustrum autem cum personis & omnibus praediis, quae domui Dei contulerat, cum vniuersa familia subiecit iurisdictioni Domni Abbatis & Capitulo S. Iacobi in Ratisbona, quamdiu huius mundi machina volueretur. His praetermissis reuertamur ad ea, quae Dux Welffe a die interfectionis Episcopi Augustensis propter grauissimi peccati maculam sustinuit patienter, &, vt superius est plenius explanatum, de poenitentia, quam deuotissime a Domno Papa infra septem annorum curricula suscipiens studiose peregerat & benigne, qui etiam quamdiu vixit, nunquam se immiscuit factis mulierum, quia

quia Ducissa, vxor ipsius, mulier valde bona & multum honesta, timens Deum & recedens a malo, postquam audiuit, quod Dux Welsse vir eius diabolica fraude deceptus & inuidia stimulatus Augustensem Episcopum occidisset, in maximum taedium & stuporem molestiae conuersa nimio terrore correpta vitali spiritu priuata de medio sublata est. Quae non reliquerat aliquam prolem praeter vnicam filiam, quae in tantum sapiens exstitit & prudens, quod tunc temporis sibi similis vix possit haberi inter omnes illius Prouinciae mulieres. Huius praeclara fama & mira prudentia & vultus ipsius miranda pulchritudo ad aures nonnullorum perueniens quam plures ex ipsis, vt ei per copulam matrimonii possent confoederari, accelerat vltra modum. Iisdem temporibus procurante Rege Conrado Tertio Regnum Romanorum fuit vir quidam valde nobilis & praepotens de Rothenburg, diuitiis temporalibus affluens & in numerosa multitudine Parentum sublimis, cognatorum & amicorum gloria circumfultus vndique, nomine Fridericus. Et quoniam similis similem sibi quaerit amatorem, & par semper pari congaudet participari, sic iste vir nobilis & praepotens, videlicet Fridericus de Rothenburg, audiens praeclaram famam filiae Ducis Welsse inter multos Principes iugiter esse diuulgatam, & quod non solum in Sueuia de ipsa rumor celebris insonuerit, verum etiam & in aliis diuersis prouinciis ipsius forma, genus, mores, sapientia, res & honores insonirent nimis, nec sit ei similis inter mundanas mulieres menteque sana, coepit cogitare & toto mentis affectu totaque cordis intentione reuoluere, qualiter talem virginem prouidam & discretam & tam nobili & gloriosa fama fere per omnes vicinas terras rutilantem suis adaptaret thoris. Et hoc subito totum fieri cupiebat, ne alterius Principis thalamo traderetur; Omnes enim diligenter requirunt, quod vtilius est, & spernunt, quod vilius esse videtur. Hic autem Vir nobilis atque discretus & valde famosus, quod in se minus habuit, nec per se quod voluit habere potuit, per Maiorum preces & potentiam sibi auxilium affuisse non dubitauit. Qui vadens ad Conradum Regem Romanorum obtulit ei munera pretiosa tanto Regi conuenientia suppliciter postulans ab eo, vt sibi auxilium impendere dignaretur pro impetranda filia Ducis Welsse in vxorem sibi copulanda; similiter & aliis quam pluribus Principibus supplicauit, vt etiam suae petitionis affectum apud Ducem Welsse porrigerent indilate. Mediante autem Regis petitione & Principum auxilio assensum praebens Dux Welsse tradidit filiam suam Friderico de Rothenburg thalamo nuptiali. Ipse autem Fridericus, vir nobilis & praepotens eloquio & omni morum & discretionis subtilitate perlucidus, voluit vt apud Rothenburg solennitas nuptiarum ageretur. Sed Dux Welsse totis viribus contradicens apud se nuptias in Sueuia videlicet

voluit

voluit celebrari, quia promptuaria ipsius ita plena fuerant eructantia ex hoc in illud quod nihil nuptialibus honoribus & vtilitatibus deficere videretur. Ad quas Rex Conradus cum vniuersis Principibus Alemmaniae & aliis multis viris religiosis fuerat inuitatus. Et sic impletae sunt nuptiae ibi manentium plenae omni gaudio & exultatione gratiae & honoris. Interea autem dum haec festiuitas decenter & gloriose celebraretur, Dux Welffe quadam die rogauit Augustensem Episcopum, vt Ecclesiam S. Nicolai in Claustro Scotorum & altaria consecraret. Qui subito acquiescens eius piae petitioni Ecclesiam dedicauit & altaria consecrauit. Dum ista agerentur, & diuini operis Mysteria omnes plus solito perurgerent, Regem videlicet & omnes Principes totumque Clerum & populum in Monasterio infra Missarum solennia deuotissime persistentem; Ecce clamor factus est magnus in caemiterio. Nam quaedam mulier dum vnicum haberet filium, & casu accidente ipsum in quodam flumine iuxta Ciuitatem Maemmingen submersum mortuum vidisset, eripiens eum de medio fluminis, gestans in vlnis cum magno ploratu & vlulatu veniebat ad Ecclesiam Sancti Nicolai, dicens Fratribus & Mauro Abbati ipsorum:

O vos deuoti Monachi nati quoque Scoti,
Reddite iam natum, quem cerno morte necatum,
Nam quod vos petitis, dabitur, si sancta velitis
Vota Deo clare precis ac laudes cumulare,
Natus reddetur per eum, quem mors reueretur;
Ad vocem cuius mox nati spiritus huius
Corpus defunctum coelesti rore perunctum
Viuere dignatur, per vos iubet & properantur:
Sanctus enim Gallus, aut Magnus, vel Kilianus
De Scotica gente, functos de morte repente
Surgere fecerunt & vitae restituerunt.
Qui velut in Patres fecerunt, vos quoque Fratres
De simili gente facietis signa repente.
Me misera matre pro nato, qui sine patre
Sub sola matris spe pendet, & ecce sub atris
Est tenebris patiens funebria membris.
Quem vestris meritis, si vultis, reddere scitis.
At Fratres flentes Scoti multumque gementes
Cruraque flectentes & ad aram rite canentes
Pontificis Christi psalmos septem, det vt ipsi isti
Optatam vitam viuo flatu redunitam.
Ad quorum vota surgit puer, atque remota

Vmbra de visu laetam reddit quoque risu
Matrem, quod signum cernentes tam fore dignum
Rex & Magnates reddiderunt quoque grates
Christo, qui digne per Sanctos atque benigne
Semper laudari cupit hic & glorificari,
Vtque fides crescat populique malum resipiscat
Vi signi clari per Sanctos vult operari.

Episcopus autem Augustensis & Dux Welffe cum ingenti gaudio accedentes ad altare S. Nicolai puerum & laetum & ridentem inde receperunt, & ipsum cum matre & omnibus progenitoribus suis Monasterio S. Nicolai in dotem perpetuam contulerunt, ob reuerentiam etiam tanti miraculi omnes Campanae, quae per totam Ciuitatem fuerant, sunt pulsatae; infra quarum compulsationem a Clero Te Deum Laudamus solenniter & gloriose cum ingenti gaudio cantabatur. Nam qui prius ob miseriam & lamentum mulierum & per veram compassionem fuerant valde tristes, ipsi viso miraculo sunt ad gaudia magna & exultationem pristinam reparati. Rex autem Conradus tertius postquam hoc grande miraculum viderat, & iuge spectaculum etiam Principes, qui aderant, oculis corporeis conspexissent, Fratribus de gente Scotica & Monachis per totam Alemmaniam maiores quam hactenus exhibebant reuerentias & honores & omni qua poterant diligentia eis, tanquam viris religiosis & sanctis humanitatis solatia impendere non cessabant. Etenim manus Domini erat cum illis, vt facerent miracula in conspectu Regum & Principum, praedicantes populis incredulis verbum Dei, seminantes opera bona, metentes mercedem aeternam, auertentes populum Dei a via iniquitatis, reducentes ad viam veritatis per exemplum bonae operationis. Et haec sunt spiritualia conuiuia, quae tibi placent o Patris sapientia! Carnalium autem supradictorum nuptiarum & conuiuiorum celeberrimi dies festi sic per Ducem Welffe agi iubebantur, vt mensis epulantium & conuiuantium nil deesset, sed omnia secundum vniuscuiusque beneplacitum fierent & commodum. Idcirco dignis laudibus & innumerabili gloria Ducem Welffe prae omnibus bonis & honestis actionibus, quae magno & decenti gesserat honore, omniumque qui affuerant conuiuarum epulationibus non mediocriter extulerunt. Finito igitur hoc glorioso & solemni festo Rex Conradus a Duce magnis & infinitis ac pretiosis muneribus receptis, accepta licentia a Duce Welffe, & a filia ipsius iam honorifice desponsata, & marito ipsius Friderico de Rothenburg venit ad Ciuitatem Nürnberg, vbi cum Regina vxore sua crebro & assidue morabatur. Fridericus autem de Rothenburg cum magna gloria & honore assumens vxorem suam Alhaidam & multos Principes se-

cum

cum ducens properabat versus Rothenburg; & veniens multis diebus festum conuiuii cum magna gloria & laetitia & inaestimabili deliciarum copia iucundissime celebrat; finitis autem diebus conuiuii Principes, qui aderant, ab ipso bene remunerati ad propria cum gaudio repedarunt. Completae sunt autem nuptiae filiae Ducis Welffe & Friderici de Rothenburg cum maxima copia diuitiarum conseruantium in iisdem nuptiis honestatem maximam & summi honoris habentium disciplinam. Tempore igitur ipsorum, videlicet Conradi Regis & Ducis Welffe & Friderici de Rothenburg, in terris, quibus potenter & laudabiliter praefuerant, tanta fuit pacis tranquillitas, vt nulla turbatio vel guerra, sed nec aliqua molestia pauperes vel etiam nobiles concuteret aut arctaret; praecipue tamen in Ducatu Welffe pax summa & quieta tempora perdurabant, & possessio ipsius ita creuerat in terra, vt non esset ei similis in diuitiis in rebus temporalibus inter omnes Principes adiacentium prouinciarum; sed neque ipse Rex Conradus possidens Regnum Romanorum sibi potuit in rebus temporalibus aequiparari, vnde necesse fuit, vt quem Deus perfuderat gratia, eius facultatis plenitudo nullo modo posset imminui vel dispergi; de quibus facultatibus & magnis diuitiis pauperibus & egenis solatia refectionis & vestimentorum operimenta sedulus impendebat, & caetera septem opera misericordiae sollicitus exhibebat, orationibus vacabat, vigiliis & frequentissimis ieiuniis attenuans corpus suum, vt per quod grauiter peccauerat, hoc ipsum diuersis poenarum cruciatibus macerans grauissime castigaret, vt Spiritus saluus fieret in die Domini, in quo mortui resurgent incorrupti, recipere praemia suae operationis, bona videlicet praemia siue mala. Et quoniam omnia mors tollit, omnia morte cadunt, & illud est commune mori, mors nulli parcit honori, & contra vim mortis radix non crescit in hortis; neque quis redimet, quem mors perimet, quia foedera nunquam, nec pretium, nec seruitium mors accipit vnquam; mors resecat, mors omne necat, quod carne creatur, Magnificos perimit & modicos cunctos, dominatur tam Ducibus, quam Principibus communis habetur, nobilium tenet imperium, nullum reueretur, mors iuuenes rapit atque senes, nulli miseretur. Illa fremit, genus omne premit, quod in orbe mouetur. Illa ferit, caro tota perit, dum sub pede mortis conteritur, non excipitur vir robore fortis, forma, genus, mores, sapientia, res & honores morte ruunt subita, sola manent merita. Sic Dux Welffe, aeternae mortis formidans imperium, in quantum potuit, suae bonae operationis merita dilatauit, fundans septem claustra de diuersis generibus Monachorum, & haec ipsa in temporalibus optime procurauit, vt Spiritus eius rediret ad Dominum, qui dedit illum. Quidquid autem faciebat licet bonum foret, tamen

mors aculeos suae consumationis & crudelitatis suae finem horrendum miserabilem in ipsum, velut in quemlibet mortalem, refundere prompta fuit. Appropinquabant autem dies mortis eius, & decidit in lectum aegritudinis, & vocauit Maiores & Nobiliores totius Sueuiae cum Praelatis Ecclesiarum, videlicet Episcopum Augustensem & alios Praelatos sui Ducatus & socerum (*lege:* generum) suum Fridericum de Rothenburg cum filia sua Alhaida. Et in praesentia ipsorum fecit testamentum redditionis & receptionis & donationis, vt nullus inueniretur, qui in die vel post diem obitus sui de ipso posset aliquid querulari. Hoc autem firmissimo testamento cum sincera deuotione & omni mentis suae industria peracto puram confessionem Domno Episcopo Augustensi faciens, integraliter & pure compunctus interius, vera contritione sumpsit sanctissimum corporis Christi alimentum & pretiosissima sanguinis eius pocula, Corporis videlicet vitalis spiritus alimenta, statimque commendans se cum summo desiderio omnium orationibus coepit taedere, & moestus esse, & nimium debilitari, quia grauis infirmitas accedebat & iudicabatur eum iam velle resolui. Ipse quoque cernens se non posse prae languore nimio subsistere, nec haberi se considerans inter mortales amplius. *Sic finitur haec historia caetera enim desiderantur.*

No. XIV.

Diuisio bonorum Azonis filiorum iuniorum, & Hugonis appanagium. Anno 1095. Ex Muratorii Antiqu. Estens. Part. I. p. 272.

In nomine Domini Dei eterni. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi Millesimo Nonogesimo quinto, sexto die Aprilis, Indictione Tertia. Tibi *VGO germano meo* ego *FVLCO filius ALBERTI Marchionis, qui AZO Marchio dicitur,* qui professus sum ex Natione mea lege viuere Longobardorum, sicut ipse Genitor meus viuere visus est. Propterea dixi: Manifestum est mihi, qui supra *FVLCO*, eo quod tu qui supra *VGO* odie in me emisisti cartulam vendicionis sub dupla deffensione pro accepto precio librarum mille Luccensis monete, nominatiue de cunctis Curtibus, Castris, Ecclesiis, & Capellis, Casis & Massariciis, & omnibus territoriis, que mihi euenerunt, & mihi pertinent in toto Italico Regno, sicuti in ipsa cartula vendicionis resonat, in in. vt de presenti die in mea, meorumque heredum fuisset potestate, proprietario iure faciendum exinde quod voluissem. Vnde modo promitto, & spondeo, atque obligo me qui supra *FVLCO* tibi cui supra *VGO germano meo*, vt si tu ita mihi obseruaueris & adimpleueris, sicuti promisisti, & per sacramentum firmasti, ipsa cartula vendicionis, quam odie in me emisisti, sit inanis & vacua, & nullo tempore obtineat firmitatem. Et si ego qui supra

ſupra *FVLCO*, aut mei heredes, aduerſus te qui ſupra *VGO*, tuosque heredes, aut cui vos dederitis de prediƈtis rebus, per quoduis ingenium agere, aut cauſare, vel remouere preſumpſerimus, aut per nos, vel per noſtras ſumiſſas perſonas, & taciti, & contenti exinde non permanſerimus, vel ſi apparuerit vllum datum, aut faƈtum, vel quodlibet ſcriptum, quod ego qui ſupra Fulco, vel mei heredes, exinde in aliam partem feciſſemus, & claruerit; tunc componamus ipſas res in duplum. Et inſuper penam libras mille. Et taciti & contenti permaneamus. Verba autem ſacramenti hec ſunt: Ego *VGO Figlius ALBERTI Marchionis, qui AZO Marchio dicitur*, ab ac ora in antea, non ero in conſcilio, neque in faƈto, quod tu *FVLCO frater meus*, vel filii tui Maſculini legitimi, perdatis vitam, aut membrum, vel captionem habeatis ad veſtrum dampnum. Secreta, que mihi crediderítis per te, aut per tuum nuntium, vel per tuas literas, & celare dixeris, ad tuum dampnum, me ſciente, non pandam. Et per reƈtam fidem adiutor ero ad retinendum tibi, & filiis tuis maſculinis legitimis, medietatem Caſtrorum, & Terre, que *AZO Marchio Genitor noſter* tenet a Mincio vsque ad Veneciam, & illam porcionem ceterorum Caſtrorum de alia Terra *Marchionis AZONIS genitoris noſtri*, que tibi euenerit, vel filiis tuis, vel ex alia parte. Et ſi perdideris, adiutor ero ad recuperandum, ſaluo honore Genitoris noſtri. Vel poſt diceſſum noſtri Genitoris, vel eo viuente, & conſentiente, faciam iurare illos homines meos, quos mihi dixeris, & diſtringere potuero, & ſine malo ingenio. Quod ſi hanc ſecuritatem tibi, & prediƈtis filiis tuis non obſeruauerò, adiutores ſint tibi, & filiis tuis prediƈtis retinere meam portionem & tuam contra omnes homines. Et poſt diceſſum noſtri Genitoris, vel eo viuente, vel iubente, infra triginta dies poſtquam mihi requiſieris, equis partibus tecum diuidam ſine malo ingenio, vel cum filiis tuis prediƈtis. Et faƈtis diuiſionibus, que ſuperius diƈte ſunt, tibi tuisque prediƈtis filiis omnibus diebus vite mee per reƈtam fidem ſine malo ingenio obſeruabo. Nam ſi tu qui ſupra *VGO germanus meus* ita non obſeruaueris & adimpleueris ſupra ſcripta mihi qui ſupra *FVLCO germanus tuus*, ſicuti promiſiſti, & per ſacramentum firmaſti: tunc ipſa ſupra ſcripta Cartula vendicionis ſit firma, & ſtabilis, & in ſua maneat firmitate. Et faciamus ego qui ſupra *FVLCO* meique heredes de ſupra diƈtis Curtibus, Caſtris, Eccleſiis, & Capellis, Caſis, Maſſariciis, & omnibus rebus territoriis iuxta ipſam Cartulam proprietario nomine quicquid voluerimus in eo tenore vt ſupra legitur. Et ad hanc confirmandam promiſſionis Cartulam accepi ego qui ſupra *FVLCO* exinde Launechil a te iam diƈto *VGO* Croſinam vnam, vt hec mea promiſſio in te cui ſupra *VGO*, tuisque heredibus per omnibus temporibus firma permaneat, atque perſiſtat incumuulſa, conſtipulatione

latione subnixa, manente hac Cartula promissionis, & obligacionis omni tempore in sua firmitate. Vnde due Cartule promissionis in vno tenore scripte sunt. Hanc enim Cartulam promissionis paginam Vguidoni Iudici & Notario Sacri Palacii tradidi, & scribere rogaui, in qua subter confirmans testibusque obtuli roborandum. Actum in loco Adeste feliciter. ✠ Manus istius Fulconis Filii Azonis Marchionis, qui hanc Cartulam promissionis fieri rogauit, vt supra. ✠ ✠ ✠ ✠ Signa manuum Vgonis de Baone, Lanfranci Berthai, Vguiberti Homo, Rodulphi filii Emurardi lege Longobarda viuentes testes. Ego Vguido Iudex & Notarius Sacri Palacii huius Cartule promissionis scriptor post traditam compleui.

No. XV.

Hugonis Cenomanici filius Azo donat quaedam Monasterio Carcerum. Anno 1121. Ex Muratorii Antiqu. Estens. P. I. pag. 327.

In nomine Domini Dei aeterni. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi Millesimo Centesimo vigesimo primo, quarto die exeunte Mense Iunii, Indictione Decima Ecclesia Beatae Mariae Virginis, quae est aedificata in finibus Este in loco, vbi dicitur Carcere; Ego *AZO Marchio filius HVGONIS Margionis*, qui professus sum lege viuere Longobardorum, offertor & donator ipsius Ecclesiae, propterea dixi: Quisquis in Sanctis ac venerabilibus locis .... iuxta Authoris vocem in hoc seculo centuplum accipiet, insuper quod melius est, vitam possidebit aeternam. Ideo ipse Azo dono, & offero in eadem Ecclesia Sanctae Mariae a praesenti, & ordino vt ...... pro anima mea & parentum meorum mercede duas petias de terra in territorio Patauensi in finibus Palsi. Prima petia de terra in loco, vbi dicitur Boscho longo, & est per mensuram iustam per longitudinem pertichas quatuordecim; cohaeret ei ab vno latere Gulielmus, ab alio latere iura Sanctae Mariae, ab vno capite via, ab alio capite via & fossa. Secunda petia de terra in loco, vbi dicitur Albaredo, est per longitudinem pertichae quadraginta duae, per transuerso pertichae septem; cohaeret ei ab vno latere Robertus, ab alio latere .... ab vno capite via, & ab alio capite via, sibique aliae sunt cohaerentiae &c. Quae autem petiae de terra iuris mei vna cum accessione & ingressione, seu cum superioribus & inferioribus qualiscumque mensurae & coherentiae sint, offero illas ab hac die in eadem Ecclesia & dono, & per praesentem cartam offersionis proprio meo nomine in Ecclesia ad habendum confirmo. Spondeo, atque promitto ego qui supra *AZO* vna cum meis haeredibus ex parte ipsius Ecclesiae istas petias de terra, qualiter sunt, totas ab omni homine defen-

defenſare: quas ſi defendere non potuerimus aut ſi nollent exinde aliquid . . . . in duplum eandem offerſionem vt ſit vobis reſtitutio ſicut pro tempore melioratae aut valuerint ſub aeſtimatione in conſimili . . . . Actum in loco Sanctae Mariae feliciter.

✠ Signum manibus *Azo*, qui hanc chartam offerſionis fieri rogaui.

✠ Signum manibus *Fulcho* Marchio, + Azo, filio eius, + Robertus Marchio, + Angel, + Balaldo, + Aroldo, + Siuerardo, + Orto, + Balduino, + Machabruno teſtes.

Ego Adam Notarius, qui hanc chartam offerſionis ſcripſi.

No. XVI.

Azo Hugonis & Fulco Fulconis filius liberales in Monaſterium Carcerum. Anno 1139. Ex Muratorii Antiq. Eſtenſ. P. I. p. 328.

In nomine Domini Dei aeterni. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo Centeſimo trigeſimo nono, Indictione ſecunda, die Lunae qui eſt pridie nonas Decembris. Eccleſiae Beatae & venerabilis Mariae Virginis, quae ſtructa eſſe videtur in Comitatu Patauienſi in fundo de Eſte, in loco vbi dicitur le Carcere, vbi Dominus Fabianus Prior adeſſe videtur. Nos quidem in Dei nomine *AZO*, & *FVLCO Marchiones*, qui profeſſi ſumus ex Natione noſtra Lege viuere Longobardorum offertores, atque donatores praedictae Eccleſiae, propterea diximus: Quisquis in Sanctis & venerabilibus locis aliquid ex ſuis contulerit rebus, iuxta Authoris vocem centuplum accipiet, & inſuper quod melius eſt, vitam poſſidebit aeternam. Ideoque Nos Marchio *AZO*, & *FVLCO* concedimus iſti Eccleſiae aquam vnam ex beneficio noſtro, quam nos habere & tenere viſi ſumus in Comitatu Patauenſi in Fundo de Villa, in loco vbi dicitur Foſſa cauata, vsque ad locum vbi dicitur Scardeuara. Quam iſtam aquam concedimus iſti Eccleſiae eo videlicet ordine, vt Praesbyteri & Clerici, qui ibi ordinati ſunt, vel pro tempore ordinati fuerint, & ibidem Deo aſſidue ſeruierint, habeant poteſtatem piſcandi, & cogolaras faciendi, & quicquid aliter ſibi opportunum fuerit, ſine omni noſtra, noſtrorumque haeredum contradictione, vel repetitione, & ſine aliqua impeditione piſcandi, quae iſti aquae aliquo modo noceat, pro animarum noſtrarum, ac noſtrorum parentum remedio.

Actum eſt hoc in Montagnana in Caſtellaro in domo Bulli. Raimundus de Parcello, Isnardinus de Reuedo, Bouerus de Begoſſo, Deſeſius Praesbyter de Runcho, Bullus huius rei teſtes.

Ego Opizo Notarius interſui, & iuſſione iſtorum Marchionum hanc cartulam ſcripſi.

No. XVII.

No. XVII.

Azonis, filii Hugonis testamentum. Anno 1142.
Ex Muratorii Antiq. Estens. P. I. p. 330.

Anno Domini Millesimo Centesimo quadragesimo secundo, Indictione quinta, die decima quinta Mensis Iulii. Bonum & vtile est Homini ante migrationis suae diem suas res, secundum quod melius videtur, pro animae suae mercede disponere ordinare coram testibus, & Notarium roget scribere ne post eum iurgia ea ratione generentur. Quapropter Ego *AZO Marchio*, qui professus sum Lege viuere Longobarda, qui res meas mobiles & immobiles ita disponere volo, vt sic post meum discessum permaneant, qualiter hic subter declarauero. Ideoque volo vt pro animae meae mercede quod Hospitale Hierusalem habeat totum illud, quod habeo iure proprio, iure libellario enphiteotico, seu Colonario, omne quod relinquere possum a Lusia, & a Remedello de Frutta, & a Villa Comitissa vsque ad Venetiam, & vsque ad plenum Mare. Item quod habeo in Comitatu Rodigii, & Gauelli, & Adriani, & meam portionem de hoc quod ...... mea acquisiui in Tribano, & in Agua. Hoc totum cum pascuis, cum siluis, cum paludibus, cum aquis, & cum omnibus adiacentiis. Volo, vt *Vxor* mea *ALCHIVA* habeat totum illud, quod habeo in Curte Vrbanae, ita tamen hoc, quod in feudo est, Vasalli teneant ab ea sine fidelitate, excepto si ille Vasallus est, qui per medium mansum, vel per vnum, vel per duos vsus sit facere fidelitatem. Volo iterum, vt habeat partem meam de Caracedulo, quam diuisi a Fratribus meis. Volo etiam, vt habeat partem meam de Frata a flumine Athesis vsque ad Hospitale Trium Comitatum cum omnibus runcis, & siluis, quae sunt iuxta meam portionem Fratae, & cum illo territorio, quem Martinus de Ponte tenebat, & cum ea portione de Casellis Trium Comitatuum, & si quid habeo in Sancto Saluatore, quod mei iuris sit. Insuper volo, vt habeat meam portionem Siluaroli, Runci Lullui, Seueoloris. Totum hoc relinquo ei pro centum & sexaginta libras Veronenses, quas ego de suis expendi. Et pro quarta portione, & omni iure, quod habeo in meis rebus, volo, vt Fratres mei omnes sint mihi haeredes, & habeant omne, quod habeo in Longobardia, & in Merlaria, & in Este, & in omnibus aliis locis, exceptis nominatis, & excepta Montagnana, & exceptis, quae Serui mei habent, & Ancillae, & exceptis, meis mobilibus rebus. Volo etiam, vt omnes serui mei & ancillae sint liberae post meum discessum. Hoc totum volo, vt post

meum

meum discessum firmum permaneat semper, quia sic decreuit & statuit mea voluntas.

Actum in Montagnana feliciter.

✠ ✠ ✠ Signum manibus Iohannes & Henricus, & alius Henricus Iudex, ✠ Isnardus Sacri Palatii Notarius, ✠ Albericus de Nogarola, ✠ Albertus, ✠ Wido, ✠ Rolandus filius Henrici Iudicis, ✠ Manfredus de la Rocha.

Ego in Dei nomine Guibertus Notarius hanc Cartam testamenti manu propria scripsi & dedi.

No. XVIII.

Robertus Marchio fratri Azoni testis est.

Anno 1121. Ex Muratorii Antiq. Estens. P. I. p. 327.

Vide supra No. XV. pag. 454.

No. XIX.

Testamentum Tancredi Marchionis, fratris Azonis, in quo mentio fit filii Manfredi. Anno 1145.

Ex Muratorii Antiq. Estens. P. I. p. 331.

In nomine Domini. Anno Incarnationis eiusdem Millesimo Centesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, tertio Calendas Martii praesentia testium, qui ad hoc specialiter conuocati fuerant. *TANCREDVS Marchio*, Longobardorum Lege viuens, statum humane fragilitatis praecogitans, ne quandoque, si intestatus decederet, ingrati quilibet ad successionem eius, lege vocante venirent, qui pro salute animae ipsius, aut certe nihil, aut valde paruum quid expendere curarent: vltimam in rebus suis dispositionem fecit, & hoc vltimum elogium concedere curauit in hunc modum. *MANFREDVM filium meum* haeredem mihi instituo, & volo atque dispono vt plenarie mihi succedat, & in funus meum expendat quinquaginta libras denariorum Veronensium, de quibus volo, vt quinque libras habeat Patrinus meus: viginti autem habeat Sancta Maria de Vangadicia; relique viginti quinque in funus meum expendantur prout melius visum fuerit viris fidelibus. Quod si *MANFREDVS filius meus* in aetate decesserit, in qua nec suum testamentum condiderit, nec legitimum filium superstitem, vel posthumum reliquerit, tunc ad successionem meam veniant aut Ecclesia Sanctae Mariae de Vangadicia, & Ecclesia Sancti Fidentii, & Ecclesia Sanctae Mariae de Carcere vna cum aliis Ec-

clesiis, quas inferius nominabimus, & cum aliquantis ex Vassallis meis similiter infra scriptis, & cum vniuersa Masnata mea secundum illas distinctiones, quas inferius elucidabimus. Sanctus igitur Fidentius habeat quantascumque terras habeo, & teneo ad meas manus inter Ampladam, & Ramum, & Braidum meum, quod iacet prope Casam de Malabroca, & Broydum meum de Gorgo, & omne allodium, quod habeo in finibus Salletti excepto medio Manso, quem relinquo Sancto Siluestro, qui fuit rectus per ...... & exceptis illis terris, quas Masnata mea tenet ibi. Sanctus Vitalis habeat duo Casamenta insimul se tenentia, de quibus vnum tenet Ariprandus, aliud Arbetinus de Duda. Sancta Maria de Carcere habeat casamentum Octolini Storti, & casamentum de Isacho. Sancta Maria de Palso cum Sancto Michaële habeat Mansum rectum per Gerardum de Nichiro. Sola Sancta Maria habeat casamentum, quod tenet idem Gerardus; solus Sanctus Michaël habeat petiam vnam de terra, quae dicitur petia Mala. Sancta Maria de Carcere habeat meam portionem illius terrae cum silua, quae dicitur Albaretum, & habeat Mansum Iohannis de Lunisana, qui iacet in Palso, cum omnibus terris quas ipse Iohannes tenet a me; & habeat braydum meum de Louara, & totam illam terram, quae mihi pertinet in Cornedo, & petiam vnam de terra, quae iacet in Pauso, ab vno latere cuius cohaeret Sancta Maria de Carcere ab alio via publica decurrit; & habeat casamentum quod tenet Iohannes de Vitale similiter in Palso. Et insuper habeat omnes terras, quas Guarnerius Riculsi quondam filius habet a me, & tenet per beneficium feudi infra fines de Carnese & Meliadino. Vniuersa Masnata mea libera sit, iure patronatus penitus remisso, peculiis vniuscuiusque sibi concessis. Et insuper quicquid per feudum tenebat a me, habeat & teneat pro allodio; volo tamen atque dispono, vt vnus quisque de familia mea habitans in Episcopatu Patauino, in Veronensi, in Adriensi, ac Ferrariensi, si de mea terra integrum Mansum habuerit, det Sanctae Mariae de Vangadicia in Anniuersario meo XXIV. denarios Veronenses & libram cerae; qui vero dimidium tantum Mansum habuerit, det duodecim denarios, det dimidiam libram cerae. Qui autem terras non habet, det denarios duos, & candelam vnam; & qui habitant in ceteris Episcopatibus, similiter faciant suis maioribus Ecclesiis. Henricus de Casario habeat in allodium ex causa legati, & Wibertus habeat suum, & Boccapane suum. Gerardus Inuersus habeat in allodium Mansum de Cisolis, & casamentum de Casara in quadriuio piloso, & terram cum vineis, quas Nebula & Vbertinus de Riuello tenent, & campum de clausura de Celso. Et insuper quicquid tenet a me extra mansos Grassi. Et vnusquisque de

de Vassallis de Sancto Fidentio det in Anniuersario meo viginti quatuor denarios & libram cerae, & accomodet Sancti Fidentii Archipresbitero caballum semel in anno vsque Paduam vel Veronam, ita quod per octo dies antequam petat, notum fiat ei, qui caballum non habebit. Sanctus Laurentius de Cauazana, & Sanctus Petrus cum Sancto Vito de Lusia habeant Mansum vnum cum dimidio, qui iacet in eo loco. Omnia, quae superius ad Ecclesias pertinere decreui, volo, & statuo, vt praefatae Ecclesiae iure proprietatis habeant cum omni honore, quo mihi pertinere videbantur. Volo etiam, vt *GOTA Vxor mea* habeat in allodium feudum Vgonis Talamassi, & Feudum Balduini, & feudum Grassi de Runcho, nomine scilicet Morgincap. Praeterea volo & dispono, vt *propinqui mei FVLCONIS filii* iure proprietatis habeant quicquid mihi pertinet in Comitatu Rodigii, & Gauelli, atque Hadriae, saluo Morginhap vxoris meae. *Consanguineae* quoque *meae AZONIS filiae* habeant quicquid mihi pertinet in Mineruis, saluo Morgincap tantum vxoris meae. Quicquid autem iuris vel honoris mihi pertinet in Lusina, & in Episcopatu Vercellensi, Papiensi, Terdonensi, Placentino, Cremonensi, & Parmensi, & vbicumque Allodium habere videor per totam Longobardiam, volo vt matrices Ecclesiae vniuscuiusque Episcopatus habeant illud, quod in finibus suis positum esse videtur, saluo tantum Morgincap vxoris meae. His ita praemissis atque dispositis, volo, & iudico, vt Sancta Maria de Vangadicia pro remedio animae habeat quantascumque terras extra praescriptam seriem habere videor, vt inueniri poterit, cum omni iure & honore sicuti ego habebam, & soluat debitum, quod debebo tempore mortis. Quod si filius meus morte interueniente ad successionem meam venire nequierit, tunc quinquaginta librae, quas ipse pro anima mea daturus eram, Sancta Maria de Vangadicia, & Sanctus Fidentius, & Sancta Maria de Carcere persoluant secundum illas videlicet portiones, quas modo designare volo. Si itaque debitum meum fuerit XX. librae dumtaxat aut minus, tunc Sancta Maria de Vangadicia persoluat medietatem, de reliqua medietate duas portiones persoluat Sanctus Fidentius, tertiam Sancta Maria de Carcere. At vero si debitum meum transcenderet XX. libras, tunc Sancta Maria de Vangadicia nihil ad funus meum expendat. Sed Sanctus Fidentius de praedictis quinquaginta libris duas portiones persoluat, Sancta Maria de Carcere tertiam. Haec ita se habeant, reliquis omnibus eo statu & ordine quo supra comprehensa sunt firmiter obtinentibus. Haec est enim mea vltima voluntas, & vltima dispositio, quam in aeternam seruari volo; & ne ab humana laberetur memoria, eam in scriptis recipi rogaui. Interfuerunt autem

testes Henricus Causidicus de Casaro, Wibertus Notarius, Vbertus Malabroca, Girardus Inuersus, Bucapane, Clemens Archipresbyter, Laurentius presbiter, Dominicus Prior Sanctae Mariae de Carcere, atque Ionas. Ego Opizo Notarius affui, & rogatus haec scripsi.

No. XX.

Alberti, filii Fulconis, testamentum, in quo mentio fit filiarum, Adelasiae & Aureplasis. Anno 1184. Ex Muratorii Antiqu. Estens. P. I. p. 326.

In nomine Dei aeterni, Anno Domini Millesimo Centesimo octuagesimo quarto, decimo die intrante Mense Aprilis, Indictione secunda. Bonum quidem & vtile est homini ante suae migrationis diem de rebus suis secundum suam voluntatem disponere; ideoque in Dei nomine Ego *Marchio* ALBERTVS instituo ADELASIAM, & AVREPLASEM *filias meas* mihi haeredes in omnibus meis bonis; & volo, vt si vna decesserit sine filiis, quod altera ei succedat. Sanctae Mariae de Abbatia, vbi iacere volo, relinquo Runcos meos de Frata, illi qui sunt affictati hominibus Sancti Saluatoris, & hominibus de Vrbana. Sanctae Trinitati de Tribus Comitatibus relinquo pratum de Rouenega, quod ipsi petebant, & fictum Alberti Casarii, quod dabat de blauis. Sanctae Mariae de Carceribus relinquo terram, quae fuit de Astengo, & terram, quae fuit de Ganduforo. Hospitali Sancti Iohannis de Rodigio relinquo terram, quae fuit de Alberto de Bonagente, & terram de braydo de Rodigio, quod est iuxta praedictum Hospitale, & triginta libras in laborerio domus praedicti Hospitalis. Templo relinquo equum meum, ita vt si Rambaldus voluerit ei dare quinquaginta libras, habeat equum. Sancto Cypriano relinquo vnum mansum de viginti campis in Costa pro anima mea. Relinquo trecentas libras, centum pro obitu, centum pro Ecclesiis, & ex iis centum volo vt Prior de Villa habeat centum solidos, & centum pro vestimentis pauperum. Et hoc, quod habeo in Solecino, relinquo Vxori meae, donec vixerit. Et volo vt filiae Reuiani, & Clementini sint liberae, & ab omni vinculo seruitutis absolutae. *Fratri meo* OPIZONI relinquo hoc, quod habeo in Castellis, & in Ledregnano, eo modo vt non impediat Filias meas de suis rationibus. Bosolino relinquo terram, quam emi ab Alberto de Manzino, ita vt persoluat eam partem, quam poterit. Et volo & statuo, seu iudico, quod hoc meum testamentum per nuncupationem factum sit firmum, & stabile in perpetuum. Actum est hoc in Este.

Signum

✠ Signum pro manu iam dicti *Marchionis ALBERTI*, qui hoc testamentum me scribere rogauit. Rogati sunt testes, Presbyter Enricus, Clocus, Paganus, Lambertinus, Bernardus de Talia, Tholomeus, Odo filius Rouerii.

Ego Vgo Notarius atque Causidicus rogatus scripsi.

No. XXI.

Testamentum Manfredini seu Manfredi, Tancredi & Gotae filii. Anno 1164. Ex Muratorii Antiq. Estens. P. I. p. 335.

Die Mercurii, qui est octauo intrante Mense Iulii, in praesentia Dominici Prioris Sanctae Mariae in Carcere, Presbyteri Andreae, Balduini Diaconi, Alberti de Vrbana, Redulphi de Wilberto, Pilotti, Meliadini, Leuasiii, Arnaldi, *MANFREDINVS Marchio* iacens in lecto suo, quia infirmus erat, sed adhuc recte loquens, ostendit voluntatem suae mentis, & bona sua ita disposuit. In primis pro anima sua reliquit Sanctae Mariae in Carceribus braydum de Louaria, quod est in Pauso, quam habet ad suum dominicatum, & vt ibi decebatur Sexaratros esse, & ordinauit se ibi iacere. Pro suo obitu reliquit sexdecim libras, & in dispositione Domini Alberti. Praesbytero Andreae reliquit decem libras, & statuit Bartholam filiam Maccolae de Marcoaldo ancillam suam liberam. Ceruatum filium quondam Odonis de Basso liberum statuit, & triginta solidos illi reliquit. Vnum filium Vgolini, quem Vgolinus voluerit, liberum statuit. *Vxori suae VILLAE* reliquit, & voluit habere omnes suas rationes. *Filiam suam AGNETEM*, & Filium vel Filiam, quae in vtero suae Vxoris est, sibi haeredem instituit in omnibus suis bonis & rationibus, si masculus erit; si femina centum & quinquaginta libras, & etiam plus, si haereditas potuerit portare. Si ambo erunt feminae aequaliter succedant. Si Filii vel Filiae sine haeredibus decesserint, tunc reliquit *Matri suae GOTTAE* quinquaginta libras, si illa voluerit. Et voluit & statuit, vt *ALBERTVS DE VRBANA eius Socer* esset Tutor suorum Filiorum & Filiarum.

Actum est hoc in Meliadino in domo praedicti Marchionis. Anno a Natiuitate Domini nostri Iesu Christi Millesimo Centesimo sexagesimo quarto, Indictione duodecima, praedicto die Mercurii.

No. XXII.

Fulco Marchio, Azonis ex Garſende minor natu filius, a Conrado Henrici IV. filio, Italiae Rege, Regii Banni mitigationem impetrat. Anno 1097. Ex Muratorii Antiq. Eſtenſ. P. I. p. 275.

Die Martis, qui eſt XIIII. Calendas Septembris, infra Caſtrum Burgi Sancti Domnini ante eius Eccleſia, praeſentia bonorum hominum, quorum nomina inferius leguntur. Dum Donnus Conhradus gratia Dei Rex Romanorum legitima pertractaret iudicia, ſeuere puniendo facinora, probis viris & modeſtis imperciendo munera, aſtitit *FVLCO Marchio* coram Rege, exorans Principem, vt ſi ſuo tempore leges offenderet, Regium Bannum non cogatur exſoluere. Tunc Rex rogatus a pluribus Palatinis Proceribus, pro beneficio hoc priuilegium Marchioni conceſſit: vt nullum Bannum Regius Exactor a Marchione exigat, ita tamen vt non inſoleſcat in antea Marchio, non eum radix inflet ſuperbie, dicendo, quod quia Banni pene non ſubiacet, licenter poſſit perpetrare crimina, ſed ſit ſalua cunctis omnino iuſtitia. Inde factum eſt hoc Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo nonageſimo ſeptimo, ſupra ſcripto die, Indictione V.

Ego *CHONRADVS Deo gratia Romanorum Rex* ſs.

Ego Cancellarius Heinricus ſubſcripſi.

Ego Lanfrancus Arquatenſis interfui.

Ibi interfuit Odo filius Rainerii, & Vgo filius Othuini, & Albertus filius Arimondi, & Otho de Seratico, & Ponzo de Cremona, & Albertus Talamaſo, & Vbertus filius eius, atque Obertus della Rocha, ſeu Richardus de Cremona, ſiue Albertus de Caſtegnetto, nec defuit Odo de Morignano, & Bernardus de Cremona, etiamque alii plures, de quibus memorare non poſſum.

Ego Iohannes Iudex ſs. Vngarus Iudex rogatus ſubſcripſi.

Ego Rolandus Notarius Sacri Palatii interfui, & hoc Priuilegium per iuſſionem praedicti Regis ſcripſi.

No. XXIII.

Fulconis Marchionis, filii Azonis Marchionis Domini caſtri Montagnana, donatio ad S. Saluatoris. Anno 1100. Ex Murator. Antiq. Eſtenſ. Part. I. p. 313.

In nomine Domini Dei eterni. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo centeſimo, pridie Calendas Auguſti, Indictione

ctione octaua. Ego *FVLCO Marchio filius* quondam *AZONIS Marchionis*, habitator in Castro, qui dicitur *Montagnana*, dono & offero Ecclesiae Sancti Saluatoris, quae est Constructa in Comitatu Patauiensi, non multum longe a Villa, quae dicitur Maratica, pro mercede animae meae & parentum meorum, totam terram, quam ego habere & possidere visus sum in Comitatu Patauiensi, & Veronensi, & in tres Comitatus, & siluam Caracedi, & inter viam Fellidanam, & Fractam, praeter mansum vnum, quem Guido de Merlaria habet, tam de terris aratis, quam pratis, vigris, vineis, pasculis, siluis, ac stallariis, riuis & rupinis, cultis & incultis, diuisis & indiuisis, vna cum finibus, terminibus, accessionibus & vsibus aquarum, aquarumque ductibus, cum omni iure, iacentiis, & pertinentiis earum rerum, per loca & vocabula ad ipsas pertinentia superius & inferius. Qui vero contra hanc cartam offersionis agere praesumpserit, nisi quod hic subter declarauerit, habeat Deum omnipotentem, cui omnia subiecta sunt, inimicum, & cum Dathan & Abiron & cum Iuda traditore, cui Dominus panem intinctum porrexit, ante tribunal aeterni Iudicis rationem reddat. Et ab hac die in antea in Ecclesia eiusdem Sancti Saluatoris per eandem cartam offersionis dono & offero, vt perpetualiter habeat ad habendum in sumptu, & vsu & in dispendiis Clericorum, qui modo ibi sunt, vel in antea pro tempore ordinati fuerint, & faciant de fructibus earum, vel censuum, quos ex inde annue Dominus dederit, sicut de ceteris rebus ipsius Ecclesiae, quicquid voluerint, sine omni mea & heredum meorum contradictione. Et si Ego dictus *FVLCO*, quod fieri non credo, aut vllus de heredibus meis, vel proheredibus, seu quibuslibet oppositis personis, contra hanc cartam offersionis agere, vel causare per quoduis ingenium praesumpserimus, aut supra dicta ab vnoquoque homine defendere non poterimus, tunc tamen promitto componere poena duplas res in consimilibus locis, vt dixi, pro mercede animae meae, & meorum parentum remedio, quia taliter in omnibus mea bona decreuit voluntas. Hanc enim cartae offersionis paginam Petro Notario tradidi scribendam, eamque rogaui scribere, in qua hic subter confirmans testibus, quod obtuli, est roboratum.

Actum in vico Montagnanae feliciter.

✠ Signum manus ipsi *FVLCO*, qui hanc paginam offersionis fieri rogaui, vt supra.

Signum manibus ✠ Rodulpho de Lusia, ✠ Lanfranco, ✠ Petrus, viuentes lege Longobardorum, testes.

Ego Petrus Notarius Sacri Palatii rogatus, qui hanc cartam offersionis scripsi, & post traditam compleui & dedi.

No. XXIV.

No. XXIV.

Obertus, Azonis & Fulconis vaſallus curtim Naſetam cedit S. Proſpero Regienſi. Anno 1104.

Ex Muratorii Antiq. Eſtenſ. P. I. p. 17.

In nomine ſanctae & indiuiduc Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti..... ſimo Quarto, Octauo die intrante menſe Februario, Indictione .... naſterio Sancti Proſperi ſita in loco Regio, & prope hanc vrbe Regio, vbi nunc...... ondam Rogerii, & Domnus Dominicus de Curuiaco, & Domnus Dominicus de Guaza ..... preeſſe videntur. Ego *Hoberto filius quondam Alberti de Murignano* quis pro..... mea lege viuere Romana, promitto & ſpondeo me ego predictus Obertus..... dibus ad eidem Monaſterio Sancti Proſperi, nominatiue Curtem de Naſeta cu..... dicendum, quod mihi pertinet per Feodum ex parte *HAZO Marchioni*, & *FVLGO F*..... Obertus pro offenſionem, & damnum, quod ego feci in praedicta curtem de Naſeta ..... remedium animae meae & parentum meorum mercedem, inde modo promitto & ſpondeo..... ego Obertus ſub iuſiurandum per meum Miſſum ad Sancta Dei Euangelia, vt amodo..... in tempore non habeamus licenciam nec poteſtatem per nullum vis ingenium nullam..... onem quod fieri poteſt agere, nec cauſare, nec moleſtare per me, neque per meis haeredibus..... ſumitentes perſonas. Vel ſi agerimus, aut cauſauerimus, vel moleſtare pre..... de Curtem de Naſeta aduerſum predictum Monaſterium aut cui pars predictum Monaſterium dederint, per me, vel per meis heredibus, aut per meas ſumittentes perſonas ..... factum fuerit, & omni tempore taciti & contemti non permanſerimus: tunc componamus querimoniam in duplum, & inſuper penam argenti libras quadraginta..... urandum promiſit quod ſuperius legitur cum ſtipulatione ſubnixa ..... mea promiſſionis cartula, ſicut ſupra legitur, aduerſum praedictum Monaſterium ..... par praedictum Monaſterium dederint, omni tempore in perpetuum firmis & ſtabilis ..... aut, ac pro remedium anime mee & parentum meorum mercedem. Actum in loco qui dicitur Cuſcognana, felicIter.

..... nus predictus Hobertus, qui huius promiſſionis fieri rogauit vt ſupra.

..... num heç eſt vel confirmatio teſtium Boſonem filium Boſoni ..... Girardo de Veruchulla, Hodonem de Gheula,

& Gara-

& Sarasinus de Solera..... rio de Cuscognana, qui intersuerunt, & testes rogati sunt.

Ego Ingo Notarius Sacri Palatii Scriptor huius cartulam promissionis post traditam compleui & dedi.

No. XXV.

Compositio de curte Naseta. Anno 1104. Ex Muratorii Antiq. Estens. P. I. p. 169.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini..... simo Centesimo Quarto, Decimo Calendas Decembris, Indictione Duodec...... nasterio Sancti Prosperi Confessoris Christi in suburbio Regii, vbi nunc Ioannes Abbas preesse videtur. Ego quidem Oddo Blanco filius quondam Alberti de Loco, qui dicitur Moregnano, professus sum ex natione mea lege viuere Romana, presentia fratri Ade Monachi, seu Dominici eius Monasterii Missi, atque aliorum bonorum hominum, quorum nomina hic subleguntur, propter Domini, & remedium anime mee, seu parentum atque Dominorum..... Marchionum scilicet *ATTONI* & filiorum suorum mercede, seu pro rogatum Bosoni..... suorumque fratrum, Erimelde iugalis predicti Bosoni, & ipsius Domini mei *FVLCONIS filii ATTONIS*, presens presentibus dixi: promitto, & spondeo, atque obligo me ego qui supra Oddo Blanco vna cum meis heredibus predicto Monasterio Sancti Prosperi, & cui pars prefati Monasterii..... tradere.... & amodo vllo vnquam tempore non habemus licentiam, nec potest..... vis ingenium vllamque occasionem, que fieri potest agere nec causare..... re aduersus predictum Ioannem Abbatem suosque Successores..... Monasterium, aut cui ipsi dederint nominatiue de Curte Nase..... casis & rebus, & capella, & siluis & vitibus, cultis & incultis, diuisis indiuisis, & pratis, pascuis, paludibus, ripis, rupinis, aquis, aquarumque ductibus, molendinis, & piscationibus, cum omnibus adiacentiis, & pertinentiis, & responsionibus, & conditionibus suis in pertinente ad predictam Curtem Naseti per loca & vocabulis, sicut inueniri potuerint infra predicta Curte..... cernit iuris predicti Monasterii, sicuti percurrit fluuius Sicle sursum per stratam vsque..... tem Palaredum, & de monte Palaredo ascendente vsque in finem Tuscie, & reuertentem in fluuium Albolum vsque in flumen Sicle, & inde quoque iuxta Siclam deorsum peruenit in flumen Ausole. Dicen-

dum, quod mihi exinde aliquit aliquo modo pertinere debeat; ſed ..... qui ſupra Oddo Blancus, ſeu filii, & filie, aut ſerui, vel fideles aduerſus te qui ſupra Ioannem Abbate tuos ..... aut aduerſus predictum Monaſterium, ſeu cui vos dederitis, de predict ..... & comprenſum eſt in in agere, aut cauſare, vel moleſtare, ſeu remouere preſum ..... aut noſtras ſubmiſſas, ſeu introductas perſonas aliquo modo, & taciti & quieti omni tempore non permanſerimus: vel ſi apparuerit vllum datum aut factum, vel quilibet ..... quod nos exinde in aliam partem feciſſemus, & claruerit: tunc componamus ego qui ſupra Oddo, meique Eredes, & filii & filie, tibi qui ſupra Ioanni Abbati, tuiſque Succeſſoribus, & prefato Monaſterio, & cui vos dederitis, & pars predicti Monaſterii iam dictam Curtem cum omnibus ..... & caſis & capella in duplum, ſicut pro tempore fuerint meliorate, aut ..... ſub exiſtimacione in conſimilibus locis, & inſuper penam nomine ſtipulationis libras denariorum Papienſium, & poſt penam ſolutam & promiſſio in ſua maneat firmitate, & in eo tenore vt ſupra legitur. Et ad hanc confirmandam ..... cartulam accepi ego qui ſupra Oddo Blancus a te iam dicto Ioanne Abbate ..... ti Monaſterii per miſſos tuos Ade fratris & Dominicus, Launechil ..... apreciatum libras decem denariorum Lucenſium, vt hec mea promiſſio .... Succeſſoribus & in prefato Monaſterio, & cui vos dederitis perpetuis firma permaneat atque perſiſtat, & nec mihi, qui ſupra Oddoni, nec vllis de Eredibus meis, filiis, vel filialibus, aut de ſeruis, atque de liberis omnibus meis, liceat vllo tempore ..... nolle quod volui, ſed quod a me ſemel factum vel conſcriptum eſt, omnia inuiolabiliter, ſicut ſupra legitur, cum ſtipulacione ſubnixa & iureiurando per Oliuerium ..... Miſſum firmaui, & omni tempore firmare promitto pro mercede anime mee & omnium ſupra dictorum, vt ſupra legitur. Actum feliciter in Caſtro Verucule in Ca ..... nicata Domni Boſonis. Ego Wilicicion ſsi. ✠ Signum manus predicti Oddoni, qui hanc Cartulam promiſſionis ..... vit vt ſupra. Signum manuum teſtium ✠ Guifredi, qui dicitur Guezolum, & ✠ Boſo. Ger ..... ✠ Guineſo de Opago, & ✠ Magnardus, & ✠ Conon, & ✠ Teuzonis de Cauiliano de Mote ..... qui teſtes ..... ti ſunt.

Ego Guibertus Notarius Sacri Palatii Scriptor huius cartule promiſſionis poſt traditam compleui & dedi.

Teſtes fuerunt Boſo, & Guizolus, & Guineſus, & Teuzo, & Conon, & Mugnardus, & Guilicion Cartule promiſſionis, quam fecit Oddo Blancus ..... filium Alberti de Muregnano Monaſte-

nasterio Sancti Prosperi de Curte Naseti. Pena res in duplum centum libras denariorum Papiensium .....

Oliuerius Missus Oddonis iurauit..... Millesimo Centesimo Quarto, Decimo Calendas Decembris, Indicione De.....

No. XXVI.

Fulco Marchio in Monte Silicis pro Tribunali sententiam pronuntiat pro Monasterio S. Zachariae Venetiis. Anno 1115. Ex Muratorii Antiq. Estens. P. I. p. 314.

DVM in Dei nomine in Iudicio resideret Domnus *FVLCO Marchio* in Monte Silice in casa Domnicata prope Ecclesiam Sancti Pauli ad iustitiam faciendam pro constituto termino, qui constitutus fuerat in generali Placito Mense Madii, consilio atque laudatione bonorum hominum de Monte Silicis: hi sunt Iohannes, & Anoaldo, & Armanno Iurisperiti, & Iohannes, & item Iohannes Notarii, & Gualterius &c. & reliquorum plurium de querela, quam Guitedinus, & Guido Aduocatores vna cum Aldino Priore Sancte Iustine de Ciuitate Padua fecerant a parte predicti Monasterii, contra Monasterium Sancti Zacharie de Capella vna, que est constructa in Monte Silice ad pede ipsius Montis in loco qui dicitur capite Iugi, in honore Sancti Zenonis, & de omnibus rebus & territoriis ad ipsam Capellam pertinentibus in fine Montis Silicis, & dicendo, quod prenominata Capella cum omnibus predictis rebus pertineret ad Ecclesiam Sancte Iustine de ciuitate Padua per Cartulam vnam, quam dicebant, Draconem Presbyterum fecisse quondam; & insuper Ecclesiam Sancte Iustine inuestita fuisse dicebant; & partem Ecclesie Sancti Zacharie eam disuestisse, & inde pugnam velle se facere dicebant. Ad quorum querelam Presbyter Iohannes Saternius & Plebanus Sancti Zacharie vna cum Iohanne Ceturnigo Aduocatore, atque Iohannes Maurusino, surgentes sic responderunt: De hac querela iudicatum est inter partem Sancti Zacharie Monasterii de Venetia, & inter Monasterium Sancte Iustine de Ciuitate Padua; & noticiam inde habemus, & etiam cartulas factas proprietario iure. Tunc Iudices, qui ibi aderant, preceperunt eos adduci. His ductis atque relectis, retulimus etiam plures cartas incisas a predicto Dracone conscriptas, & quam noticiam falsam appellabant. Tunc Iudices, qui ibi aderant, ibi sunt Dominicus, & Almericus, & Iohannes Iudices, iussu Marchionis iudicauerunt, eam idoneari XII. iuratoribus. Tunc predicti Aduocatores cum suo Plebano adduxerunt XII. iuratores: hi sunt Sigoprando de Gasperto,

& Almericus, & Iohannes &c. omnes isti iurauerunt, veram & idoneam esse illam noticiam. Tunc predicti Iudices causa cognita iudicauerunt predictum Monasterium Sancti Zacharie habere proprietatem & possessionem, & securum & indempnem semper manere de predicta Capella, & Successores, & Guitiglaum, & Girardum germani, qui ibi aderant Aduocatores, & Monasterium Sancte Iustine de Padua tacitum & contemptum, & omnis pars eiusdem Monasterii omni tempore manere & de proprietate, & de possessione. Ibique in presentia bonorum hominum, quorum nomina hic subter leguntur, hii sunt Aginulfo, & Odo de Fontana &c. & Burcardus Teutonicus &c. & reliqui plures Domnus *FVLCO Marchio* misit bannum supra predictum Plebanum, & supra predictam Capellam, & super omnes res ad predictam Capellam pertinentes in predictis finibus, quod nullus quislibet homo partem predicti Monasterii Sancti Zacharie molestare aut diuestire audeat sine legali iudicio. Qui vero hoc fecerit, duo millia mancosos aureos se compositurum agnoscat, medietatem parti publice, & medietatem ipsi Monasterio Sancti Zacharie. Et hanc notitiam, quatenus acta est causa, Domnus *FVLCO Marchio* ad securitatem eiusdem Monasterii Sancti Zacharie fieri precepit.

Actum in loco Monte Selicis feliciter. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCXV. secundo Kalendas Iunii, Indictione Octaua.

✠ Signum manus predicti Marchionis, qui hoc signum crucis fecit.
Ego Almericus Iudex interfui, & m. m. ssi.
Ego Dominicus Iudex interfui.
Ego Ioannes Iudex interfui, & ss..
Ego Henricus Iurisperitus interfui, & m. m. ssi.
Ego Herminardus Iurisperitus manu mea ssi.
Ego Albericus Notarius iussione Marchionis, & amonitione Iudicum hoc scripsi.

No. XXVII.

Fulconis Marchionis, filii Azonis Marchionis, donatio ad S. Benedictum in Padolirone ex iussione matris Gardensis & fratris Hugonis. Anno 1115.

Ex Muratorii Antiq. Estens. P. I. p. 316.

In nomine Domini Dei aeterni. Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi Millesimo Centesimo Quintodecimo. Decimo die introeunte Mense Iunii, Indictione VIII. Monasterio Sancti Benedicti fun-

ſundato iuxta quod dicitur Lairone, vbi nunc Domnum Abbatem Albericum ordinatum eſſe videtur, Ego *FVLCO Marchio filius cuiusdam AZONIS*, qui profeſſus ſum lege viuere Longobardorum, offertor, & donator ipſius Monaſterii propterea dixi: Quisquis in Sanctis ac venerabilibus locis de ſuis aliquid contulerit rebus, iuxta Autoris vocem in hoc ſeculo centuplum accipiet, & inſuper quod melius eſt vitam poſſidebit aeternam. Ideoque ego qui ſupra *FVLCO Marchio* dono, & offero in eodem Monaſterio a praeſenti die, & ordine, vt ſubter legitur, pro anima *AZONIS Marchionis Genitoris mei*, & pro animae meae mercede, id eſt, pecia vna de terra iuris mei, quam ego habere & poſſidere viſus ſum ſuper fluuium Adeſis, quod eſt pecia ipſa de terra Manſos XX in loco vbi dicitur Coſta. Currit ei ab vno latere fluuium Adeſis, ab alio latere Foſſa quae dicitur Gaibo, ab vno capite Poleſono diſuto de Ramedello, ab alio latere Altaro de Plobegano. Quod autem iſta pecia de terra vna cum acceſſione & ingreſſione, ſeu cum ſuperioribus & inferioribus ſuis qualitatibus ſupra legitur, ab hac die in eodem Monaſterio Sancti Benedicti eamdem terram, vt ſupra legitur, dono, & offero, & praeſentem cartulam offertionis ibidem ab habendum confirmo, faciendum exinde Abbati, vel Monachis, qui pro tempore in eodem Monaſterio Sancti Benedicti ordinati, & Deo Serui erunt, ad eorum vſum & ſumptum eo ordine vt ſupra legitur pro animae noſtrae mercede. Quidem expondeo & promitto me ego qui ſupra *FVLCO Marchio* vna cum meis haeredibus a parte ipſius Monaſterii, iſta pecia de terra qualiter ſupra decernitur ..... ac omni homine defendere: quae ſi defendere non poterimus, aut cui partem dederimus per cuiusuis ingenium ſubtrahere quaeſierimus: tunc in duplum componamus eamdem terram ſicut a parte ipſius Monaſterii fuerit meliorata, aut valuerit ſub extimatione in conſimili loco. Hanc enim cartulam offertione pagina Adam Notario tradidi & ſcribere rogaui, quam ſubter confirmans teſtibus obtuli ad roborandum.

Actum in loco Montagnana feliciter.

Signum manibus ✠ *FVLCO Marchio*, qui hanc cartulam offerſionis fieri rogaui.

Sign. manibus Vgo de Roca, Bericho, Balduino, Rolando de Verma. Albertus de Luſia, Litulfo, Ioannes, Romano Teſtes.

Ego Adam Notarius rogatus, qui hanc cartulam donationis ſcripſi, dedi.

Ego *FVLCO Marchio* dedi pro ordinatione teſtamenti *GARSENDAE Genitricis meae* terram, quae in ſupra ſcripta cartula legitur pro *GARSENDA Comitiſſa Genitrice mea & VGO germano meo.*

No. XXVIII.

Fulconis Marchionis donatio ad Ecclesiam S. Saluatoris. Anno 1134. Ex Muratorii Antiqu. Estens. P. I. p. 320.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Millesimo Centesimo trigesimo quarto, VIII. Calendas Augusti, Indictione duodecima. Breue recordationis ad memoriam retinendam pro futuris temporibus de Feudo Azonis, filii Vbaldi, quem *FVLCO Marchio* dedit pro Alodio ad Ecclesiam Sancti Saluatoris, qui habetur ex parte Fractae, ibi circa ipsam Ecclesiam, factum est. Hoc accepto cambio prefatus Azo refutauit in manibus Dominici Iudicis, nec non in manibus Rodulphi de Lendenaria in vicem Marchionis in praesentia bonorum hominum, qui ibi aderant, nomina quorum haec sunt Iustus Praesbyter, & Albertus, atque Vinizo de Riciis, Richerius de Merlaria, Warno de Vrbana, Albertus Comitis & Luizo, & alii quam plures. Postea vero refutauit idem Azo cum hoc Breue super Altare in praesentia Fratrum dictae Ecclesiae eo modo, quod amplius nec per se, nec per suos debet se intromittere; & si forte contigerit (quod absit) quod ibi aliquid imponere eis voluerit, vel aliquam in eos opprimere tentauerit, centum libras denariorum Veronensium in Camera Marchionis persoluat, & terram penitus perdat. Et quod grauius sibi fuerit, omnes illae maledictiones, quae leguntur, in se & in suos veniant. Et si firmum & ratum tenere voluerit, Saluator mundi, cuius tempora sunt, custodiat corda & corpora eorum in charitate Dei, & patientia Christi. Inter etiam hoc facto placuit ex vtraque parte, quod Dominus Azo suscepto cambio, quem a Marchione accepit, dedit statim Ecclesiae Sancti Saluatoris eo pacto, eaque conditione, quod per vnumquemque annum in assumptione Sanctae Mariae debent esse, qui nunc adsunt Clerici, vel alii, qui post eos venturi sunt, Domino Azoni .... Et si quis super istum factum aliquod imponere voluerit, vel fingere tentauerit, terram hanc perdat, & Sancti Saluatoris maledictiones insuper habeat.

Ego Isnardus Notarius Sacri Palatii ex authentico vidi, legi, & omnia, quae continebantur in ea, compleui praeter literas minusculas.

No. XXIX.

No. XXIX.

Welfus Craſſus, filius Ducis Wolfhardi, ſeu Welfi I. ac Fortis, Bauariae Ducis, Cellae Raitenbuchenſi donat praedium ſuum in Wiltſteig, quod ſibi ex fraterna diuiſione obtigerat. Anno 1103. circiter. Ex Hundii Metropoli Salisburg. T. III. p. 109.

NOTVM ſit omnibus in Chriſto fidelibus, quod *WELFO Dux*, filius *Ducis WOLFHARDI*, praedium ſuum in loco, qui dicitur *Wiltſteig*, quod ſibi *ex* aequa *fraterna diuiſione* obtigerat, pro remedio animae ſuae atque parentum ſuorum eisdem reliquiis (reliquiis ſcilicet Sanctae Mariae aliorumque Sanctorum, quae in Cella Raitenbuch continentur) contradidit, retento ſibi vſuſructu.

Huius rei teſtes ſunt:

Otto Comes de Dieſſen. Item
Comes de Sigilhait, de Wigere.
Berinhart de Kröba.
Otto de Aitraha.
Heinrich de Otmareshart.
Perchtold de Stouffen.

No. XXX.

Calixti PP. II. Epiſtola ad Ottonem Comitem de Wittelsbach, qua ei noui Monaſterii conſtructionem iniungit, eo quod Romae captioni Paſchalis PP. II. interfuerat. Anno 1122. circiter. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 305.

KALIXTVS Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei Illuſtri viro, *Ottoni*, Comiti Palatino, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Dolere te & vehementer triſtari audimus, eo quod in illa Regis expeditione fueris, in qua Dominus noſter ſanctae memoriae *Paſchalis* nimis crudeliter captus fuit; non tamen captioni aut retentioni eius conſilium ſeu auxilium praebuiſti. Vnde gaudemus valde, & omnipotenti Deo gratias agimus, quod cor tuum Sancti Spiritus viſitatione ad poenitentiam inclinauit. Vt autem de bono in melius proficias, atque in Eccleſiae vnitate ſemper & obedientia perſeueres, in remiſſionem tibi peccatorum tuorum iniungimus, Eccleſiam regularium Fratrum conſtruere, quae ad honorem Dei & ſalutem animae tuae ſub Beati Petri & eius Romanae Eccleſiae iure ac ditione in perpetuum debeat permanere. per hoc enim

enim & omnipotentis Dei gratiam, & nostrum poteris consilium & auxilium obtinere. Carissimum fratrem & consanguineum nostrum A. Aquensem Episcopum, quem in partes vestras direximus, nobilitati tuae commendamus, rogantes, vt ei pro Beati Petri reuerentia ducatum, & si qua alia necessaria fuerint, praebeas.

Datum Laterani 7. Calend. Iulii.

No. XXXI.

Welfus Dux Weingartensi Coenobio vnit Cellam S. Pantaleonis in Buchhorn. Anno 1120.

Ex Bruschio de Monaster. p. 577.

WELFO Dei gratia Dux Noricorum vniuersis huius & futurae aetatis salutem, & omne bonum. Audientiae omnium vestrum duximus ventilandum, quod nos, Monasterii in *Weingarten* beneficia, ex preclaris nostrum parentibus a prima fundatione collata, cupientes accumulare, Cellam de Buchorn, in honorem Sancti Pantaleonis fabricatam, cum Ecclesia Sancti Andreae in nostram iurisdictionem a viro illustri, *Ottone*, Comite sancti loci, cum omni patrimonio suo iuste ac legaliter deuolutam, prouisioni vel regimini Cunonis, Abbatis memorati Monasterii, ac omnibus suis successoribus committimus, & deuote subiicimus, quatenus Sanctimonialibus, Deo & Sanctis sub professione regulari illic famulantibus, de Priore ad regendum ipsas & curam plebis habendam apto prouideant, ibidemque regularem vitae disciplinam procurent custodire. Interdicentes, ne aliquis nostrorum Successorum aut heredum, ad quos iusta successione deuenerit Aduocatia Weingartensis, praescriptae Cellae Aduocatiam praesumat alienare, aut vllo modo alicui infeudare. Quod si quis ex ipsis, immemor huius decreti, hoc violauerit, vi careat, & nullius sit firmitatis, sed in aeuum sicut in Ecclesiastica, similiter protectione seculari fabrica praescripta nostrorum recolendae memoriae progenitorum inseparabilis adhaerebit.

Datae & ordinatae apud *Altorff* in Epiphania; Anno Dominicae Incarnationis MCXXX. regnante Lothario Imperatore.

Adstiterunt huic commissioni

HENRICVS, Frater noster.

Rudolphus, Brigantiensium Comes.

Popo, Comes de Kyburg.

Marquardus, Comes de Swartzache, & alii quam plures.

No. XXXII.

No. XXXII.

Henrici Nigri Ducis donatio Monasterio Carcerum facta. Anno 1107. Ex Muratorii Antiq. Estens. Part. I. p. 282.

In nomine Domini Dei aeterni. Anno ab Incarnatione eiusdem Millesimo Centesimo septimo, decima quarta die intrante Octobrio, Indictione septima. Ecclesiae Beatissimae Sanctae Mariae constructae in loco, qui vocatur *le Carcere*, sub regione Patauensis Episcopatus, vbi nunc Presbiter An. . . . ordinatus esse videtur. Ego quidem *HENRICVS Dux*, *filius quondam GVELFONIS Ducis*, qui professus sum ex natione mea *lege* viuere *Longobardorum*, offertor & donator ipsius Ecclesiae, propter quod dixi: Quisquis in sanctis & venerabilibus locis ex suis aliquid contulerit rebus, iuxta Auctoris vocem in hoc seculo centuplum accipiet, & vitam, quod melius est, insuper possidebit aeternam. Ideoque ego supra dictus *HENRICVS Dux* dono & offero a presenti die in eadem Ecclesia, pro animae meae mercede, id est Braydum dominicatum iacentem iuxta eandem Ecclesiam, & de Clusurella omne illud, quod mihi competebat, secundum quod vicini dederant. Quod autem supra dictum Braydum iuris mei vna cum accessione & ingressu, seu cum inferioribus & superioribus .... & cum pascuis, & venationibus, piscationibus, tellassionibus, quod vt honor videatur isti Ecclesiae & supra dicto Duci, ab hac die in eandem supra dictam Ecclesiam Sanctae Mariae. Ego supra dictus *HENRICVS Dux* dono, cedo, confero, & per presentem chartam offersionis ibidem habendum confirmo, faciendum exinde pars ipsius Ecclesiae, aut cui pars ipsius Ecclesiae dederit a praesenti die proprietario iure & nomine, quicquid voluerit sine omni mea, & heredum meorum contradictione. Quidem spondeo atque promitto ego supra dictus *HENRICVS* vna cum meis heredibus, me parti ipsius Ecclesiae, aut cui pars praedictae Ecclesiae dederit, istum Braydum, qualiter supra dictum fuit ..... ab omni homine defendere. Quod si defendere non poterimus, aut per quoduis ingenium subtrahere quaesierimus; tunc in duplum illum supra dictum Braydum parti ipsius Ecclesiae, aut cui pars ipsa Ecclesiae praedicta dederit, restituimus, sicut pro tempore fuerit melioratum, aut valuerit sub aestimatione in consimili loco.

Hoc actum apud Sanctam Theclam de *Este* feliciter.

Signum manu supra dicti *HENRICI Ducis*, qui hanc chartam offersionis & donationis fieri iussit.

Signum manu teſtium.

Hi ſunt: Iohannes Pagani filius de Mela, & Gulielmus frater eius, & Vgo Comes, & Azo de Vighizolo, & Nicolaus filius Petri Iudicis viuentis lege Longobardorum, Os, & Pericho dalla Rocha, & Orto, Araldo, Araſaldo, qui omnes rogati fuerunt teſtes.

Ego quidem Auraldus Notarius ſimulque legis peritus, hanc Chartam offerſionis & deuotionis ſupra dicti *HENRICI Ducis* ſcripſi.

No. XXXIII.

Placitum Henrici V. Imperatoris in cauſa Sanctimonialium Sancti Zachariae, cui interfuit Henricus Niger Dux. Anno 1116. Ex Muratorii Antiqu. Eſtenſib. T. I. p. 283.

DIE Dominica, que eſt IIII. Idus Marcii in Regno Veneciarum in Palatio Ducis, ſcilicet in Camera. Dum in Dei nomine *HENRICVS* Dei gratia *Quintus*, Romanorum Imperator Auguſtus, reclamationem Eccleſiarum audiens, adeſſet cum eo Teuzo, Tibaldus, Adam, Eicharius Iudices, Anto Iuriſperitus, Ordelaffus Dei gratia Venetie Dux, Patriarcha Dei gratia Gradenſis, Gerardus, Epiſcopus Tridentinus, Epiſcopus Caſtellanus, Iohannes Epiſcopus Caprulenſis, Petrus Michaël Adrianenſis Epiſcopus, Albertus Comes de Martoringo, *HENRICVS, WELFONIS Ducis Frater*, Henricus Comes, Odelricus Comes de Piano, & Petrus Guntarinus Vicedominus & Benegarius Contarinus, Stenus Zianus, Petrus Gradonicus, & reliqui plures. Ibi illorum preſentia Domnus Imperator iuſticie amator, omniumque Eccleſiarum defenſor, pro Dei amore, & Sancti Zacharie, & Sancti Pancracii, & prece eiusdem Cenobii, ac vite Michaëlis Abbatiſſe, ſuarumque ſanctimonialium, & ſuorum Principum, aliorumque fidelium rogatu, & pro .... conſilium, per lignum, quod in ſua tenebat manu, ſuum imperiale bannum miſit ſuper Iohannem Bonum Plebanum & Aduocatum eiusdem Sancti Zacharie Monaſterii, & ſuper omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quas poſſidet vsque modo predictum Monaſterium, nominatim in Monteſilice Curtem vnam poſitam in Villa, que vocatur Petriolo, vna cum Eccleſia in honore Sanctorum Thome & Zenonis cum omnibus illarum pertinentiis, & caſtrum Runcum, quod Milo Marchio eidem Monaſterio tribuit; & omnia, que Ingelfredus Comes vna cum Ingilburga Comitiſſa eidem Monaſterio tribuerunt; & vnam Curtem poſitam in loco, qui dicitur Cona, cum Eccleſia Sancte Marie, & ſuper omnia, que

que habet, vel que legitime prenominatum Monasterium adquisierit. Imperando, vt nullus Patriarcha, Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Marchio, Comes, Vicecomes, Aduocatus, Vicedominus, Gastaldio, Villicus, Decanus, vel aliqua magna paruaque persona prenominatam Abatissam suasque successores sine legali iudicio disuestire vel inquietare audeat. Quod si quis hoc edictum fregerit, aut occasione telonei, aut albergarie, sciat se compositurum centum libras auri, medietatem Imperatoris Camere, & dimidiam predicte Abatisse suisque Successoribus.

Factum est hoc Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi MCXVI. Indictione VIIII.

Ego Teuzo Iudex interfui & ssi.

Ego Adam Iudex interfui & ssi.

Ego Anto Aduocatus interfui & ssi.

Ego Tibaldus Iudex subscripsi.

Ego Obertus Iudex interfui, & hanc notitiam ex illius iussione Imperatoris scripsi.

No. XXXIV.

Placitum Henrici Nigri Ducis in causa Monasterii Carcerum. Anno 1117. Ex Muratorii Antiq. Estens. T. I. p. 248.

DVM in Dei nomine in Comitatu Patauensi in Villa, que vocatur *Este*, iuxta Sanctam Teclam eiusdem Ville. Cum permaneret ibi Domnus *HENRICVS Dux*, manentibus cum eo Iohannes Causidicus, Girardus, Albertus da Este, Bonizus da Este, Iohannes filius Esti, & reliqui plures. Ibique in eorum venerunt presentia Presbiter Andrea, & Presbiter Petrus, Archipresbiter Tribani: ceperunt dicere, ac mercedem postulare. Petimus a vobis, Domne *HENRICE Duce*, vt propter Deum, & animam vestram, vestrorumque parentum, vt mittatis bannum supra rebus Ecclesie Sancte Marie, tam supra illis rebus quas nunc habet, quam in illis, quas adquirere potuerit, vt nullus homo audeat disuestire, vel molestare partem supra scripte Ecclesie sine legali iudicio. Cum Presbiter Andrea, & Presbiter Petrus taliter retulerunt, ad hec recordatus Domnus *HENRICVS Dux:* diuino imperio meo regnate, per consilium illorum supra scriptorum, qui cum eo aderant, per fustem, quem in sua manu tenebat, misit bannum de duobus milibus mancusceis aureis supra rebus Sancte Marie de li Carcere, tam supra illis rebus, quas nunc habebat, quam supra illis rebus, quas exinde

in antea Deo propicio adquirere potuiſſet, vt nullus quislibet homo audeat disueſtire partem ſupra ſcripte Eccleſie, neque moleſtare, neque ſuos ſeruientes, tam illi qui nunc ſeruiunt, quam ſui ſucceſſores, ſine legali iudicio; qui hoc fecerit, ſciat ſe compoſiturum predicta duo mille mancuſia aurea, medietatem ſupra ſcripte Eccleſie, & medietatem Kamare ſupra ſcripti *HENRICI Ducis*. Et hanc notitiam qualiter acta eſt inde fieri ammonuerunt. Quidem ego Anoaldus Notarius, ſimulque Legis peritus ex iuſſione ſupra ſcripti *HENRICI Ducis*, & amonitione ſcripſi. Anno Domini Milleſimo Centeſimo ſeptimo decimo, Quarta die intrante Octubris, Indictione Decima.

✠ Signum ſupra ſcripti *HENRICI Ducis*, qui hoc ſignum Crucis fieri iuſſit.

✠ Signum Bernardi Capellani Ducis, qui interfuit.

Noticia quam Dux fecit.

No. XXXV.

Henricus III. Ranshouenſibus omnem decimationem donat, eosque Henrico, cui Ducatum Bauariae dedit, commendat. Anno 1040. (*) Ex Metrop. Salisburg. T. III. p. 146.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HAINRICVS* diuina fauente clementia Rex. Omnibus Chriſti noſtrisque fidelibus tam futuris, quam praeſentibus, notum eſſe volumus, qualiter nos ſuper altare Sancti Pangratii in parochia, quae dicitur *Ranshouen*, omnem decimationem ipſius praedii, tam incultis quam de cultis agris, pratis, paſcuis, campis, ſyluis, venationibus, piſcationibus, quaeſitis & inquirendis, cum omni vtilitate, quae vllo modo inde prouenire poteſt in proprium dedimus atque tradidimus, ea ſcilicet ratione, vt Dei ſeruitium a clericis ibidem manentibus quotidie ſtabiliter permaneat. Haec traditio facta eſt in conſpectu *HENRICI*, *cui Ducatum ipſius regni dedimus*, & Archi Epiſcopi Salisburgenſis Eccleſiae Dietmari, Niceri Leodicenſis Epiſcopi & Perngeri Patauienſis Epiſcopi. Si autem praedictus *Dux*, aut aliquis ſucceſſorum ſuorum hanc traditionem irritam fecerit, noſtri noſtrorumque Succeſſorum Regum ſiue Imperatorum iuris ſit defendere, &

*) Vltra hunc annum tempus dati diplomatis proferri non poteſt, quia Dietmarus Salisburgenſis Archi Epiſcopus hoc ipſo anno mortuus eſt. Ex eo ſimul patet, non ex Welfis fuiſſe Henricum illum, cui hoc tempore Bauaria fuit commendata, ſed S. Cunegundis ex fratre nepotem.


& regia poteſtate retorquere. Et vt haec noſtra regalis traditio ſtabilis & inconuulſa permaneat omni aeuo, hanc inde chartam iuſſimus ſcribi.

No. XXXVI.

Conradus III. fundatae Ranshouienſis Eccleſiae honorem adſcribit auo ſuo materno, Henrico IV. Imperatori. Anno 1142. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 145.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CONRADVS* diuina fauente clementia Romanorum Rex ſecundus. Quoniam diuina prouidente miſericordia ceteris mortalibus quodammodo ſuper eminemus, oportet, vt cuius praecellimus munere, illi omnino pareamus in operatione. Eapropter omnibus Chriſti, noſtrisque fidelibus, tam praeſentibus quam futuris, notum eſſe volumus, qualiter nos, omnipotentis Dei cauſa, & ob regni noſtri ſtabilitatem firmam, & animae noſtrae noſtrorumque parentum perpetuam ſalutem, Eccleſiam in *Ranshouen*, in honore S. Pangratii Martyris conſecratam, ab *auo* noſtro *Henrico* Imperatore Auguſto piae memoriae fundatam, & decimationibus ac ceteris bonis regalibus ab ipſo dotatam, cum omnibus poſſeſſionibus ſuis, quaeſitis & acquirendis, terris videlicet cultis & incultis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumue ductibus, molendinis, piſcationibus & decimationibus, ſub regiae defenſionis tuitione ſuſcepimus, omnesque poſſeſſiones cum decimis, quas infra *ſemitam ferarum* quae vulgo dicitur *Wiltſteich*, vel extra eadem Eccleſia poſſidet, & quicquid liberalitate Regum & Imperatorum, ſeu donatione Ducum, aut ceterorum Principum, nec non eleemoſynis pauperum ei collatum eſt, nos praeſentis priuilegii auctoritate eidem confirmamus & corroboramus. Decernimus ergo, vt nullus ſucceſſorum noſtrorum vel Regum vel Imperatorum, Dux, aut Marchio, ſeu alia quaelibet perſona, magna ſiue parua, huius confirmationis noſtrae ſtatutum infringere praeſumat, ſed praefata Eccleſia & Fratres Deo ſeruientes, quae iuris ſui ſunt, libera poſſeſſione in perpetuum obtineant. Si quis autem, quod abſit, hanc noſtram confirmationem ſiue corroborationem infringere tentauerit, 50. libras auri puriſſimi componat, quarum partem dimidiam camerae noſtrae, reliquam vero praedictae Eccleſiae perſoluat. Vt autem haec ab omnibus credantur, & omni deinceps tempore inuiolata conſeruentur, hanc inde chartam ſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus, manuque propria, vt infra apparet, corroborantes, qui praeſentes aderant, teſtes ſubter notari fecimus, quorum nomina haec ſunt:

Ebricho Wirzpurgensis Episcopus.
Fridericus Dux Sueuorum.
Heinricus filius noster.
Conradus frater noster Traiectensis Praepositus.
Rapoto Comes de Amminberch. (Abensberg.)
Petrus filius Regis Danorum.
Fridericus, filius Palatini Comitis Ottonis.
Baltherus de Lobenhausen & frater eius.
Conradus de Lare.
Marquardus de Grumbach.
Conradus Bris. Henricus Wolf. Bobbo de Ginnenpurch. Burchhardus de Meniga, & ceteri: quoniam plures interfuerunt.

Signum Domini Regis  Conradi Romanorum Secundi.

Ego Arnoldus Cancellarius vice Maguntini Archi Episcopi & Archicancellarii recognoui.

Anno Dominicae Incarnationis MCXLII. Indictione IV. regnante Conrado Romanorum Rege secundo, Anno Regni eius secundo.

Datum apud Wirtzpurch in Christo feliciter Amen.

No. XXXVII.

Post Henricum Superbum Leopoldus Austrius, Dux Bauariae intrusus, in confirmando Monasterio Reichersbergensi Sigillo est vsus. Anno 1141. Ex Chronico Reichersberg. ap. Ludewig Scriptor. Rer. Bambergens. T. II. p. 252.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. Ego *Liutpoldus* Dux Bauariorum Dei gratia cupiens haereditare beatitudinem, de qua dicitur: Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: egenorum & pauperum Christi in Coenobio Richersbergensi Deo militantium intellexi paupertatem, simulque animaduerti quaedam eorum praedia vastata, dum exercitus, vel patre meo *Luitpoldo*, vel me ipso ducente, per terras eorum iret ac rediret. Vnde, commonitus a praefati Praeposito Coenobii *Gerhoho*, ad vsus fratrum inibi Deo seruientium ac seruiturorum ex nunc imposterum tradidi duo beneficia in villa, quae dicitur Laubes, cum omni

omni vtilitate ad illa pertinente. Scientes autem, quod hilarem datorem diligit Deus, & hic fine dubio est hilaris dator, qui mensuram bonam & confertam & coagitatam dat; volumus & irretractabiliter decernimus non solum ad praedicta beneficia excolenda, verum & ad alias qualescunque vtilitates fratrum Richersberg. duobus plaustris aut vehiculis eorum a modo semper in posterum patere syluam, quae vulgo dicitur Vers, sitam inter duos fluuios Champam & Chremesam, ita videlicet, vt nullus eiusdem syluae procuratorum ab eis exigat vllum pretium, seu qualiscunque angariae grauamen illis faciat. Sed omnino, vt dictum est, liber introitus & exitus in eadem sylua ac de sylua fratribus praefatis & eorum seruis pro commoditate ipsorum pateat. Ipsa quoque duo beneficia praesignata ita decernimus permanere libera in fratrum propria potestate, sicut erant in nostra, ne vel Camerarii vel Marscalci seu alii seruitores nostri ac posterorum nostrorum in vllo sint molesti cultoribus eorum, vel de rebus curiae traducendis, vel de annona equorum persoluenda, vel de aliis ministeriis huiusmodi exequendis. Haec autem traditio ad altare S. Michaëlis in Richersperg me praesente ac petente facta est per manum Comitis Luitoldi de Bleien delegatione firma, in cuius manum delegatione eadem per manum nostram prius fuerat facta. Huius rei testes per aurem attracti sunt hi, quorum nomina subnotata leguntur.

Otaker Marchio.
Comes Ekkebertus.
Otto de Machlant.
Werinhart de Ingelbach & filius eius Werinhart.
Wolfhere de Regernwag, Albwinus de Petra, Hademar de Choufaren, Gebehart de Abbadesdorf Chadelhochus longus de Rora Eberhart de Brundewa & Vldaricus frater eius, Harnit de Orte, Richere de Sebach, Walter de Tobele, Ainwich, de Vrihaim, Harthnit de Salzburg.

Paginam vero inde conscriptam ne quis audeat violare vel respuere, quasi falsam, ego *Luitpoldus* Dux *impressione sigilli mei* feci confirmare.

No. XXXVIII.

Placitum prouinciale, quod Arnulfus Dux Bauariae in gratiam Frisingensis Chorepiscopi Sigillo suo muniuisse dicitur. Anno 908. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. I. p. 89.

In nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *Arnolfus* diuina ordinante prouidentia *Dux Baioariorum, & etiam adiacentium regionum*, omnibus Epi-

Epiſcopis, militibus & regni huius Principibus. Quidquam enim beneuolentiae & gratiae in Dei cultores noſtrorum oratores oſtendimus, totum hoc nobis ad aeternae vitae augmentum & praeſentis regni adminiculum liquide credimus eſſe profuturum. Qua propter ſcire vos volumus, quod *Chuno*, fidelis & aſſiduus orator noſter, videlicet Friſingenſis Eccleſiae *Chorepiſcopus*, noſtram interpellauit clementiam, quatenus complacitationem inter *Dracolfum*, Epiſcopum, & inter ſe factam noſtra auctoritate & conſcriptione, atque ſigilli concluſione firmaremus. Cuius petitioni & voluntati ob eius fidem & continuam orationem aurem accommodauimus, & viſcera pietatis oſtendimus, & quae precatus eſt, implere curauimus. Remiſit enim Chorepiſcopus, & Aduocatus ſuus Sighardus, propriam abbatiolam ſuam, *Moſeburch* nuncupatam, ad Eccleſiam beatae Mariae ſemper virginis & ad Eccleſiam Sancti Corbiniani confeſſoris in manus praefati Epiſcopi & Aduocati ſui Kebolfi, ea ratione & tenore, quatenus ille, quidquid eodem tempore de Epiſcopatu in beneficium haberet, deinceps vſque in finem mortalis vitae ſuae ſine vlla contradictione & moleſtia poſſideret; quod & ita tradente eodem Epiſcopo & Aduocato ſuo factum, & ſecundum morem firmatum eſt. Inſuper vero in eadem Friſingenſi villa eiusdem rei cauſa Colonos II. cum habitationibus ſuis ab eodem Epiſcopo in proprietatem accepit; de eadem vero abbatiola curtem I. hubilam vocatam, cum omnibus ad illam pertinentibus, acquiſitis & acquirendis, nec non beneficium vnum pene deſertatum Suanahilcadorf nominatum. Cetera vero, quae in eadem complacitatione ſunt facta, in exemplo dein ſcripta inueniuntur.

Complacitatio facta eſt in publica ſynodo coram clero, & omni populo & multis teſtibus, ſicut mos eſt, per aurem conductis, firmata eſt anno Domini DCCCCVIII. Idus Septembris anno Epiſcopi II. incipiente, Chorepiſcopi vero VI. & incipiente VII.

Nos vero, vt praefati ſumus, eius precibus annuentes, iuſſimus ei hoc praeceptum auctoritatis noſtrae praeſcribi, & vt per futura tempora melius credatur, & firmius obſeruetur, ſigilli noſtri impreſſione inſigniri fecimus. Vnde volumus, & firmiter ſtatuimus, vt idem Chorepiſcopus vſque in finem inſtantis vitae nullo inquietante vel contradicente, quod complacuit, feliciter poſſideat, & quomodo libet ordinabiliter faciat.

No. XXXIX.

No. XXXIX.

Placitum prouinciale ſub Burchardo Sueuiae Duce & Bernoldo Comite, pro Argentinenſi Eccleſia

Anno 926. Ex Franciſci Guillimanni Commentar. de Epiſcop. Argentin. p. 136. ſeq.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris mundi. Conſcriptio recitanda eſt veri teſtimonii. Fuit vir boni conſilii, nomine *Ruodharius*, cum coniuge ſua *Wiſigarde*, qui ambo vna mente cogitauerunt, qualiter cum iſtis terrenis atque caducis rebus adquirere poſſent & inuenire perpetuam vitam, & conciliare ſibi Deum Patrem omnipotentem, tradideruntque haereditatem ſuam ad dominium ſanctae Mariae ſemper Virginis Argentinenſis ciuitatis, in marcha *Etinheim*, quidquid ad ipſum locum pertinet, tam terris, quam pratis, ſiluis, aquis aquarumque decurſibus, cultis & incultis, quidquid dici aut nominari poteſt. Poſtea autem facta eſt contentio inter confines illarum partium. Et familiae, quae pertinent ad monaſterium, quod vocatur *Waldchircha*, videntes, quod illorum terreſtris Dominus *Burchardus* valde ſubleuatus eſt per potentiam huius mundi, pari conſilio irruentes in haereditatem ſanctae Mariae proxima loca, quae adiacent monaſterio *Ethinheim*, ſicut fuerant ſegetes immaturae, ſucciderunt & aſportauerunt. Poſtea vero monachi ſupradicti loci venientes ad *Burchardum* interpellauerunt eum pro ipſa iniuſta praeſumptione, quae in illis facta eſt. Ipſe vero, vt audiuit, iratus eſt valde, & ipſam iniuriam, quam ſerui illius praefato monaſterio intulerunt, feſtinanter emendari curauit. Tradidit itaque cum manu vxoris ſuae *Reginlindae* ad monaſterium; quod dicitur *Waldchircha*, colonias II. vnam in Vuilo, alteram in Gifido, ad dirimendam controuerſiam illam, ea videlicet ratione, vt ipſi fraterculi Etinheimenſis monaſterii pro redemptione animarum ipſorum, illorumque ſucceſſorum, ipſas res, tam terris, quam ſiluis, quas ſupra nominatus vir *Ruodharius* ad ſanctam conceſſit Mariam, ſine vlla contradictione firmiter teneant atque poſſideant. Quod ſi nosmet ipſi, aut vllus de haeredibus noſtris contra hanc donationem aliquid peruerſa mente, aut iniuſto conſilio, venire contra veritatem tentauerit, inprimis iram Dei & ſanctorum omnium reus incurrat, & in aerarium Regis auri vncias V. argenti pondera X. coactus perſoluat. Haec tamen traditio per regiam poteſtatem & omnium iuſtorum, firma & inconuulſa permaneat.

Acta eſt haec chartula modernis temporibus *Heinrici* Regis, ſub *Bernoldo* Comite, in publico mallo, in oppido, quod dicitur *Chincibdorof*, co-

ram cuncta frequentia populi vtriusque prouinciae, tam Mortinauigae, quam Brisigauiae, quae praesentes fuerunt, quando haec traditio facta est, testibus subnotatis:

Sign. ipse *Burchardus*, cum ceteris Comitibus, qui ibi tunc aderant, quando traditio facta est.

✠ Sign. Bernold. ✠ Sign. Adalbero. ✠ Sign. Vodelrich. ✠ Sign. Gundram. ✠ Sign. Vocohri aduocatus, cum cuius manu hanc epistolam firmauit, & Missum elegit. ✠ Sign. Dieterich. ✠ Sign. Gozhelm. ✠ Sign. Vto. ✠ Sign. Dieto. ✠ Sign. Vrich. ✠ Sign. Herrat.

✠ Sign. Gothelm. Bernh. Rihb. Madelgaz. Cuzzo. Vadelhm. Adelb. Bezo. Luitolt. Hermenolt. Herolt. Hunger. Hettinc. Godedanc. Gotzb. Irminolf. Volumi. Einh. Meginh. Grimolz.

Anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCCCCXXVI. Indict. V. sub venerabili Episcopo Rihuuino & Vuolfhardo Abbate.

No. XL.

Alberti Vrsi donatio ad monasterium S. Laurentii in Hillersleben. Anno 1160. Ex veteri apographo.

C. In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. Omnibus vniuersalis ecclesie fidelibus in perpetuum. Ego *Adelbertus*, diuina cooperante clemencia *Marchio*, tam futurorum quam presencium, ob precauendas execrande auaricie fallacias, notum esse cupio sancte vniuersitati fidelium, qualiter allodium quoddam, quod emi in Balsamis, villam scilicet *Slautiz*, cum suis appendiciis, & debitis reditibus, siluis, pratis, pascuis, aquarum decursibus, vna cum filio meo *Ottone Marchione*, cuius potestati subiacet, ceterorumque heredum meorum pari consensu, sancto Laurentio in *Hillesloue*, & beate memorie *Irminhardo* Abbati, ad perpetuos inibi Deo seruientium vsus, contradidi, & tam nobilium, quam ministerialium meorum stabili testimonio & veraci confirmatione, nec non *sigilli mei* impressione corroborari precepi. Ad huius igitur confirmationem, tam nobilium, quam aliorum fidelium nomina asscribi volui, quatinus omnimoda presentium tollatur obliuio, & futurorum fraudulenta cesset oblocutio, quorum sunt haec nomina:

Odelricus Halberstadensis Episcopus, Walo Hauelbergensis Episcopus, Conradus Camerarius, Rodolphus Vicedominus, Hermannus & Gero, Canonici. Gerardus Prepositus maior Ec-

ecclesie Magdeburgensis, Haceko Decanus, Lodewigus Canonicus, Burchardus Comes de Valkensten, Wernerus Comes de Veltem, cum filio suo Adelberto, Cristianus Comes de Gardenlebe, Teodericus Aduocatus, Theodericus de Angerem, Badericus, Bruno & Adolphus de Gersloue, Otto de Bardenleue, Euerhardus & Hermannus de Ploceko, cum ceteris fidelibus.

Si quis igitur deinceps, quod absit, futurorum vel presentium hec confirmationis nostre scripta temere infringere temptauerit, vel exiguum hoc oblationis nostre munusculum ab ecclesia presati martiris sancti Laurentii tollere presumpserit; nouerit, se nostro rogatu ab Episcopo Halberstadensi *Odelrico*, cuius auctoritati subiacet, perpetuo damnatum anathemate, iraeque Dei Omnipotentis & vindictae Sanctorum omnium irremediabiliter tamdiu obligatum subiacere, quousque presumptionis sue reatum cognoscat, & Omnipotenti Deo presateque congregationi digne satisfaciat.

Adest Sigillum oblongum, in cuius margine semidetrita legitur BVRCHENSIS MARCHIO. ✠ In ipso sigillo apparet imago viri loricati stantis, gladio accincti, dextra vexillum, laeua clypeum tenentis, in quo haec figura:



Data anno dominicae incarnationis M.° C.° LX.° Indictione Octaua. Actum Euendorh, XV. Kal. Februarii. In Dei nomine feliciter Amen.

No. XLI.

Moguntini & paucorum aliorum Principum, in quibus Henricus Niger Bauariae Dux, epistola, qua Ordines Imperii conuocantur Moguntiam ad eligendum nouum Imperatorem. Anno 1125. Ex Vdalric. Babenberg. Codice Epistolari. n. 320. apud Eccard. Corpor. Historico medii aeui T. II. p. 334.

ADELBERTVS Moguntinus, Fridericus Coloniensis, Vdalricus Constantiensis, Bucco Wormatiensis, Arnoldus Spirensis per

 Dei

Dei misericordiam Archi Episcopi & Episcopi; V. . . Fuldensis Abbas, *HENRICVS* quoque *Dux*, (*) *Gotefridus Palatinus Comes*, Berengarius Comes de Sulzbach & ceteri vtriusque professionis *Principes, qui exequiis Imperatoris intererant*, venerabili Fratri, *Ottoni*, Babenbergensi Episcopo, hinc fraternas in Christo orationes, etiam fidelissimum deuotae seruitutis obsequium. Postquam Dominus Imperator viam vniuersae carnis ingressus est, & nos exequias eius cum iusta deuotione, & reuerentia compleuimus; ipse ordo rei & temporis qualitas exigere videbatur, vt de statu & pace Regni aliquid conferremus, si non abesset prudentiae vestrae consilium & aliorum Principum tanto negotio vtile & pernecessarium. Quoniam expectare pergraue erat & difficile; sedit omnium nostrum sententiae, si tantum vestrae non displicuerit concordiae, *curiam* in festo Beati *Bartholomaei* apud *Moguntiam celebrare*, & ibidem conuenientibus Principibus de statu & successore Regni, ac negotiis necessariis, prout Spiritus Sanctus aspirauerit, ordinare. Nullum tamen praeiudicium deliberationi & voluntati vestrae facientes, nihil nobis singulare ac priuatum in hac re vsurpamus; quin potius discretioni vestrae hoc adprime intimatum esse cupimus, quatenus memor oppressionis, qua Ecclesia cum vniuerso Regno vsque modo laborauit, dispositionis diuinae prouidentiam inuocetis, vt in substitutione alterius personae sic Ecclesiae suae & Regno prouideat, quod tanto seruitutis iugo a modo careat, & suis legibus vti liceat, nosque omnes cum subiecta plebe temporali perfruamur tranquillitate. Contestamur etiam dilectionem vestram, vt pacem credito vobis coelitus populo infra praescriptum curiae terminum, & vltra ad quatuor hebdomades ordinetis, quatenus omnibus tutior fiat concursus ac reditus, & vt *curialiter*, more videlicet antiquorum Principum, cum propria impensa, neminem pauperem laedentes, conueniatis.

No. XLII.

Incerti auctoris narratio de electione Lotharii Regis. Anno 1125. Ex Hieronymi Pezii Script. T. I. p. 570. sq. & Eccardi Quaternione Monumentor. Veter. p. 46. sq.

In Curia nuper Mogontiae celebrata quid dignum memoria gestum fuerit, qualiter electio Regis processerit, breuiter cartae mandauimus. Congregatis igitur hinc inde Principibus, Legatis scilicet Domni Apostolici, Archi Episcopis, Episcopis, Abbatibus, Praepositis, Clericis, Monachis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus ceterisque Nobilibus, quot & quantos nulla tempore nostro Curia ceperat, vtpote quos non Im-

*) *Fridericus Dux inserit Gretserus.*

Imperialis, vt ante, poteſtas, ſed communis maximi negotii neceſſitas aſciuerat; Prima die Brixinenſis Electus, diſcuſſa electione ſua & confirmata ab omnibus, ab Epiſcopis quampluribus in Epiſcopatum ſolenniter eſt ordinatus. *Saxonum* vero Principes vltra Renum, diſpoſitis in ripa fluminis ſine numero caſtris, honorifice conſederunt, & ſupra eos *Liupoldus* Marchio cum *Duce Bawarico* cum magno militum collegio. Dux autem *Fridericus*, adiuncto ſibi Epiſcopo Baſilenſi, ceteriſque Sweuiae Principibus ac quibusque Nobilibus, e regione ex altera Reni parte conſederant. Et facta ſeorſum Principum collectione non modica, vtpote qui animum iam in Regnum intenderat, & quaſi ſpe certa praeoccupauerat, fingens timorem Mogontinienſium, diſtulit ad Principum venire colloquium: & paratus in Regem eligi, ſed non in Regem eligere, prius explorare volebat, quem ex omnibus Principum aſſenſus promouere pararet.

Conuenientes igitur, praeter ipſum & ſuos, omnes Regni Principes, gratiam Sancti Spiritus hortatu Domini Cardinalis per antiphonam *Veni Sancte Spiritus* inuocantes, primo decem ex ſingulis Bawariae, Sweuiae, Franconiae, Saxoniae prouinciis Principes conſilio vtiliores propoſuerunt, quorum electioni ceteri omnes aſſenſum praebere promiſerunt. Hi itaque tres ex omnibus tam diuitiis, quam virtute animi praeſtantiores, ſcilicet Ducem F. Marchionem Liupoldum, Ducem Lotharium in concione deſignantes, vnum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi perſuaſerunt. Abſente autem Duce F. reliqui duo, qui aderant, oblatum ſibi Regii nomen imperii profuſis lacrimis, genibusque terrae defixis, humiliter renuebant. Hoc itaque magnum decus & memorabile, nec prius auditum, iam noſtro tempore Dominus ſuae conceſſit Eccleſiae, vt laicorum ſcilicet illiteratorum humilitas ſanctiſſima oſtenderit in maioribus non ambiendis, quam pernicioſe clericorum & litteratorum in minoribus, magis tamen ſpiritalibus, ambitio damnoſa deliquerit. Porro Dux F. ambitione caecatus, ſperans ſibi conſequenter reſeruatum, & quaſi indubitanter conferendum, quod a duobus vidit humiliter refutatum, iam ſine conductu vrbem, quam prius cum conductu ingredi metuebat, ingreſſus eſt, & Principum conuentui ſociatus, in Regem eligi paratus aſtabat. Surgens vero Moguntinus Archi Epiſcopus conſulto requiſiuit a tribus praefatis Principibus: vtrum ſine contradictione, ſine retractione & inuidia, ſinguli quoque tertio communiter a Principibus electo vellent obedire? Ad quae verba Dux *Lotharius*, ſicut & pridie, ne ipſe vllatenus eligeretur, humiliter expetiit, & eligendo cuicunque ſe, vt Domino & Imperatori Romano, obedire promiſit. Idem de

ſe Marchio *Luipaldus* publice profeſſus, & Regni ambitionem, & futuri Regis aemulationem ſacramento a ſe remouere volebat. Requiſitus igitur Dux F. vtrum ipſe quoque ſicut & ceteri, ad totius Eccleſiae, Regnique honorem, & liberae electionis commendationem perpetuam, idem quod ceteri fecerant, facere vellet? ſine conſilio ſuorum in caſtris relictorum ſe reſpondere nec velle, nec poſſe, aſſeruit: & quia ad ſe exaltandum Principum animos nequaquam vnanimes vſquequaque perſenſit, conſilium ſuum & aſpectum Curiae iam exinde ſubtraxit. Videntes ergo Principes tantam Ducis ambitionem, tamque violentam quaſi debitae ſibi poteſtatis exactionem, quem ante ſublimationem adeo efferri dominarique videbant, ne quando ſibi praeficeretur, vnanimiter refellebant. Poſtera vero die congregatis in id ipſum Principibus, cum abeſſet Dux F. & cum eo *Dux Bawaricus*; requiſiuit Moguntinus Archi Epiſcopus: vtrum vterque nominatorum in electione Principum, qui aderant, refutata a ſe deſignatione praemiſſa, concorditer & benigne in eligenda quacunque perſona Principum voluntati vellent praebere conſenſum? Quod humiliter & deuote ſimul vtrique laudabant, & quaſi non amplius ſollicitandi, ſed de alio quopiam eligendo ſolliciti, ſimul in vna ſede conſidebant. Proinde cum dimiſſis iam praenominatis Principes admonerentur, vt communicato conſilio diligenti ratione perſonam quaererent, quam ſecundum Deum & honorem Eccleſiae Regno praeficerent, ſubito a laicis quam pluribus: *Lotharius Rex ſit?* clamor exoritur. *Lotharius* rapitur, *Lotharius* humeris imponitur, & Regiis laudibus renitens ac reclamans extollitur.

Principes vero quam plurimi, maximeque *Bawaricae* Prouinciae Epiſcopi, rem tantam inconſulte & impetuoſe factam abhorrentes, & de ſedibus ſuis ſe perturbatos debita cum indignatione conquerentes, ab aliis irati ſecedere, & prorſus a curia infecto negotio recedere parabant. Mogontinus vero cum aliis quibusdam Principibus oſtium, ne quis egrederetur, vel ingrederetur, obſerari praecepit; iſtis Regem ſuum de intus concrepando circumferentibus; illis ad laudem Regis, quem ignorabant, de foris cum ſummo clamore currentibus. Tandem cum Principum diſſenſio iam eo vſque procederet, vt & *Lotharius* de ſua comprehenſione vehementer iratus vindictam peteret, & Epiſcopi pro ſua diſturbatione dolentes erumpere quaererent; Domnus Cardinalis ceterique ſanioris conſilii Principes tumultum illum vix tandem voce manuque ſedantes, vniuerſos ad ſedes ſuas conſiliumque redire perfecerant. Hic Domnus Cardinalis, gratia Domini praeuentus, Epiſcopos ſeorſim conueniens, diſceſſionis culpam in ipſos grauiter intorſit, &, niſi ad pacem & concordiam

cordiam & ipsi redirent, & alios minus doctos sua informatione reducerent, praedam, strages, & incendia & quaecunque mala per discessionem hanc suboritura ipsis adscripsit. Data demum opportunitate loquendi, Salzburgensis Archi Episcopus cum Episcopo Ratisponensi, pro se & honore Regni honestissime differentes, ad concordiam partes transferre laborabant, & sine *Duce Bawarico*, qui aberat, nihil de Rege se diffinire dicebant. Praeterea de inconsulta raptorum vehementia tam sibi, quam rapto pro Maiestatis honore non indebitae grauissima, debitam a primatibus iustitiam exigebant. Vnde factum est, vt praemissa debitae satisfactionis humilitate redirent in gratiam, qui praecipitationis suae culpa concitauere discordiam.

Accito igitur *Duce Bawarico*, iam Sancti Spiritus gratia ad vnum idemque studium animos omnium vnire curabant, & vnanimi consensu ac petitione Principum iam primum *Lotharius* Rex Deo placitus sublimatur in Regnum. Concordantibus itaque in electione Regis vniuersis Regni Principibus, quid iuris regiae dignitatis Imperium, quid libertatis reginae coelestis, id est, Ecclesiae sacerdotium habere deberet, stabili ratione praescribitur, & coeptus vtrique honoris modus Spiritu Sancto dictante praefigitur. Habeat Ecclesia libertatem, quam semper optauerat: habeat & Regnum iustam in omnibus potentiam, quam sibi per Karitatem quaecunque sunt Caesaris sine caede subiiciat: Habeat Ecclesia liberam in spiritalibus electionem, nec regio metu extortam, nec praesentia Principis, vt ante, coartatam, vel vlla petitione restrictam: Habeat Imperatoria dignitas electum libere, consecratum Canonice, regalibus per sceptrum, sine pretio tamen, inuestire solenniter, & in fidei suae ad iusti fauoris obsequium (saluo quidem Ordinis sui proposito) sacramentis obligare stabiliter. Denique Rex L. electus ab omnibus sequenti die in Principum concione consedit. Et primo ab Episcopis vniuersis, scilicet XXIV. qui tunc aderant, & Abbatibus quam plurimis, pro Imperii reuerentia, pro confirmanda Regni ac Sacerdotii vnanimi concordia & pace perpetua, fidelitatem non indebitam de more suscepit; a nullo tamen spiritalium, vt moris erat, hominum vel accepit, vel coëgit. Deinde confluentes hinc inde Regni Principes, fidelitatem suam tam in hominio, quam sacramento Regi Domino firmauerunt, & debitum Regi honorem deferentes, quae Regni fuerunt, a Rege susceperunt. Videns itaque Dux F. contra Dominum non esse consilium vel potentiam hominum, qui tot tantorumque Principum animos contra spem omnium collegit in vnum, tertia demum die, Ratisponensis Episcopi ceterorumque Principum consilio precibusque correctus, ad curiam rediit, & ducentas mar-

marcas, quibus cum Rex prius inbeneficiare promiserat, satis honeste refutans, debitam Regi iam Domino suo reuerentiam exhibuit, & cum eo sic in gratiam & amicitiam tanto stabilius, quanto liberius, rediit. Tandem compositis omnibus, Rex praedictus sub Regiae Maiestatis obtentu pacem firmam in omni Regno Teutonico vsque ad Natiuitatem Domini, & ab inde ad annum vsque quaque communiter indixit: quam si quis infregerit, iuxta cuiusque prouinciae legem atque iustitiam seuerissima vindicta exsoluere debebit.

No. XLIII.

Orderici Vitalis, Vticensis Monachi, narratio de electione Lotharii Romanorum Regis. Anno 1125.

Ex eius Historiae Ecclesiasticae L. XII. apud Duchesne Historiae Normannor. Scriptor. p. 882. seq.

EODEM anno in hebdomada Pentecostes Karolus *Henricus V.* Imperator mortuus est, & Spirae Metropoli Germaniae sepultus. Imperii vero insignia moriens Caesar Imperatrici *Mathildi* dimisit; quibus postmodum, quia nulla soboles illi superfuit, *Lotharius* Dux Saxonum generali plebis edicto intronizatus successit. Maguntinus enim Archi Episcopus, qui potentia & strenuitate pollebat, prouidentiaque sua, ne scisma vel inordinata surreptio Imperii fieret, praecauebat, Episcopos & proceres totius Regni cum exercitibus suis conuocauit, cum quibus vna collectis de Imperatore constituendo tractauit. Insignia siquidem ab Imperatrice procurauerat ornamenta Imperii, antequam de tanto praesumpsisset negotio fari. „Excellentissimi, inquit, Barones, qui adsistitis in hac planicie, me, quaeso, solerter audite, & prudenter intendentes, his quae dicam, obedite. pro commoditate omnium vestrum, „& plurimorum, qui non adsunt, laboro, & nocte dieque anxius cogito. „Multis sermonibus hic modo non opus est. Bene nostis, Imperator „noster sine prole defunctus est: cui Deo fidelis & deuotus, Ecclesiaeque filiis vtillimus successor sapienter inquirendus est. Quadraginta „igitur ex vobis sapientes & legitimi milites eligantur, & seorsum eant, „ipsique secundum fidem suam & conscientiam optimum Imperatorem „eligant, qui merito virtutum Imperio praeferatur, omnique populo sibi „subiecto summopere patrocinetur.„ Sic ab omnibus consensum est. Ibi nempe plus quam LX. millia pugnatorum aderant, & in diuersa nitentes, exitum rei considerabant.

Deniique spectabiles Sophistae, qui de tot militibus segregati fuerunt,

runt, poſt diutinam collocutionem reuerſi dixerunt: „*Fredericum* „Ducem Alemannorum, *Henricum* (*) Ducem Lotharingorum & „*Lotharium* Ducem Saxonum, laudamus, & honorabiles viros Im„perioque dignos praedicamus. Hoc pro certo non peculiari fauore „illecti dicimus, ſed vniuerſali ſalute perſpecta, prout nobis viſum eſt, „aſſerimus. De his tribus, quemcunque volueritis, in nomine Domini „ſumite, quia omnes, vt iam dudum probatum eſt, laudabiles ſunt per„ſonae & merito ſtrenuitatis toti mundo, vt arbitramur, praeponendae.

His auditis, Archi Epiſcopus dixit: „Vos, glorioſi Principes, qui „nominati eſtis, alacriter ite, & de vobis tribus vnum eligite.„ Illi autem: „quemcunque elegeritis, ſubiciemur, in nomine Dei Omnipotentis. Porro, „ſi quis veſtrum a communi diſcrepauerit edicto, decolletur con„tinuo, ne per vnius proteruiam Chriſtianorum perturbetur ſancta con„cio.„ Animoſi praeſulis rigida conditio cunctis formidabilis extitit, nec in tanta multitudine quiſquam contra Praelatum mutire praeſumpſit.

Igitur praetitulati Duces ſeorſum abierunt, & circumſtante legionum corona in medio conſtiterunt, ſeſeque inuicem contuentes, aliquandiu ſiluerunt. Tandem binis ſilentibus, *Henricus* rupit ſilentium primus: „Quid hic ſeniores, agimus? Numquid huc directi ſumus, „vt taciturnitati vacemus? Ingens negotium nobis iniunctum eſt. Non „vt taceremus, ſed vt de maximo bono loqueremur, huc conuenimus. „Iam veſtram ſatis loquelam expectaui. Numquid totum diem tranſige„mus muti? De tractatu nobis iniuncto cogitate, & quid vobis placue„rit, edicite.„ Sociis annuentibus, vt proferret, quid ſibi, qui ſenior erat, placeret: „Optimum, inquit, nunc decet noſtrum eſſe conſilium, „quia amodo ad noſtrum tota Latinitas ſuſpirat arbitrium. Oremus ergo „Dominum Deum, qui Moyſen Hebraeis praefecit, eique victorioſum „ſucceſſorem Ioſuë reuelauit, vt ipſe clemens cooperator nobiſcum ſit, „ſicut fuit cum Samuële ad vngendum in Regem Dauid.„ His ita dictis, *generum ſuum* elegit *Lotharium*. Porro tertius contradicere formidauit, veritus ſententiam, quam Archipraeſul ſanxerat. Deinde ad conuentum reuerſi ſunt. *Henricus* vero, diligenter intentus omnibus, dixit: „*Lotharium Ducem Saxonum*, multis virtutibus adornatum, mi„litia iuſtitiaque in ſublimitate principali iam diu probatum, eligimus in „Regem Alemannorum, Lotharingorum, Teutonum & Baioariorum, „Landgobardorum, & omnium Italiae populorum, & in Imperatorem „Romanorum.„ Ab omnibus auditum eſt, & a pluribus libenter conceſſum eſt.

*) Huius tamen nominis Dux Lotharingiae vel Brabantiae hoc tempore non vixit.

Tunc Primas & Ordinator huius collectae fuit, vt dixi, Archi Episcopus Maguntiae, qui mox iussit, vt omnes summi proceres, antequam de illo campo migrarent, in conspectu omnium, *Lothario* mox homagium facerent. Protinus gaudens *Henricus*, & moerens *Fredericus*, & omnes post illos praecipui Magnates, coram *Lothario* genua flexerunt, homagium illi fecerunt, eumque Regem & Augustum sibi praefecerunt.

Dissoluto conuentu exercitus Frederici super Lotharium irruit, ipsumque & plurimos de parte illius vulnerauit, & terga vertentes fugauit. Fredericus enim armatorum fere XXX. millia secum adduxerat, quia timore vel fauore sese Regem fore autumabat. Sed quia probi Pontificis ingenio praeuentus, vt dictum est, velle suum perpetrare nequiuit; per Conradum fratrem suum maximam postmodum guerram fecit. Lotharius tamen, auxiliante Deo, praeualuit, meritoque strenuitatis & religionis laudabilis iam X. annis regnauit.

No. XLIV.

Traditio Wulfhildis Ducissae, ad hospitale Hildensemensis Ecclesiae. Anno 1106. circiter.

Ex veteri Codice.

WOLFHILT, filia Ducis *Magni*, cum consensu mundiburdi sui *Henrici*, dedit pro remedio animae suae *Dindinberch* (*) ad Hospitale in Hildensem, cum omnibus illis impensis, quibus patri suo seruitium ad duos dies plenarie datum est, id est, sedecim magnis porcis & duobus mediocribus, vnum solidum bene valentibus; & totidem porcellis, cum sedecem gallinis, & totidem caseis, & C. & XX. ouis, & magno *bachone* (**) cum suis intestinis, & cado faginimis, & IIII^or^. cadis mellis, & sex malteris tritici, & decem siliginis maioris mensurae, & nonaginta modiis *bracii* (***) minoris mensurae, CC. & XL. modiis auenae & IIII^or^. numis ad offerendum, & lignorum, & salis, vicariorum, (****) ollarum, scutellarum, quantum opus fuerit. Insuper illi, qui in ipsa fraternitate sunt, ad Hospitale in eodem loco emerunt mansum vnum, singulis annis duos solidos valentem.

No. XLV.

*) In necrologio Hildensemensi, quod excitauimus, appellatur *Thurthebere*, corrupte, vt puto.

**) Vocabulum in patria mea & terris Rheno vicinis *aprum* denotat; nescio an & in terris Saxonicis.

***) Bracium far tostum, vt humulus lupulum coquendae cereuisiae necessarium scriptoribus medii aeui significat. Quod ignorauit Pistorianae collectionis nouissimus editor, qui omnibus expensis, per humulum vitulum intelligendum esse tradit, ridiculo prorsus errore.

****) Mallem *cicariorum*, vt leguminis genus intelligatur, quod *ciceres* vocamus, a quibus Ciceronum nomen ortum volunt.

No. XLV.

Henricus Niger ad Monasterium Weihenstephan decimas sex mansuum pro anima donat.

Anno incerto. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 329.

NOTVM sit praesentibus & futuris qualiter *HEINRICVS* Dux Bauariorum, frater *WELFONIS*, rogatu ac consensu Domini Wolfrigel de Buren, decimas sex hubarum, quibus apud *Gurchingen* (*) eundem inbeneficiauerat, pro remedio animae suae, super altare Sancti Quirini Sanctique Stephani & praedicto posito loco, potenti manu dederit.

Huius rei testes sunt:

Riwin & frater eius Habart de Buren.

Ebermunt & filius eius Amelrich, & filius eius Otloch.

Ezzo.

Perhtold de eadem villa.

Richer.

Reginpert de Lattersheim.

No. XLVI.

Notitia de Cruce aurea plurimis Reliquiis referta, per Wulfhilden Bauariae Ducem Constantinopoli impetrata, postea ad Cappenbergenses in Westphaliam delata.

Ex veteri charta Cappenbergensi, inserta Actis Sanctorum mensis Ianuar. T. I. p. 844.

NOSCANT vniuersi congregationis nostre fratres, quod imperante Henrico IV. fuit matrona quedam prenobilis, nomine *VLHILDIS, mater HENRICI Ducis de Bauaria, qui filiam LOTHARII Imperatoris duxit in coniugem.* Hec matrona clarissima mittens ad Imperatricem Constantinopolis, materteram suam, petiuit sibi dari portionem aliquam de multiplicibus, quibus illic abundare solent, reliquiis. Cuius illa acquiescens precibus, inter cetera transmisit *crucem auream*, cum gemmis & catenulis aureis; in qua reclusus est sanguis naturalis de corpore Christi effusus, in tribus panniculis conglutinatus: capilli Domini nostri Iesu Christi: pars Crucis Christi: particula de tunica Domini: lacryme, que fluxerunt de corde Marie matris Christi: crines Beate

Qqq 2

*) Gruchingen, hodie Gruking, quod est villa prope Aerding, inter Semptam & Strognum fluuios posita.

Beate Marie; flores Beate Marie quos in manu habuit, dum Angelus ei Christi Incarnationem nunciauit: de vestibus eiusdem beate Virginis: capilli, crines & barba Sancti Ioannis Euangeliste: in tribus panniculis abundantur de sanguine B. Ioannis Baptiste: & reliquie S. Augustini & S. Catharine.

Huius *Vlbildis* filiam, nomine *Iuttam*, Fridericus Sueuorum Dux, duxit vxorem, obtinens cum filia crucem prefatam, quam in omnibus bellis collo suo appendit, propter victorias, quas consecutus est per eam. His ita gestis factum est, vt Comites de Capenberg, *Godefridus* & *Otto*, relictis omnibus, Christi se iugo subiicerent: & habentes iuxta Sueuiam castra duo multum solemnia, (*) Ministeriales plurimos, & mansos ad duo millia; hec *Friderico* Duci prefato, cognationis gratia, quia horum Comitum auia & huius mater sorores (**) erant, benigne tradiderunt: quibus pro debita recompensa, licet modica, Dux idem Sueuorum quadringentas reddidit marcas & Crucem memoratam; quam iam dicti Comites incomparabiliter acceptabant libentius pecunia iam prescripta. *Norbertus* autem initiator ordinis nostri, & primus Ecclesie nostre Pater, per pecuniam huiusmodi in Curia Romana confirmationem obtinuit nostri ordinis vniuersi. Has igitur reliquias venerabilis *Otto*, Comes olim, & tertius Ecclesie nostre Prelatus, quia precipuus B. Ioannis dilector, ad nos letabundus deduxit, reponens eas in capite deaurato: a quo successores eius cum cruce separabant easdem. Crucem igitur predictam auream cum gemmis & catenulis aureis, & reliquiis memoratis, Ego *Otto* Comes iam dictus, cum pie memorie fratre meo *Godefrido*, Capenbergensis Ecclesie deuotus fundator, toti Congregationi Capenbergensi conseruandam in ea fide committo, qua Christus matrem suam sanctissimam charo suo Ioanni in cruce pendens commendauit.

No. XLVII.

Notitia dedicationis Altarium in Brunsuicensi S. Blasii Ecclesia, ex Plenario, quod Hanouerae inter sacras reliquias asseruatur.

PRINCIPALE altare dedicatum est a beato Godehardo. hildenemensi episcopo. In honore Domini nostri Iesu Christi. & sancte Crucis. & sancte Marie virginis. & sancti Iohannis baptiste. & Apostolorum Petri. & Pauli. & sanctorum martirum. Blasii. Pantaleonis. Cosme:

*) Creinekke & Hilderadehusen vocantur in Vita §. 62. p. 855.

**) Eadem Vita l. c. ait: *nam ipsius* (scilicet Friderici) *& horum Comitum auiae sorores fuerunt.*

Cosme. Damiani. Tiburtii. Valeriani. Ciriaci. & sanctorum Confessorum. Siluestri. Martini. Epiphanii. & sanctarum virginum Cecilie. Benedicte. Leuthrudis. & abplurim. mart. Confes. virg.

Septentrionale dedicatum est ab eodem presato episcopo G. in honore sancte Marie. Cecilie. Benedicte. Margarete. Iuliane. Verene. & Pancrat. mr. & al.

Australe altare dedicatum est a venerabili Hunoldo merseburgensi episcopo. In honore sanctorum mart. Stephani. Sixti. Donati. Bonifacii. & sanctorum conf. Anastasii. Othelrici. & aliorum plurimorum mr. cf. virg.

Altare in media ecclesia dedicatum est a venerabili Hecelino. hildenemensi episcopo. In honore Domini nostri Iesu Christi. & victoriosissime Crucis. & sancte Marie virg. & sanctorum Apostolorum Iohannis. & Iacobi. & sanctorum martirum Abdon. Sennes. Iohannis. Pauli. Cosme. & Damiani. Sebastiani. Secundi. Hermagore epi mart. Mauricii. Victoris. Georii. Pancratii. Marcellini. Petri. Luciani. Blasii. Feliciani. Primi. Valentini. Vincentii. Germani. Crisogoni. Et sanctorum Conf. Benedicti. Augustini. Ilarii. Willehadi. Ieronimi. Anskarii. Et sanctarum virg. Agnetis. Lusine. Sophie. & al. plurium.

Altare in septentrionali parte monasterii dedicatum est a venerabili episcopo mindenensis ecclesie Brunone. In honore sancti Clementis. & Marcelli. Mr. & sanctorum Martini. Bricii. Vuillibrordi. Conf. & al. plurium.

In australi parte dedicatum est altare ab eodem episcopo Brunone. In honore sanctorum Mauricii. Cassii. Florentii. Gereonis. Victoris. Georii. Xpofori. Theodori. & aliorum plurimorum mr. cf. virg.

Oratorium in turre in australi parte dedicatum est ab eodem episcopo Brunone. In honore sancti Michahelis Archangeli. & sanctarum virginum Gerdrudis. Scolastice. Mathelberte. & aliorum plurimorum m. cf. virg.

Oratorium in septentrionali parte turris dedicatum est ab episcopo venerabili Folchuuardo brandeburgensi. In honore sancti Gabrihelis Archangeli. & sanctorum Geruasii. Protasii. Georii. Mart. & sancti Iacobi. Confessoris & sanctarum Emerenciane. Waltburge. virg. & al. plur. Mart. cf. virg.

No. XLVIII.

Titulus antiquiſſimi Euangeliorum libri, cuius tegumentum ſuperius ſacris reliquiis refertum.

philippi iacobi apl'orum	ſtephani pape & mart.	fabiani ſebaſti-ani mart.

viti martiris	petri apl'i	de veſtimentis marie	Xpofori matiris	marie magdalene

Anno Dni milleſimo trecenteſimo ſexto renouatũm eſt plenarium iſtud in quo ſeruantur iſte reliquie ſuis locis circumſcript——e.

abdon mar.	bndicte virginis	lucie virginis	walburgis virginis	XI milium virginum

menne mar.	de ligno Domini	cancianille virginis

No. XLIX.

Lotharius Imperator confirmat venditionem curtis Abbenrod in pago Hartingow in Ducatu Ducis Henrici generi ſui ſitam. Anno 1129. Ex Mader. Antiquit. Brunſuic. p. 227.

IN nomine Sanctae & indiuiduae Trinitatis. *LOTHARIVS* tertius diuina fauente clementia Romanorum Rex. Notum facimus omnibus, quod *Fridericus*, Palatinus de *Putelendorf*, cum conſenſu *Agne-*

Agnete, vxoris ſue, & *Friderici*, filii ſui, & omnium heredum ſuorum, vendidit *Gerbardo* de *Lochtenem* hereditatem ſuam, videlicet totam curtem, *Abbenrod* dictam, in pago *Hartingo* ſitam, in Ducatu *Ducis HENRICI*, cum omnibus attinentiis, agris, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis aquarumue decurſibus, viis, inuiis, exitibus & reditibus, adhec queſitis & futuris temporibus inquirendis, cum omni vtilitate exinde quouis modo percipienda, hac interpoſita ratione, vt predictus Geuehardus in poſterum liberam & plenam de bonis iſtis ſtatuendi, vendendi, commutandi, donandi vel ſucceſſoribus ſuis relinquendi, &, quicquid ipſi placuerit, de iis faciendi habeat facultatem. Poſtquam igitur preterlapſo tempore predictus *Fridericus* Palatinus defunctus eſt, *Agnes* vxor ſua, & *Fredericus* filius ſuus, in noſtra preſentia hanc emtionem & ceſſionem predicto Geuehardo recognouerunt, & eam cum conſenſu *Ludouici* de *Wippere*, ſub cuius mundiburdio erant conſtituti, confirmarunt. Nos vero, exigente illud iuſtitia, noſtraque beneuolentia, propter fidele ſeruitium eius & multorum interceſſionem fidelium noſtrorum illud autoritate regia noſtra ſtabiliuimus & confirmauimus. Vt igitur nemo impoſterum & ſempiternis temporibus factum illud immutare audeat ſiue preſumat conuellere, hanc literam conſcribi & ſigillo noſtro confirmari iuſſimus.

Huius rei teſtes ſunt:


Archi Epiſcopi: Moguntinus; Adelbertus Bremenſis; Nortbertus Magdeburgenſis; Conradus Saltzburgenſis.

Epiſcopi: Bertholdus Hildesheimenſis; Siueridus Mindenſis; Ecbertus Monaſterienſis; Bernhardus Paderbornenſis; Vdo Citicenſis; Meingotus Merſeburgenſis.

De Laicis: Fredericus Palatinus Comes de Someriſchenberg. Hermannus Landgrauius. (*ſine dubio Wincenburgicus.*) Cunradus Marchio. Adelbertus Marchio. Comes Sifridus de Homborg. Vdo. Ludouicus. Conradus de Plotzke. Burcardus de Lucca. Buccardus de Werdere. Albertus de Werningerode. Ludolfus de Valckenſtidde. (*forte* Valckenſteine.) Henricus Wipert. Widekindus de Sualenberg. Burchardus de Cunradesberge. Wernerus de Veltheim. Marquardus de Ordio. Conradus de Eickſtedde. Gero Stochenſche. Ekenhardus de Wegenleue. Wernerus de Quenſtede. Hermannus & Otto Milites.

De Miniſterialibus & Seruis: Ludulfus de Dalem. Willerus. Odalricus

ricus. Ludericus. Volcwardus. Theoderici ambo de Tingelſtede. Arnoldus de Anderbike, Theodericus de Heſſenem & Gerhardus & plures alii, qui hoc audiuerunt & viderunt.



Signum Domini Lotharii III. Dei gratia Romanorum Regis inuictiſſimi.

Ego Tietmarus Regis Notarius ad vicem Adelberti Archicancellarii recognoui.

Dat. Id. Iun. Anno Incarnat. Dominice MCXXIX. Indict. VII. Anno vero Regni Lotharii III. Romanorum Regis IV.

Actum Goslarie in Dei nomine Amen.

No. L.

Richenzae Auguſtae Bruno Argentinenſis Epiſcopus gratias agit, quod per eam cathedrae ſuae reſtitutus ſit. Anno 1129. Ex Dn. Hergotti Genealog. Habsburg. T. II. p. 151. & Vdalrici Babenberg. Codice Epiſtolari ap. Eccard. T. II. Corp. Hiſtor. med. aeui p. 362.

Reginae ſereniſſimae, Dominae ſuae ſemper Auguſtae, Bruno Dei gratia id quod eſt fidele ſeruicium & deuotas orationes. Quantas & quales valeo gratiarum actiones ſerenitati veſtrae refero, quod materna pietate preſſuris & laboribus meis ſubueniſtis, & a perſequentibus & calumniantibus me eruiſtis & ſedem dignitatis meae iniuſte mihi ereptam ſuffragio veſtrae pietatis reſtituiſtis. Vobis itaque poſt Deum debeo, quicquid ſum, quicquid valeo; in tranquillitate & aduerſitate, magnus ſeu modicus, ſemper veſter ero. Multas etiam gratias pro Domino N. benignitati veſtrae refero, quod, vt ſpero & certus ſum, in hoc & Eccleſiae prouidiſtis, & Regno veſtro plurimum conſuluiſtis. Vobis itaque, benigniſſima mater puſillorum Chriſti, fideliter ſuggero, quatenus Sanctae Romanae Eccleſiae grauiter laboranti precibus & eleemoſinis & omni, qua valetis, virtute ſubueniatis. Si forte Dominus, qui vos prouexit in Regnum, qui dedit patribus noſtris ſalutem in manu feminae, dignetur per piiſſimas lacrymas veſtras eccleſiae pariter & regno conſulere. De *Nurenberc* quoque diſcretionem veſtram moneo, quatinus aut per vos aut per idoneos legatos, quod laudatum & iuratum eſt, requi-

requiratis, & causam nostram in partibus illis diffiniatis. Ego quippe cum scorpionibus habito, & frui vestra praesentia, nisi me mea & vestra negotia detineant, plurimum desidero. Sed, Deo propitiante, tam mei, quam vestri scorpiones & aduersarii in proximo conculcabuntur & peribunt & adnichilabuntur. Quid vero Deus a die discessionis vestrae per meam exiguitatem Regno vestro contulerit, litteris & legato cognoscere poteritis. Meos itaque labores & omnia mea vestrae tutelae ac patrocinio committo.

No. LI.

Bruno Argentinensis Episcopus Lotharium Caesarem certum reddit de rebus Alsatiae, & quid actu opus esse existimet. Anno 1127. Ex. Cod. Vdalrici Babenberg. l. c. p. 362.

LOTHARIO gloriosissimo & victoriosissimo Romanorum Regi Dei gratia semper Augusto, *Bruno* Dei gratia id quod est fidele seruitium ac deuotas orationes. Inter multas & grauissimas Imperii & ecclesiae ruinas ad vos specialiter respiciunt oculi seruorum vestrorum, sub graui pressura & multis suspiriis expectantium quid vestra maiestas deliberet, quid decernat; quo ingenio, qua auctoritate scissurae sanctae matris ecclesiae subueniat. Et quoniam non ambitione vel tyrannica persuasione, sed diuina dispositione Regni culmen ascendistis, nostra paruitas vestrae suggerit excellentiae, quatinus in hoc tam magno negotio christianissimae coniugis vestrae, Dominae nostrae Reginae & religiosorum virorum consilium habeatis. Ea vero, quae circa nos sunt, serenitati vestrae intimamus, quoniam Deo propitio in vestro seruitio sani & incolumes sumus, &, quantum possumus, pro honore vestro laboramus. Itaque Comites N. & N. vestro seruitio asciuimus, & fide ac sacramentis & obsidibus acceptis, pro captu humani ingenii, quantum potuimus, constrinximus. Castrum quoque N. licet cum aliquanto labore, Deo auxiliante, pro vestro tamen consummauimus honore. Praeterea Comes N. vna nobiscum vestram certificat excellentiam, quod vita comite nostra ciuitas cum tota prouincia sub fidelitate firmissima in vestro seruitio permanebit. Mandat etiam discretioni vestrae, quod de constituenda munitione N. sicuti vos praecepistis, cum ceteris vestris ministerialibus laudauit. Idcirco adhuc remansit, quare ipsis & reliquis vestris fidelibus magis necessarium visum est, castra inimicorum vestrorum euertere & extirpare, ac tunc sicut beneplacitum vobis fuerit, in omnibus obtemperare. Vestram igitur serenissimam maiestatem suppliciter

exoramus, vt propitio ac paterno affectu super nos & ecclesiam Argentinensem respiciatis, & si quis delatorum sinistrum quid vobis suggesserit, non illius verbis, sed nostris operibus credatis.

No. LII.

Adelbertus Archi-Episcopus Moguntinus Ottoni Bambergensi Episcopo nuntiat excommunicationem Ducis Conradi, Regni inuasoris. Anno 1127. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. l. c. p. 350.

A. Dei gratia Monguntinus Archi-Episcopus, & apostolicae sedis Legatus venerabili fratri O. Babenbergensi Episcopo, salutem in Domino. Excommunicationem, quam, communicato fratrum & principum consilio, in *inuasorem Regni* (*) fecimus, iam dudum fraternitati vestrae per literas nostras significauimus. Sed quoniam dubitamus, vtrum ad vos peruenerint literae; audiuimus enim, quod ecclesia vestra velit eas ignorare; mittimus iterum praesentes apices, monentes, vt, quod fecimus nos, & vos faciatis, & per omnes ecclesias vestras ipsum *iniquitatis auctorem* cum fautoribus suis a communione Christiana, & omni diuino officio arceri praecipiatis.

No. LIII.

Senatus Romanus Lotharium Regem Romam inuitat ocyus, ne aemulus Conradus ei Longobardiam praeripiat. Anno 1128. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. l. c. p. 358.

LOTHARIO, Illustri & glorioso Romanorum Regi, Consules Romani & alii Principes salutem & prosperitatem. Nos in seruitio & fidelitate beati Petri & Domini Papae *Honorii* persistimus, & quod placet ei, amamus. Certis autem experimentorum rationibus agnouimus, quod ipse vera in Domino caritate personam tuam diligit, & ad honorem tuum manutenendum & exaltandum affectu paterno intendit. Quamobrem nos de exaltatione tua ad regnum gaudemus, hoc optantes,

*) Iesuita Gretserus, qui bonam epistolarum Vdalrici Babenbergensis partem Diuis suis Bambergensibus subtexuit, in nota marginali Henricum V. Imperatorem hic intelligi autumat. Sed is Regnum non inuasit. Intelligo igitur potiori iure Conradum Hohenstaufium, ab Henrico PP. II. & iussu eius ab Adelberto Moguntino, Apostolicae Sedis Legato, sacris interdictum, quod Regnum inuaderet, Lothario Regi Auctore Pontifice Maximo & suffragiis Principum Germaniae legitime delatum.

optantes, vt quod de te bene incoeptum eſt, citius, annuente Deo, perficiatur. Vnde ſupra tarditate tua ſatis miramur. Hac ſiquidem occaſione *Conradus*, ille, Longobardiam ingreſſus, Regnum Italicum nititur occupare. Eapropter praeſentibus literis prudentiae tuae mandamus, quatinus, aliis omiſſis, omni occaſione ſepoſita, proxima ventura hyeme ad praeſentiam Domini Papae venias, ab eo dignitatis plenitudinem & honorem Imperii, praeſtante Domino, recepturus. Nos interim diligenti ſtudio operam dabimus, quatinus populus Romanus ad te, ſicut decet, honorifice ſuſcipiendum ſit paratus.

No. LIV.

Lothario Regi ex Italia nuntiatur in fide conſtantia plurium ciuitatum, ſimul res afflictae Conradi Longobardiae Regnum affectantis. Anno 1129. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. l. c. p. 361.

DOMINO ſuo Lothario, Dei gratia Romanorum Regi Auguſto, L. Nouarienſis eccleſiae ſeruus ſeruitii pro facultate conſtantiam & perpetuam de inimicis victoriam. Benedictus Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vias iuſtitiae veſtrae proſpexit, & triumphum de inimicis veſtris, vt relatione multorum accepimus, miſericordia ſua vobis conceſſit. Speramus enim quod vexillum totius eccleſiae nobiſcum triumphauit & victoria pacis adepta, inimicorum colla ſubſtrauit. Ideoque excellentia veſtra pro certo cognoſcat, quod Nouaria, Papia, Placentia, Cremona & Brixia, ciuitates Italiae, firmiter fidelitatem veſtram cuſtodiunt, & aduentum veſtrum vnanimiter cupiunt. *Cunradus* autem, *Mediolanenſium idolum* ab eis tamen relictum; qui arrepta fuga ſolum Parmae habet refugium; vbi tamen pauper, tamque paucis ſtipatus viliter moratur, quod ab vno loco ad alium vix fama eius extenditur. Nos itaque pro fidelitate veſtra, quam ſemper ſeruare volumus, cum inimicis veſtris participare nolumus, quorum maliuolentiam magnam incurrimus. Quibus penitus reſiſtentes, parati ſumus, in quibus vobis placuerit, ſeruire & iuſſionibus veſtris per omnia obedire. Vnde, ſi placet, certitudinem aduentus, de quo multum gaudebimus, nobis ſignificare dignemini.

No. LV.

Teste Henrico genero Lotharius Imperator probat fundationem Monasterii Vndesdorfensis factam ab Ottone, Ottonis I. Bauariae Ducis patre. Anno 1130.

Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. 3. p. 303.


IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis *Lotharius* diuina fauente clementia Romanorum Rex. Pauperibus Christi subuenire, & Deo in omnibus deuote seruire, est regnare. Quapropter omnium Dei nostrique fidelium tam praesentium, quam futurorum nouerit industria, qualiter nos traditionem, ab *Ottone* de *Vndenstorf* de praedio suo ibidem sito factam, regia potestate & autoritate confirmauimus, confirmatamque corroborauimus. Haec traditio sic facta est: Ipse *Otto* praescriptus totum praedium suum *Vdenstorf*, quod situm est in Episcopatu Frisingensi, & in Comitatu Hartuici de Kregelingen, Christi pauperibus ibidem sub regula S. *Augustini* militantibus, in proprium tradidit, & de suo iure & dominio in ius & dominium eorum penitus transfudit, remota omni contradictione, cum omnibus ad idem pertinentibus, cum areis, aedificiis, terris, cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, syluis, aquis, aquarumue decursibus, molis, molendinis, viis & inuiis, exitibus & reditibus, quaesitis & inquirendis, seu cum omni vtilitate, quae aut scribi aut nominari potest. Haec traditio vt stabilis & inconuulsa omni tempore perseueret, nos hanc chartam, praesentibus Principibus & Episcopis & Laicis.

Cunrado scilicet Salisburgensi Archi Episcopo.
Chunone Ratisponensi Episcopo.
Ottone Bambergensi.
Gebhardo Eistetensi.
Reginmaro Patauiensi.
Hermanno Augustensi Episcopo.
Hainrico, Duce Bauariae.
Vdalrico Duce Bauariae; *forte legendum* Bohemiae.
Engelberto Duce Carinthiae.
Ottone Palatino Comite.
Dieboldo Marchione.
Engilberto Marchione.
Eckhardo Comite de Dachaw.
Berchtoldo Comite de Andechse.

Adal-

Adalperto Comite de Pogen, & aliis quam plurimis, inde iussimus scribi, subtusque manu propria corroboratam, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Acta sunt haec anno Dominicae incarnationis MCXXX. Indict. VII. in Curia Ratisponae feliciter, Amen.

Signum Lotharii Regis  Romanorum inuictissimi.

No. LVI.

Henrici Superbi opera monasterium Munchmunster in Dioecesi Ratisbonensi in integrum restitutum iam Anno 1131. agnoscit Conradus III. Anno 1141.

Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. 2. p. 359.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *Chunradus* diuina fauente clementia Romanorum Rex secundus. Aequitas iustitiae & Regni authoritas nos admonet, omnium quidem vtilitati prospicere, maxime vero fidelium Christi vota modis omnibus promouere & adiuuare. Quapropter notum esse volumus omnibus Christi nostrisque fidelibus, tam futuris, quam praesentibus, qualiter Monasterium quoddam in Episcopatu Ratisponensi situm, Monasterium quoque nomine dictum, amplis antiquitus & magnis possessionibus fuerit dilatatum. At postmodum peccatis exigentibus, & malis diebus superuenientibus, ad id redactum est, (*) quod expulsi monachi, possessiones distractae, vel inbeneficiatae, pruilegia disrupta, & intus ac foris ita omnia distracta sunt, quod pro multis monachis vix pauci & pauperes clerici remanserint. Quem locum diuae memoriae *Lotharius* Imperator de manu *Heinrici* Bauarici *Ducis*, & *Dietpaldi* Marchionis, sub Imperialem iurisdictionem denuo recepit, & interuentu beatae memoriae *Ottonis* Bambergensis Episcopi idem monasterium & ordinem monasticum ibidem antiquitus institutum regio authoritatis priuilegio confirmauit. Nos igitur ob amorem Dei & beati Petri Apostoli quicquid ab ante iam dicto praedecesso-

Rrr 3 re

(*) Sub Arnulfo malo, Bauariae Duce, in cuius ius successerat Henricus Superbus, a quo Otto Bambergensis Episcopus locum & parochiam auri & argenti pretio comparauit, impetrato Lotharii Imperatoris priuilegio Anno 1131. l.c. p. 358.


re nostro Imperatore iuste & rationabiliter factum est, praesentis scripti pagina roboramus & ratum atque inconuulsum omni aeuo manere decernimus. Imprimis vt ordo monasticus, qui in eodem monasterio a primis diebus noscitur institutus, futuris perpetuis temporibus ibidem integer conseruetur. Deinde vt quolibet eiusdem loci Abbate defuncto, fratres ibidem constituti secundum regulam beati Benedicti liberam electionis habeant potestatem. Postremo vt nullus Archi Episcopus, Dux vel Marchio, Comes aut Vicecomes, vel aliquis alius, aduocatiae aut cuiuslibet rei occasione, idem Coenobium temere perturbare, familiam Ecclesiae iniustis exactionibus fatigare, possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, dare, vendere, vel fratrum vsibus quolibet modo alienare praesumat. Concedimus autem fidelibus nostris, quicunque a nobis eiusdem Ecclesiae bonis, agris, vineis, seu mancipiis inbeneficiati sunt, vt, si forte his ob spem retributionis diuinae carere voluerint, seruis Dei, qui in ipso loco habitant, consultis, nobis de cetero profutura dimittant, quatenus & Regnum nostrum suo iure minime priuetur, & illorum inopia ex nostra abundantia suppleatur. Si qua igitur persona temeraria huius Decreti nostri statutum violauerit, conditionis suae dignitate careat, & libras quinquaginta auri purissimi componat, quarum dimidietatem Camerae nostrae appendat, reliquam vero partem praefato monasterio persoluat. Vt autem haec nostra corroboratio firma & inconuulsa omni permaneat aeuo, hanc chartam inde scribi & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, manuque propria, vt infra apparet, corroborantes testes, qui praesentes aderant, subter notari fecimus. Quorum nomina sunt haec:

Theodewinus sanctae Rufinae Episcopus, Apostolicae Sedis Legatus.
Heinricus Ratisponensis Episcopus.
Gebhardus Eychsstatensis Episcopus.
Otto Frisingensis Episcopus.
Luipaldus Dux Bauariorum.
Dietpaldus Marchio.
Otaker Marchio de Stire.
Heinricus frater Regis.
Otto Palatinus.
Otto praefectus (*) & filii eius Heinricus & Otto.

Frideri-

*) Vrbis Ratisbonensis, frater Episcopi Henrici & Comes de Wolfrateshausen.

Fridericus Ratiſponenſis Aduocatus.
Godefrid de Weterenuelt.

Signum Domini Cunradi  Romanorum Regis ſecundi.

Et ego Heinricus Notarius, Vice Archicancellarii Adelberti Moguntini Archi Epiſcopi, recognoui.

Anno Dominicae Incarnationis M.C.XLI. Indict. IV. Regnante Cunrado Romanorum Rege II. Anno vero Regni eius IV.

Actum Ratiſponae feliciter, Amen.

No. LVII.

Lotharius Saxo Magdeburgenſi Archi Epiſcopo Norberto dat Abbatiam in Alsleue ad Salam fluuium, & ab eo recipit caſtrum Scartfelde in Montanis Hartz.

Anno 1130. Ex vetuſto diplomatario MSct.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. Lotharius tertius Dei gratia Romanorum Rex. Quoniam diuina clementia Regni nobis commiſit gubernacula; eccleſias Dei reſtaurare, exaltare atque corroborare iuſtum ducimus. Quapropter notum eſſe volumus omnibus Chriſti fidelibus tam futuris, quam preſentibus, quod ob diuinum amorem, & kariſſime noſtre coniugis *Rikce*, dilectique ac fidelis noſtri, venerabilis Magdeburgenſis Archi Epiſcopi *Norberti* petitionem, eccleſie, in honorem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ſanctorum martirum Mauricii ſociorumque eius, in Magdeburch conſtructe, legitimo concambio commutauimus & tradidimus *abbatiam* quandam, *Alsleue* nuncupatam, plurimum tam in interioribus, quam in exterioribus dilapſam, in ripa fluminis, *Sala* nominati, ſitam, cum omnibus ad eam pertinentibus quocumque modo, animatis & inanimatis, mobilibus ſeu immobilibus, acquiſitis & acquirendis, queſitis & inquirendis. Econtra vero a prefato fideli noſtro Magdeburgenſis eccleſie Archi Epiſcopo *Norberto*, per manum Henrici eiuſdem vrbis prefecti, in concambium ad vſum regni ſuſcepimus caſtrum quoddam, *Scartuelt* nominantum, in montanis, que *Hartz* dicuntur, ſitum, cum omnibus ſuis pertinentiis. Vt itaque


itaque hoc concambium & hec nostra traditio, omni contradictione sublata, iugiter perseueret inconuulsa, priuilegium hoc inde conscribi, & nostre imaginis ac sigilli impressione iussimus corroborari.

Huius autem rei testes presentes affuerunt hi subscripti:

Norbertus supra nominatus Archi Episcopus. Vdo Cizensis Episcopus. Anselmus Hauelbergensis Episcopus. Bernardus Hildesemensis Episcopus. Obertus Cremonensis Episcopus. Gerardus Cardinalis, Anselmus Cardinalis. Albero Abbas de Nuenburch. Arnolphus Abbas de Monte. Fridericus maioris domus Praepositus. Bodo Magister Scolarum. Lampertus Prepositus de Halla. Vngerus Presbiter. Anthonius Presbiter.

Ex Laicis: Principes, Heinricus prefectus prefate vrbis. Fridericus Palatinus Comes. Conradus Marchio de Within, item Marchio Conradus de Plotzeca. Ludouicus Comes Turingie. Sifridus Comes. Florencius Comes de Hollant. Ludolphus de Weltingerode. Bernardus Vicedomius de Hildensem. Widechinus de Schwalenberch. Hademarus. Conradus.

Signum Domini Romanorum



Lotharii tercii Dei gratia Regis inuictissimi.

Ego Tidmarus ad vicem Adalberti Archicancellarii recognoui. Actum Goslarie Non. Febr. Anno Incarnacionis Dominice M.C.XXX. Indictione VIII. Anno vero Domini Lotharii, ex quo regnare coepit, VI.

No. LVIII.

Rudolphus Comes Stadensis suam partem oppidi Alsleue dimittit Ecclesiae Magdeburgicae.

Anno 1142. Ex Diplomat. Magdeburg. MSCto.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. Conradus Dei gratia Sancte Magdeburgensis Ecclesie Archi Episcopus. Quoniam iuxta diuine legis mandatum datis eleemosynis peccata redimuntur, notum esse volumus presentibus & futuris, qualiter Comes *Rodolfus*, quicquid in villa *Alesleue* hereditario iure possedisse videbatur, tertiam videlicet partem

partem fori cum areis, & tertiam partem Foresti, ob satisfactionem offensae Dei & Sancti Mauricii, pro remedio anime sue, presente & collaudante fratre suo *Hartwico*, Canonico Magdeburgensis Ecclesie, prefato Sancto Mauricio tradidit. Preterea si quippiam querelae in eodem castro *Alesleue* seu in Aduocatia super Abbatiam, que in eodem castro sita est, vel in Ministerialibus, visus est habere, hoc ipsum quoque consensu prenominati fratris sui plenarie & penitus renunciauit, & his presentibus testibus confirmauit:

Episcopo Anselmo Hauelbergensi. Episcopo Wigero Brannebургensi. Arnoldo Abbate de Sancto Iohanne. Gerardo Preposito maioris Ecclesie. Fritherico custode eiusdem Ecclesie. Folcoldo Vicedomino. Euermodo Preposito de Sancta Maria. Ottone de Gratia Dei.

Principibus quoque & Nobilibus, Conrado Marchione. Fritherico Palatino Comite. Burchardo Comite ciuitatis Magdeburgensis. Ludouico de Wippra. Guncelino de Crozuch. Ottone Comite de Hildesleue. Burchardo de Conradesburc. Waltero de Arnestede. Alberico de Wenzleue. Athelhelmo de Burch. Euerhardo de Thilnis. Erico de Ottersleue. Sifrido de Schwanebeca.

Ministerialibus autem Hathemaro, Richardo, Sifrido, Rotberto, Giselberto, Walebruno, & ceteris quamplurimis.

Vt autem hec omnia rata & inconuulsa permaneant, sub anathemate confirmauimus, vt, si quis aliquid horum aliquo ausu temerario infringere presumpserit, & semel iterumque commonitus non cessauerit, sententiam damnationis cum Iuda apostata sustineat, & a corpore & sanguine Domini alienus exsistat.

Actum est hoc Anno ab Incarnatione Domini MCXLII. Indictione VI. Mense Martio. IIII. Kal. Aprilis in Dominica que erat Letare Ierusalem: Anno vero ordinationis Domini Archi Episcopi Cuonradi VIII.

Sigillum sistit Archi Episcopum sedentem in sella, dextra pedum, sinistra librum apertum tenentem. Circumscriptio haec est:

✠ CONRADVS DI. GRA. MAGETHEBVRGENSIS ECCLESIE. ARCHIEPS.

No. LIX.

Anacleti epiſtola ad Lotharium Regem & Richenzam Reginam, qua eos Reges agnoſcit, commendatque diligenter Romanam Eccleſiam. Anno 1130. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 351.

ANACLETVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilectiſſimo in Chriſto filio, *LOTHARIO*, glorioſo Romanorum Regi, nec non ſpeciali Beati Petri filiae R. Reginae, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Poſtquam diſponente Deo ad totius eccleſiae regnum promoti ſumus, ſicut ex literis, quas ad Regni veſtri Epiſcopos miſimus, cognoſcetis; excellentiam veſtram duximus literis ſpecialibus viſitandam. Nos ſiquidem, iuxta deceſſoris noſtri Papae H. exemplum, & vos & honorem veſtrum ſingulari volumus affectu diligere, veſtroſque amicos ſeu inimicos noſtros pariter reputare. Rogamus, vt pro beati reuerentia Petri & dilectione noſtra matrem veſtram Romanam Eccleſiam diligere, atque ſecundum datam vobis a Domino poteſtatem honorare in omnibus procuretis. Ceterum quoniam ſerenitas veſtra Domino Papae Honorio pro fratre noſtro delectiſſimo Colonienſi Archi Epiſcopo ſupplicauit, nos fratrum noſtrorum conſilio preces veſtras benigno intuitu audientes, interdictum deceſſoris noſtri ob dilectionis veſtrae gratiam relaxamus, & praedicto fratri noſtro officii ſui plenitudinem reſtituimus. De Haluerſtadienſi Epiſcopo breuiter reſpondemus, quoniam videlicet ad partes illas de fratribus noſtris aliquem mittere diſpoſuimus, qui Legati noſtri Archi Epiſcopi Moguntini conſilio vna vobiſcum ea, quae ad veſtrum & Regni honorem pertinent, praeſtante Domino, adimplebit. Per eundem quoque fratrem, quem miſerimus, fratri noſtro A. Bremenſi Archi-Epiſcopo plenam iuſtitiam fieri pro veſtra & totius Regni gratia diſpoſuimus, & ſua illi eccleſiae priuilegia confirmare.

Datum Romae apud S. Petrum. VII. Calend. Martii.

No. LX.

Innocentius II. Lothario Regi nuntiat, ſe veſtigiis deceſſoris Honorii II. qui eum confirmaſſet, & Conradum Regni inuaſorem excommunicaſſet, inſiſtere, eumque Romam inuitat. Anno 1130. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 352.

G. quondam Sancti Angeli Cardinalis Diaconus, nunc autem, Deo diſponente, in Pontificem Romanum Electus. Guill. Praeneſtinus. M. Albanenſis & Hoſtienſis, Chuno Sabinenſis, Epiſcopi

ſcopi & Catholici Cardinales, qui Romae ſunt, *LOTHARIO*, illuſtri & glorioſo Regi, & ſanctae eccleſiae catholicae defenſori, ac ſpeciali filio ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilectiſſimus Pater noſter felicis memoriae Papa Honorius, cum tota ſancta catholica Romana eccleſia, quoniam maximum fructum de perſona tua ſperauit ſanctae eccleſiae venturum, quod de te factum eſt, auctoritate apoſtolica confirmauit, & in *Cunradum*, Regni inuaſorem, excommunicationis ſententiam promulgauit. Nos autem ipſius inhaerentes veſtigiis, quoniam de tuae fidei firmitate & iuſtitia valde confidimus, per dilectiſſimum fratrem noſtrum Gerhardum, Cardinalem Presbiterum, Apoſtolicae Sedis Legatum, prudentiae tuae mandamus, quatinus proxima ventura hyeme ad Sedem Apoſtolicam venias, honoris & dignitatis plenitudinem, operante Domino, ſuſcepturus. Sicut ergo tantum virum decet, ita munitus accedas, vt & pacem ſtatuere, & hoſtes eccleſiae & Imperii ſuffragante diuina gratia valeas ſubiugare. Cauſam Haluerſtatenſis Epiſcopi praefato fratri noſtro G. commiſimus; Colonienſi vero Archi Epiſcopo, pro quo rogaſti, vt tibi fidelior ſit, epiſcopale officium indulgemus.

Datum apud Palladium XII. Calend. Martii.

No. XLI.

Rauennatenſis Archi Epiſcopus Norbertum (*) Magdeburgenſem rogat, vt Lotharium Regem incitet

ad iter Romanum & ad exſtirpandam ibi Iudaicae perfidiae haereſin, digitum intendens ad Petri Leonis ſeu Anacleti Iudaicum genus. Anno 1130. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 354.

VENERABILI Domino Norberto, Sanctae Parthenopolitanae Eccleſiae Archi Epiſcopo G. ſanctae Rauennatis eccleſiae miniſter, licet indignus, ſalutem & perpetuam in Chriſto dilectionem. Viſis ſanctiſſimae paternitatis veſtrae literis, quibus me, quamquam inuiſum & facie ignotum, viſitare voluiſtis, plurimum in Domino gauiſi ſumus & congratulati, quem, etſi longa terrarum ſpatia a nobis ſeparent, corporaliter tamen in ea caritate, quae diuiſa connectit, ſeparata coniungit, ſpiritualiter vos amplectimur, & pro poſſe noſtro vobis ſeruire parati ſumus. Super quo vero vnum noſtrum conſilium deſide-

 ratis,

*) Vt S. Bernardus Galliae Regem, ita S. Norbertus accepta hac epiſtola Lotharium Romanorum Regem induxit ad Anacletum repudiandum, & ad Innocentium II. agnoſcendum & defendendum. Quod negotium ita curae cordique habuit S. Norbertus, vt ipſe expeditioni Romanae, in qua Cancellarii Imperii munere functus eſt, intereſſe vellet.

ratis, taliter respondemus. Decedente sanctissimo Romanae sedis Episcopo beatae memoriae patre nostro, Honorio, sicut audiuimus & in veritate comperimus, Innocentius, qui quondam Gregorius dicebatur, S. Angeli Diaconus Cardinalis, auctoritate omnium bonorum, Deo, quemadmodum ab aeterno prouiderat, disponente, per electionem venerabilium Fratrum & Dominorum nostrorum, vnanimiter in vnum conuenientium, Guillelmi Praenestini, M. Albanensis & Iohannis Hostiensis, C. Sabiniensis, Episcoporum & reliquorum catholicorum Cardinalium ad sanctae Romanae ecclesiae regimen assumptus est canonice. Postmodum vero Petrus Leonis, qui Papatum a longis retro temporibus affectauerat, parentum violentia, sanguinis effusione, decrustatione sanctarum imaginum, facta & conspiratione, inuerecunda facie rubeam sibi cappam assumens, vniuersalem matrem nostram sanctam Romanam ecclesiam turpiter vsurpare & symoniace occupare contendit. Hac itaque veritate comperta, cum vniuersitate totius Italicae ecclesiae praedictum Innocentium, virum sobrium, prudentem, castum, mansuetum, humilem, omnique morum honestate conditum, pro more ecclesiae per supra dictos venerabiles fratres diuinitus consecratum, nostrum vniuersalem patrem Papam & Apostolicum indubitanter amplectimur, deuote colimus & veneramur. Praedictum vero Petrum, vere Leonis rugientis filium, quaerentem, quem deuoret, tanquam non electum, sed contra Deum & S. ecclesiam erectum; non assumptum, sed intrusum; non apostolicum, sed apostaticum; non catholicum, sed haereticum; non consecratum, sed execratum, diuina ei in omnibus & per omnia contradicente auctoritate, condemnantes abdicamus. Vestrae igitur sanctitatis prudentiam suppliciter exoramus, & vicaria caritate constantiam vestrae fidei velut columnam inmobilem in Domino confortamus, quatenus in fide beati Petri, & in obedientia eius vicarii, dilectissimi patris nostri Innocentii, per gratiam Sancti Spiritus electi, sanctaeque Romanae ecclesiae dilectione firmiter persistatis. Praeterea ne vestis Christi insutilis a perfidis & infidelibus, sortem mittentibus, quod diuina auertat clementia, diuidatur, & nauis Petri fluctibus marinis hinc inde concussa periclitetur, deuotissime suggerimus, vt Dominum *LOTHARIVM*, inuictissimum Romanorum Regem, ad Vrbem sine dilatione venire viriliter & instanter exhortari dignemini, & tam vestrae dioceseos fratres & Coëpiscopos, quam etiam reliquos vestros conprouinciales, velut alter Petrus, aliquando conuersus, in praedicta fide indubitanter confirmetis, quatenus tam per Dominum Regem, quam & per vos pax ecclesiae reformetur,

&

& *Iudaicae perfidiae haeresis*, (*) quae nuper in eadem ecclesia exorta est, praestante Domino, funditus exstirpetur, & contra omnia, quae se extollunt aduersus vnitatem & veritatem, vos tanquam murum ferreum pro domo Domini firmiter opponatis. De cetero in vestris sanctissimis orationibus in omnibus nos & per omnia humiliter commendantes, obnixe rogamus, vt hoc, quod ante homines vel ab hominibus dicimur, aut aestimamur, ante Deum, vestris suffragantibus nobis meritis, esse quandoque mereamur. Orantem pro nobis vestram Sanctitatem diuina pietas ad multorum proficuum & ad sanctae ecclesiae honorem & vtilitatem, incolumem in longum conseruare dignetur.

No. LXII.

Praesente Henrico Superbo, Engelfridus Abbas Sanct-Emmeranensis praedia Monasterii sui in Thuringia sita e manibus Segebodonis Nobilis de Scartfelde extorsit.

Anno 1132. Ex Pez. Anecdot. T. I. Part. III. p. 134.

In nomine sanctae Trinitatis & indiuiduae Vnitatis. Notum sit omnibus Christi fidelibus, praesentibus atque futuris, qualiter vir quidam nobilis, *Sigiboto* nomine de *Castro Scartfelden* inuasit bona quaedam nostra, sita in partibus *Thuringiae*, constringens miserabiliter censuales S. Emmerammi Martyris inhabitantes, hac videlicet causa, quatenus eos ad seruitium suum inclinaret, aut aduocatiae suae iuri substerneret. Res eadem nos minime latuit; quia clamor illorum nobis frequenter aperuit, quod tamen illis non profuit. Cumque lacrimabilem illorum quaerimoniam diutius ferre nequiremus, consulit nobis Deus omnipotens, qui semper inuocantibus se praesto est, & ostendit nobis virum, in quo inueniremus rei huius facilem exitum. Missis namque litteris ad magnum & valde gloriosum virum, Domnum *Adalbertum* videlicet Mogontinae Sedis Archi Episcopum, mala quae perpessi fuimus, in populo nostro, conquesti sumus, supplicantes, eo quod in sua dioecesi situm erat, ipse faceret nobis a Domno *Sigibotone* iudicium. Perlectis itaque litteris, mox, vt erat vir benignus & mirae discretionis, multum benigne nobis respondit, verum etiam multo benignius nobis sui gratiam postmodum fecit. Nam postulatus a nobis suscepit eosdem viros censuales nostros, vide-

*) Eodem digitum intendit narratio de electione Pontificis Innocentii p. 359. vbi haec: *His circa horam tertiam rite peractis, Petrus Leonis hora sexta, qua Iudaea Christum crucifixit, & tenebrarum caligo mundum inuoluit, cum suis conspiratoribus atque consanguineis, aliisque manifesto pretio conductis, Ecclesiam S. Marci adiit* &c.

videlicet Chunimundum, Gerhardum, Francholdum, Gotefchalchum, Adalgerum, Luizmannum, vna cum omni confanguinitate praefenti & fucceffione pofteritatis, in fuam defenfionem, interdicens Domno *Sigibotoni*, ne vnquam intromitteret fe illorum, nec quidquam moleftiae illis inferret. Et ne vllam quaerimoniae caufam iuftae idem praenominatus *Sigeboto* praetendere poffet, inde transmiffus eft *Werenhere* praefectus de Erphesfurten ex parte Archi Epifcopi A. ex parte autem Domni *Sigibotonis* Dietmarus Ratisponam, vbi viri ifti fupra dicti iuftitiam fuam iure gentium videlicet omnium cenfualium obtinuerunt, probauerunt, confirmauerunt in confpectu duorum legatorum ipforum, & omnium ibidem affiftentium nobilium, feruientium, permixtae plebis fidelium. Iurauerunt enim fuper Altare S. Emmerammi, Martyris pretiofi, & fuper reliquiis Sanctorum multorum ibidem requiefcentium, quod nunquam inbeneficiandi effent iuxta legem cenfualium, nec erant inbeneficiati, eo quod effet iniuftum & impoffibile. Sedecim enim iuramenta facta funt ibi, ficut placuit omnibus huiuscemodi legis peritis, antequam diffiniri potuiffet. Quo fufficienter expleto, ego *Engilfridus*, Coenobii huius Dei gratia Praelatus, & fratres mei, iuffimus kartulam hanc confcribi in teftimonium huius rei, ne vnquam poffit obliuione deleri. Qui haec praefentes viderunt & audierunt, teftes hi funt: Chuno, Gerolt, Liutwin, item Liutwin, Hartwich, Gottfcalc, Adalbreth, Ortwin, Engilbreth, Odalrich, Nizo, Sigehart, Chuno, Gozwin, Pertolt, Gotefcalc, Albanus, Popo, Gotefcalc, Sigo, Ebo, Arnolt, Liutmar, Hagano, Hartnith, Friderich, Pernolt, Adalhart, Liutwin, Gozwin, Herewic, Vzo Pernolt.

Facta funt haec ab Incarnatione Domini noftri Iefu Chrifti Anno MCXXXII. Indict. X. XIV. Kal. Sept. tempore Lotharii Regis III.

Heinrici Ratisponenfis Epifcopi nondum ordinati.

Adalberti Mogontinae Sedis Archi Epifcopi.

Chunradi Iuuauienfis Archi Epifcopi.

Heinrici Ducis Baioariae.

Engilfridi Abbatis Sancti Emmerani Martyris.

Regnante Domino noftro Iefu Chrifto, cuius honor & imperium fine fine permanet in fecula feculorum Amen.

Si quis Praelatorum fuccedentis temporis fuffufus fpiritu maligno hanc boni teftimonii chartam delere tentauerit, difperdat illum Deus de terra viuentium, & memoria eius non requiratur in fempiternum, fed ad exemplum Ananiae & Saphirae vxoris eius repentino tollatur interitu, & cum Iuda in die furoris Domini anathemate maranatha, nifi refipifcat, feriatur. Amen.

No. LXIII.

No. LXIII.

Hermannus Auguſtanus Epiſcopus Ottoni Epiſcopo Bambergenſi narrat excidium vrbis ſuae per milites Lotharianos, & cauſam eius. Anno 1132. Ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 364.

Bono Chriſti & Eccleſiae odori, *Ottoni*, venerabili Babenbergenſium Epiſcopo, omnique eccleſiae ſuae H. Auguſtenſis eccleſiae Dei gratia humilis miniſter, cum vniuerſo clero & populo ſuo, deuotas orationes in Chriſto cum fideli ſeruitio. Aſpiciat Dominus de ſede ſancta ſua, cogitet de nobis omnis coeleſtium, terreſtrium, ſpecialiter vero Babenbergenſium eccleſia, quae murum pro domo Iſraël ſemper huc vsque ſe poſuit, quam zelus domus Dei ſemper comedit: inclinet aurem ſuam & audiat: aperiat oculos ſuos, & videat tribulationem noſtram. Ecce enim deſolata eſt ciuitas noſtra, ciuitas ſancta & antiqua; ciuitas hactenus dicta *Auguſta*, ſed nunc dicenda potius *anguſta* vel *anguſtia*. Sedet in triſtitia; non eſt, qui conſoletur eam, niſi Deus noſter & Deum timentes propter Deum in caritate compatiantur nobis in paſſionibus noſtris, quas paſſi ſumus introitu Domini Regis. In cuius aduentu ſuſtinuimus pacem, & non venit: quaeſiuimus bona, & ecce perturbatio; exigentibus quidem peccatis noſtris, quae fecimus non contra eum, ſed contra Deum. Ipſum enim venientem ad nos debito honore cum gaudio ſuſcepimus nos & vniuerſus noſter clerus & populus, tamquam Regem & Dominum, tamquam eum, in cuius manu eſt regnum & poteſtas & imperium, tamquam iuſtum & miſericordem iudicem, per quem ſperabamus recuperare diu perditam pacem. Praetermiſſis itaque multis & magnis eccleſiae noſtrae miſeriis & iniuriis, vnum ſolummodo ſacrilegum nefas in auribus Domini Regis & Principum, qui aderant, lacrimabili voce conqueſti ſumus, quod contigit ante aduentum Regis paucis diebus. Hoc videlicet, quod ciues noſtri quidam exierant a nobis, qui non erant ex nobili ſemine, nequam, filii ſcelerati, qui in conductu noſtro ac fere in praeſentia noſtra ſpoliauerant Aquenſem Epiſcopum, Apoſtolicae ſedis Legatum, per nos ad curiam Regis tranſeuntem. Super his, inquam, omni Curiae conqueſti ſumus, iuſtitiamque regno & eccleſiae debitam poſtulauimus humiliter. Dum ergo Principes in hoc eſſent, & conſilium ſuper his caperent, orta eſt, machinante Diabolo, ſubito inter vendentes & ementes quaedam pro vili cauſa parua ſeditio, primum per Secretarios Regis in ſuburbio; deinde clamor

mor ingens tollitur, forenses campanae pulsantur, concurrunt ciues, conueniunt Regis milites, vniuersi ad pugnam festinant, vniuersi caussam pugnae ignorant; vnus illud, alter aliud opinatur. Rex ipse necem sibi intentari suspicatur. Videns ergo milites & ministeriales ecclesiae coram matrice ecclesiae stantes armatos, existimat, eos ex consilio contra ipsum congregatos, qui, quod vere dicimus in Domino, ex nulla conspiratione contra Regem facta conuenerant; sed propter tumultum populi inconsulto subito concurrerant, nescientes, quid facerent, cum & ipsi se in manum Regis ex aliquorum machinatione traditos nullatenus dubitarent. Ego interim indignus ac solo nomine Episcopus, oblitus annorum meorum & senectutis, immemor vitae & mortis, suspensus inter brachia duorum solummodo clericorum meorum, ceteris fugam capientibus, misi me in turbam inter vtramque aciem; non clypeo protectus, aut galea, sed sacris tamen vestibus indutus, & signo Crucis armatus. Crucifixum enim in memoriam passionis Dominicae ante pectus nostrum portauimus propriis manibus, sperantes, vt Christianos, Crucis Christi memores, vt oportuit, ab iniuria mutua & caede fraterna compesceremus. Illico irruebant in nos & in nostros Rex & sui in die dominica V. Kal. Septembris, & facta est caedes sacrilega clericorum & laicorum prope ianuas matricis ecclesiae, intus & extra ab hora diei VI. vsque ad vesperam, plerisque occisis, plerisque vulneratis, plerisque captiuatis, plerisque fugatis, plerisque spoliatis. Ego vero per signum Crucis sospes euasi, repens manibus ac pedibus, inter hostes & pericula, inter enses & sagittas & iacula, quae vndique circumuolabant canos capitis mei, & collum & latera & dorsum meum & meorum, qui me non modo portabant, sed per brachia & crura trahebant, inferentes me per aliud quoddam hostium cum maxima difficultate super altum murum ante summum altare in ipsum scunarium. (*lege* Sanctuarium) Ibi ego fusis non modo precibus sed fletibus, iacui miserabiliter in sanguine vulneratorum, exspectans proprii sanguinis effusionem, & desiderans mortem. Interea extra portam ciuitatis inter forenses & Regis milites regnabat similiter caedes hominum ac pecorum, funesta praelia, funestum incendium, sanctuaria profanata sunt; ecclesiae plures combustae sunt; plures effractae & depredatae sunt; clericorum, monachorum, sanctimonialium despoliatae congregationes in dispersione sunt; inclusae quoque mulieres miserabiliter eiectae sunt; viri ac feminae impudenter denudatae sunt; paruuli eorum partim captiui abducti sunt. Nam quod ex intimis praecordiorum dicimus suspiriis, Rex Christianus induxit super ecclesiam Christi inimicos Christi homines inhumanos & paganos, Boëmos videlicet

cet ac Slauos, qui vulgariter *Valuwen* dicuntur, qui persecutores Christi & ecclesiae esse ac fuisse semper manifeste ab omnibus cognoscuntur. Nox ipsam litem diremit, sed tota nocte Regis exercitus matricem ecclesiam ex omni parte obsidione circumdedit, qua in nocte ego ipse de meo expulsus hospitio, omnibusque meis nudatus, & in ipsius platea ciuitatis nostrae desertus ac solus tam diu flens iacui, donec a Domino N. Magdeburgensium Archi Episcopo in hospitium eius, tanquam hospes & peregrinus, per misericordiam Dei collectus fui. Mane autem facto, quoscunque & quotquot voluit de obsessa ecclesia Rex abstraxit, &, vt taceamus de ceteris, ipsos & vulneratos & omnino desperatos in vinculis secum abduxit. Eadem vero die castra metatus est in campo iuxta ciuitatem, regressusque tertia die cum armatis in vrbem, munitiones omnes diruit vrbis & confregit, omnibusque praeda & incendio consumtis, quarto destructionis nostrae & sexto aduentus sui die laetus abiit. Archi-Episcopi quidem & Episcopi & Abbates, qui aderant, satis ac satis regiam maiestatem praemonuerant, quatinus regio more victis saltem parceret, & imitando Regem Regum iustos cum impiis non perderet; sed iracundia regalis potentiae non prius mitigata est, donec omnis ciuitas nostra sine iudicio, sine iustitia, funditus destructa & inrecuperabiliter adnichilata est. Proptera nos cum vniuerso clero & populo ciuitatis nostrae precamur per Christum & in Christo misericordiam venerandae paternitatis vestrae, vt doloribus nostris clementer condoleatis, & lamentabilem ecclesiae nostrae ruinam consilio & auxilio infatigabiliter fulcientes, murum inexpugnabilem pro domo Israël vos ponere solito more vestro satagatis.

No. LXIV.

Diploma Innocentii PP. II. quo Terram Mathildis post Lotharium Imperatorem genero confert Henrico Superbo eiusque Coniugi. Anno 1133. Ex Baron. Annal. Eccles. Tom. 12. p 221. n. 5.

Innocentius Papa II. Lothario Imperatori Augusto & Riget (Richente) Imperatrici.

Si auctoritas sacra Pontificum, & potestas Imperialis vere glutino charitatis ad inuicem complentur; Omnipotenti debitus famulatus libere poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil enim in praesenti saeculo est Pontifice

clarius, nihil Rege sublimius, nihil est quod lumine clariore praefulgeat, quam recta fides in Principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere, quam vera Religio. Quae nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias, in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte aetate amator Religionis, & cultor iustitiae extitisse cognosceris, & nouissime diebus istis, nec personae tuae, nec propriae parcendo pecuniae, pro beati Petri seruitio multos labores, & immensa pericula pertulisti. Cum ergo, testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impartire; dignum profecto est, vt nos, qui, disponente Domino, vniuersis Catholicae Ecclesiae filiis debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus, & tamquam specialissimo Ecclesiae defensori, in his quae ad statum Imperii in suo robore conseruandum, & vtilitatem ac liberationem Catholicae Ecclesiae spectare noscuntur, tam secundum Ecclesiasticum officium, quam temporaliter Imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu *Allodium* bonae memoriae *Comitissae MATHILDAE*, quod vtique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, & ex Apostolicae Sedis dispensatione concedimus, atque in praesentia fratrum nostrorum, Archi Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, nec non Principum & Baronum per anulum inuestimus, ita videlicet, vt centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exoluas, & post tuum obitum proprietas ad ius & dominium S. R. E. cum integritate absque diminutione & molestia reuertatur. Quod si nos vel successores nostros in eamdem terram venire, manere, transire oportuerit, tam in susceptione, quam in procuratione, atque securo conductu, prout Apostolica Sedes decreuerit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terrae fuerit, beato Petro, & nobis, nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Ceterum, pro charitate vestra, nobili viro, *HENRICO*, *Bauariae Duci*, *genero vestro*, & *filiae vestrae*, *vxori eius*, eamdem terram, cum praefato censu, & supradictis conditionibus, Apostolica benignitate concedimus; ita tamen, vt idem *Dux* hominium faciat & fidelitatem B. Petro, ac nobis nostrisque successoribus iuret. Post quorum obitum praedictum *Comitissae MATHILDAE* Allodium ad ius & dominium S. R. E. sicut supra dictum est, integrum, & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur: saluo tamen semper in omnibus eiusdem S. R. E. iure ac proprietate.

Datum Laterani sexto Idus Iunii.


No. LXV.

No. LXV.

Lotharii Imperatoris confirmatio bonorum ad aedem Michaëlis in ciuitate Luneburg ſpectantium, qua mentionem facit Coniugis Richentae, filiae Gertrudis & generi Ducis Henrici. Anno 1133. Ex Veteri Cod. MSto.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Lotharius* diuina fauente clementia tertius Romanorum Imperator Auguſtus. Deuotionem & diligentiam circa religionis cultum predeceſſorum noſtrorum conſideranes, ſperamus, nos quoque ipſorum retributionis quodammodo participes effici, ſi in his, que eccleſiis contulerunt, noſtre auctoritatis aſſenſum ipſis prebuerimus. Proinde omnium fidelium noſtrorum, preſentium & futurorum, nouerit, induſtria, qualiter nos, venientes ad monaſterium ſancti *Michaëlis* in *Luniburc*, interuentu *Ducis noſtri HEINRICI*, eiusque *coniugis*, *filie* noſtre, *GERTRVDIS*, ob remedium anime noſtre cariſſimeque *coniugis* noſtre *RICHINZE* Imperatricis, fratribus in *Luniburc* Deo ſanctoque Michaëli ſeruientibus, decimam partem totius thelonei ad noſtrum ius pertinentis de mercato in *Bardinwic*, tam in lucris de moneta prouenientibus, quam in ceteris cuiusque modi vtilitatibus profuturis, ſicut pie memorie Imperator *Otto* conceſſerat, nos quoque conceſſimus, & perpetuo iure in poſterum confirmamus, vt ſemper abſque vllius contradictione teneant & poſſideant, & ſuis, vt libuerit, vſibus adiungant. Vt autem hec noſtre autoritatis & priuilegii traditio noſtris futuriſque temporibus ſtabilis & inconuulſa permaneat, preſentis decreti paginam ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri.

Signum Domini Lotharii Imperatoris



tertii Romanorum Inuictiſſimi.

Ego Berthaldus vice Adelberti Archi Cancellarii & Moguntini Archi Epiſcopi recognoui.

No. LXVI.

Lotharius Imperator Monasterio Corbeiensi piscationem in Wisara adiudicat, ab Henrico genero & Eilica Comitissa vsurpatam. Anno 1133. Ex Schaten. Annal. Paderborn. T. I. pag. 736.

In nomine Domini Dei nostri ac Saluatoris Iesu Christi, *LOTHARIVS* ordinante diuina clementia Romanorum Imperator Augustus. Considerantes Regalis esse munificentiae, & nobis salutare, dum tempus habemus bonum operari in omnibus, maxime autem in Ecclesiis Dei. Ideo statuentes decernimus loca Deo oblata, & dicata sublimare, possessionibus ampliare, collata defensare, & in suo statu conseruare, si aliqua etiam temere fuerint alienata, vel iniuste auulsa, ad antiquam dignitatem & pristinam traditionem suffragante diuina clementia reuocare, hisque beneficiis proposuimus insudare, vt ipse, qui nos in terris gloria & honore coronauit, in coelis indulgeat coronam vitae, quam repromisit diligentibus se, cum nos deduxerit de laborioso huius saeculi certamine. Nouerit itaque tam praesentium quam futurorum prouida discretio, quod nos respectu Diuini timoris & amoris Monasterio, quod appellatur noua Corbeia, quod situm est super fluuium Wisera, rogatu ipsius loci venerabilis Abbatis Volcmari nomine piscationem, quae vocatur Houcwar, quam totam Ludowicus Imperator eidem Monasterio contulerat, hanc postmodum *Dux HENRICVS Bauariae* cum quadam *Comitissa ELICA* & *filio suo ADELBERTO* iniuste se possedisse recognoscentes, cum digna poenitentia diuinitus inspirata, sancto Vito cum omni vtilitate remiserunt. Et nos regali auctoritate ipsam remissionem confirmauimus, statuentes hoc, vt qui hanc nostrae auctoritatis concessionem infringere praesumpserit, fisco nostro centum auri talenta persoluere debeat. Regali etiam auctoritate confirmamus villas cum hominibus ad eandem piscationem pertinentes cum caeteris appendiciis, pratis videlicet, areis, pascuis, cultis siue incultis, mobilibus & immobilibus, vt in omnibus his nullus fratres in supra dicto Monasterio Canonice degentes inquietare, vexare, vel molestare praesumat. Nec aduocatum in eadem piscatione habeant, nisi quem Abbas Dominus loci consilio fratrum statuerit. Et vt haec omnia rata & inconuulsa omnino permaneant, impressione Sigilli nostri signari praecepimus.

Signum Domni Lotharii

Ekkehardus Praepositus Vice Cancellarii recognoui. Anno ab Incarnatione Domini MCXXXIII. Indict. XI.

Actum Bardewich in Dei nomine feliciter Amen.

No. LXVII.

No. LXVII.

Lotharii Imperatoris confirmatio Monasterii S. Mariae, hodie S. Aegidii, in ciuitate Brunsuicensi a Socru Gertrude conditi, in partem filiae natu minoris delapsi, sed ex permutatione ad Lotharium reuersi. Anno 1134. Ex Actis Brunsuic. Tom. I. p. 138. vnde hausit Rethmeyer. Antiq. Eccles. Brunsuic. Part. I. addit. p. 32.

IM Nahmen der hilligen vngedeilden Dreyfoldicheit, *LOTHARIVS* van Gödtliker gnade Keyser der Römer, Vermehrer des Reichs &c. Wy willen witlick tho synde, allen Christen Menschen, dene de noch tho kamen werden, vnde nun gegenwerdig syn, dat *Gerdrut*, Marggräuin tho Sachsen, ein Dochter *Eckberti* des Marggrauen, hefft gebuwet ein Closter, in die Ehre der Telerinnen Goddes Marien, in die Stidde Brunschwig genömet, vnde gegeuen ewig tho blyuende, by den Regelen eines Geistliken Leuendes, vnde hefft dat begifftet vnde begauet mit vullbort örer Eruen, alse dat wöhntlick ys, vnde beuolen tho der tydt Abbet Henrico van Bursfelde, vormiddelst welckes vorsichticheit, vnde derselben *Gertrudis* koste vnde hülpe, ydt lückliken vollnkamen dat Hus, vnde geendigt, an dem Iahre do men schreff na Gades Gebort, Dusent Hundert vnde vefftein, in der negenden Indiction, vnde hefft geeschet, den aller Ehrwirdigsten Heren, Heren *Diderick* Legaten der Römischen Kercken, vnde ock den Ehrwirdigen Heren, Heren *Reinhart*, Bischoffen tho Halberstadt, tho wygende datsülve Closter, da de beyde gekamen syn, vnde in vnser Gegenwerdicheit, vnde vnser Husfrouwen *Rickensen*, der vorgenanten *Gerdruden Dochter*, vnde in Gegenwerdicheit vntelliker Schar Ebte, Prouefte, Papheit vnde Volckes, hebben dat gewyget an dem Dage der Calenden September, dat ys S. Egidien Dach, dartho desüluige Marggräuinne thate, dat se verglauet hadde Gade vnde synen Hilligen, tho vögende de Möncke, de dar Gade scholden denen, de hefft geoppert, vnde mit Vullbort öhres Eruen, nemliken *Ottonis*, öhres Sohns, vnde öhrer Dochter *Rickensen*, vnser Fruwen, vnde *Gertrudis*, Palandes Gräuinnen by dem Ryne, in Gegenwerdicheit der Papheit vnde alles Volckes, dat des Dages versamlet was, hefft geoppert Acht vnde drüttich Houe landes tho Valbargen, dar veer teget fry manck syn, vnde tein Houe landes tho Beyerstidde, tho der Kleidungen der Geistliken Bröder, in Freisland by Northeimb, ein Vorwerck, dat alle Iar rentet twintich punt der Münte alse dar genge ys. Do de Marggräuinne düt also geoppert hadde, vnde in Gegenwerdicheit Goddes van den hilligen Engeln, so

wy löuen, gebracht ys, hefft de vorbenante Legate mit Römischer Macht, vnde de Bischop van Haluerstadt by synem Banne, sodane Giffte bestediget vnde beuester, so, ifft yemandt were, de iennigerley wyse Gewalt de de an des Closters Güdern, de de gegeuen syn, effte in thokamenden Tyden möchten gegeuen werden, de schölde mit Iudas dem Verreder, dem Düuel vnde synen Engeln, mit voriger verflokungen beuohlen syn. Darna do *Gerdrut* Marggräuinne van Dodes wegen verfallen ys, ys dat Closter gefallen *Gertrude* Palandes Gräuinne in öhr anpart, effte wegen des Erffals, dat Closter tho verwahrende, de nicht min denn ör Moder vlyt gedhan hefft, dat Closter vörtthosettende, vnde heft dartho gelegt tein Houe Landes in Borcheim mit eigen Lüden, Mann vnde Frouwen, vnde na rade Heren Hinricks Abtes, hefft einen eigen Abt gesettet tho düssem Closter, nemliken Goswin van Ilseborch, den de Bischop van Verden hefft gekrönet, in vnser Iegenwerdicheit. Na verlope öuerst ichtes welcke Iahre hebben wy der Palandes Gräuinnen *Gertrudis* den deil öhres Erues vor ander Güder affgebütet, vnde dat vorgerörde Closter vnder vnse Gewaldt genamen tho verhegende. Vnde darumb wy dem Closter Frede vnde gemack möchten schaffen, vnde denienigen, de dar Godde denen scholden, hebbe wy dat Closter, mit alle deme, dat öhme gegeuen ys, vnde in thokamenden Tyden noch gegeuen werden, mit vnser Macht vnde Gewaldt bestedigt, vnde mit dem Keyserlichen Banne beuester, vnde Schriffte der Priuilegien gestercket; De Vögedye auer effte weltlick Gerichte, beholden we uns vnde vnsen Eruen dem Schlote Tanckwerderoda, dat wy vermiddelst vnsen Dener nu regeren lathen willen, ane yennige Gifft effte Vngerechticheit, welck vnse Dener drie im Iahre dat gedinget effte Gerichte mach holden, vnde tho synem verdenste, so als *Gerdrut* süluest hefft vpgesettet, so schal he nehmen effte hebben ein Schwin van einem Schillinge, dre Himbten Roggen, ein Kannen Bier vnde sestich Hauergarue tho verdenende; vnd weret sake, dat he in den Güdern effte saken des Closters iennige Gewaldt dede, effte vnrechtferdigen bewysede, so schal öhne de Abt eins, twie, effte drie vermahnen lathen, dat he sick darinne betere, wu he dat nichten dede, schal he syner Macht berouet syn, vnde de Förste, vnder des Gewaldt die stidde were, scholde einen andern schicken, de dem Closter nütte vnde bequeme were. De Abt schal ock vollmechtig syn, de Vorwercke vnde Güder des Closters vth tho dhonde, vnde mit synem Gesinde schicken alse öme gut düncket, daran schal sick de Voigt nicht mede bekümmern, effte wes vndermathen; ydt en were denne, dat he van dem Abte dartho geeschet wörde.

Tab..

wörde. Were yemandt der wedder düt Gesette vnde Gebodt jennigerley Wyse dede, de schal breken tein Punt Goldes, de helffte tho vnser Kamer, vnde de andern helffte dem Closter.

Dat düt alle in thokammenden Tyden stede vnde vast geholden weret, hebben wy düsse Schrifft mit vnsem Ingesegel gedrucken lathen. Gegeuen tho Goslar, im Iahr na Goddes Gebordt, Dusent, Hundert, im veer vnd drittigsten, Indiction der twölfften, an dem negenden Iahre vnses Rykes, vnde Keyserdoms am andern.

No. LXVIII.

Lotharius Imperator fundatum a Socru Gertrude Monasterium S. Mariae Brunsuicense, ab coniugis Sorore Gertrude Palatina pro aliis bonis acceptum, in tutelam suscipit, variisque priuilegiis ornat. Anno 1134.

Ex autographo.


C. In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. *Lotharius* diuina fauente clementia tertius Romanorum Imperator Augustus. Notum esse volumus vniuersis Christi fidelibus, tam futuris quam presentibus, qualiter *Gertrudis* marchionissa, filia Ekeberti marchionis, Monasterium Deo & sancte Dei genitrici Marie in loco *Brunes-wich* dicto edificauit, & ad monastice vite regulam perhenniter delegauit, & consensu heredum suorum, vt moris est, de hereditate sua dotauit, & ditauit, atque Domino Heinrico abbati de Buresfelde commendauit. Cuius industria, & bone fundatricis impensa felici edificio feliciter consummato; anno dominice incarnationis M.C.XV. indictione VIII. Romane ecclesie legatum, Dominum Tidericum, nec non venerabilem Haluerstedensis ecclesie Episcopum, Reinhardum, ad consecrandum idem Monasterium inuitauit. Qui videlicet viri venerabiles illo venientes, nobis etiam cum carissima coniuge nostra Rikenza, eiusdem marchionisse filia, presentibus, nec non innumera abbatum, prepositorum, cleri populique astante caterua, die Kalendarum Septembrium idem Monasterium sollempniter ad honorem Iesu Christi eiusque genitricis dedicauerunt. Vbi predicta felix marchionissa ea, que prius vouerat Deo & sanctis eius, ad sustentationem monachorum Domino inibi famulantium obtulit cum consensu heredum suorum, scilicet, *filii* sui, *Ottonis* & *filiarum*, videlicet *Richenze*, coniugis nostre, & *Gertrudis* Palatine comitisse, presente clero & populo, qui eo die illo confluxerat. Obtulit autem in Valeberge XXXVIII. mansos, ex quibus quattuor semper erunt sine decima: in Bergerstede X. mansos, & ad vestiarium fratrum

in

in Fresia apud Morheim predium soluens XX. talenta illius monete. His ergo Deo deuote ab ea oblatis, & ad conspectum Domini Sabaoth per angelos, vt credimus, allatis, predictus apostolice Sedis legatus apostolica auctoritate, sed & venerabilis Episcopus, eandem donationem suo banno confirmauerunt, &, quicunque quoquomodo vel ingenio aliquam vim rebus eidem Monasterio collatis vel conferendis intulerit, cum Iuda traditore diabolo & angelis eius sub anathemate feriendo tradiderunt. Postea vero quam eadem Marchionissa *Gertrudis* mundo excessit, filie eius *Gertrudi* Palatine in parte hereditatis accepta idem Monasterium in tutelam cessit. Que non minorem matri in prouehendo eodem Monasterio feruorem arripiens, X. mansos in Berchem cum mancipiis vtriusque sexus dedit, & eundem locum proprio abbate decorare volens, de Hilsinneburch electum & expetitum venerabilem virum Gozwinum, prefecit, & a venerabili Fardensis ecclesie Episcopo Titmaro, in eodem Monasterio presente coniuge nostra, ordinari fecit. Exactis autem aliquot annis cum prefata Gertrude palatina partem hereditatis, quam acceperat, datis aliis prediis, cambiuimus, idemque Monasterium sub nostram potestatem suscepimus. Quieti itaque eiusdem Monasterii Deoque ibi seruientium prouidentes, locum eundem cum omnibus ibi collatis & conferendis, acquisitis & acquirendis, nostre auctoritatis decreto firmamus, & regali banno munitum nostri priuilegii scripto roboramus. Aduocatiam vero ecclesie iuri nostro heredique nostro, cuius ditioni castrum illud *Tanquarderoth* cum suis appendiciis mancipatum fuerit, reseruantes, per vnum ministerialem nostrum absque aliquo beneficii iure amministrari decernimus. Qui videlicet ter in anno placitum teneat, & ad seruicium suum, sicut bone memorie *Gertrudis* Marchionissa instituit, percipiat. Scilicet vnum porcum vel solidum vnum, tres modios panis, V. amphoras ceruise, LX. manipulos ad pabulum. Quodsi vel in rebus vel in causis Monasterii abbati ac fratribus violentiam inferre temptauerit, vel iniustas exactiones exercuerit, secundo ac tertio commonitus, si non emendauerit, ab aduocatia remoueatur, & alius, quem princeps, sub cuius potestate locus est, vtilem Monasterio iudicauerit, subrogetur. Abbas vero liberam habeat potestatem in collocandis ad vtilitatem Monasterii prediis. Sed & de census seu seruicii sui subtractione, seu cuiuslibet alterius iusticie sue diminutione, secundum quod sententia dictauerit, cum familia ecclesie agat, cui videlicet actioni aduocatus nullatenus se, nisi vocatione abbatis, temptet ingerere. Si quis vero contra hoc nostre institutionis decretum venire temptauerit, & eiusdem Monasterii quietem vllo modo turbauerit, ad temeritatis sue penam decem libras auri,

auri, medietatem camere nostre, & medietatem prefate componat ecclesie. Et vt hoc omni inposterum tempore firmum & intemeratum custodiatur, presentem paginam Sigilli nostri inpressione iussimus consignari.

Signum Domini Lotharii tertii Romanorum Imperatoris inuictissimi.



Ego Thitmarus vice Adelberti Archicancellarii recognoui. Data Goslarie Incarnationis Dominice Anno M.C.XXXIV. Indictione XII. Anno vero Regni Regis Lotharii VIIII. Imperii secundo.


No. LXIX.

Lotharius Imperator Ministeriales ecclesiae Wildeshusensis pares haberi vult Ministerialibus suis & Ducis Henrici, generi. Anno 1135. Ex veteri Chartulario, vnde forte etiam hausit Eccard. Genealog. Princip. sup. Saxon. p. 23.

LOTHARIVS diuina clementia fauente tertius Romanorum Imperator Augustus. Iustum est & Imperialem decet munificentiam, benefaciendo eos amplecti & manutenere, quorum sedulitatem & deuotionem experimento cognouimus; in quam nostrae recompensationis vicissitudinem non solum ipsos ex deuotis nobis deuotiores efficimus; verum etiam, quod magis est, diuinam nobis per hoc remunerationem congerimus & obligamus. Tam futurorum itaque quam praesentium industriam nosse volumus, qualiter nos, instinctu dilectae nostrae *Richizae* Imperatricis, ministerialibus ecclesiae nostrae in Wildeshusen idem ius confirmamus, quod antiquitus tempore beatae memoriae *Magni* Ducis probant habuisse, volentes eos cum filiis & posteris suis parem habere conditionem & legem cum nostris & *Ducis Henrici* Ministerialibus: quod vt absque contradictione fieret, consentiente *Egilmaro*, praefatae Ecclesiae Aduocato, ipsos omnino a districto aduocatiae immunes esse decreuimus. Sub hac autem confirmatione eos comprehendimus, qui ex parentibus iure Ministerialium digni sunt. Ericum videlicet, Lucinum, & Ditherum, Adelherum, Burchardum-Rudolfum Harlingum, Dithericum, Lambertum, Egbertum, Windeburgam, cum filiis suis, ceterosque, qui sicut diximus, digni ex parentela. Haec itaque irretractabiliter confirmantes, praecipiendo iube-

mus, vt nullus Dux, Marchio, Comes, Vice Comes, nulla denique magna persona in his concessis eos inquietare praesumat. Si quis vero, quod non credimus, contra hoc praesumpserit, centum libras auri, medietatem camerae nostrae & medietatem praefatis personis, vel ipsorum componat haeredibus. Quod vt ab omnibus inconcussum custodiatur, praesenti chartae sigilli nostri impressionem imponi iussimus: Huius concessionis siue traditionis testes sunt: Marchio Adelbertus. Fridericus Palatinus Comes. Hermannus (Comes Palatinus.) Otto de Rinecke. Otto, filius Marchionis Conradi.

Signum Domini Lotharii Imperatoris



tertii Romanorum inuictissimi.

Data anno incarnationis Dominicae MCXXXV. quinto Idus Iulii; Anno vero regni Regis Lotharii XI. Imperii autem III. Sub praefatae Ecclesiae Praeposito, Ottone; Ratberto Decano. Sub Canonicis Conrado, Enfrido, Godschalco, Adelberto, Alpardo, Folchardo, Lamberto Scholastico, Marquardo. Actum *Buckstadibusen*. In Christi nomie feliciter. Amen.

No. LXX.

Lotharius Imperator confirmat negotium generi sui, qui praedium Steinkirchen cum Abbate in Madelhardestorp pro bonis in villa Leutharstorff commutauerat.

Anno 1135. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. II. p. 319.

In nomine Sancte & indiuidue Trinitatis. *LOTHARIVS* diuina fauente clementia tertius Romanorum Imperator Augustus. Sicut imperialis est auctoritas superbos deiicere, contumacibus contraire; sic eius magnificentie & decoris est, humiles & deuotos beneficiis attollere, scriptorum auctoritate corroborare. Vnde notum esse volumus cunctis presentis futurique temporis fidelibus, qualiter venerabilis Abbas Coenobii S. Iohannis Apostoli & Euangeliste, quod est situm in castro *Madelhardestorff*, nomine Eppo, Ducem Bauarie *Hainricum* adiit, & de fundo sue ditionis dominicalem curtem Stainkirchen dictam Monasterio vicinam sibi in concambium dari postulauit; eadem vero curtis erat Ottonis Ratisponensis Prefecti beneficium, cuius consensu actum est concambium.

Dux

Dux itaque *Hainricus* prediƈti Abbatis Epponis precibus & voluntati annuens, cum consilio aliorum Imperii nostri fidelium, idem concambium conceſſit & fecit, tradens Monasterio S. Iohannis Euangeliste dominicalem curtem, Stainkirchen diƈtam, cum molendino & omnibus suis pertinenciis quesitis & inquirendis, cultis & incultis, pratis, pascuis, agris, aquarumue decursibus, & recipiens in ius iuste commutationis quicquid Ecclesia prediƈta habuit in Villa *Leutharstorff* diƈta, & predium quoddam Chorb diƈtum. Hoc itaque concambium, coram fidelibus nostris factum, prefatus Dux Hainricus conceſſit & fecit, & scripti nostri auƈtoritate corroborari postulauit. Cuius petitioni annuentes, concambium idem confirmamus, & in perpetuum inconuulsum manere imperiali auƈtoritate decernentes, presentis scripti decreto corroborauimus, & vt ab omnibus in posterum melius cognoscatur & credatur, sigilli nostri impressione signauimus. Huic rei interfuerunt.

Dietwinus Cardinalis Episcopus de Titulo S. Rufine.
Adalbertus Moguntinus Archi Episcopus.
Chunradus Saltzburgensis Archi Episcopus.
Bruno Coloniensis Archi Episcopus.
Chunradus Magdeburgensis Archi Episcopus.
Adalbertus Treuerensis Archi Episcopus.
Adalbero Hameburgensis Archi Episcopus.
Wido Bisuntinus Archi Episcopus.
Otto Babenbergensis Episcopus.
Hainricus Ratisponensis Episcopus.
Riegemarus Pataniensis Episcopus.
Gebhardus Eystetensis Episcopus.
Embrico Wirzeburgensis Episcopus.
HEINRICVS Dux Bauariae.
Dietpoldus Marchio (Voburgensis.)
Adalbertus Marchio (Saxonie.)
Hainricus Marchio (Misnensis.)
Wilhelmus Palatinus (Rheni.)
Fridericus Palatinus (Saxonie.)
Otto Palatinus (Bauarie.)
Vdalricus Dux, filius Engelberti Ducis.

Data Anno Dominice Incarnationis MC. tricesimo quinto, Indiƈtione III. XVI. Kal. Aprilis, anno vero ordinationis Domini Lotharii Regis tertii X. Imperii vero II.

Aƈtum Babenbergae feliciter Amen.

 No.LXXI.

No. LXXI.

Lotharii Imperatoris priuilegium pro Regia Luttera. Anno 1135. Ex vetusto diplomatario MSCto, vnde id etiam procul dubio hausit Leyser. Obseru. Dipl. ad Inst. II. p. 5. qui tamen ait autographum periisse.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. *Lotharius* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Sicut pro augmentando religionis cultu noua inchoare salutiferum est; ita non minoris apud Deum meriti est, inchoata antiquitus, sed neglecta, in melius mutare & ordinare, eorumque redintegrationi vigilem curam adhibere. Cumque hunc consulendi affectum omnibus debeamus ecclesiis, specialius tamen & familiarius eas amplecti nos oportet, quas prouida Parentum nostrorum deuotio ad hoc plantauit & Deo obtulit, vt sue suorumque heredum saluti proficeret. Hunc itaque circumspectionis oculum Ecclesie nostre in *Luttere*, a Proauis nostris fundate, accommodantes, ablatis inde *sanctimonialibus* & alibi locatis, monasticam ibi vitam pro concilio *religiosorum nostrorum* ordinauimus. Que videlicet sanctimoniales licet ab initio ibi posite fuerint; ex consilio tamen prudentium & bonorum satius visum est, eas remoueri & *aliorsum* transferri, quia ex leuitate earum non parum religio & res ecclesie illius dilapse & minute erant. Predictum itaque locum monastice religioni *fouentes* (lege *vouentes*,) monachos ibi in perpetuum sub singulari *tramite* (i. e. *regula*) Deo seruire decreuimus: quibus ex consilio religiosorum Abbatem, virum venerabilem, Eberhardum prefecimus, quem & eius successores *presentium vi* ab omni seruicio *secularium* autoritate imperiali exemimus & exonerauimus. Qui videlicet viri venerabiles, vt in libertate semper liberius Deo seruire possint, prefate ecclesie bona, que a prima fundatione sua possederat sanctimonialibus existentibus adhuc in ipsa, & que nos postmodum ad sustentationem monachorum in ipsorum institutione iam dicte contulimus ecclesie, (videlicet) in Luneburg *super* salinam vnum chorum salis cum medio; hereditatem nostram *Luttere* cum omnibus attinentiis, *nihil exceptis*; insuper syluas adiacentes vulgariter dictas *Elm* & *Brock* cum omnibus attinentiis consimiliter earundem; in Schickelsen XXIV. mansos; curiam dictam Hagen cum XII. mansis, decima, pascuis, viis, inuiis & omnibus attinentiis *nihil exceptis*; in Sanderslebe XXI. mansos; in Flote XVII. mansos; in Merdorp XII. mansos; in Bernstorp XII. mansos; in Nuenstiede XVI. mansos cum dimidio; in Ingelebe XII. mansos; in

Borste

Borſte VII. manſos; in Kneitlinge VIII. manſos; dictam (*forte:* caſtrum vel vnum ſcilicet manſum:) de Wulfesburg; villam Keſtorp; villam Bergfelde; villam Bornum; Watenſtede V. manſos; Achen II. manſos. Quae omnia ita ſtatuimus libera, vt tam apud nos quam apud heredes noſtros ab omni ſeruitutis debito ſemper aliena ſint, hacque ipſos libertate donamus. Similiter familiam Eccleſie Abbati fratribusque ipſius loci ſeruire decreuimus; Aduocatiam eccleſie iuri noſtro ſeniorique noſtrorum Heredum reſeruantes, per vnum miniſterialem noſtrum, absque hereditario iure, Abbate petente, adminiſtrari decernimus. Qui vocatus ab Abbate placitum teneat, nullum exigens ſeruitium, nec in aliquo familiam grauans; ſi quis noxe conuictus fuerit, Abbati ſex ſolidis, Aduocato pro ſuo iure tribus componat; ſi quis de familia aliquo membro mutilatus vel debilitatus fuerit, quicquid iuſtitia dictante pro compoſitione datum fuerit, due partes debilitato, tertia Abbati detur; ſi autem ab aliquo extraneo occiſus fuerit ſeruus Eccleſie, Aduocatus de Wergelde quartam partem accipiat, Abbati tres remaneant. quodſi inter familiam noſtram & eccleſie aliquis alium ſine prius facta querela occiderit, detonſus & virgis verberatus ei detur, cuius ſeruum occiderit. Quodſi iuſtis ex cauſis alius alium occiderit, ſine preſcripta poena detur illi, cuius ſeruum occiderit. Volumus, vt, ſi qua mulier de familia eccleſie ſeruo noſtro, ad miniſterialium (*forte:* aut vni miniſterialium) noſtrorum nupſerit, data iuſtitia, que *Bumeda* dicitur, in perpetuum cum Marito iuri noſtro remaneat. Et e conuerſo idem fiat, ſi qua de familia noſtra eccleſie ſeruo nupſerit. Quicquid tum hereditarii iuris habuerit, ad legitimos heredes, eis defunctis, tranſeat. His itaque ad quietem Seruorum Dei imperiali autoritate confirmatis, precipiendo iubemus, vt nulla magna paruaue perſona in his conceſſis eos inquietare moleſtareque preſumat, ſed quiete ipſi talibus conceſſis perpetuo duraturis, nullo infeſtante, potiantur. Si quis in contrarium, quod non credimus, conatus fuerit, centum libris auri, medietatem Camere noſtre, & medietatem preſatis componat. Quod vt verius credatur & ab omnibus *relinquentibus* cuſtodiatur, preſentem chartam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus. Huic autem confirmationi ſiue traditioni idoneos teſtes adhibemus:

Epiſcopum Dithmarum Verdenſem.
Anſelmum Mindenſem.
Arnoldum Naumburgenſem.
Annonem Luneburgenſem. (Abbatem.)
Prepoſitos Hartmannum, Schnelhardum, Eggerhardum Bernonem.

 Laicos

Laicos quoque: Ludolphum, Gerhardum, Giefelbertum, Wasmarum, Sigfridum.

Signum Domini Lotharii tertii Romanorum Imperatoris inuictiffimi.

Conradus vice Adelberti Archicancellarii recognoui.

Acta Kal. Aug. MCXXXV. Indictione XIII. regni Regis Lotharii X. Imperii tertio, in Neuenberg in Chrifti nomine feliciter Amen.

No. LXXII.

Placitum Richenzae Imperatricis Regii Lepidi habitum in caufa Monafterii Nonantulani.

Anno 1136. Ex Murator. Antiq. Ital. T. I. p. 613.

CVM refideret Domna *REGENZA Imperatrix*, *vxor* Sereniffimi Imperatoris *LOTHARII*, in Ciuitate Regio ad iuftitiam faciendam, & cum ea Domnus Anfelmus Auelbergenfis Epifcopus, & Adelmus Regenfis Epifcopus, & Domnus Bruno Epifcopus, Federicus quoque & Garnerius Marchiones, Odolricus Craffus, Comes Otto, Comes Robertus de Grauin, Theodoricus de Dura, Theodoricus de Storite, Artemfius Comes, Tigrinus de Immola, Bernardus & Guido filii Manfredi, Gerardus de Plaza, Rainerius & Guizardus de Balugula, Cazaguerra, Oliuerius de Taculis, Rainerius de Gumula, Gandulfus & Vbaldus de Caftellarano, & alii quamplures: Conqueftus eft Ildeurandus Abbas Monafterii Sancti Siluestri de Nonantula, vna cum Adegerio Aduocato Ecclefie de terra, que dicitur Cella, quam olim Vbertus filius Ardicionis Comitis in feudo habuit, & poft eum Conradus Marchio; quo mortuo fine heredibus terram deueniffe in Ecclefiam predictus Abbas firmiter afferebat. Sed fuerunt quidam, qui iam dictam terram Celle tenere vifi funt, dicentes, fe fe eam pro fua pecunia loco pignoris a Conrado accepiffe; quidam vero pro Feudo eam fe habere dicebant; & haec nomina eorum: Arduinus & Guidotto de Palude, Bernardus & frater eius filii Maleadobati, Menaboues & frater eius, Gerardus & Ingezo filii Rainerii de Coruiago, Guibertus filius Domni Gerardi filii Rogerii de Regio, & quidam alii. De iftis autem fupra nominatus conqueftus eft Abbas Nonantulanus, & cum eo Adegerius eius Aduocatus, fuppliciter exorans Domnam Imperatricem, vt iuftitiam confequeretur. Tunc Domna Imperatrix a fupra dictis & Teutonicis & Latinis, quibus intererant etiam Paganellus de Corlena, Cordalius, petiit, quod illi faciendum effet fuper hanc

hanc querimoniam. At illi omnes communiter consilio habito, vnanimiter dixerunt: secundum vsum Regni Abbas Nonantulanus in iam dictam terram Ecclesie per Missum Domne Imperatricis, collaudatione totius Curie, ex integro debet restitui. Quod valde placuit Imperatrici; & dedit Abbati Conradum Teutonicum, qui eum in Celle possessionem restituit. Laudauerunt insuper supra dicti Teutonici & Latini, vt quicunque supra dictorum hominum, qui iam dictam terram tenere videbantur, super quibus sententia data est, iam non amplius habendi quod pecuniam dedit, & terram pro pignore accepit, pecuniam & terram perderet: qui vero pro Feudo aliquid inde quereret, ad Curiam Abbatis veniret, & ipse congregatis Ecclesie fidelibus eorum & Aduocati consilio, iustitiam petentibus faceret. His omnibus sollempniter ordinatis & iudicatis, Domna Imperatrix suum bannum patenter coram omnibus edidit, vt quicunque contra hanc Laudem & Iuditium tantorum virorum & eius confirmationem agere presumpserit, & Abbatem vel Ecclesiam molestare vel inquietare temptauerit, eius malam voluntatem incurrat, & penam quinquaginta Librarum auri sustineat, medietatem Curti Regie, & medietatem Nonantule Ecclesie. Et hec Cartula perpetuis temporibus in sua permaneat firmitate.

Actum in Ciuitate Regio feliciter, Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI. Septima die intrante Mense Nouembri Indicione XIV.

Ego Martinus Sacri Palatii Notarius rogatus hanc Cartam scripsi, compleui & tradidi.

No. LXXIII.

Placitum Richenzae Imperatricis in caussa Canonicorum Ecclesiae Regiensis. Anno 1136.

Ex Murator Antiq. Ital. T. VI. p. 233.

DVM in Dei nomine serenissimi Imperatoris *LOTHARII Coniux*, *RICHEZA Imperatrix* sanctissima, & Romanorum semper Augusta, in ciuitate Regio ad iustitiam faciendam resideret, ibique multas ac varias querimonias per probatissimos Iudices, videlicet Adegerium de Nonantula, atque Gerardum de Panciano, solerti cura discuteret, residentibus ibidem cum eis ad Placitum Domno Adelmo, Regiensi Episcopo, & Anselmo, Auelbergensi Pontifice, Fedrico Marchione & fratre suo Guarnerio, Odolrico Crasso, Theodrico de Dura, Artenisio, Guidone filio Manfredi, Gerardo de Plaza, Rainerio de Saxo, & pluribus aliis Teutonicis ac Latinis, Clericis & Laicis, cum quibus Regenses etiam Consules, & maxima pars populi pariter residebant, scilicet Adegerius de Burgo,

go, Alberto Malberti, Vbaldus Palearius, Rainaldus Almani, Oluierius de Tacculis, Malatacca, & Vgitio filius Alberti Rogerii, & multi alii. Lamentata est Ecclesia Sancte Marie de Vgone de Sisso, & Nepotibus eius, qui eiusdem Ecclesie terras iniuste tenebant in Striniatis. Et lamentata est de Eustaucio, Anselmi Canonici filio, qui Canonicam patris ab ecclesia alienauit in Curtexelle & in Riualta, & vbicumque fuit. De Gerardo quoque Albini lamentata est, qui tenet vnum mansum eius in Vuegnano, & Decimam de Nuuellaria. Insuper de filiis Armani Cauazoli, qui tenent terras eiusdem Ecclesie in Fossa. Preter istos, de Guiberto de Sariula qui tenet duos Mansos in Canole, & vnum in Riualta, & per quem filii Grimaldelli tenent duos Mansos prefate Ecclesie, vnum in Tuano & alterum in Massa, & per quem Guido de Rozo tenet vnam Braidam in Ponte Platulo & quamdam terram in Saldinis suis vendidit. Lamentata est de Burgundione de Saxo, qui tenet vnum Mansum in Canole, laboratum per Melones, & alium Mansum in Bagnolo, & vnam petiam de terra in Saldinis, & vnam decimam in Rodano. De Domnino Carapeza etiam lamentata est Ecclesia, qui contra Deum & contra anime eius salutem tenet terram in Canarole, vnde eadem Ecclesia coopericbatur, & tenet Braidam in Ponte Platula, & Mansum Guidonis de Madulo, quem tenet in Riualta cum Petro Iohannis Tusci socio eius. Quibus secundum Leges ter & quater conuocatis & expectatis, nec ad predictum Placitum venerunt, nec qui pro eis iustitie satisfaceret, mittere studuerunt. Iudices itaque cum Curia iudicauerunt hos, & eorum similes, tamquam procaces & latitantes, a predictarum rerum possessione debere excludi, & predictam Ecclesiam exinde inuestiri & intromitti. Quod totum per idoneos eiusdem Curie Ministros ordine completum est. Insuper etiam, ex parte Domini Imperatoris & Imperatricis predicte, Curia bannum firmauit, vt quicumque Ecclesiam de supra scriptis rebus intromissis molestare vel inquietare temptauerit absque legali iudicio, malam voluntatem Imperii incurrere, & insuper pena centum Librarum auri persoluere sese non ambigat medietatem Regie Camere & medietatem prenominate Ecclesie. Ad cuius rei memoriam & stabilitatem habendam & retinendam, hanc cartam iam dicta Curia fieri precepit.

Quam Ego Martinus, eiusdem Regalis Curie Notarius scripsi, compleui ac dedi, Anno ab Incarnatione Domini MCXXXVI. intrante Mense Decembris, Indictione XIIII.

Signum - - - - - - - - - - - semper Auguste.

Actum Regio feliciter.

Locus ✠ *Sigilli cerei deperditi.*

No. LXXIV.

No. LXXIV.

Anacletus Pontifex intrusus Richentae Imperatricis Imperium regentis auxilium & consilium in regenda Ecclesia sibi expetit. Anno 1130. Ex Baron. Annal. T. XII. p. 191. n. 24.

ANACLETVS &c. Auditum habemus, charissima in Domino filia, quod vere Christiana sanctitate refulgeas; quod ecclesias diligas; quod seruos Dei piis vbique solatiis foueas: nec minoribus es profecto praeconiis attollenda, quod *totius regni regimen censura iustitiae de tua potissimum dicitur moderatione pendere.* Quae de beatitudine tua, illustrissima filia, audiuimus, incunctanter & credimus, & haec & alia plura de te nobis bona saepius nuntiata laetificant, & omnipotentem Deum assiduis precibus exoramus, vt incepta sanctitatis opera Apostolorum Petri & Pauli meritis pio & meliori te faciat fine concludere. Hortamur itaque nobilem prudentiam tuam, & in Domino commonemus, vt inter regni curas, & secularium negotiorum sollicitudines, & seculi glorias, cor tuum semper ad Dominum habeas, & te quandoque cogites morituram: non de piis operibus mundi laudes affectes, ne, dum hominibus foris placere delectat, Dei intus oculis possis displicere. Virum tuum, charissimum filium nostrum, *Lotharium*, Christianissimum Regem, sedulis suggestionibus adhortare, vt sic terreno regno humana potestate praesideat, quatenus ipsum, qui supra nos est, per quem Reges regnant & Principes iusta decernunt, qui transfert regna cum vult, qui facit Reges inglorios & accingit fune renes eorum, caute semper & diligenter attendat. Et licet ipse Romanam Ecclesiam, vt certum habemus, plenis brachiis amplexetur; dilectionem tamen eius & affectum circa Sedem Apostolicam & nos, qui eum ex longo tempore dileximus, per tuam potius optamus industriam propagari. Porro nos personam eius propensiori charitate diligimus, & honorem suum, largiente Domino, cupimus conseruare, & diligentius & efficaciter ampliare. Quia igitur peccatis meis exigentibus Ecclesiae regimen sum subire coactus, & Apostolatus onus cogor in amaritudine animae meae portare; sanctorum virorum solatiis egeo, vt orationum suarum instantia mihi semper Deum propitium faciant, & gratiam eius in omnibus vbique opportunitatibus augeant. Et ideo te plurimum deprecamur, vt & Deum habeas pro nobis obnixius exorare, & auxiliis & piis consiliis tuis nos crebrius alleuare.

alleuare. Vitam & annos tuos omnipotens Dominus, Apoſtolorum ſuorum Petri & Pauli meritis, in bonis operibus augeat, & poſt vitae huius curſum vitam tibi largiatur aeternam.

Datum Romae apud ſanctum Petrum Idibus Maii.

No. LXXV.

Henrico IV. Imperatori conſulitur, vt praedium Gredingin, euitandi tumultus cauſa, H. Comiti Saxoniae per Epiſcopum Eichſtadienſem reddat. Anno 1090.

Ex Cod. Vdalrici Babenberg. p. 211.

DESIDERANTISSIMO Domino ſuo Henrico, ſereniſſimo Romanorum Imperatori Auguſto R. (Rubertus) Dei gratia Babenbergenſis Epiſcopus ceterique ſui fideles Nurenbergenſes cum inſtantia orationum ſeruile in omnibus obſequium. Sicut in omnibus veſtris negotiis ego R. deuotiſſimum me ſemper, exhibui, ſic etiam vſque in finem maiori quoque ſtudio in omnibus veſtrae obediam voluntati. Et quicquid mihi per Dominum G. mihi iniunxiſtis omni circumſpectionis diligentia ad veſtram voluntatem perficere ſtudeo. Perfectae vero dilectionis ardore, nullatenus celare vos audeo, tam amicos, quam inimicos noua quaedam machinando conſoederari, & valde neceſſarium eſſe, vt quantocius ad nos redeatis, quoniam praeſens corpore facillime poteſtis vniuerſa ad veſtram voluntatem componere, quae veſtri abſentia in incorrigibile malum formidamus excreſcere. Vale.

Ego G. & C. ſummopere vos obſecrando monemus, quatenus Domino noſtro, Epiſcopo Babenbergenſi, intime literis veſtris gratias agendo, benignisſimum eum vobis exhibeatis, quoniam nunquam maiori ſtudio ad veſtram legationem deuotiorem ſe exhibuit. Comitem H. in Saxonia nondum conuenire potui, quia cum exercitu Weſtphaliam ingreſſus nondum eſt reuerſus; breui autem ambo pro veſtra eum vtilitate conueniemus. Quantum autem ex nuntio ei transmiſſo perpendimus, nihil vobis in eo oberit, ſi tantummodo *praedium ſuum Gredingin*, vt ei promiſſum eſt, receperit. Si autem in hac expectatione fruſtretur, profecto omnino a vobis abalienabitur. Huius autem poſt praedii reſtitutionem, nullius inuaſionem in vacuis illis partibus Saxoniae, nullius violentiam in tota illa patria oportet vos, ſicut ipſe promittit, formidare. Fratres etiam ſuos, poſtquam conuenerimus, in quantum arbitremur, vſque ad veſtrum aduentum in veſtra fidelitate detinebimus; vos autem, ſicut eis promittimus, condigna liberalitate ipſos redimendo beneuolos vobis efficite.

efficite. De Colloquio IIX. Kal. Iulii indicto a Principibus omnino vos solicitari non oportet, quia nostra sollertia illud praeueniendo penitus adnihilabimus. Inceptio H. causaque sua erga vos amicis, inimicis, vniuersoque displicet regno. Sed quamuis vniuersi, etiam mussent; nihil tamen Deo annuente vestrisque fidelibus annitentibus, vobis orietur formidabile. Ceterum vniuersus status Imperii vestri maiori in dies inter nos prosperatur tranquillitate. Episcopus *Eistetensis* legationem vestram, quae absque literis vestris ei venit, minus autenticam habuit. Nunc autem cum sigillo literarum vestrarum rursus rogando, & sub obtentu gratiae vestrae praecipiendo efficite, quatinus Comiti H. praedium suum *Gredingin* reddatur. Sin autem, profecto ipsius culpa tantus vir a seruitio vestro penitus alienabitur. Similiter H. & N. militibus eius, sigillo vestro idem praedium interdicite. Pro Episcopatu Mersburgensi intime vos obsecramus, quatinus, si electione cleri & populi fieri possit, magistro Babenbergensi concedatis, quem vobis in omnibus fidelem ac deuotum probauimus. Quicquid de his omnibus vobis placuerit, citissima legatione literarum vestrarum tam Domino nostro Episcopo, quam nobis renuntiate.

No. LXXVI.

Eichstadiensis Episcopi sententia de eo proposito. Anno 1090. Ex Cod. Vdalrici Baberg. p. 212.

REVERENDISSIMO, diligendo ac diligentissime verendo Domino Archi-Praesuli A. G. licet indignus Episcopus quicquid deuotionis & obsequii homini ab homine praestari potest impensius. Quod vestra dignatio de fidei deuotionisque constantia tam sincero praesumit iudicio, id vero & debita me afficit gratulatione, & multa in futuris onerat sollicitudine, vt tam bonam de me persuasionem perpetuam vobis commendem. Porro quod paruitatis nostrae officium erga vos exile nimis & ieiunum, tam magnifica appenditis aestimatione, ne quidem meum meritum, sed propensum vestrae caritatis intelligo affectum. Est enim hoc solemne prorsus & familiare sincere diligentibus, vt tenuissimam operam eorum, quos diligunt, velut egregiam & singularem admirentur. Et nostro & totius regni nomine gratulor vobis, quod perditis aemulorum consiliis tam mature vos occurrisse, tam prudenter ea dissipasse, ex literis vestris cognoui. Verum tamen dum singula mecum atque etiam retracto, solidum sincerumque gaudium vix audeo con-

cipere. Suspectum quippe mihi est, quod de Marchione O. & Archi-Episcopo Moguntino, qui se velut caput coniurationis effert, nihil scripsistis. Mouet etiam *Ducis Bauwariorum* tam facile recepta purgatio, tam facile credita excusatio. Dolosis H. consiliis nihil dissimulatione aptius est. Quamobrem velim vos vnice commonitum, vt in omnes partes circumspecte vos agatis, nihil de priori diligentia remittatis. Nostis mores, nostis tempora. Quod credat, aut cui credat, nemo habet; & in tam dubiis rebus periculosa est securitas, damnosa facilitas, perniciosa credulitas. Noui, quam super effluens sit haec instillare; sed exacto amori difficile modum persuaseris.

De Comite H. quam sim exacerbatus vtinam dissimulare possem: Verumtamen quia id non licet mihi nolle, quod vos tantopere intelligo velle, imperaui dolori, extorsi animo, vt, cum ad vos venero, ex vestra praecipue sententia & *Ducis B.* (Bauwariorum) consilio rem patiar componi. Comitis N. causam etiam atque etiam vestrae fiduciae esse volo commendatam, ne Comes H. in nostram iniuriam sub alieno nomine de illo triumphet. De mea cum Domina Imperatrice disceptatione id solum volo ad praesens rogare, vt vbi occasio aliqua dederit, solitam Ecclesiae nostrae opem & tutelam praetendere non grauemini.


No. LXXVII.

Comes Hermannus de Saxonia & Gotefridus Comes de Calwe Henrico V. Imperatori ecclesiam ad portas Ratisbonnae confirmanti adsistunt. Anno 1111. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. I. p. 173.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HENRICUS* diuina fauente clementia quartus Rom. Imperator Augustus. Nouerit omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium nostrorumque vniuersitas, praesentium scilicet ac futurorum, quod pro remedio animae patris nostri Henrici III. Imperatoris, rogatu Scotigenarum, nec non ob interuentum Principum nostrorum, Alberti Moguntinensis, Adelbaldi Magdaburgensis Archi-Episcoporum, & Episcoporum, videlicet Ottonis Babenbergensis, Vdalrici Constantiensis, Comitum quoque *Herimanni de Saxonia*, *Gotfridi de Calwe*, Hermanni Marchionis, & aliorum nostrorum fidelium in nostrum mundiburdium suscepimus Ecclesiam Ratisponae, quae iacet ante portam occidentalem, quae Roselint, alias Ruselin porta dicitur. Quam Otto Ritinburgensis, vrbis praefectus Ratisponae, & alii quidam ex ciuibus eiusdem praenominatae ciuitatis, videlicet Matho, Vdalricus, Luduinus, Adelhardus & frater eius Anebast, Otto, Henricus, Heselinus & filius

suus

suus Ruobertus, Balduuinus, Eggehardus, Ludwinus, Wizenlinus, Lubelbertus, Dietmarus, Engilscalcus emerunt ab Adelhuno, & filiis eius, Vdelrico & Adeluino, de praedio illo, quod Monespach nominatur, dotauimus, assensu quoque Hartwigii venerabilis Ratisponensis Episcopi, Friderici aduocati, Ottonis Comitis, Alberti Comitis, Henrici aduocati, Mathonis & aliorum praelatorum eiusdem loci, donantes ea sanctae Mariae matri Domini & sanctis Apostolis Dei, Petro & Iacobo, sicut mos est sanctis tradi, sine omnium contradictione, quatenus in illorum honore Deo ad seruiendum Ecclesiam ibidem construerent; quod & ita factum esse ab omnibus cernitur: eo siquidem tenore, vt eadem Ecclesia in perpetuum libera permaneat, nec ab aliqua persona magna vel parua ibidem Deo famulantes grauentur, nec quicquam seruitii nisi soli Deo & sanctis eius alicui inde soluere cogantur. Si quis autem hanc libertatem infringere tentauerit, XII. libras auri compositurus banno nostro subiacebit, medietatem Camerae nostrae & medietatem supradictae Ecclesiae. Quod vt verius credatur & ab omnibus obseruetur, impressione nostri sigilli iussimus insigniri.

Signum Domini Imperatoris  Henrici quarti Rom. inuictissimi.

Arnoldus vice Adelberti Archi-Episcopi & Archi-Cancellarii recognoui.

Data VII. Kal. April. Indict. IV. Anno Dominicae incarnationis MCXI. Anno ordinationis Domini Henrici Regis Romanorum XI. Regni autem eius VI. Imperii vero primo.

Actum est Goslariae, in Christo feliciter Amen.

No. LXXVIII.

Lotharii Saxonis diploma pro Monasterio Walciodorensi, subscriptum a genero Henrico, Duce Bauariae & Marchione Tusciae. Anno 1136. Ex Martenaei collect. ampliss. T. I. p. 747.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Lotharius Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Ad imperialem munificentiam pertinet, bene de republica merentibus praemia rependere, & cete-

ris ad famulatum Imperii surgentibus dotem in exemplum ac bonae spei signum collocare. Quocirca nouerit fidelium nostrorum tam futurorum quam praesentis aetatis industria, quod, interuentu dilecti ac fidelis nostri Wibaldi abbatis, qui nunc, Deo auctore, Stabulensi Monasterio praeest, priuilegia *Walciodorensis Monasterii, in quo praedictus abbas sanctum religionis habitum suscepit, & iuxta regulam beati Benedicti & sanctorum patrum instituta professionem fecit*, recitari & exponi iussimus, in quibus scriptum continebatur, quod vir quondam illustris, Elbertus comes, in proprio hereditatis suae fundo Monasterium secundum regulam & ordinem monachorum in pago Lumensi construxit, & de suo iure ac proprietate in ius & donationem regiam concessit & transegit, quod Monasterium cum omnibus appendiciis suis Imperator Otto primus, cui a praefato Comite, suo vtique consanguineo, donatum fuerat, contulit Metensi ecclesiae per manus Deoderici, venerabilis Metensis Episcopi, hac scilicet interposita rationis obseruantia, vt idem pontifex quemdam locum, Hasteria nomine, olim a sanctissimo praedecessore suo Adalberone antistite ex proprio hereditatis iure sancto protomartyri Stephano in Metensi ecclesia delegatum, supradicto coenobio gratia solaminis copularet. Et quoniam proxima vicinitate iunguntur, etiam sub vnius ditione & ordinatione abbatis eadem praefata loca, Walciodorus videlicet atque Hasteria, indissolubili vinculo necterentur: quae constitutio tam a diuae recordationis praenominato Augusto per venerandae sanctionis paginam roborata, quam apostolicis decretis per sanctissimum papam Benedictum confirmata, vsque ad nostra tempora immobilis permansit & inconuulsa. Quocirca nos, Imperialem praedecessorum nostrum auctoritatem sequentes, confirmamus Theodorico abbati, qui nunc Walciodorensi coenobio praeest, & cunctis abbatibus, suis videlicet successoribus, regulariter ibidem substituendis, eumdem locum, Hasteriam videlicet, cum omnibus intus & foris ad ipsum pertinentibus, ita scilicet, vt habeant plenariam potestatem possidendi & ordinandi, & ad vtilitatem Walciodorensis Coenobii applicandi & agendi vniuersa, quae abbates agere solent in fundis, ad suum Monasterium iure proprietario pertinentibus: & decedente eo, qui nunc illi, Deo praestante, regulariter praeest, Theoderico abbate suisque successoribus in perpetuum regulariter ordinandis, Hasterienses monachi conueniant Walciodorum, tam ad exequias defuncti abbatis deuote paragendas, quam ad electionem futuri pastoris disciplinate & concorditer celebrandam, hoc videlicet discretionis tenore, vt primus assensus, prima vox, prima denominatio penes Walciodorensium constet arbitrium, & de ipsorum coetu persona, si fuerit idonea inuenta, absque contradictione Hasterien-

Hasterienſium eligatur. Quod ſi ibi forte reperiri non poterit, atque in Hasterienſi eccleſia perſona conueniens inuenta fuerit, de ipſis potius quam de alieno Monaſterio praelatus aſſumatur. Et vt haec conſtitutio rata & immobilis per cuncta ſucceſſura tempora permaneat, praeſens praeceptum conſcribi mandauimus, noſtraeque ſigno imaginis impreſſo teſtes, qui actioni & iudicio interfuerunt, ſubtus notari iuſſimus.

Albero, Treuirenſis archiepiſcopus.
Cuonradus, Madaburgenſis archiepiſcopus.
Meingotus, Merſeburgenſis epiſcopus.
Albero, Baſileenſis epiſcopus.
Albero, Leodienſis epiſcopus.
Heinricus, Tullenſis epiſcopus.
Cuonradus, Fuldenſis abbas.
Laicorum principum: *Heinricus Dux Bauariae & marchio Tuſciae.*
Cuonradus, marchio de Vuitin.

Signum domini Lotharii II. Dei gratia Romanorum imperatoris auguſti.
Data anno Dominicae Incarnationis M C XXXVI. XVI. Kal. Septembris, indictione XIV. anno regni domni Lotharii XI. Imperii III.
Actum Vuerſeborche, (Merſeburgi) in Chriſti nomine feliciter, Amen.

No. LXXIX.

Lotharii Imperatoris diploma pro Monaſterio Stabulenſi, aureis characteribus exaratum, bullaque aurea munitum, & ſubſcriptum a genero Henrico Bauariae Duce & Marchione Tuſciae. Anno 1137. Ex Martenaei Collect. ampliſſ. T. II. p. 98. ſeq.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Lotharius Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus, Wibaldo, Stabulenſi abbati, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Cum omnium Dei eccleſiarum paci ac quieti & vtilitatibus noſtra imperialis ſollicitudo ac potentia conſulere debeat, tum maxime benignitatis & curae noſtrae ſtudium circa eas eccleſias inuigilare oportere credimus, quae ad Imperium noſtrum pertinent, &, vt ita dictum ſit, noſtro Imperio cohaerent, quae etiam iugi & aſſiduo orationum ſuffragio nos & Imperium noſtrum adiuuant, & in temporalibus Imperii adminiſtrationibus noſtros & labores & expenſas fideliter ſupportant. Quocirca Stabulenſe Monaſterium, a praedeceſſoribus noſtris regibus & imperatoribus nobiliter conſtructum, & magnis poſſeſſionibus ampliatum, multisque priuilegiis magnifice honoratum, & libertate

libertate singulari donatum, cum tamquam nostrum proprium arctius diligamus, & in omnibus iuste opitulari velimus; praecipue tamen personam domni ac venerabilis abbatis, Wibaldi, qui eidem coenobio regulariter praeest, praecipuo amore ac familiaritate nostra dignam iudicamus, cuius fides & deuotio circa stabilitatem & honorem Imperii nostri in hac Italica expeditione manifeste satis enituit, qui post multos labores & pericula, quae pro nobis & nobiscum in administratione nostri Imperii in Apulia fideliter pertulit, nobis redeuntibus in Monasterio Cassinensi a fratribus eiusdem loci & vniuerso populo violenta & admirabili prorsus electione in abbatem raptus, & ad honorem & firmitatem nostri Imperii remanens, nostram celsitudinem petiit, vt Stabulense Monasterium, cuius curam ipse non deposuerat, & res ad ipsum pertinentes nostro Imperiali priuilegio munire & confirmare dignaremur. Cuius petitioni piae & rationabili facilem assensum praebentes, iam dictum Stabulense Monasterium cum Malmundario & omnibus prorsus appenditiis, secundum instituta & praecepta regum Sigiberti, Dagoberti, Theoderici, Childerici & aliorum, nec non Imperatorum Caroli, Ludouuici, & trium Ottonum, Conrardi quoque, & Heinricorum quinque, in nostram tutelam suscepimus; ita videlicet, vt numquam liceat alicui regum vel imperatorum eamdem abbatiam cum omni integritate & aduocatia omnium possessionum eius vllo alienationis modo scindere a regno, vel alium ei dominum imponere, vel alicui in beneficium aut in concambium dare, sed semper ad nostram nostrorumque successorum manum & seruitium inconuulsa stabilitate permaneat, & libertate sibi collata pacifice potiatur, nullum teloneum, nullum pontaticum, nullum transitum vel exitum, nullum denique publicum terra aquaue vectigal, aut pensionem monachi siue ipsorum homines in nullo regni nostri loco persoluant, terminos banni leugae secundum, quod in antiquioribus priuilegiis nominati & inscripti sunt, cum omni immunitate & comitatu suo, sicut hactenus eadem ecclesia possedit, ita per succedentia tempora immobiliter obtineat.

Sancimus etiam praedecessorum nostrorum more, vt Malmundarium cum omnibus suis pertinentiis a Stabulensi nunquam diuellatur aut separetur Monasterio, secundum quod iam tertio tentatum est, sed iudicio principum legitime cassatum, & imperatoriis priuilegiis finaliter est decisum. Defuncto igitur per successionem abbate, monachi vtriusque loci Stabulaus in capitolium concorditer veniant, habeantque liberrimam facultatem secundum sancti Benedicti regulam eligendi sibi abbatem; ea tamen praeponderante ratione, vt, quia beatus Remaclus, vtriusque ecclesiae constructor & primus abbas, Stabulaus quiescere, vel locum illum Mal-

mundario

mundario sua sepultura & ordinatione abbatum praeferre voluit, Stabulenses primam vocem in electione obtineant, & de Stabulensi conuentu, si digna fuerit inuenta persona, abbatem eligant: quod si nulla ibidem idonea persona, quod fieri posse non credimus, inuenta fuerit, potius a Malmundariensi conuentu, quam ab extraneis, abbas eligatur. Ceterum si inter se nullam ad hoc officium personam aptam inuenerint, liceat eis libere de alio quocumque regulari loco sine contradictione alicuius abbatem eligere, & a nobis vel successore nostro regni more inuestitum, a Leodiensi episcopo, cui nullum seruitii genus, vel hospitium seu prandium debet, consecrationem & Monachorum suorum ordinationem sine precio aut vlla exactione accipere. Aduocatum a nostra manu accipiat, qui nobis exercitum & expeditionem, & quae ad ipsam pertinent, pro summa & debito sui beneficii faciat, abbate & suis omnibus super hoc quiescente, & nullam pro hac nobis aut ipsi aduocato redemtionem aut supplementum praestante. Qui aduocatus si secundum a se aduocatum ordinare voluerit, ille secundus bannum a nostra manu accipere debebit. Plures autem aduocatos in eiusdem abbatiae curtibus fieri nostro Imperiali banno perpetua censura interdicimus. Qui Aduocatus in curtibus & villis nullum hospitium, nullum placitum, nullam prorsus exactionem debet habere, non freda, non redibitiones exigere, non precarias vel incisuras facere, non palefridos tollere, sed omnium rerum & culparum potestas & ordinatio, iustitia & vtilitas penes abbatem & monachos, & eos, quos ipsi ordinauerint, libere tota consistat. Vbi vero abbas cum suis ad iustitiam faciendam non sufficeret, si aduocatus petitione abbatis, quia aliter numquam debet, venerit, tertiam portionem de his, quae ex illa duntaxat iustitia accrescent, habebit. Castellum Longiae cum toto montis corpore & vtrisque vallibus & comitatu, ad indominicatam abbatis manum & potestatem & ordinationem, cum omnibus beneficiis & casatis, qui ad custodiam ipsius castelli pertinent, semper spectare & pertinere decernimus, nec in ipso castello, aut in possessionibus ad ipsum pertinentibus, aliquam habitationem vel potestatem aduocatum habere permittimus. Quidquid eadem ecclesia munificentia regum aut imperatorum vel religiosorum Christianorum largitione obtinuit, tam in fundis, quam ecclesiis, capellis, decimationibus, & omnibus eorum appenditiis, & commoditatibus, sicut hactenus possedit, siue illa quae deinceps iustis modis obtinere potuerit, parua vel magna, vbicumque locorum fuerint sub nostrae tuitionis potestate inmobiliter ei confirmamus, & maxime possessionem, quam Aquisgrani eadem habet ecclesia, id est, domum indominicatam, & capellam indominicatam & liberam, & do-

mos triginta in vna parte viae, viginti quinque per ordinem & ſine interruptione poſitas, ſcilicet a domo illa, quae fuit Cameracenſis epiſcopi, vſque ad foſſatum in ea parte, qua itur ad pontem Harduini, & in alia parte viae ante praefatam capellam ſanctae Aldegundis quinque domos, & ſex bonuarios terrae ibidem circumquaque iacentes, & ſeptem bonuarios in villa, qui dicitur Vals, & vnum manſum in monte Hillini. Quae omnia cum ſuis vſibus & ſeruitiis & cenſu libere ad Stabulenſem eccleſiam pertinere ſtatuimus, nec liceat alicui noſtrorum mariſcalcorum vel principum in praeſcriptis domibus, nolente Stabulenſi abbate, hoſpitium aut vllum ſeruitium habere. Et quia inter noſtros & eccleſiae Stabulenſis miniſteriales de ſeruitio, quod Stabulenſis annuatim debet eccleſia, non conueniebat, dicentibus noſtris, per ſingulas fruges eccleſiam qualecumque debere ſeruitium, fidelibus vero eccleſiae econtra dicentibus, ſeptimo anno plenum & regale ſeruitium debere; nos praedicti abbatis Wibaldi meritis, eiusque petitioni, cui contraire non poſſumus, in perpetuum concedimus & confirmamus, vt tam ipſe, quam ſui ſucceſſores, viginti marcas aut viginti marcarum ſeruitium ſingulis annis, ſi Aquiſgrani venerimus, nobis aut noſtris ſucceſſoribus perſoluat. Quod ſi vel Stabulaus vel in villas ad ipſum Monaſterium pertinentes nos aut ſucceſſores noſtros venire contigerit, aut trigenta marcas aut trigenta marcarum ſeruitium exoluet; nusquam vero niſi aut in domibus ipſius coenobii, aut Aquiſgrani praefatum ſeruitium aut ſeruitii redemtionem nobis vel ſucceſſoribus noſtris praeſtabit. Et quotienſcumque nobis ſeruiet, de ſingulis clericis ſuis, qui matrices eccleſias tenent, quinque ſolidos, & a ſingulis villicis ſuis quinque ſolidos, & per ſingulos manſus eccleſiae duodecim denarios accipiet, nullis manſis pro alicuius beneficio vel pacto ſiue pignore, ſeu ſeruitio ab hac penſione immunibus. Et vt hoc ratum inconuulſumque in omnia tempora maneat, hoc praeceptum & propria manu ſignauimus, & aurea bulla inſigniri fecimus: Teſtes etiam qui adfuerunt ſubter annotari fecimus.

Albero Treuerenſis archiepiſcopus.
Cuonradus Madeburgenſis archiepiſcopus.
Meingoldus Merſeburgenſis epiſcopus.
Albero Baſilienſis epiſcopus.
Albero Leodienſis epiſcopus.
Andreas Traiectenſis epiſcopus.
Anſelmus Hauelbergenſis epiſcopus.
Heinricus Tullenſis epiſcopus.
Cuonradus abbas Fuldenſis.

Henricus

Henricus Dux Bauariae & marchio Tusciae.
Cuonradus marchio de Witin.
Meinfridus marchio.
Fredericus marchio de Ancona, & frater eius Warnerus.
Comes Landulfus, Bucca Vitelli.
Comes Poppo.
Comes Adulphus, & alii multi barones Romani Imperii.

Signum domni Lotharii tertii Romanorum imperatoris inuictissimi.

Ego Ethardus vice Heinrici Ratisbonensis episcopi & archicancellarii recognoui.

Ego Engelbertus monachus vice Bertulfi notarii scripsi.

Data anno Dominicae incarnationis millesimo centesimo trigesimo septimo, indictione prima, decimo Kalend. Octobris. Anno vero regni regis Lotharii tredecimo, Imperii quinto.

Actum Aquini in Campania, in Christi nomine feliciter, Amen.

No. LXXX.

Lotharius Imperator Canonicis Veronensibus praesente Henrico Duce curtes Ceretae & Englariae confert. Anno 1137. Ex Vghelli Ital. Sacr. T. V. p. 710. edit. veteris & 776. edit. nouae.

In nomine Domini Dei aeterni. Cum in Dei nomine Lotharius Dei gratia Romanorum Imperator, & Riginza piissima Regina coniux eius essent in loco, qui dicitur Isola Cenese, & essent cum eis *Dux ENRICVS*, & Dux Conradus, & Archi Episcopus Madilburgiensis & Aicardus Subcancellarius, & Pelegrinus Patriarcha Aquilegen. & Dux de Carentana, & caeteri nobilissimi viri, ibique Otto Diaconus & Ingelbericus Acolitus a Canonicis Sanctae Mariae & S. Georgii maioris Veronensis Ecclesiae missi, & legati Gilberti venerabilis Archipresbyteri, & omnium aliorum Canonicorum supra dictae maioris Veronensis Ecclesiae venerunt, & coeperunt dicere atque deprecari, quatenus idem piissimus Imperator atque Imperatrix darent eis possessionem de castello & curte de Cereta, & de curte de Englare, quae dicitur curtis de Castello veteri, & defenderent & custodirent supra dictam curtem ad lucrum atque commodum omnium Canonicorum maioris Veronensis Ecclesiae. Et cum ipsi Canonici taliter dixissent, tunc die Sabbato,. qui est sexta die m. Nouemb. in praesentia bonorum hominum, quorum nomina haec sunt Bertoldus Camerlengus supra scripti Imperatoris, Rataldus de Castello, Benedictus eius

filius & reliqui, ibique in eorum praeſentia ſupra dicta Reginza Regina & Imperatrix ex mandato Imperatoris Lotharii mariti ſui accepit duos nobiles viros, quorum nomina haec ſunt Lampertus Marchio, & Girardus, & praecepit eis, vt ipſi pergerent, & munirent, atque defenderent, & cuſtodirent caſtellum, & curtem de Cereta, & curtem de Englare, quae vocatur curtis de Caſtello veteri iuris ipſius canonicae Sanctae Mariae & S. Georgii maioris Veronenſis Eccleſiae, & etiam poſſeſſionem ſupra dictarum curtium iam dictis Canonicis darent ad lucrum atque commodum ipſius Gilberti Archipresbyteri & omnium Canonicorum ſupra ſcriptae Eccleſiae, qui nunc ſunt, aut pro tempore erunt, qui Lampertus Marchio & Girardus ſecundum mandatum ſibi impoſitum poſſeſſionem ſupra dictarum curtium iam dictis Canonicis dederunt. Factum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo ſupra ſcripto die, Indictione quinta decima.

Ego Paltonarius Notarius Sacri Palatii interfui, & hoc Breue ſcripſi.

No. LXXXI.

Petri Diaconi Caſinenſis Monachi conſolatoria ad Richenzam Imperatricem, de obitu Coniugis Lotharii. Anno 1138. Ex Martenaei Collect. Ampliſſ. T. I. p. 756.

Dominae ſuae excellentiſſimae atque piiſſimae Richizae, a Deo protectae, magnae ac pacificae Romanorum Imperatrici Auguſtae, Petrus, veſtri imperii ſeruus, poſt praeſentis Regni potentiam, aeternam felicitatem.

LICET neruus inciſus doleat, & ſpiritus triſtis oſſa conterat; non tamen adeo lugendus eſt Dominus noſter Imperator *LOTHARIVS*, ſicut & hi, ſicut dicit Apoſtolus, qui ſpem non habent. Ad ſuum perrexit, in quo ſummum bonum eſt, in quo omnis bonitas, omnis iuſtitia, omnis pietas, omniſque ſanctitas eſt. Ad illum perrexit, qui ſua praecepta ſeruantibus clamare non ceſſat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam. Elias feſtinans rogabat, vt acciperetur a ſe anima ſua. Et poſt multa. Dolendumne eſt igitur in deceſſum? minime. Quid enim abſurdius, quam vt id, quod ſcias omnibus eſſe praeſcriptum, quaſi ſpeciale deplores. Hoc eſt animum ſupra conditionem extollere, legem non recipere communem, conſortium recuſare, mente carnis inflari, & carnis ipſius neſcire menſuram. Quid abſurdius, quam neſcire qui ſis; affectare quod non ſis? aut quid imprudentius, quod futurum ſcias, id, cum acciderit, ferre non poſſe?

posse? Natura ipsa nos reuocat, & huiuscemodi moeroribus quadam sui collatione subducit. Quis enim tam grauis luctus aut tam acer inest dolor, in quo non interdum relaxetur animus? Habet hoc natura, vt, quamuis homines in tristibus rebus sint, tamen, si modo homines sunt, a moerore mentem paulisper abducant. Fuisse etiam feruntur quidam populi, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent; nec imprudenter: eos enim, qui in hoc vitae seculum venissent, moerendos putabant; eos vero, qui ex istius mundi procellis & fluctibus emersissent, non iniusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Mors aequalis est omnibus hominibus, indiscreta pauperibus, indiscepta diuitibus. Hanc quotidie prae oculis tantus Caesar habebat, qui, sicut vidimus & experti sumus, dum in eius versaremur obsequiis, sub imperiali chlamide alterius militiae tirocinium ostendebat. Prius enim in lucis crepusculo missam pro defunctis audiebat; dehinc pro exercitu; postremo missam diei; demum cibum potumque viduis, pupillis ac ceteris pauperibus large distribuens, quaestiones & oppressiones Ecclesiarum releuabat, & in vltimo in cura Imperii insudabat. Quamdiu enim Casini remoratus est, omnibus noctibus ita claustrum & omnes officinas monasterii, ac si abbas vel quilibet decanus, circuibat, scire cupiens, qualiter vnusquisque sub beati Benedicti magisterio viuerent: factoque mane per omnes monasterii ecclesias causa orationis discalceatis pedibus incedebat. Licet autem hoc ageret, numquam a consortio Archi Episcoporum, Episcoporum, Abbatum, Clericorum vel Monachorum sequestrabatur, vt impleretur in eo quod legitur: & cum sapientibus ac religiosis sermocinatio eius. Quis autem eius grauitatem non miretur, cum ad sedandas dissensiones fratrum, quae pro electione abbatis ortae fuerant, ad capitulum veniens, ab hora prima diei vsque in vesperum, non cibo, non potui indulgens, exinde non egrediebatur. Quo autem affectu, quoue amore Casinensem dilexit ecclesiam, ostendit, cum dixit, prius se sinere omnia priuilegia & concessiones ecclesiarum conuelli, quam aliquid de dignitatibus & priuilegiis Casinensis ecclesiae minui: & prius sineret electionem omnium episcoporum, archiepiscoporum & abbatum qui sunt in toto orbe Romano tollere, quam solummodo Casinensis abbatis. Dicebat enim, abbas, si ex consensu monachorum electus non fuerit, abbas non est: & quicunque electionem monachis tollit, omnia monasterii iura conuellit. Et cum haec omnia ageret, erat tamen caecorum baculus, esurientium cibus, spes miserorum, solamen lugentium; & ita singulis virtutibus eminebat, quasi ceteras non haberet: sacerdotes honorabat vt dominos, clericos vt patres, pauperes vt filios, viduas vt matres, creber monitionibus, per-

peruigil in vigiliis, lacrymas Deo non hominibus offerebat. Voluuntur per ora lacrymae, & obfirmato animo non queo dolorem dissimulare quem patior. Postquam enim nostram paruitatem discipulum Bertulfi Cancellarii effecerat, (*) postquam Logothetae, exceptoris & auditoris officio remunerauerat, postquam sessionem ad pedes suos indulserat, postquam a secretis effecerat, postquam de his, quae ad vitam aeternam attinent, satis instruxerat, te praesente, & cunctis Imperii aulicis adstantibus, manum meam apprehendens, & Guibaldo commendans abbati, dixit ad eum, si qua mei amoris in vestro corde vestigia sunt, in isto ostende, eumque pro nostro amore loco carissimi & vnici filii habe. Haec cum dixisset Imperator Augustus, Caesarque Romanus & pater patriae nominatus, vt clericos discordantes in pace reconciliaret vna cum vestra excellentia dum studeret, corpus & animam coelo reddidit. Confortare igitur strenuissima, &, iuxta illud Salomonis praeceptum, accipe consolationem, cum eum, quem diligebam, amisi? Nonne haec nobis cum ipso mundo elementisque communia sunt, quia ad tempus creata in perpetuum tenere non possumus? Non amisit virum, quae exhibet castitatem. Non est viduata coniugio, quae non mutauit nomen mariti. Recole, quid Dauid fecerit. Is enim cum amisisset filium, surrexit, comedit, bibit, & dixit: Ego vado ad eum; ille vero amplius non reuertetur ad me. Haec igitur, excellentissima Domina, aduertens, ita vos ab imminente tristitia temperate, ita studete, quatenus Deum, vt decet, felici cernere possis intuitu. Salutationis etiam & consolationis & orationis obsequium vobis congregatio Casinensis dirigit, puerumque Minonem, filium Domini Ptolomaei, qui penes vos est, vobis commendantes, rogant, vt illum loco filii habeatis.


No. LXXXII.

Conradi III. Regis donatio ad Monasterium Volkolderode, facta in expeditione Saxonica. Anno 1139. Ex Sagittarii Antiq. Thuring. MSS.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *CONRADVS* diuina fauente clementia Rex Romanorum Augustus. Notum esse volumus vniuersis tam posteris quam praesentibus Christi fidelibus, quatenus piis supplicationibus religiosorum virorum commoniti, & necessitatibus pauperum Christi prouidere cupientes, *Molendinum* iuxta *Kermare*, quod

*) In Chronico Casinensi c. 125. legitur, discipulum Henrici Ratisponensis Episcopi & Cancellarii effecit.

quod ministerialis noster *Herimann* a nobis in beneficio multis annis possederat, ab eodem ministeriali nostro precio octo marcarum argenti recomparauimus, & in nostram potestatem libere recepimus, & sine omni contradictione idem molendinum monachis religiosis in *Volckolderode*, Deo & sanctae Mariae ibidem famulantibus, cum omni libertate possidendi & fruendi in perpetuum, propria manu tradidimus & delegauimus, videlicet ne diuinae religionis seruor pro penuria vectigalium ibidem decalesceret, & vt ipsorum oratio pro nostris quotidianis excessibus expeditius intercedere posset. Vt autem nostra haec traditio & delegatio omnibus euidenter firma & inconcussa permaneat, praesentem paginam sigilli nostri impressione roborauimus, & nostra Imperiali autoritate confirmauimus. Si quis autem contra haec venire, vel aliquo malo ingenio impingere praesumserit, auri triginta libras purissimi componat, quorum partem dimidiam iisdem tribulibus persoluat, reliquam vero in scriniis Regis reponat. Huic autem delegationi nostrae idoneos testes adhibuimus, quorum nomina subscripta habemus.

Signum Domini Regis  Conradi Romanorum Secundi.

Albertus Moguntinus Archi Episcopus.
Albero Treuirensis Archi Episcopus.
Bucco Wormatiensis.
Sigfridus Spirensis.
Vdo Cicensis.
Embrico Herbipolensis Episcopus.
Lupoldus Dux Bauariae.
Adelbertus Dux Saxoniae.
ADELBERTVS Dux Saxoniae.
Ludouicus Landgrauius.
Comes Sigebodo de Schartfeld.
Hermannus Comes de Plesse.
Ludouicus Comes de Lare.
Heinricus Abbas de Heresfelden.
Siuart de Aldelgeresburg.
Conradus Abbas de Nolden.

Geue-

Geuchardus Comes de Sultzebach.
Guntherus de Merckelbach.
Ego Arnoldus Cancellarius vice Adelberti Archicancellarii ſſ.

Facta eſt autem haec vendicio in loco Hersfelde, in expeditione, quam habuit Rex aduerſus Saxones Anno Dominicae Incarnationis MCXXXIX. Indictione II. anno vero regni ipſius ſecundo.

No. LXXXIII.

Petri Diaconi conſolatoria ad Richenzam Imperatricem, generum, Henricum Bauariae & Saxoniae Ducem lugentem. Anno 1139. Ex Marten. Collect. Ampliſſ. T. I. p. 760.

Dominae Richizae, a Deo protectae Romanorum Imperatrici, Petrus Diaconus poſt praeſentis vitae metas aeterni regni calculum.

Multociens, Imperatrix inuicta, impetum coepi conſolandi veſtram eminentiam; multociens continui. Vt id protinus facerem, plurima inuitabant; praecipue Domini noſtri Imperatoris *LOTHARII* defuncti fidelitas, tum veſtrae auguſtalis clementiae in nos indignos dilectio, vt lacrymas veſtras, etſi ex toto ſopire non potuiſſem, interim certe vel abſterſiſſem. Vt retardarem autem, ſciebam, dolori tuo, dum recens ſaeuiret, praepropere occurrendum non eſſe, ne illum ipſa eadem ſolatia potius irritarent, exagerarent, accenderent. Nam ſaepe videmus in ipſis quoque morbis immaturam medicinam eſſe perniciofiſſimam. Exſpectabam itaque dum ipſemet dolor vires ſuas deponeret, vt mora mitigatus tangi ſe quodammodo, attrectarique ad remedia ſuſtinenda permitteret. Ante tamen quam cum eo congrediar, adero illi, & aliquanta, quibus excitetur, in memoriam reducam, & quae iam quaſi obducta videntur reſcindam & proferam, optimo videlicet ac ſolemni genere conſolandi. Hi itaque fleant gemantque diutius, quorum delicatiſſimas mentes eneruauit longa felicitas, effeminauit luxuria; qui ſpem ſuam omnino fixerunt in ſeculo, qui, quae ſint bona illa perennia, vel ignorant ex toto, vel, ſi ſciunt, oblectamentis ſopiti mundialibus, negligunt. At quorum fere omnes ſani per diuerſas curas tranſierunt, quorum iuxta Apoſtolum conuerſatio in coelis eſt, qui & vanitates ſaeculi, vt coeli gaudia prudenti ac diſcreto corde perpendunt, grauiſſima quoque quaelibet immobili conſtantia perferunt. Quid pergam referre? Numera, quot calamitatibus, quot infortuniis ab infantia ipſa iactata ſis, cum in eisdem fere, vt ſic dicam, innata fueris. Felicis memoriae Dominus

minus noſter Imperator *LOTHARIVS*, qui te ſibi in coniugem elegerat, ad Imperiale faſtigium promouerat, in quam ſolam cuncta negotia Romani Imperii commiſerat, poſt multas, quas cum ipſo pertuliſti anguſtias, poſt orbem Romanum, vt ita dixerim, cum eo peragratum, cum in dies ad Imperiale domicilium cum eo accelerares regreſſum; heu! proh dolor, multorum ſociorum dolore grauiſſimo extuliſti. Tranſeo tot pericula, tot metus, quos ſine interſtitio incurſantes in te cum tanto Caeſare pertuliſti. Modo, modo, cum nondum priores luctus integre compoſueris, lugenti adhuc tibi luctus adiunctus eſt; &, cum quaſi ſolatium tot aerumnarum, quod videlicet ſolum reſiduum erat in viuente genero veſtro, *HEINRICO*, Duce Bauariae, te habere putares, ſubito nec opinanti vobis mors eius immatura relata eſt. Grauiſſimum plane eſt ex omnibus, quae vobis poſt deceſſum Domini noſtri Imperatoris *LOTHARII* obtigerunt, recens vulnus; nec cutem ſummam rupit, ſed pectus, fateor, & viſcera ipſa diuiſit: nec ex intacto corpore tuo hic ſanguis effluxit per ipſas cicatrices percuſſus; ſed quemadmodum tirones leuiter ſauciati, tamen vociferantur; vt veterani, quamuis confoſſi, patienter ac ſine gemitu curari ſe patiuntur. Non enim, clementiſſima Domina, ita lugendi ſunt quique fideles, ait Apoſtolus, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per Ieſum adducet cum eo. Ergo clementiſſima Domina, vt conſolationem accipiatis, hortamur. Iſta enim mors quid eſt aliud, niſi relictio corporis, depoſitio ſarcinae grauis? Nata es, o Imperatrix, moritura es: quo ibis, vt non moriaris? Quid facis, vt non moriaris? Vt Dominus Deus tuus conſolaretur te, propria voluntate mori dignatus eſt. Quando vides Chriſtum pro te mortuum; tu mori dedignaris? Ergo moritura es, velis, nolis. Quo euades? quo effugies, vt non moriaris? Hodie ſit, cras ſit; futurum eſt, dubium non eſt, credendum eſt. Quid ergo agis, times, fugis? futurum eſt. Ergo, mi piiſſima Domina, lamentationes & vlulatus acſi muliebres tumultus a te viriliter amoue. Quanto enim dolor iſte veſter durior eſt, tanto maior vobis virtus aduocanda eſt, & veluti cum noto hoſte & ſaepe iam victo acrius congrediendum. Fortem ac ſapientem nec ſecunda euehunt, nec aduerſa demittunt. Facile illa fert, qui ſemper expectat. Illis ſunt grauia quibus ſunt repentina. Qui laetis rebus non ſe inflauit, nec mutatis contraxit, aduerſus vtrumque ſtatum inuictam animam tenet iam exploratae firmitatis. In ipſa namque felicitate, quid contra infelicitatem poſſet, expertus eſt. Infinito quidem dolore, cum aliquem ex cariſſimis amiſeris, affici, inepta indulgentia eſt; nullo autem, inhumana duritia.

Nam & non ſentire dolorem, non eſt hominis, & non ferre, non eſt virtutis. Optimum inter vtrumque temperamentum eſt, & ſentire deſiderium, & reprimere; praeſertim cum nec excellentiae veſtrae conueniat immenſum triſtari. Maximum ſolatium eſt, cogitare, id vobis accidiſſe, quod omnes ante paſſi ſunt, omnesque paſſuri. Gaude itaque, habuiſſe te virum Romanum Imperatorem. Cogita, iucundiſſimum eſſe, quod habuiſti; humanum quod amiſiſti. Quod talem habuiſti, in ſummis bonis pone. Non eſt cogitandum vobis, quam diutius habere illum potueris, ſed quam diu habueris. Non in eo mors veſtram ſatietatem, ſed ſuam ſequi voluit legem. Stet tantum animus in procinctu. Mors alium alio tempore comprehendet; neminem praeteribit; nullum certe excipiet. Quisquis ad vitam editur, ad mortem deſtinatur. Sed animus ſapientis, quod neceſſe eſt, numquam timeat; quod incertum, ſemper exſpectet.

No. LXXXIV.

Thietmarus Verdenſis Epiſcopus ex praecepto Lotharii & Richenzae Imperatricis in Virginum Monaſterium Vllerheimenſe Monachos Corbeienſes immittit. Anno 1142. Ex Martenaei Collect. Ampliſſ. T. I. p. 769.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Thietmarus*, Dei gratia Ferdenſis eccleſiae epiſcopus, ſucceſſoribus ſuis regulariter ordinatis in perpetuum. Quia congruum eſt, ſacerdotalem diſcretionem & in praeſentibus cautam, & de futuris prouidam exiſtere, idcirco notificamus vniuerſis eccleſiae Dei fidelibus, qualiter in eccleſia beati Iohannis Baptiſtae, quae vocatur *Vlleshem*, quae a beatae memoriae praedeceſſore noſtro Brunone, qui ex monacho epiſcopus fuit, ex praecepto Domini Ottonis Imperatoris in pago Bardungiae fundata eſt pro monialibus feminis, quae ibi congregatae fuerant, fratres monachos de Corbeienſi monaſterio, vbi & idem praenominatus epiſcopus monachus fuit, ſubſtituimus, praecipiente Domino *Lothario* Imperatore, cohortante & religioſa coniuge ipſius Domina *Rikinza* Imperatrice, vt ob reſtaurandam inibi diuinam religionem eamdem mutationem facere deberemus. Quoniam vero praedictus Otto Imperator ſanctimonialibus in eadem eccleſia liberam electionem abbatiſſae in priuilegio ſuo conceſſit, nos quoque idem fratribus monachis recognoſcimus. Sed & decimas, quas vel ſupra ſcriptus epiſcopus, vel ſucceſſores ipſius praenominatae eccleſiae conceſſerunt, nos & per noſtram ſubſcriptionem concedimus, quas propriis voca-

vocabulis exprimendas duximus, Aldendorp, Holtehusen, Bunesdorp, Lettendorp, Eppenhusen, Gustide, Emmendorp, Havvelessen, Brungendorp, Catelndorp, Schellesdorp, Zimlendorp, Ardehmtbergen, Remmingen, Masendorp, Maldessen, Stotheim, Duttorp, Nacheue, Gerleuesheim, Kipdorp, Kistide, Essenstede, item Essenstide, Niendorp, Bodenhusen, Lichrim, Vuestide, Hactenstampe, Stotenhusen, Rotessen. Vt etiam nos imitantes maiorum exempla aliquid ex nobis addamus, si quae de Sclauicis villis eidem ecclesiae pertinentibus a Christianis cultae fuerint, decimas earum huic ecclesiae permittimus, & insuper decimas de noualibus in insulis Albiae a Horeburg vsque Ameneberge, (Ertene-burg) & telonium villae & pontis in *Vlleshcim* ob amorem Dei pro remedio animae nostrae, fratribus eiusdem ecclesiae concedimus. Ne ergo supra dictae decimae vel aliae possessiones eiusdem ecclesiae, quas vel nunc largitione regum, concessione pontificum, seu donatione quorumlibet fidelium iuste possidet, vel inposterum acquirere poterit, ab aliquo auferantur, vel imminuantur, vel quocumque modo iniuste alienentur, sub attestatione diuini numinis, & sub anathemate ex officii nostri auctoritate interdicimus. Cunctis autem ista seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis accipiant, & apud districtum iudicem praemia aeterna inueniant. Hanc autem paginam nostrae auctoritatis ad confirmationem omnium supra dictorum sigillo nostro corroborauimus, & eam per manum dilecti fratris nostri *Sifridi*, eiusdem ecclesiae abbatis, & fratrum, qui cum ipso a Corbeiensi coenobio ad commanendum missi sunt, videlicet Henrici, Hideboldi, Sigefridi, tam ipsis, quam omnibus fratribus in monastica professione succedentibus, contradimus.

Actum Barduvich anno dominicae incarnationis MCXLII. indictione quinta pontificatus Thietmari XVI.

No. LXXXV.

Wibaldus Abbas Corbeiensis Abbati de Monte gratias agit, quod a Verdensi Episcopo ex Monasterio Vllesheimensi eiectum Abbatem Sifridum ad se recepit & fouit. Anno 1152. Ex Codice Epistolari Wibaldi Abbatis ap. Marten. Collect. Ampliss. T. II. p. 538.

Reverendo in Christo patri & domino A. venerabili abbati de Monte, frater Wibaldus, Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, salutem in Domino & fraternae caritatis indissolubile vin-

vinculum. Multiplices gratiarum actiones vestrae in Christo dilectae fraternitati debemus pro eo, quod carum fratrem nostrum & in Domino collegam, *Sifridum*, venerabilem *abbatem de Hullesheim*, venientem ad vos in tribulationibus & angustiis suis, benigne suscepistis, & pii consolatoris affectum, quantum in vobis fuit, ei exhibuistis, & contumeliam, quae ordini nostro in persona eius irrogata est, debita compassione doluistis. Et nos ergo contemtam in eo iustitiam plurimum dolemus, tum pro totius monastici ordinis generali abiectione, tum pro Corbeiensis ecclesiae, cuius ipse filius est, speciali confusione. Hanc autem violentiam personae eius irrogatam in auribus vestrae sanctitatis & omnium fratrum, venerabilium scilicet coabbatum nostrorum, nec non vniuersorum, qui in sancta religione consistunt, cum lamentabili & affectuosa querimonia proclamamus, quod sine vocatione, sine iudicio, sine audientia, sine proprii oris confessione, dignitate & rebus abbatiae suae priuatus est, neque per nostram supplicationem, aut Corbeiensis ecclesiae seu alicuius ordinis aut dignitatis intercessionem post hoc factum obtinere potuit, vt in iudicium vocaretur, & causa eius canonico ordine tractaretur. Huius igitur illatae sibi iniustitiae testimonium ei apud Dominum Papam & sanctam Romanam ecclesiam perhibemus, &, quantum in nobis est, querimoniae eius, vbicumque indiguerit, ex debito officii nostri non deerimus, hoc a vestra paternitate obnixe efflagitantes, vt, quemadmodum hactenus fecistis, solatium vestrum ipsi clementer impendatis, ita videlicet, vt causam eius sanctis Patribus in regione, quae circa vos est, notam faciatis, & eos, ad compatiendum afflictioni eius, & ad subleuandum animum tam per literas testimonii ipsorum, quam per alia humanitatis subsidia, monitis & exhortationibus vestris studiose prouocetis. Specialiter autem carissimo seniori nostro & in Christo fratri *Etberto*, venerabili abbati de Huisburg, cuius religionis sanctitatem vera in Domino caritate amplectimur, hunc pauperem nostrum deiectum & humiliatum commendamus, &, vt vicem Christi in causa eius doleat, atque, in quantum potest, deiectionem eius consoletur, cum omni deuotione supplicamus.

No. LXXXVI.

Idem Wibaldus Sifridi Abbatis exulis causam defert ad Curiam Romanam. Anno 1152.

Indidem. p. 534.

Reverendo in Christo patri suo & domino Eugenio, sanctae Romanae ecclesiae summo pontifici, frater Wibaldus Dei gratia id quod

quod est in ecclesia catholica, exiguas orationes & deuotum seruitium. Lator praesentium, Corbeiensis ecclesiae filius, noster in Domino collega & confrater, *Sifridus*, assumtus fuit de monasterio Corbeiensi in praelationem abbatiae de *Vllesheim*, quam etiam administrauit iam *annis* plusquam *duodecim* cum disciplina & augmento sui ordinis, & rerum temporalium incremento, ita vt testimonium haberet ab his etiam qui foris sunt. Hunc Dn. H. *Fredensis episcopus*, in cuius parrochia idem monasterium consistit, sine vocatione, sine audientia, non conuictum, non confessum, de abbatia sua expulit, & omnibus monasterii rebus plusquam per anni spatium iam spoliauit. Pro qua re non solum a nobis, verum etiam a reuerendis confratribus nostris totius fere Saxoniae abbatibus frequenter & officiose commonitus, nec restituere nec ordine canonico tractare ipsum confratrem nostrum voluit. Insuper ad intolerabilis contumeliae cumulum, quosdam pseudomonachos, quos praedictus abbas propter enormitatem vitae suae de monasterio proiecerat, in illam ecclesiam malignantium, tamquam in sentinam recollegit; & quidquid improbi & irati, & sese vlcisci cupientes, confingere in famam abbatis potuerunt, conscripsit & dispersit. Pedibus itaque vestrae celsitudinis animo aduoluti, cum vniuersis fratribus nostris, supplices preces effundimus, vt venientem ad vestram clementiam praedictum abbatem, virum vtique honestum & litteratum, in mansuetudine bonitatis vestrae suscipiatis, & exauditum in necessitate sua, in plenitudine dignitatis suae litteris & mandatis auctoritatis vestrae, per aliquem fidelem Legatum vestrum restituatis.

No. LXXXVII.

Marcolfus Archiepiscopus Moguntinus Ecclesiae Virginum Fredesselensium confirmat donationem Dominae Gertrudis, totius Saxoniae Ducissae. Anno 1141.

Ex autographo.

C. In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. Ego Marcolfus diuina disponente clementia sancte Mogontine Ecclesie Archiepiscopus. Fidelia antecessorum nostrorum vota operibus optimis feliciter & in multis intelligentes approbata, videlicet quomodo religiosorum omnium necessitati sic semper studebant consulere, vt & pro temporis qualitate, & pro facultatum suarum quantitate singuli singulis in Ecclesiis Christi pauperibus sua curarent solatia subministrare; eorum quippe piis commoniti exhortationibus, quin potius caritas Christi vrget nos, vt

ex noſtra qualicunque habundantia feneretur vtcunque fratrum religioſorum & ſuppleatur inſufficientia. Vnde tam future, quam preſenti omnium fidelium Chriſti generationi notum fieri cupimus, quomodo piis duorum principum inducti poſtulationibus, Comitis videlicet Sigefridi, & Comitis Hermanni, duas Eccleſias matrices ſeu baptizales, vnam in villa Stocheim, alteram in villa Aldentorph, Eccleſiae Dei genitricis & ſemper virginis Mariae & S. Blaſii martiris, in loco, qui dicitur Frideſſele, tali conditione tradidimus atque delegauimus, vt omnium anteceſſorum & poſterorum noſtrorum & noſtri memoria ibidem haberetur in perpetuum. Prefati vero principes, easdem Eccleſias prius in beneficium poſſidentes, nobis idcirco eas reſignauerunt, vt ſuperius nominate Eccleſie traderentur, & ſi quid inde vtilitatis proueniret, in vſus pauperum Chriſti id totum conuerteretur. Nec pretereundum & hoc credimus, quod *Domina GERDRVDIS, totius Saxonie Duciſſa*, cum *filio ſuo, Duce Heinrico*, duos de predio ſuo manſos in villa Bukkenhuſun pro remedio anime ſue & *Ducis Heinrici, coniugis ſui*, eidem Eccleſie tradidit. Annectentes & hoc, quod caritas in cordibus fidelium habundans ocioſa eſſe non poteſt: Vt apparet manifeſte in duobus liberis hominibus, Ortgiſi videlicet & Luthero, qui bona ſua, que poſſidebant in villa Sultheim, in argis, in pratis, culta & inculta, beate Marie & ſanctiſſimo Chriſti martiri Blaſio in loco ſuperius nominato, ſola tantum ſpe celeſtium inducti, contulerunt. Quibus non in corporis, ſed in aure cordis Domini locutus eſt ſpiritus: credite, quia mundus tranſit & concupiſcentia eius. Vt autem hec noſtra traditio, nihilominus anteceſſorum noſtrorum priuilegia, Eccleſie Beate Marie & S. Blaſii legitime & rationabiliter tradita, euis omnibus rata & inconuulſa permaneant, preſentem paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus, ſtatuentes ſub anathemate, vt, ſiue eccleſiaſtica ſecularisue perſona huic noſtre traditioni auſu temerario contraire preſumpſerit, ſecundo tertioue monita, vſque ad condignam ſatisfactionem, & a corpore Chriſti aliena remaneat, & diſtricte excommunicationi ſubiaceat.

Huius autem ſic acte rei teſtes ſunt:

Clerici:

Wigerus Brandenburgenſis Epiſcopus.
Heinricus maioris Eccleſie Prepoſitus.
Hartmannus Decanus & Prepoſitus S. Stephani.
Heinricus Cuſtos. Berwicus. Rudingus.
Abbas Eberbacenſis.
Guntherus prepoſitus de Liutboldesberg.

Ditmarus

Ditmarus prepositus de Hildewardeshusum.

Liberi homines:

Comes Sigefridus.

Comes Hermannus.

Comes Ludewicus.

Ministeriales:

Embricho Comes Reni.

Meingotus. Dudo. Ernestus. Ruthardus Vice Dominus. Helfricus.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. C. XLI. Indictione V. Regnante Rege Cunrado huius nominis II. anno regni eius quinto. Data Mogontie VII. Kal. Iunii per manus Reinhardi notarii.

No. LXXXVIII.

Adalbero Archiepiscopus post diuisam cum Gertrude Ducissa, filii sui Henrici tutrice, & cum Alberto Marchione paludem Australem, sinistrae ripae Visurgis ad Bremam praetensam colonis nouas leges praescribit. Anno 1143.

Ex Lindenbrog. Scriptor. Septemtr. p. 153.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Adalbero Dei gratia Hammaburgensis Archiepiscopus omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Quisquis sapit rem suam sic affectat agere, eoque confirmationis tenore concludere, vt non oporteat se calumniam seu molestiam sustinere. Quapropter & testes idonei conuenienter causis agendis interesse censentur, & de gestis priuilegia diligenter conscribuntur, per quae tam futuris quam praesentibus, quae sunt acta, perpetuo legenda firmiterque tenenda traduntur. Notum igitur sit omnium turbae fidelium tam nunc quam in perpetuum, qualiter & nos, & *Domina Ducissa GERTRVDIS & filius suus H. puer Dux Saxonum*, vna cum fideli nostro *Alberto* Marchione, illustri Principe, paludem australem, scilicet villis istis Santou, Strabelinghehusen, Ochtmunde, Hasbergen conterminam, aequa inter nos portione diuisimus, & ab omni tam nobilium quam ministerialium seu ruricolarum appellatione liberam factam, habitatoribus excolendam dedimus, melius & vtilius aestimantes colonos inibi locari, & ex eorum labore fructum nobis prouenire, quam incultam & paene inutilem eam permanere. Erat autem nobis haec cum colonis illis conuentio, vt, quotquot ibi mansi habeantur, totidem nobis a possessoribus eorum quolibet anno denarii persoluantur, quo praedium non suum, sed Ecclesiae & nostrum esse, profiteantur, & decimam

decimam frugum & porcellorum & anſerum, ouium & caprarum atque apum examinum ſecundum vſum terrae noſtrae dare non negligant. Sed & poledrum denario, & vitulum dimidio redimant. Concedimus etiam, vt ad honorem Dei Eccleſiam conſtruant, conſtructaeque praedium, quo ſacerdos ibidem miſſas celebrando, baptizando, mortuos ſepeliendo, miniſtraturus, ſe paſcat, conferant, & in ſynodalibus, quem eis praeuiderimus, rectorem habeant. In placitis vero ſecularibus eum, quem ſibi praeficimus, audiant, &, defunctis patribus, tam filiae quam filii eorum allodia pari diuiſione ſuſcipiant. Tribus etiam annuatim diebus ad placita ſui aduocati ex condicto veniant, & bannum pro quolibet ſuo commiſſo tantum quatuor ſolidis redimant. Si quis ad nos liber intrauerit, & ſe, ſicut eſt, liberum profeſſus fuerit, libertate ſua, ſi velit, vtatur. Sin autem; niſi prius relictis bonis, nequaquam alius quam Eccleſiae proprius fieri permittatur. Si vero alius ſe ſeruum fecerit, praedio ſuo careat, & ad vſum Archiepiſcopi illud abſque contradictione proueniat. Similiter qui venerit, & ſe ſeruum eſſe non negauerit, haeres eius in ſuſcipiendo matrimonio illi ſuccedere poterit: qui ſi defuerit, Dominus eius ad ſuſcipiendum haereditatem ſuam omnino excluſus ſit, ſed Archiepiſcopus illam accipiet. Porro qui, cum ſit ſeruus, ſe liberum eſſe iactauerit, & in hoc mendax probatus fuerit, ad Dominum ſuum cum ſuppellectili propria, ſi repetitur, reuertatur, & terra, quam habuit, ad Archiepiſcopum ſine repenſatione pretii redigatur. Si quis ancillam alterius, niſi Eccleſiae, duxerit, haereditas illius filiis ac filiabus ſuis non prouenit. Similiter & foemina, quamuis libera, ſi alicuius viro proprio, niſi Eccleſiae, nupſerit, quia ſe quoque ſeruituti obnoxiam fecit, viro ſuo adhaereat, & praedium Eccleſiae relinquatur. Praeterea ſi aliquem praedia ſua, vt ſaepe neceſſitatis cauſa fit, vendere velle contigerit, primum Archiepiſcopo ſe, ſicut ſi alius comparare velit, exhibeat: quod ſi noluerit Archiepiſcopus, alii cuilibet emere licebit; attamen & quod is, qui vendidit, annuatim ſoluit, & hunc ſoluere poſtmodum oportebit. Ne quis autem poſterorum noſtrorum hanc conſtitutionem noſtram in toto vel in parte frangere vel deſtruere praeſumat, paginam hanc conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione inſigniri, & teſtium nomina ſubſcribi iuſſimus.

Haec ſunt nomina teſtium:

Adalbertus praepoſitus.
Boniſatius praepoſitus.
Lutfridus praepoſitus.

Capellani:

Capellani: Obertus. Hartwicus. Peregrinus.

GERTRVDIS Ducissa & *H. filius suus, Dux.*

Nobiles: Egilmarus Comes. Gerbertus Comes. Thetmarus de Wimodia. Adolfus, Heinricus, Thidericus, & Liuthardus, Euerhardus, Gerlacus, Bernardus, Liudolfus.

Ministeriales. Liuderus aduocatus. Th. & Th. Hathebertus, Gerungus, Willo, Egelbertus, Albero, Hildewardus, Arnoldus, Vdo, Werno, Dudo, Christianus, Gerwardus.

Anno incarnationis Domini MCXLIII. Indictione V. Anno Domini Chunradi Regis VI. Anno vero Domini Adalberonis venerabilis Hammaburgensis Archiepiscopi XX.

Actum Bremae III. Non. Septembr. Amen.

No. LXXXIX. (a)

Liutpoldus Bauariae Dux Henrico Superbo substitutus confirmat bonorum commutationem inter Abbatem Prunfeningensem & Ratisbonensem Praefectum. Anno 1140. Ex Melch. Weixeri fontilegio sacro siue fundatione insignis Monasterii S. Georgii Martyris Ord. D. Benedicti, vulgo Prifling dicti prope Ratisbonam. p. 62. seq.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. *LIVPALDVS* Dei gratia *Bauuariorum Dux*. Iustitia exigente compellimur ecclesiarum vtilitati prospicere, & ea, que ad decorem domus Dei vel vtilitatem Deo famulantium conducunt, bona voluntate & pleno desiderio collaudare & adiuuare, atque collaudando & adiuuando corroborare. Quapropter ego *LIVPALDVS* dei gratia *Bauuariorum dux* satisfaciens pio desiderio (&) iuste petitioni domni *Erbonis*, abbatis monasterii sancti Georgii, quod inter Ratisponam & Danubium situm est, ob reuerentiam sancte & indiuidue Trinitatis & interuentum beati Georgii martyris, plena deuotione ac pia voluntate collaudo, adiuuo & confirmo concambium, quod factum est inter venerabilem *Erbonem* prefatum abbatem & *Ottonem* prefectum Ratisponensem. Habuit namque iam dictus *Otto* prefectus beneficium quoddam ad ius regni pertinens, cui *Bucha* vocabulum est, quod longo retro tempore, per decessionem auorum suorum & legitimam concessionem predecessorum nostrorum & nostram, ad eum beneficiario iure peruenerat. De hoc quoniam ita loci vtilitas vel opportunitas postulabat, visum est venerando *Erboni* Abbati illud in ius ecclesie sue, si posset, le-

gitime transmutare. Accepta igitur opportunitate obtinuit apud prefatum Comitem, vt ipsum beneficium cum omnibus suis pertinentiis, exitibus & redditibus, partis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, cultis & incultis, per concessionem nostram & authoritatem, in ius ecclesie S. Georgii transfunderet, recepta plena & legitima compensatione de fundis ipsius ecclesie, videlicet predio apud *Mangeldingen* sito, cum molendino & vinea quadam iuxta fluuium qui *Regen* dicitur sita; sub testificatione legitima iurisiurandi per homines legitimos facta, quorum nomina hec sunt:

Adelhart & filius eius.
Orthwin & Nudam de Münderchingen.
Gebolf de Mosheim.

Hanc autem testificationem suscepimus in loco, qui dicitur ad S. Laurentium iuxta flumen *Regen* dictum, in presentia *principum terre nostre*, videlicet, Henrici *Ratisponensis* Episcopi. Ottonis *Frisingensis* Episcopi. Ottonis *Comitis palatini*. Adalberti Comitis & aliorum fidelium nostrorum. Statimque per manum ipsius Ottonis Palatini Comitis, qui tunc temporis Aduocatiam gerebat super bonis regni, per manum Adalberti Comitis de Windeberge, predicti monasterii aduocati, data & accepta alterutra & iusta recompensatione, idem concambium perfecimus, & nomina testium, qui presentes aderant, subternotari fecimus:

Otto & Henrich filii prefecti.
Filius Palatini Otto.
Pertholt filius Pertholdi Comitis de Andehse.
Walcherus de Ahtlant.
Friderich de Prucheberc.
Adalbero de Prucke.
Wernherus de Prunnen.
Adalbero & frater eius Rutwertus de Pochesperc.
Eilolfus de Steine.
Eggebertus & Vdalricus fratres eius.

Vt autem huius concambii actio & confirmatio rata inposterum & inconuulsa permaneat, hanc chartam inde conscribi & sigilli nostri inpressione iussimus insigniri Anno dominicæ incarnat. M. C. XL.

Actum in loco qui dicitur ad S. Laurentium iuxta flumen *Regen* dictum, regnante *Cunrado* Romanorum Rege secundo. Anno regni eius III.

Data Ratispone per manum *Riutwerti* Canonici & Capellani eiusdem *Luipaldi* X. Cal. Nou. in nomine Domini feliciter. Amen.

No. LXXXIX.

No. LXXXIX. (b)

Conradi III. regis confirmatio. Anno 1140.
indidem p. 60.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. *CVNRADVS* diuina fauente clementia Romanorum Rex ſecundus. Aequitas iuſtitie & regni auctoritas nos admonent omnium quidem vtilitati proſpicere, maxime vero fidelium Chriſti vota modis omnibus promouere & adiuuare. Quapropter petitionibus fratrum, in cenobio *Pruuinga* deo militantium, annuentes, noſtre auctoritatis edicto communimus & corroboramus concambium, quod factum eſt inter *Erbonem* predicti monaſterii Abbatem, & *Ottonem* prefectum vrbis *Ratiſpone*, concedente videlicet & conſentiente dilectiſſimo *fratre noſtro*, *LIVPOLDO Bauariorum duce*, vt beneficium prefecti *Bucha* nominatum predicto coenobio traderetur, reddita viciſſim in ius & poteſtatem *ducatus Bauariorum* quadam poſſeſſione fratrum, que *Mangoltingin* dicitur cum vinea, que eſt in Ratiſpona, prout lex & equalitas concambii expetiuit, & partis vtriuſque conſenſus ratum habuit. Decernimus itaque, vt beneficium *Bucha* fratres *Pruuninge* perpetuo proprietatis iure poſſideant, & locandi, vendendi, commutandi & aliis quibuslibet modis iuſtis atque legitimis vtendi & fruendi liberam de cetero habeant poteſtatem. Si qua autem perſona temeraria huius decreti noſtri ſtatutum violauerit, conditionis ſue dignitate careat, & libras quinquaginta auri puriſſimi componat, quarum dimidietatem camere noſtre appendat, reliquam vero partem prefato Monaſterio perſoluat. Vt autem hec noſtra corroboratio firma & inconuulſa omni permaneat euo, hanc chartam inde ſcribi & ſigilli noſtri inpreſſione inſigniri iuſſimus, manuque propria, vt infra apparet, corroborantes, teſtes, qui aderant, ſubter notari fecimus, quorum nomina hec ſunt:

Egilbertus Epiſcopus *Babebergenſis.*
Embricho *Wirzburgenſis* Epiſcopus.
Gebehardus *Aiſtatenſis* Epiſcopus.
Bruno Epiſcopus.
Rabodo Comes.
Gotefridus caſtellanus *Nurnbergenſis.*
Marquartus de Grunenbach . .
Waltherus de Louenhuſen.
Albero de Dagſteten, & filius eius Albero.
Adalbero de Dunbrune.

Otnandus de Eschenouue & filii eius Hermannus & Otnandus. Burchardus de Dusenbach.

Signum Domini Cunradi Regis secundi. Ego Arnoldus Cancellarius, vice Archicancellarii Alberti Moguntinensis, recognoui.

Anno dominice incarnationis M. C. XL. Indict. III. regnante Cunrado Romanorum rege II. Anno vero regni eius III.

Actum apud *Nurnberch* in Christo feliciter. Amen.

No. XC.

Luitpoldi Ducis Bauariae donatio ad Monasterium Reichersbergense. Ex Chronico Reichersbergensi Anno 1141. ap. Ludewig. Scriptor. Rerum Bambergens. T. II. p. 252.

Vide supra No. XXXVII. p. 478.

No. XCI.

Annotatio praediorum atque beneficiorum Domini Comitis Sibotonis (de Niuwenburg ad Oenum fluuium) Anno 1140. Ex Hundii metrop. Salisburg. T. III. p. 344.

SIBOTO Comes de Niwenburch — vniuersis sibi fidelibus diligentissime commendat, vt primitus agant & laborent, nec rebus nec laboribus suis parcant, quin haec quatuor beneficia suis filiis obtineant, si ipse prius vita excesserit, quam haec illis ipse obtineat. Post hoc rogat, vt agant idem pro beneficio, quod possidet ab Episcopo Tridentino, ne suis filiis alienetur: cuius sunt fere quadringenti mansus. A Marchione de Craiburg habet beneficium, cuius sunt fere trecenti mansus. A Comite Halle de Wackeburch habet beneficium, cuius sunt fere ducenti quinquaginta mansus. A *Duce WELFONE* habet ducentos mansus. - - A *Duce Bauariae* habet Comitiam in Liuchental. &c.

No. XCII.

Conradus III. apud Winsbergam confirmat permutationem inter Walckenrodenses & quendam Ministerialem Imperii. Anno 1140. Ex MSto authentico.


IN nominae sanctae & indiuiduae Trinitatis. Cuonradus diuina fauente Clementia Romanorum Rex secundus. Aequitas iustitiae & Regni auctoritas nos admonet, omnium quidem vtilitati prospicere; maxime

maxime vero fidelium Christi vota modis omnibus promouere & adiuuare. Quapropter petitionibus fratrum, in coenobio sanctae Mariae Walkenred Deo militantium, annuentes, nostrae auctoritatis edicto communimus & corroboramus concambium, quod factum est inter nos, & Henricum, venerabilem praefati Monasterii Abbatem, concedentibus videlicet & consentientibus tam aduocato, quam ministerialibus nostris, vt dimidietas villae nostrae, Hildeuuinesborne nuncupatae, praedicto coenobio traderetur, reddita vicissim in ius & potestatem regiam, quadam possessione fratrum, quae Saswersa dicitur, cum suis appendiciis, Witagerode scilicet, & Waseleiua, nec non Rosunge & Risela, prout lex & aequalitas concambii expetunt, & partis vtriusque consensus ratum habuit. Praeterea reliquam partem praenominatae villae Hildeuuinesborne, quam Theodoricus ministerialis noster a nobis in beneficium habuit, omnipotentis Dei causa & ob regni nostri stabilitatem, & animae nostrae nostrorumque parentum perpetuam salutem, assensu & petitione eiusdem Theodorici, praedictae Ecclesiae legitime donauimus, statuentes & Regia auctoritate praecipientes, vt Abbas praedictus, eiusque confratres, praefatam villam cum suis appendiciis, scilicet areis, aedificiis, terris cultis & incultis, aquis, aquarumue decursibus, molis, molendinis, piscationibus, & cum omni vtilitate, quae inde quolibet modo prouenire poterit, perpetuo proprietatis iure possideant, & locandi, vendendi & commutandi, & aliis quibuslibet modis iustis atque legitimis vtendi & fruendi liberam de cetero habeant facultatem. Si qua autem persona temeraria huius decreti nostri statutum violauerit, conditionis suae dignitate careat, & libras quinquaginta auri purissimi componat, quarum partem dimidiam Camerae nostrae, reliquam vero praenominato monasterio persoluat. Vt autem haec ab omnibus Christi nostrisque fidelibus credantur, & inuiolata conseruentur, hanc cartam inde scribi, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, manuque propria, vt infra apparet, corroborantes, testes, qui praesentes aderant, subternotari fecimus, quorum nomina haec sunt:

Albertus Moguntinensis Archiepiscopus.
Sifridus Spirensis Episcopus.
Embricho Wirzeburgensis Episcopus.
Bucco Wormaciensis Episcopus.
Dux Fridericus (Sueuiae.)
Tibaldus Marchio (de Voburg.)
Herimannus Marchio (de Wincenburg.)
Comes Albertus (de Lowenstein.)

Godefridus de Nurinberch (castellanus.)
Cuonradus ministerialis regni de Haga, & alii quam plures.

Signum Domini Cuonradi Romanorum Regis secundi.



Ego Arnoldus Cancellarius, vice Alberti Moguntini Archicancellarii, recognoui.

Actum Anno Dominicae incarnationis M. C. XL. Indictione III. Regnante Cuonrado Romanorum Rege II. Anno vero Regni eius III.

Data apud *Winesberch* in Christo feliciter. Amen.

No. XCIII.

Welfus Dux ad iter sacrum accinctus Hirsaugiensi Coenobio restituit praedium quoddam ad Heilbronnam. Anno 1147. Ex Crusii Annal. Sueu. Part. II. Lib. X. p. 430.

DOMNA *Vta*, soror *Gotefridi* Palatini Comitis, praedium suum ad Heilprunnen, sibi ex paterna traditione concessum, S. S. Apostolis Petro & Paulo pro remedio animae suae donauit. Frater vero eius Palatinus id postea attraxit, ac diu retinuit. Sed circa finem vitae compunctus, in manus Domini Wolframi de Winsperg tradidit, vt Hirsaugiensi collegio restitueretur. Postea *WELFO Dux*, qui filiam eius duxerat, quasi haereditario iure illud praedium ad se retraxit, ac diu idem retinuit. Iturus vero in expeditionem Hierosolymitanam, praemonitus a fideli coniuge *Vta*, & aliis fidelibus Christi, restituit Hirsaugiensibus in loco, dicto *Bitingowe*, presentibus *vxore* & *filio Welfone*, coram multitudine Clericorum & Laicorum, in natali Domini.

Erat autem salica terra, & 17. Hubae & 14. seruorum praestationes ad vineas colendas, & praestatio praeconis ac bubulci, atque dimidius mercatus & dimidia moneta, & portus ac villa Hanbacha tota, & mons Nortberg, omnisque familia ad curtim pertinens.

No. XCIV.

No. XCIV.

Friderici II. Imperatoris confirmatio praediorum Hirſaugienſium, in quibus & illud ad Heilbrunnam a Duce Welfo donatum. Anno 1215. Ex Beſold. documentis rediuiuis Monaſteriorum praecipuorum in Ducatu Wurtembergico ſitorum p. 553. ſeq.

RECENSET Fridericus bona & praedia monaſterii, ſcilicet Eſſingin, Rothe, Rotingen, Sceruilre, Wingarte & *praedium quoddam in Heilbrunnin*, quod inclytus *Dux WELPH* ipſi eccleſiae Hirſaugienſi contulit. Nos autem, pergens, vtilitati prefate eccleſie Hirſaugienſi conſulere volentes, & iuxta diſcretionem noſtram prouidere, ne vnquam aliquid aduerſitatis iam dicte eccleſie contingat, vnde iuſtam cauſam habeat conquerendi, & quod quies eius aliquo modo poſſit perturbari, iam dicta bona Hirſaugienſis eccleſie in noſtra ſemper eſſe volumus protectione, & illam aduocatiam ipſorum bonorum a manu noſtra numquam alienabimus, nec ipſam aduocatiam alicui in feudum concedemus, & ſi iam forte per circumuentionem factum eſt, in irritum reuocamus. Scire etiam vniuerſos volumus, quod nos, ad imitationem ipſorum anteceſſorum noſtrorum, & ſpecialiter F. aui noſtri, & H. Patris noſtri, Romanorum Imperatorum Auguſtorum, illam nobis reſeruauimus libertatem, quod nos, ſi forte illi, in quorum procuratione ex commiſſione regia eadem iam eſt aduocatia, bona eccleſie diſſipauerint, & ipſum abbatem aut homines ſuos in predictis bonis & eorum tenimentis indebite moleſtauerint, ipſam ab eis tollemus commiſſionem, & alicui de Sculteтis noſtris ad commodum prefate eccleſie Hirſaugienſis committemus tenendam, aut alicui fidelium noſtrorum, ad inſtantiam petitionum ipſius Abbatis Hirſaugienſis, quem nouerimus ipſi eccleſie expedire. Vt autem iſtud a nobis ipſis & noſtris ſucceſſoribus firmum obſeruetur, hoc preſens publicum inſtrumentum & autenticum conſcribi iuſſimus, & ſigillo noſtro communiri. Statuimus igitur, & ſub pena gratie noſtre firmiter precipimus, vt nemo ſit, qui contra hec que preſcripta ſunt, aliquo modo venire preſumat: quod qui facere preſumſerit, iram & indignationem noſtram ſe ſciat grauiter incurriſſe.

Huius rei teſtes ſunt:

Cunradus metenſis & ſpirenſis eccleſie Epiſcopus & Imperialis aulae Cancellarius.

Heinricus Argentinenſis Epiſcopus.

Abbas de Selſa Policaſtrenſis Epiſcopus.

Cun-

Cunradus Prepositus de Tanno.
Comes Albertus de Euerstein.
Comes Sibertus de Werda & Henricus filius eius.
Comes Heinricus de Saraponte.
Comes Fridericus de Liningen.
Eberhardus de Eberstein.
Merboto de Malberch.
Conradus de Horburch.
Fridericus de Scowinburch.
Rudolfus de Razinhusen.
Sifridus Marscalcus de Hagenowia & alii quam plures.
Acta sunt haec apud Hagenowiam Anno Dominicae Incarnationis MCCXV. VIII. Idus Iulii. Indictione III.

No. CXV.

Explorator quidam nuntiat perniciosa Welfi Ducis cum Rogerio Siculo consilia, eiusque complices nominat. Anno 1151. Ex Cod. Epistol. Wibaldi Abbatis ap. Martenaeum Collect. Ampliss. T. II. p. 423.

CARISSIMIS Dominis suis R. Prin. & Comiti Ric. Iohannes, notarius eorum fidelissimus, salutem & seruitutis obsequia. Per omnia vobis fidelis existens, quae scio, vobis notifico, & in quibus possum seruitium reddo. Sciatis itaque, *Guelphum*, Domini regis Conradi proditorem, cum Siculo concordem esse, magnamque pecuniam ab eo accepisse: & clam ductu Cencii Fraiapani & Gataguesi Romam transiit; homines tamen sui, cum quatuor Saracenis & totidem dextrariis, Romae a senatoribus capti & dimissi fuere, qui litteras ex parte Siculi *Friderico* Duci Suauiae, *Enrico* Duci Saxoniae, *Bertolfo*, filio Ducis Conradi, *Conrado* Duci de Zeringen pro damno & guerra Domini Regis Conradi deferebant, quibus commonebantur & rogabantur a Siculo, vt, quae illis *Guelphus* de suo proficuo diceret, facerent. Studeatis ergo filio Regis, & etiam Domino Regi Conrado, & fidelibus suis, ista notificare, vt sint inde muniti, & illi capiantur, si fieri potest. Ceterum sciatis, quod Cencius Fraiapane, quantum potest, vobis nocere studet, & Papa, eius consilio, & hoc ita verum est, quod Cardinales laudauerunt se coram C. Fraiapane, & dixerunt, se vos conclusisse & Graecos Venetiae, tanquam canes & mastinos, ita vt nihil possitis nocere Siculo ex hac parte. Ipse Papa nuntios misit ad Siculum pro vestro damno, si cum

eo

eo poterit quod vult perficere, & treugas cum eo habet vsque ad quadrennium adhuc. Propterea in eo non confidatis, nec de vestris vos aut Graeci ei tribuatis, quoniam totum illud amitteretis, & melius foret, si sandalia pauperibus aut hominibus vestris dedissetis. Cum Senatu igitur & populo Romano conueniatis, quoniam per illos, iuuante Deo, vincere poteritis. Graeci autem large distribuant sua, quoniam, dicente Salomone, pecuniae obediunt omnia. Et Siculus in auaritia Graecorum confidit. Idcirco tempore opportuno sua disperdit. Ita & ipsi faciant, si vincere volunt.

No. XCVI.

Conradi III. filius Henricus Rex Constantinopolitano Imperatori victoriam suam ad Flocbergam a Welfo Duce reportatam, notam facit. Anno 1150. Ex Codice Epistolari Wibaldi Abbatis p. 378.

INCLYTO, triumphatori, magnifico, ac sublimi auunculo suo E. Porphirogenito Graecorum Imperatori, *Henricus*, filius gloriosi ac serenissimi *Cunradi* Romanorum Imperatoris Augusti, & ipse Dei gratia Romanorum Rex, filialis dilectionis indissolubilem gratiam, & firmissimum perpetuae amicitiae vinculum. Sicut propitia diuinitas & paternae caritatis affectus me Imperii & rerum patris mei successorem fecit & haeredem; sic mea intelligentia iustum arbitratur, vt amicos confoederatos patris honorem & diligam, inimicos suos & suorum persequar & opprimam. Quocirca paternae dilectionis gratia vos & Imperium vestrum particeps, vosque tamquam auunculum nostrum carissimum & patrem piissimum integra & filiali dilectione amplectens, aequum esse arbitratus sum, vestrae celsitudini notificare, quae circa nos, Dei praestante clementia, prospera geruntur. Siquidem *octaua die mensis Februarii* superbus ille & perfidus *WELPHO*, tot beneficiorum patris mei immemor, hostiliter inuasit terram nostram, patre meo in rebus publicis longe posito agente; me autem cum parte militiae in quodam castro relicto. Castrum, ad quod ille accessit, *Flocperch* dictum est. Nos autem eramus in alio castro *Horbruc*, distante ab illo per spatium restae & dimidiae. Accepto igitur tantae contumeliae nuntio, festinaui hostem persequi & cum quinque magna milliaria post eum processissemus, praemissis equitibus expeditissimis, qui eius tergo imminentes fugam ipsius retardarent, nos duabus consertis aciebus eum persequebamur. Cum itaque agminis extrema iam caederemus, faciem conuertere coactus est; sed vero Deo

de coelis pugnante pro nobis, tantam adepti fuimus victoriam, vt, nisi per nocturnas tenebras delituissent, nullus omnino euadere potuisset. *Capti* sunt *equites trecenti*, & equorum numerus non paruus exstinctus est, partim lanceis confossus, partim gladiis caesus. Pater meus generalem nunc expeditionem super eundem *Welphonem* indixit, & eum penitus exterminare aggreditur, vt de cetero ad communem Imperii vestri hostem persequendum & delendum liber existat.

No. XCVII.

Idem eamdem victoriam nuntiat Imperatrici. Anno 1150. Indidem p. 379.

CARISSIMAE matri & materterae suae E. per diuinam prouidentiam placidissimae Graecorum Imperatrici, *Henricus*, filius gloriosi ac serenissimi *Cunradi*, Romanorum Imperatoris augusti, & ipse Dei gratia Romanorum Rex, filialis dilectionis indissolubilem gratiam. Certum est, & nullus prudentium dubitauit, quod illa, quae a natura ortum & processum habent, perenni fortitudine firmiora sint, quam ea, quae humano comparata & connexa sunt artificio. Quia igitur secundum consanguinitatis & propinquitatis a matre mea carnali gradum naturaliter tenetis; nulla nos dissociare & alienare poterit necessitas, quin in perpetuum mansura caritate iungamur & beneuolentia. Quocirca quia de meis profectibus vos plurimum exultare & gloriari scio, aequum esse arbitratus sum, vestrae celsitudini notificare, quae circa nos, Dei praestante clementia, prospera geruntur. Siquidem *octaua die mensis Februarii* superbus ille & perfidus *WELPHO*, tot beneficiorum patris mei immemor, hostiliter inuasit terram nostram, patre meo in rebus publicis longe agente, me autem cum parte militiae in quodam castro nostro relicto. Castrum, ad quod ille accessit, *Flocperch* dictum est; nos autem eramus in alio castro *Horburc*, distante ab illo per spatium restae & dimidiae. Accepto igitur celeriter tantae contumeliae nuntio, festinaui hostem persequi, & cum quinque magna milliaria post eum processissemus, praemissis equitibus expeditissimis, qui tergo eius imminentes, fugam ipsius retardarent, nos duabus confertis aciebus abeuntem persequebamur. Cum itaque agminis extrema iam caederemus, faciem conuertere coactus est; sed vero Deo de coelis pugnante tandem adepti sumus victoriam, vt, nisi per nocturnas tenebras delituissent, nullus omnino euadere potuisset. Capti sunt *equites trecenti*, & equorum non paruus numerus exstinctus est, partim lanceis confossus, partim gladiis caesus.

caesus. Pater meus generalem nunc expeditionem indixit, & eum penitus exterminare aggreditur, vt de cetero ad communem Imperii vestri hostem persequendum & delendum expeditus & liber existat. Sicut autem a prouisione paterna meam indolem recedere non decet; ita meae intelligentiae pergratum est, quod totius consilii summa vestrae sublimi prudentiae collata est.

No. XCVIII.

Conradus III. Imperatrici Constantinopolitanae filii victoriam Flocbergensem nuntiat, petitque pro eo vxorem neptem Imperatoris. Anno 1150. Indidem p. 376.

CONRADVS, Dei gratia Romanorum imperator augustus, praecordialiter dilectae filiae E. a Deo coronatae & exaltatae Graecorum imperatrici, paternam dilectionem, & certum ac fidele in omni opportunitate auxilium. Prius quidem praeclaram indolem tuam tam ex vinculo cognationis, quam ex affectu adoptionis plurimum diligebamus; sed tua fides, tua pietas, tua deuotio, tua liberalitas, quam nobis officiose exhibuisti, tunc scilicet, quando manus Domini & infirmitate corporali & rerum incommodis nos multum afflixerat & humiliauerat, tantum ardorem sanctae caritatis in nostra mente circa te auxerunt, vt eam nulla difficultas, nullum periculum, nulla rerum varietas possit extinguere. Ita igitur in animum nostrum induximus, ita in corde nostro omni ambiguitate remota firmauimus, vt, etiamsi nulla foederis, nulla arctioris amicitiae religio inter nos & gloriosum & praedilectissimum fratrem nostrum, tuum vtique maritum, magnificum & excelsum Graecorum Imperatorem, aliquando intercessisset, parati tamen & intenti essemus, sua omnia tamquam nostra diligere, suis inimicis tamquam nostris resistere. Porro in conuentione pacti, quae inter nos & ipsum omni cum beneuolentia firmata est, conditio necessaria imposita fuit, quod scilicet ea, quae praenominata & praescripta fuerant, vtique compleremus, nisi alter vel vterque nostrum morte, seu graui infirmitate, vel amittendi Imperii periculo id perficere prohiberetur, atque transacta illa & tum non negligenda necessitate ad absoluendi & implendi studium denuo accingeremur. Nunc ergo tibi, tamquam carissimae filiae nostrae & Imperii nostri cognatae, causas familiariter & breuiter aperimus, pro quibus in Longobardia post exitum nostrum a vobis manere, (*) & promissa implere

*) Fumos vendit, Graecis longe a se dissitis persuasurus, se in Longobardia fuisse, quam numquam viderat aut attigerat.

plere nequiuimus, pro quibus ad partes Alemanniae modis omnibus nos properare ordo quidam rerum & Imperii noſtri clamor ad nos vsque perlatus non absque grauioris conſilii ratione perſuaſit. Siquidem, vt tua ſapientia perfecte nouit, *Dominus ille WELPHO, vir magnae nobilitatis & potentiae in noſtro regno* habetur, neque fide, qua eum in extrema neceſſitate adiuuimus, neque beneficiis, quibus eum commode auximus, aliqua ratione commonitus, per Siciliae tyrannum a Ieroſolymis reditum habuit, & accepta non parua ipſius infami pecunia, per ſacramenta & obſides ei firmauit, quod nos & noſtros & noſtrum Imperium perturbare & infeſtare malis omnibus laboraret. Quod, poſtquam ad propria rediit, adiunctis ſibi quibusdam perfidis non parui apud nos momenti & nominis, inſtanter facere coepit, filios noſtros, tuos vtique nepotes amantiſſimos & bonae ſpei plenos, inuadendo, & in terra ipſorum, quae illis patrimonii iure competit, *inimica* quaedam *caſtella aedificando*. Hoc igitur tam atrocis rei nuntio accepto, cum fama, vt in talibus fieri ſolet, omnia in deterius multiplicaret, praeuenire cuncta & comprimere maturauimus, atque ad partes Alemanniae ſubito & improuiſo aduentu acceſſimus. Dum itaque in componendis & placandis omnibus diligentiam adhibemus, tanta nos infirmitas corporalis in fine Auguſti menſis inuaſit, vt vſque ad paſcha Domini grauioribus negotiis vix vtiles eſſe poſſemus. Intra quod temporis ſpatium cum eſſemus in ciuitate Spira ad iuſtitias regni faciendas, & ad exercenda publica iudicia, praenominatus *WELPHO* cum dulciſſimo noſtro, tuo nepote, bonae indolis iam adoleſcentulo, ad Romani imperii faſtigium, Deo auctore, per nos & principes noſtros coronato, prope caſtellum noſtrum *Flocperch* acie conſerta dimicauit, vbi, nos diuina protegente miſericordia, ſuorum multis tam caede quam captione amiſſis, noctis beneficio adiutus, vix euaſit. Quo munere coeleſtis miſericordiae accepto, dum contra communis hoſtis noſtri, Siculi videlicet tyranni, temerariam inſolentiam nos expedire & accingere ſtudemus; nuntiatur nobis, quod omnis populus Francorum cum ipſo Rege ſuo contra Imperium praecellentiſſimi germani noſtri, tui ſcilicet glorioſiſſimi ſponſi, conſpiraret, & arma mouere, auctore & incentore Siciliae tyranno, cum omni virtutis ſuae conatu diſponeret. Quam rem non facile ſpernendam vel omittendam ratum duximus, ſed finem rerum exſpectare, & aut tumultum reprimere, aut nos & Imperium noſtrum pro fratre noſtro & rebus ipſius opponere decreuimus. Excuſatos nos ſufficienter credimus, veritatis exiſtente conſtantia, tam de incurſatis regni noſtri finibus, quam de inualetudine corporali, & plane de diuino adiutorio confidimus, quod in breui promiſſa noſtra fideliter

com-

complebimus, non solum quia spopondimus, verum etiam quia nos de inuasore Imperii nostri vindicare summopere desideramus. Et vt praecelsus vir tuus maiorem de nobis amicitiae certitudinem & adimplendi conuentiones habeat, firmiorem inter nos affinitatem, sicuti cum praesentes essemus inter nos tractatum & firmatum fuit, ad praesens fieri disponimus, ita videlicet, vt gloriosus filius noster, qui Imperii nostri successor & haeres est designatus & coronatus, neptem vnam mariti tui, sublimis Graecorum Imperatoris, vxorem praesenti tempore ducat, de duabus scilicet alteram; quae electio in tui pectoris sapientia constabit, vt illa nobis transmittatur, quae moribus & forma noscetur a te, quae eas educasti, praecellere. Cetera vero, quae ad eumdem contractum rite peragendum pertinere videntur, posuimus in ore Comitis *Alexandri* de *Grauina*, qui vtrique Imperio perpetua fidelitate seruire manifeste consueuit, & verbi huius mediator & tractator ex praecepto vtrorumque, cum apud vos essemus. Quem in rebus Imperii vestri fideliter, vt semper solet, laborantem a Venetia fecimus ad nos vocari, quatenus per eius industriam secretum hoc, sicut in ceteris consueuimus, ad egregium valeat finem perduci. De cuius celeri reuersione benignam intelligentiam tuam studiose admonemus, quia, cum sublimis nepos tuus iam adultus sit, oportet, vt tam personae ipsius, quam Imperio nostro in contrahendo matrimonio sine mora prouideamus. Scire possint inimici nostri, qui disseminando mendacia turbare nos & disiungere moliuntur, quod amicitiae nostrae nexus indissolubilis permaneat.

No. XCIX.

Wiboldus Abbas Cancellario Regis nuntiat Welfum Ducem in proelio ad Flocbergam superatum & captum. Anno 1150. Ex eodem p. 372.

DILECTO domino suo & amico A. venerabili sanctae Coloniensis ecclesiae praeposito maiori, regiae curiae cancellario, frater *Wibaldus* Dei gratia id quod est in ecclesia catholica, seipsum & sua vniuersa. Acephalas litteras a vobis accipere consueuimus, quas qui scribunt, similes sunt illis, qui prandent illotis manibus. Semel correptus de cetero emendabitis. Ad penultimas vestras inter prima nostra vobis respondemus, quod, quando conuenerimus, plura dilectioni vestrae referre habebimus, quae vt litteris mandarentur, nec breue nec tutum fuit. Praeterea multa nobis deposita sunt, ex eo videlicet, quod, Deo de coelis distillante misericordiam, *GVELFO* cum omnibus fere

 homi-

hominibus ſuis a iuniore Rege pugna ſuperatus *captus* eſt. Et opinabile quidem eſt, & veraci coniecturae ſatis conſentaneum, quod ſi hoc bonum diuina clementia non fuiſſet largita, magnos in regno motus fuiſſe futuros, quos nunc ex facili poſſe comprimi & ſuffocari confidimus: quae plenius a clerico veſtro E. cognoſcere poteritis. In quantum vero intelligere & diiudicare poteſt noſtra capacitas, dominus noſter Rex omne ſtudium & conſilium ſuum conuertit ad diſponendas & regendas res publicas; nec modo tempus redimit, nec cauſas perfunctorio tranſitu eludit. Inde eſt, quod ordinatis ſerio & rationabiliter rebus ſuis, quae ex quadam neceſſaria ſerie quodammodo concatenatae ſunt, colloquium habere vult cum Saxonibus in Dominica, qua cantatur: Iudica me Deus, apud Fuldam, vbi vos intereſſe modis omnibus mandat & praecipit. Mittere enim Romam cum grauitate magna & regni & perſonae ſuae honeſtate intendit, in quibus rebus veſtro plurimum conſilio innititur, & nos tamquam captiuatos vſque ad aduentum veſtrum tenet. Defixum plane & ratum eſt apud ipſum, quod ſi ſororem ſuam absque armis in Poloniam reducere potuerit, mox expeditionem Italicam magnifico apparatu ordinabit. Super quo nos dubitare iam non audemus, & maxime cum ad conſilium, quod captauerat, hanc mirabilem & inopinatam opportunitatem propitia diuinitas ei adiecerit. Cetera cum veneritis, Deo praeſtante, conferemus. Quae pueri didicimus, iam ſenes experimur. Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt. In aqua Iordanis peccata veſtra abluere potuiſtis, ſed mores veſtros eluere non potuiſtis. Etenim non ſolum mores veſtros, ſed etiam moroſitatem inde retuliſtis.

No. C.

Idem idem nuntiat Romano Pontifici.

Anno 1150. Indidem p. 403.

REVERENDO Patri ſuo & Domino *Eugenio*, vni & vniuerſali Pontifici, frater *Wibaldus* Dei & veſtra gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſeipſum & ſua vniuerſa. Apoſtolus Iohannes dicit: Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. Nos illorum igitur imitantes diligentiam, qui pauca loqui, & multa facere conſueuerunt, raro veſtrae celſitudini ſtudium ac deuotionem noſtram circa vos & ſacroſanctam matrem noſtram Romanam eccleſiam praedicamus: cum tamen quotidiana & aſſidua inſtantia ſedulum ad beati Petri & veſtram fidelitatem ſeruitium exhibere non ceſſemus: quod praeſtante domino veſtrae beatitudini per alias excellentes perſonas notum fore non dubitamus.

mus. Si quid vero de rebus, quae ad vos pertinent, apud inclytum filium vestrum, dominum nostrum Regem Romanorum, finaliter esset diliberatum, nos absque morae prolixioris interpositione, seu per personam nostram, seu per scripta nostra vobis intimare diligenter curauissemus; quod etiam, cum factum fuerit, perficere maturabimus. Certa etiam sit vestra beatitudo, quod, in quantum valet nostra mediocritas, & in quantum diuina clementia nobis apud serenissimum principem gratiae & facultatis indulsit, mentem ipsius & verba & omne opus ad dilectionem & reuerentiam vestrae personae & honorem sanctae matris suae Romanae ecclesiae, cui a Deo defensor ordinatus existit, mansuefacere & inclinare non desistimus. Cum haec *Spirae* in curia Domini Regis scriberemus, repente nuntiatum est nobis, quod *GVELFO captus esset*, & *Godeboldus*, & multi de militibus eius in praelio cecidissent, dimicante contra eum inclyto filio vestro, iuniore rege, domini nostri regis filio; per quod confidimus complanatas esse omnes difficultates, quae videbantur obsistere ad introitum domini Regis in Italiam.

No. CI.

Hermannus Constantiensis Episcopus rogat Wiboldum, vt semet interponat pro liberatione consanguinei sui, a Welfo Duce capti. Anno 1150. Ex eodem p. 373.

WIBALDO Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati, H. eadem gratia Constantiensis ecclesiae humilis minister cum fideli obsequio, deuotas orationes in Domino. Pro eo, quod domini Regis Curiae ad praesens, sicut decens est, interestis, non mediocriter gauisi sumus. Discretionem etenim vestram licet in multis experti simus, vt videlicet in praesenti prosperitate sic vestro consilio dilectissimus Dominus noster vtatur, vt fidelibus regni, nobisque prae ceteris quamplurimis, honorem regni diligentibus, gaudium augeatur; filiis autem perditis & perditionis terror incutiatur. De cetero fraternitatem vestram, de qua nimirum confidimus, humiliter exposcimus, vt dilectissimo Domino nostro suggeratis, vt a domno *Welfone* suisque ministerialibus quemdam consanguineum meum, & ipsius Domini regis fidelem, Henricum nomine, sine causa captiuatum, primo, & sicut de ipso confidimus, requirat, & tam pro nobis quam pro Deo dimitti iubeat.

No. CII.

No. CII.

Wiboldus Hermanno aperit ſanguinolentum ſuum in Welſum Ducem conſilium, Regemque hoc ſpernentem deſidiae incuſat. Anno 1150. Indidem p. 374.

REVERENDO Patri ſuo & Domino Hermanno, ſanctae Conſtantienſis eccleſiae venerabili Epiſcopo, frater Wibaldus, Dei gratia id quod eſt in eccleſia catholica, ſalutem in eo, qui mandat ſalutes Iacob. Pro moderatione, qua praedita eſt dulcis anima veſtra, placuit benignitati veſtrae gratulari regiae Curiae, quod noſtram ei nunc aſſidue exhibeamus praeſentiam. Sed nos, venerande pater, non ſcimus momenta rerum, nec publicis negotiis quidquam poſſumus emolumenti conferre, & vt noſtra fert opinio, nos numero ſumus & fruges conſumere nati. Siquidem poſt inſperatam & ab omni humano conſilio & opere ferme alienam, & de coelis traditam victoriam, voluimus, & quantum in re militari oportuit, ſuaſimus, vt Dominus noſter Rex, quem propitia diuinitas miris & clementibus beneficiis conſeruat & prouehit, non ceſſaret ſucceſſus vrgere ſuos, & hoſtes ſuos incomparabili damno affectos, metuque & angore animi perculſos, inuaderet, ac ſeſe aliquando ad faciendum iudicium & iuſtitiam, ad ſubueniendum matri ſuae eccleſiae, accepta tam mirabili opportunitate expediret. Contra dicebat *inueteratus* ille *Achitofel*, qui vix ingentem diſſimulare triſtitiam poterat, &, aſſumta ſanctioris amicitiae perſona, de tempore & auris cauſabatur, & ſanctiſſimi *ieiunii* religionem praedicabat, & aſtruebat, oportere hominem, quem iuſtus Dominus, qui iuſtitias diligit, iam iudicauit, legitimis iudiciis & interpellationibus in ius vocari; pium eſſe & conueniens nullam captiuis laeſionem inferri: de quibus quidem nos, officii noſtri innocentiam attendentes, nihil cenſueramus. Sed, vt patri & Epiſcopo confiteamur, *in mente noſtra erat, vt non ſolum vnus homo, ſed etiam* **multi** *morerentur pro populo*, & non tota gens periret. Popularis erat *Senis* oratio, & ad hominum negligentiam, pigritiam, ac deſidiam accommoda. Nos tamen contra nitebamur, & aſſerebamus, fama conſtare bella, & res magnas celeritate adiuuari; dilationem ſemper nocuiſſe paratis; iudiciorum, quae tanto pondere opponerentur, vocem intra pauciſſimos pagos poſſe audiri; opus bellicum cum aliquo ſplendore geſtum per maiorem orbis partem diffundi. Inermem vicit oratio *armati*; cuius tamen arma effecerant, ne is, cui perſuadebat, ad perfectum viciſſet. Ita factum eſt, vt nec bella geramus, nec iudicia exerceamus; ſed ſpe rerum in-

aniuml

anium animos paſcimus. De captiuo veſtro bene vobis ad integrum reſponſum eſt. Nos inſtanter curabimus, vt verba effectus conſequatur. Valete.

No. CIII.

Wibaldus Imperatori Conſtantinopolitano nuntiat decretam Conradi III. Regis expeditionem

contra Rogerium Siculum, nominatque Principes, qui in nupera Curia hanc expeditionem iurauerant. Anno 1152.

Ex eodem p. 496.

INCLYTO triumphatori ac sereniſſimo dominatori, glorioſo ac ſacratiſſimo Imperatori Graecorum & Romaniae, *Manueli*, excelſo, ſublimi, Porphirogenito, Wibaldus Dei gratia duorum nobilium monaſteriorum abbas, Stabulenſis ſcilicet & Corbeiae, deuotum & perpetuum in Domino famulatum, & aſſiduas ad Deum orationes. Largitori omnium bonorum Deo infinitas gratiarum actiones referimus, qui veſtrae manſuetudini dignatus eſt inſpirare, vt noſtrae paruitati ſcribere, & de veſtrae voluntatis nutu ſignificare dignaremini. Facimus itaque, quod iuſſiſtis, & humilibus atque aſſiduis precibus Dei omnipotentis clementiam cum nobis commiſſis fratribus exorare ſtudemus, vt tam veſtrae celſitudini, quam domino meo, fratri veſtro, *Conrado* Romanorum *Imperatori Augusto*, ſanitatem & incolumitatem & de inimicis victoriam conferre dignetur, & dilatet atque magnificet Imperia veſtra ſuper omnia regna orbis terrarum, ſicut priſcis temporibus fuiſſe per hiſtorias veterum cognoſcuntur. Hortamur etiam, & continuis monitis ſuggerimus, vt praecelſus & glorioſiſſimus *Imperator noſter* amicitiam & ſocietatem veſtram fideliter ac firmiter conſeruet, & omnia veſtrae maieſtati promiſſa ſine vlla diminutione compleat. In quo propoſito ipſe feliciſſimus princeps cum magna mentis conſtantia perſeuerans, ordinat viriliter expeditionem ſuam ad partes Siciliae & Apuliae contra communem hoſtem vtriuſque Imperii. Inde eſt, quod mediante praeterito menſe Septembri, apud ciuitatem *Herbipolium* quoſdam principes imperii ſui euocauit, vbi etiam conuenerunt Colonienſis archiepiſcopus, Bremenſis archiepiſcopus, Haluerſtadienſis epiſcopus, Cicenſis epiſcopus, Bauembergenſis epiſcopus, Merſburgenſis epiſcopus, Herbipolenſis epiſcopus, Argentinenſis epiſcopus, Wormatienſis epiſcopus, Pragenſis epiſcopus, & legati diuerſorum epiſcoporum ac principum, & de *laicis* principibus conuenerunt marchio de Witin, marchio de Brandebourg, Palatinus comes de Bauaria, comes de Wincenburch in

Saxonia, praefectus vrbis moguntiae, praefectus vrbis Herbipolis, praefectus vrbis Bauemberch, & alii multi comites, honorati & nobiles, qui omnes cum magna voluntatis hilaritate, fide data & iuramento praestito, promiserunt, quod ad eamdem expeditionem cum omni virtute & potentia militiae suae venient & prosequentur. *Nos* quoque in eadem expeditione *cum nostra militia* Domino nostro *famulantes*, sanctissimam faciem vestram & permaximi Imperii vestri decorem videre, Deo praestante, merebimur. Munificentiae Imperiali gratias referimus, quod benedictionem vestram nobis adhuc ignotis transmisistis.

No. CIV.

Conradi III. obitum & Friderici I. electionem Eugenio PP. III. significat Wibaldus felix narrator.

Anno 1152. Ex eodem p. 514.

REVERENDO Patri suo & domino Eugenio diuina gratia vni & vniuersali Papae, frater ille vester Dei & vestra gratia, id quod est in ecclesia catholica, se ipsum in fide & veritate. Ecce, venerande pater, quod verebar accidit, & ob hoc quasi diuino & praescio spiritu cum essem apud vos, non dissimulaui, neque silui, suggerens & contestans, vt pacem populi Romani, si honesta & tuta esse posset, sine dilatione reciperetis. Etsi casum hunc, de quo non immerito dolemus, minime praesentiebamus; quadam tamen praesentione futurorum angebamur, ne forte spes vestra, quam de expeditione futura conceperatis, aliquo rerum euentu vacillaret. Multa enim, quae legimus, & audiuimus, & vidimus inter vrbis reuerendos Pontifices & Imperatores facta & dicta, non indebita nos sollicitudine terrebant, & licet discreta eruditio vestra de omni statu Teutonici regni plenius inpraesentiarum doceatur, tum per litteras gloriosi filii vestri & domini nostri *Frederici* Romanorum Regis inuictissimi, tum etiam per scripta deuotorum filiorum vestrorum, quorumdam videlicet episcoporum; tamen deuotio nostra circa vos & sacrosanctam matrem nostram Romanam ecclesiam languere non debuit, quin celsitudinem vestram de rebus ad vos maxime pertinentibus aliqua ex parte praemoneremus. Etenim vnusquisque in suo sensu abundat. Peruenientibus nobis Spiram in reditu a vobis, occurrit nobis fama omni auditu horribilior, omni furia terribilior, quod videlicet tertia ante illam die de hac vita migrasset dulcissimus ac deuotissimus filius vester, serenissimus quondam Romanorum Rex *Conradus*. Dubitare non oportet, aut quaerere sinceritatem vestram, quantus dolor animos nostros peruaserit

de

de amiſſione tam clementis, tam miſericordis circa nos principis; de metu futurae in imperio mutationis. Enauigauimus ita ſumma cum celeritate Coloniam, vt tanto eſſet Colonienſis ad prouidendum reipublicae cautior ac liberior, quanto eſſet inter ſuos ab omni turbulentae conuentionis impetu ſecurior. Coeperunt deinde ſummi principum ſeſe per nuntios & litteras de habendo inter ſe colloquio pro regni ordinatione ſollicitare, ſicque factum eſt, vt, cum pauci admodum crederentur venturi, maxima tamen optimatum multitudo XVII. die poſt obitum praedicti magnifici principis in oppidum Frankeneuort conuenerit. Itaque, concurrentibus omnium votis, immo, vt verius dictum ſit, praecurrere certantibus ſingulorum deſideriis, electus eſt cum ſummo vniuerſorum aſſenſu is, qui nunc rerum potitur, *Fridericus*, dux antea Sueuiae, & pari & eadem alacritate & admiratione quinta poſtmodum die vnctione ſacra pontificum in ſolio regni more maiorum Aquiſgrani ſublimatus eſt. Salua ſane in omnibus diuinae omnipotentiae reuerentia, quae operabatur in cordibus hominum ad inclinandum eorum voluntates quocumque vellet, in hac tam incredibili, tam celeri concordia trahebat ſua quemque voluntas. Multorum vox erat in ipſa impoſitione diadematis, expeditionem Italicam, quam patruus eius ſtrenue ordinauerat, ipſe firmaret ac perficeret. Sequenti vero die tam Colonienſis quam epiſcoporum, qui illic aderant, conſilium & exhortatio erat, vt eamdem militiae ſacramentis acceptis expeditionem Italicam ad propulſandas apoſtolicae ſedis iniurias promoueret; ſed *laici* principes, ſimplici fortaſſe animo, ſtudioſe ſuggerebant, non oportere in hac rerum nouitate tam graui ſponſione principem deuinciri, ne improbitas rebellantium, de ipſius celeri egreſſu certa, in extremam dementiae audaciam prorumperet: decere etiam, vt vocatus a vobis potius, quam ſponte ſua, veniret. Ita de facili labor in quietem permutatus eſt. Et quidem cor Regis in manu Dei eſt, & pro ſubiectorum meritis, quo placet, conuertit illud. Hoc ideo dicimus, quod princeps noſter *nondum* vt credimus, *annorum triginta*, fuit ante hac ingenio acer, conſilio promtus, bello felix, rerum arduarum & gloriae appetens, iniuriae omnino impatiens, affabilis ac liberalis, & ſplendide *diſertus iuxta idioma linguae ſuae.* Augeat in eo Deus omnium virtutum nutrimenta, vt faciat iudicium & iuſtitiam in terra, & ſit vobiſcum magni conſilii angelus, vt declaretis eum in Regem ac defenſorem Romanae eccleſiae, & illa ipſi ac principibus ſuis facere iniungatis, quae ad honorem eccleſiae catholicae, & ſalutem populi Chriſtiani proficiant.

No. CV.

Friderici I. Imperatoris priuilegium pro Ecclesia Vercellensi, subscriptore Welfo Duce.

Anno 1152. Ex Vghell. Ital. sacr. Tom. V. p. 1076. edit. veteris. & p. 780. edit. nou.

In nomine sanctae, & indiuiduae Trinitatis. Fredericus Dei gratia Romanorum Rex Augustus. Quia Romani Imperii regimen potestatemque suscepimus, Ecclesiis a nostris Praedecessoribus plurima largitione sublimatis, erga nos competit prouisione consulere, & ne ipsarum possessiones aliqua distractione depereant suffragium sufficiens adhibere. Praesentibus igitur, ac futuris Christi fidelibus volumus esse cognitum, quod petitione Domini Papae Eugenii Tertii, & intercedente charissimo Cancellario nostro, Arnoldo, aliisque principalibus Regni principibus, venerabilem Vercellensem Episcopum Vgutionem atque Ecclesiam S. Eusebii in Regiam protectionem suscepimus, & praesentis priuilegii pagina communiuimus. Quaecumque ergo memoratae ecclesiae largitione Regum, concessione Pontificum, ac quorumlibet oblatione fidelium collata esse noscuntur, & quae inposterum largiente Domino conferentur, confirmamus, etc. Praeterea concessiones, commutationes, alienationes, distractiones ab inuasoribus S. Eusebii factas, qui Pontificalem benedictionem non obtinuerunt, videlicet Gregorio de Verucha, Liprando, Euandro, Ardicione, in irritum ducimus, & regia auctoritate cassamus. Quemadmodum & Patruus, atque antecessor noster Conradus Romanorum Rex ipsa cassauit. Inuestituram suam quam ab Anselmo Vercellensi Episcopo contra voluntatem suae ecclesiae & contra iuramentum, quod fecerat, & contra interdictum Domini Papae Eugenii Tertii, ipse se confecisse confessus est de Pedagio, & Naulo Salugiae factas & alias inuestituras in Ecclesia S. Eusebii ab Episcopis furtiue occulte factas, omnino cassamus, & inposterum ne fiant sub poena centum librarum auri Regia auctoritate interdicimus, &c. Item praescriptionem quoque centum annorum tam Episcopis Vercellensibus, quam Ecclesiae sancti Eusebii, & S. Mariae concedimus in perpetuum. Item testes fuerunt praesentes, quorum nomina subscripta cernuntur.

Hartuuichus Bremensis Archiepiscopus.
Giberardus Wircembergensis Episcopus.
Guntherus Spirensis Episcopus.
Ebardus Pabembergensis Episcopus.

Anselmus

Anselmus Abelpergensis Episcopus.

Dux Velpho.

Henricus Dux Saxoniae.

Conradus, Albertus, marchiones de Saxonia.

Guido comes de Blandrata.

Signum ✠ Domini Frederici Romanorum Regis inuictissimi.

Ego Arnoldus Cancellarius vice Henrici Maguntini Archiepiscopi, & Cancellarii recognoui.

Datum Vircembergi 16. Kal. Nouembris, anno Dominicae incarnationis 1152. Indictione I. Regnante Domino Frederico Romanorum Rege glorioso, anno vero regni eius primo feliciter.

No. CVI.

Conuentio inter Fridericum I. Imperatorem & Eugenium PP. III. subscripta a Welfo Duce.

Anno 1152. Ex Baron. Annal. Tom. XII. p. 371. n. VII. & Codice Wibaldino p. 557.

IN nomine Domini. Amen. Haec est forma concordiae & conuentionis, inter Dominum Papam *EVGENIVM*, & Dominum *FRIDERICVM* Romanorum Imperatorem constituta, mediantibus Cardinalibus Gregorio sanctae Mariae trans Tiberim, Hubaldo sanctae Praxedis, Bernardo sancti Clementis, Octauiano sanctae Caeciliae, Rolando sancti Marci, Gregorio sancti Angeli, Guidone sanctae Mariae in Porticu, & Bernardo Abbate de Claraualle ex parte Domini Papae: Anselmo vero Auelbergensi, Hermanno Constantiensi Episcopis, Odelrico de Lenzeburch, Guidone Guerra, & Guidone Baldratensi Comitibus, ex parte Domini Regis. Dominus siquidem Rex vnum de maioribus Ministerialibus regni faciet in animam Regis iurare, & ipse idem manu propria data fide in manu Legati Domini Papae promittet, quod ipse nec treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum *ROGERIO*, Rege Siciliae, sine libero consensu & voluntate Romanae Ecclesiae & Domini Papae *EVGENII*, vel successorum suorum, qui tenorem subscriptae concordiae cum eodem Rege Friderico tenere voluerint, & pro viribus laborabit, Romanos subiugare Domino Papae, sicut melius vmquam fuerunt a centum annis & retro. Honorem Papatus & regalia Beati Petri, sicut deuotus & spiritualis Aduocatus S. R. E. contra omnes homines pro posse suo seruabit, & defendet, quae nunc habet. Quae vero nunc non habet, recuperare pro posse iuuabit, recuperata defen-

det. Graecorum quoque Regi nullam terram ex ista parte maris concedet. Quod si forte ille inuaserit, pro viribus regni, quanto citius poterit, ipsum eiicere curabit. Haec omnia faciet, & obseruabit sine fraude & malo ingenio. Dominus vero Papa Apostolicae auctoritatis verbo vna cum praedictis Cardinalibus in praesentia praescriptorum Legatorum Domini Regis promisit & obseruabit, quod eum sicut B. Petri charissimum filium, honorabit, & venientem pro coronae suae plenitudine, sine difficultate & contradictione, quantum in ipso est, Imperatorem coronabit, & ad manutenendum, augendum, & dilatandum honorem Imperii, pro debito officii sui iuuabit, & quicumque iustitiam aut honorem regni conculcare aut subuertere ausu temerario praesumpserit, Dominus Papa a Regiae dignitatis dilectione praemonitus, eos ad satisfactionem canonice commonebit. Quod si Regi ad Apostolicam monitionem de iure & honore Regio iustitiam exhibere contempserint; excommunicationis sententia innodentur. Regi etiam Graecorum ex ista parte maris terram non concedet: quod si ille inuadere praesumpserit, Dominus Papa viribus Beati Petri eum eiicere curabit. Haec omnia ex vtraque parte sine fraude & sine malo ingenio seruabuntur, nisi forte libero & communi consensu vtriusque immutentur.

Testes autem, quorum nomina subscripta videntur,

Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus.
Hermannus Constantiensis Episcopus.
Anselmus Auelbergensis Episcopus.
Arditio Cumanus Episcopus.
N. Curiensis Episcopus.
Wibaldus Stabulensis Abbas.
Albertus Coloniensis Decanus.
Magister Henricus Notarius.
Gotifredus Viterbiensis, Capellanus Regis.
Ex laicis, N. Marchio. *VVLPHO Dux.*
Hermannus de Baden Comes.
Vlricus de Lenzemburch Comes.
Anselmus ministerialis & Camerarius Regis.

Signum ✠ Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictissimi.

Ego Arnoldus Cancellarius recognoui.

Datum Constantiae, decimo Kalendas Aprilis. Indictione decima quinta, anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo, regnante Domino Friderico Romanorum Rege glorioso, anno vero regni eius primo.

No. CVII.

No. CVII.

Praesides prouinciae Friniani Mutinensibus iurant contra omnes homines, exceptis iis, qui Welfo Duci, Domino possessionis Comitissae Mathildis, fidelitatem iurauerunt. Anno 1156. Ex Murator. antiq. Ital. T. IV. p. 202.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno eiusdem MCLVI. duodecima intrante mense Martii, Indictione IV. Breue recordationis, qualiter Capitanei de Fregnano, videlicet omnes illi, qui appellantur Coruuli, iurant vnusquisque pro se, saluare & adiuuare homines Mutine & eorum bona, vbicumque potuerint, sine fraude. Et iurant omnes esse Ciues Mutine, & defendere Ciuitatem infra confines ab omni homine, exceptis tamen illis, qui iurauerunt fidelitatem *Duci GVELFONI, si venerit in Longobardiam, & habebit dominium possessionis Comitisse Matildis;* quo dominio amisso, contra omnes homines. Postea & exceptis illis, qui sunt Ciues Bononie, qui non debent adiuuare Mutinenses a Bononiensibus, si erunt extra predictos fines Mutine. Que nomina sunt Henricus, & Raffacane, & Rainaldinus, & Radaldus cum suis filiis. Omnes vero alii iurant saluis eorum Dominis, quos habent, vel sine fraude acquirere debent, & eorum Vassallis, quibus non debent facere guerram cum Mutina. Et si Mutinenses ad eorum domos eos inquietauerint, non teneantur, quo minus eis suffragium parare non possint. Et iurant habitare Ciuitatem Mutine absque Vxoribus vnum Mensem in vnoquoque anno tempore pacis, & duos in tempore Belli, nisi verbo Rectoris vel Rectorum Mutine remanserit. De guerra vero adiuuare iurant vsque ad finem sine fraude. Et insuper iurant iurare in vnoquoque anno omnes sequi Rectorem vel Rectores Mutine, si ab eis requixitum fuerit. Et iurant facere iurare omnes eorum homines sine fraude ad voluntatem Rectorum vel Rectoris Mutine, vel ad voluntatem certi nuncii predicti Rectoris vel predictorum Rectorum in vnoquoque anno deinceps. Et iurant stradam Mutinensibus per totam eorum terram sine fraude ad voluntatem Rectoris vel Rectorum Mutine. Et iurant facere dare *boatiam* denarios sex Lucensis ex vnoquoque pario boum omnibus eorum hominibus, exceptis illis Castellanis, sine fraude, qui semper cotidiano vsu habitant per Castella, & exceptis eorum seruis & Gastaldionibus sine fraude. In vnoquoque anno sic debent dare boatiam vt supra dictum est, omnes eorum homines. Et iurant facere cartulam proprie-

proprietatis de Caſtro Saxi Marcii & de Curte & de Caſtro Galliadi & Curte Communo Mutine, excepta parte Scaculini, & Falculini, quam ſi acquixierint, ſimiliter dare debent per Cartam Rectori vel Rectoribus Mutine, qui pro Communo accipiant. Et ſi Communum Mutine aliquod in predictis Curtis acquixierit, eis in feudum dare debet omnibus. Predicta vero Caſtra debent dare Rectori vel Rectoribus Mutine ad offendendum omnibus eorum inimicis contra omnes homines ad voluntatem Rectoris vel Rectorum Mutine, ad hoc, vt eorum culpa Caſtra non amittant. Et iurant ſaluare & adiuuare Perſonas & eorum bona omnibus hominibus Mutine in predicta Caſtra contra omnes homines. Et ſi pro iſto negocio Mutinenſibus guerra in aliquo tempore apparuerit, Fregnanenſes iurant facere eam ſine fraude vſque ad finem. Iurant Mutinenſes ſaluare & adiuuare perſonas & eorum bona Fregnanenſibus vbicumque potuerint, ſine fraude, ſaluis eorum Dominis, quos habent, vel quos ſine fraude aquirere debent, vel aquixituri erunt. Et ſi Fregnanenſes fecerint querimoniam de Gomolenſibus de Feudo, vel de proprietate, & ipſi facere noluerint iuſtitiam, vel bonum vſum, vel conuenientiam partibus ambabus placitam coram Rectore vel Rectoribus Mutine; tunc Mutinenſes debent facere guerram & adiuuare eos vſque ad finem, donec predicti Fregnanenſes erunt quieti de predicta querimonia ſine fraude. Et Galliadum & Curtem, & Saſſum Marcium & Curtem dare debent eis in feudum, & adiuuare defendere & retinere ab omni homine ſine fraude. Et guerram Gualandorum debent facere & adiuuare eos vſque ad finem. Et poſtquam quieti erunt de predicta guerra, ſi de predicta Caſtra aliam eis apparuerit guerram in aliquo tempore, vſque ad finem ſimiliter eos adiuuare debent ſine fraude. Et denarii illi, quos Mutinenſes habuerint de predicta Fregnanenſium boëtia vſque ad annos ſex debent dare in terram iuxta Mutinam, & de eorum propriis nummis de Boacia in terram dare; & debent eos nummos deponere apud Abbatem Sancti Petri. Quam terram non debent vendere nec pignori alicui dare ſine voluntate Rectoris vel Rectorum Mutine. Et ſi Fregnanenſibus pro iſto negocio in aliquo tempore guerram apparuerit, Mutinenſes iurant facere eam vſque ad finem. Inſuper etiam ſi Rector vel Rectores Mutine concordie Rectorum Fregnanenſium & Baëſanorum aliquid addere vel minuere de Breuibus iſtis voluerint, habent licentiam ſine fraude. Et in vnoquoque anno debent iurare Rector vel Rectores Mutine, & hoc pactum Fregnanenſibus firmare, donec de guerra quieti erunt, niſi pro eis ſteterit. Vnde duo Breuia vno tenore conſcripta ſunt.

Ego Gandulſus Notarius Sacri Palacii ſcripſi.

No. CVIII.

No. CVIII.

Ex Gerhohi Praepositi Reicherspergensis Commentario in Psalmum CXXXIII. de filiis Kedar,

apud Pez. Anecdotor. T. V. p. 2040. sq. vbi Welfus Dux celebratur Canonicorum defensor contra Episcopum Augustanum.

Cvm autem placuit ei, qui me segregauit de vtero matris meae, Augustensis Ecclesiae, & vocauit me ad altius & arctius propositum communis vitae, continuo non acquieui carni & sanguini. Nam, relictis consanguineis & couterinis fratribus tribus in seculo, ego, assumptis mihi duobus, in Regulari vita conuersabar, ad quam tertius frater a scholis Franciae reuersus me secutus, reliquos duos in seculo reliquit, videlicet Ruodigerum & Fridericum, quos ambos Augustenses Canonici susceperunt in consortium sui, aliquantulum prouocati amore mei; sed magis attracti per felicis memoriae *Herimannum*, tunc *Augustensis* Ecclesiae Antistitem. Quo defuncto, successit eidem *Waltherus* Episcopus, ad regimen Ecclesiae piger, vtpote homo senex & grandaeuus, attamen in exterioribus augendis valde vtilis, non solum dispersa colligendo, sed insuper hereditaria sua bona, quae multa erant, conferendo, sub firmissima & quasi testamentali conscriptione, vt, quicunque successor ipsius eadem vel infeudaret, siue alio modo alienaret, sub anathemate maledictus, Deo & Ecclesiae redditurus esset rationem. Accessit ad huius anathematis confirmationem Sedis Apostolicae auctoritas, quia tunc Legatus Apostolicae Sedis, *Octauianus*, cooperantibus illi tribus Episcopis, videlicet *Walthero Augustense*, *Ottone Frisingense*, *Emehardo - - - Episcopo*, candelis extinctis, excommunicauit successuros Episcopos, qui de mensa Episcopi alienarent bona, per iam dictum Waltherum Episcopum Ecclesiae Augustensi collata, vel ab eodem recollecta. Aderant autem, & huic sententiae intererant, omnes Augustensis Ecclesiae Praelati, Abbates, Praepositi, Archidiaconi, & de aliis Episcopatibus multi; quorum vnus *ego* fui. Sed cum praedicto Episcopo *Walthero* successisset *Chuonradus* Episcopus, ita omnia Episcopalia bona dissipauit, partim infeudando, partim impignorando, vt, sicut hodieque apparet, mensa Episcopi antehac opulenta, nunc sit pene penitus destituta reditibus Episcopalibus. Haec desolatio cum litterarum mearum testimonio per Augustenses Canonicos, maxime autem per fratrem meum vterinum iam dictum, Ruodigerum, delata est ad Romanum Pon-

tificem Adrianum. Quo iudicante, ipſe frater meus ceterique canonici, cauſam iuſtam proſequentes, addicti ſunt poenis, & Epiſcopus dilapidator dimiſſus eſt cum honore. Qui ad ſua reuerſus, ita excanduit in *me* ac *fratres* meos vterinos, vt omni bellua ferocior illis exiſteret, meque in ipſis, prout voluit & valuit, moleſtaret. Sed haec eius infeſtatio mitigata eſt per Domnos Cardinales, Henricum Presbyterum SS. Nerei & Achillei, & *Iacinctum*, Diaconum Cardinalem S. Mariae in Coſmidin. qui, mediante ſimulque cooperante *WELFONE Duce*, reconciliauerunt nos in pace, vt ego putaueram, firmiſſima; ſed vt poſtea perſenſi, doloſiſſima. Nam diſcedentibus Domnis Cardinalibus, qui vnum de fratribus meis illic Decanum fecerant, videlicet Ruodigerum, quem etiam Domno Epiſcopo arctius commendauerant, manu Epiſcopi ſibi data, velut in arrham gratiae ac pacis, erga illum perpetualiter ſeruandae, ipſe oblitus per manum datae fidei eundem crudelius infeſtauit reperta occaſione ex officio Decaniae &c.

No. CIX.

Fridericus I. Imp. Eccleſiae Patauienſi reſtituit villam Maerdingen in Sueuia, a Conrado III. olim Welfo Duci datam. Anno 1157. Ex Archiuo Patauienſis Eccleſiae.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *FRIDERICVS* diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Quandocumque noſtrae Imperialis corroborationis pie expoſcitur ſuffragium, celeri effectu eſt attribuendum. Et ſi in his expoſcuntur quae durare perpetuo videntur, literis eſt etiam annotandum, ne prolixitas temporum poſteris hoc reddat dubium vel incertum. Nouerit igitur omnium Chriſti Imperiique noſtri fidelium tam praeſens aetas, quam ſucceſſura poſteritas, qualiter dilectiſſimus patruus noſter & anteceſſor, Dominus *Chonradus*, diuae memoriae Romanorum Rex, cum germano ſuo *Chonrado*, venerabili Patauienſi Epiſcopo, de quodam concambio conuenit, ita videlicet, quod Epiſcopus villam ſuam *Mardingen* in Sueuia cum omnibus appendiciis ſuis ei contraderet, commodiora ſibi bona in Epiſcopatu Patauienſi inde recepturus. Hanc villam, antequam concambii vtrinque ſolempnitas celebraretur, Dominus *Chonradus* Rex in poſſeſſionem ſuam recepit, & tanquam ſuam *Duci WELFONI* in beneficio conceſſit, pollicens de die in diem Epiſcopo bona illa, quae iure concambii ei ſciebat ſe debere perſoluere. Interim cum Deo vocante, qui aufert ſpiritum

ſpiritum Principum, glorioſus Rex naturae ceſſiſſet, praedictus Princeps, qui iniuſte praenominata villa ſua caruit, adiit excellentiam noſtram, poſtulans, vt ex iudicio Principum villam ſuam *Mardingen* iniuſte ablatam iuſte ei reſtitueremus. Vnde nos ex iudicio Curiae noſtrae multas Curias Epiſcopo praefiximus, & poſt multos labores & damna quae hac de cauſa ſuſtinuit, tandem in ſollempni Curia Babbenbergenſi, III. Kal. Iulii celebrata, in praeſentia *WELFONIS Ducis, auunculi noſtri*, ex ſententia Principum, qui aderant, praedictam villam *Mardingen* cum omnibus appendiciis ſuis ei reſtituimus, totius controuerſiae lite vel iure beneficiali impoſterum amputato. Ne vero huius rei impoſterum aliqua fiat dubietas, vel contrariandi facultas, nos ſaepe nominatam villam *Mardingen*, cum omnibus appendiciis ſuis, ſicut eam Epiſcopus ante inuaſionem glorioſiſſimi patrui noſtri, Regis *Chonradi*, libere poſſedit, ei & Eccleſiae ſuae reſtituendo confirmamus, decernentes & ſub obtentu gratiae noſtrae praecipientes, ne aliqua Imperii noſtri magna vel parua perſona Parauienſem Epiſcopum *Chonradum* vel ſucceſſores ſuos de eadem villa, vel eius appendiciis, de cetero inquietare vel moleſtare praeſumat.

Huius rei teſtes ſunt:

Eberhardus Babenbergenſis Epiſcopus.
Gebhardus Wirtzburgenſis Epiſcopus.
Hartwicus Ratiſponenſis Epiſcopus.
Chonradus Eiſtetenſis Epiſcopus.
Daniel Pragenſis Epiſcopus.
Wadezlaus Dux Bohemiae, & frater eius Dipaldus.
Heinricus Dux Auſtriae.
Fridericus Dux, filius Chonradi Regis.
Otto Palatinus Comes, & frater eius Fridericus.
Pertoldus Comes de Andeſſe.
Ekkebertus Comes de Puttene.
Heinricus Praefectus Ratiſponenſis.
Rapoto Comes Abenpergae.
Chonradus Dux & Comes de Dachowe.
Marchwardus de Grunpach, & filius eius Marchwardus.
Babo de Zollingen.
Adelramus de Kambe.

Signum ✠ Domini Friderici Rom. Imp. inuictiſſimi.

Ego Reinaldus Cancellarius vice Arnoldi Maguntini Archiepiſcopi & Archicancellarii recognoui.

Data Babenbergae IIII. Non. Iulii. anno Dominicae Incarnationis M. C. LVII. Indictione VI. regnante Domino Friderico gloriosissimo Rom. Imp. Aug. anno regni eius V. Imperii III. Actum in Christo feliciter, Amen.

No. CX.

Welfo Duci Adrianus PP. IV. defensionem committit Monasterii S. Sixti penes Placentiam.

Anno 1159. Ex Murator. Antiq. Estens. Part. I. p. 308.

ADRIANVS Episcopus Seruus Seruorum Dei dilecto in Christo filio, Nobili viro Duci W. salutem & Apostolicam benedictionem. Monasterium Sancti Systi de Placentia, sicut autentica Regum Priuilegia Bullis aureis insignita declarant, a Catholicis Romanorum Imperatoribus, maxime a Lodoico Augusto, & eius coniuge Ingelberga, ipsius loci fundatrice, valde dilectum est, & larga possessionum suarum donatione ditatum. Sicut enim ex Priuilegiis percepimus, Curtes de Guardastalla & Luciaria, & alias possessiones ipsi Monasterio libere & inconcusse possidendas in perpetuum concesserunt. Et quoniam locus ipse cum pertinentiis ad ius beati Petri & protectionem nostram specialiter spectat, tam per nos quam per Ecclesiae deuotos filios cogimur in suis opportunitatibus salubriter prouidere. De tua itaque Nobilitate plurimum confidentes, Monasterium ipsum & possessiones, quae ad illud pertinent, defensioni tuae attentius commendamus, rogantes, vt eas pro Beati Petri & nostra reuerentia manuteneas & defendas, & nullam laesionem seu violentiam eidem Monasterio, vel eius locis inferas, siue a tuis hominibus inferri permittas.

Datum Laterani III. Id. Maii.

No. CXI.

Concordia inter Welfum Ducem & Obizonem, Albertum & Fulconem, Marchiones Estenses de Ateste & aliis terris.

Anno 1160. Ex Murator. Antiq. Estens. Part. I. p. 343.

DIE Mercurii, qui fuit sextus intrante Mense Ianuarii, in presentia Comitis Bonifatii de Verona, & Comitis Manfredi filius Gozii, atque Guidonis de Canossa, Comitis Federici de Piano, Oldefredi de Casanoua, Alberti de Orbana, Ostatii de Roncho, Martini

Martini Longi & Mengosi, Henrici Theutonici, atque Zanettini Sexcalci Marchionum, Berizeti de Casale, Manzini, Alberti de Coppasora. Cum Imperator bone memorie *Federicus* Italiam intrasset, & in Episcopatu Cremone apud Cremam cum exercitu ad obsidionem permaneret, *WELPHVS*, *Dux Spoleti*, *Obizonem & Albertum Marchiones pro se & fratre suo Fulcone*, qui non aderat, *inuestiuit de Este*, & Arquada, & Solesino, atque Merendola, & eorum pertinentiis, & de omnibus castris, villis, pascuis, siluis, paludibus, piscationibus, aquarumque ductibus, molendinis, montibus, collibus, ripis, diuisis & indiuisis, consortibus, seruis, & ancillis, & nominatim de omni eo, quod *Pater iam dictorum Marchionum* habuit & tenuit, & isti habuerunt & tenuerunt, seu nunc habent & tenent, vel eorum nomine tenent, vbicumque dictus Dux aliquam rationem habet, iam dictis Marchionibus dedit, & cessit, & specialiter de Arquada & Merendola: eo quidem pacto, quod isti Marchiones & eorum heredes masculi & femine debent ab eo ad feudum tenere, succedendo vnus alteri, ipsi, & sui heredes masculi, tantum ipsis difficientibus femine succedant. Et si quis eorum vel heredum illorum sine herede masculo decesserit, ita quod nullus masculus ex supradictis fratribus, seu ab ipsis descendentibus superfuerit, & feminas habuerit, tunc illa femina ...... illorum habuerit, cum aliquis ex masculis non super fuerit; tunc quod dicitur Marchionibus ex femineo sexu descendentes, vel heredibus eorum, tam masculi ex femina descendentes, quam femine superfuerint, in prenominatis rebus ad feudum succedant. Insuper predictus Dux promisit se & suos heredes defendere rationabiliter predictum feudum Marchionibus, & eorum heredibus contra omnes personas, que contra eos agere voluerint. Etiamque ibi in continenti isti Marchiones, videlicet *Obizo & Albertus* iurauerunt eidem Duci fidelitatem, scilicet *Obizo* contra omnes personas preter Imperatorem; & *Albertus* contra omnes personas preter contra Imperatorem, & *Ducem HENRICVM*, & Episcopum Adriensem. Item Dux imposuit mandatum Alberto de Orbana, vt eos mitteret in possessionem, & possessores eos faceret pro eo. Iterum vno die antequam hec inuestitura fuisset facta in presentia Comitis Bonifacii, & Alberti de Orbana, atque Ostasii de Roncho, & Martini longi, & Alberti de Sale, & Comitis Frederici, prefatus Dux fecit finem istis Marchionibus, & omnibus, qui pro Marchionibus Ducem offenderant, de omni querimonia, & offensione facta ab ipsis Marchionibus, vel Matre eorum, vel ab aliquo quocumque alio nomine eorum contra ipsum Ducem vel eius Patrem. Item Marchiones,

 videlicet

videlicet *Obizo* & *Albertus*, iurauerunt tactis sacrosanctis scripturis, quod habent soluere misso Ducis tercentum libras denariorum bonorum Mediolanensium vsque ad primum proximum diem Dominicum Capitis ieiunii. Et alias iam habent ei solutas. Et Comes Bonifacius de Verona, & Oldefredus de Casanoua, & Albertus de Orbana iurauerunt, Marchiones ita attendere, nisi remanserit iusto Dei impedimento, id est per mortem.

Actum iuxta Castrum Creme in Castris Ducis feliciter. Factum est hoc Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi Millesimo Centesimo Quinquagesimo Nono, Indictione Octaua. Ego Lanfrancus Sacri Palatii Notarius rogatus interfui, & hanc inuestituram scripsi.

No. CXII.

Welfus Dux Spoleti, Marchio Tusciae, Princeps Sardiniae & Dominus Domus Comitissae Mathildis

Canonicis Pisanis bona confirmat. Anno 1160. Ex Vghelli Ital. Sacr. T. III. p. 465. edit. veteris & p. 399. edit. nouae.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *GVELPHO, Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tusciae, princeps Sardiniae, & Dominus domus Comitissae Mathildae.* Ad hoc diuine dispositionis prouidentia nobis dispensationem multarum temporalium rerum concessit, vt Ecclesiasticis personis debeamus ferre subsidium, vt ex rebus transitoriis mereamur aeterna. Proinde omnium fidelium nostrorum tam praesentium quam futurorum nouerit industria, qualiter nos petitione canonicorum Pisanae Ecclesiae pro remedio animae nostrae confirmamus eidem Ecclesiae, & canonicis ipsius possessiones ab antiquis Imperatoribus, siue Regibus eisdem datas, & concessas. Quapropter tradimus, & concedimus, & confirmamus in perpetuum canonicis sanctae Pisanae Ecclesiae in proprietatem & possessionem saluam tumulum Pisarum a faucibus veteris serchiusque ad fauces Arni, & a fossa Lucii, quae est prope fossam Corbellariam vsque ad mare, & tertias piscariae de stagno, & omnia alia quae iuste & legaliter possident. Item decimas, praedia, domos, & familias, & varingangas omnes quae eorum praesidiis adhaerent, & omnino omnia, quae iustis modis canonice & legaliter acquisiuerunt & acquirere poterunt. Insuper confirmamus & largimur praefatis canonicis centum solidos de ripa, & rubum de tota ciuitate, vt nemo sine eorum permissione praesumat appendere, vel librare, curtem quoque

de

de Pappiana veſtra conceſſione, auctoritate, & banni noſtri confirmatione teneant & de caetero abſque alicuius contradictione libere diſponant, & proprietario iure quiete poſſideant, & ſi quid poſt hanc conceſſionem in eadem curte acquiſierint, quiete & libere poſſideant. Ipſos etiam ſanctae Romanae Eccleſiae iam dictos canonicos ſub noſtra tutela & defenſione recipimus, ita videlicet, vt nulla perſona, magna vel parua, nullus Dux, nullus Marchio, nullus Archiepiſcopus, nullius denique vel officii, vel ordinis homo, audeat ipſos canonicos, vel eorum ius, vel familias inquietare, moleſtare, vel aliquo modo fatigare, nec ad placitum, nec cauſam forenſem, niſi in curia noſtra inuitare, ſed ſecure, & abſque nulla perturbatione diuinis poſſunt ſeruitiis vacare & pro nobis Dominum propenſius exorare: ſi quis autem, quod non credimus, temeraria praeſumptione huius noſtri praecepti decretum infringere tentauerit, noſtrae conſtitutionis violator extiterit, ſciat ſe noſtram offenſionem incurſurum, & banni noſtri poenam compoſiturum quinginta libras auri optimi, medietatem Camerae noſtrae & medietatem ipſis canonicis, qui pro tempore ibi fuerint. Quod vt verius credatur, & ab omnibus diligentius cuſtodiatur, ſigillis noſtris iuſſimus inſigniri.

Acta ſunt autem haec apud ſanctum Geneſium anno 1160. ab Incarn. D. N. ind. 8. regnante Federico Romanorum Imp. inuictiſſ.

Ego Henricus Ducis cancellarius recognoui & ſubſcripſi. Ego Albertus notarius D. Ducis ſcripſi, confirmaui, & dedi.

No. CXIII.

Welfus Dux Canonicos Luccenſes in tutelam ſuſcipit. Anno 1160. Ex Muratorii Antiq. Eſtenſ. Part. I. p. 297.

In nomine Sancte & indiuidue Trinitatis. *WELFO Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tuſcie, Princeps Sardinie, Dominus Domus Comitiſſe Matildis.* Petro Archipresbitero, & Amato Primicerio, ceteriſque Fratribus Lucane Eccleſie Canonicis, eorumque Succeſſoribus in perpetuum. Ad hoc nos prouidentia diuini conſilii in loco ſublimiori conſtituit, vt paci Eccleſiarum & iuſtitie prouideamus, earumque precipue, quae ad noſtram noſcuntur pertinere ſollicitudinem; ſic enim ab omni infeſtatione muniti in eisdem Eccleſiis commorantes, ſecurum Deo famulatum poterunt exhibere, & nos pro illorum impetrata tranquillitate Regna celeſtia merebimus obtinere. Quapropter tam preſentes, quam futuri agnoſcant, quod ad exemplar Henrici Imperatoris Quarti Romanorum

Romanorum inclite recordationis, ſecundum nobis conceſſam auctoritatem, firmamus, ac preſenti Precepti noſtri pagina ſtatuimus, vt Eccleſia Beati Martini, que caput eſt Lucenſis Epiſcopatus, ac ſacrum ſanctiſſimum Vultum, & oblationes eiusdem Eccleſie, Clauſtrum etiam & Canonicorum perſone Deo & Beato Martino inibi pro tempore militantium, cum rebus eorumdem & ceteris ad Eccleſiam vel Clauſtrum pertinentibus, ſub noſtra defenſione & mundiburdio permaneant. Confirmamus Curtem cum pertinentibus, quam Gualdus, & vxor eius Giſla pro anime ſue remedio Deo & Beato Martino dederunt. Et Curtem de Maſſagroſi cum ſuis manentibus, ſiluis, paſcuis, paludibus, venationibus, & marinis piſcariis cum Tumulo, & ad vtendum, & fruendum, & foreſtandum a Sepe arſa vſque Bozas, ſecundum quod in eorum legitimis inſtrumentis cognouimus contineri, ſicut hec omnia . . . . . . Curtem antiquitus poſſediſſe videntur, quam Curtem Berta Regalis ſuo pretio comparauit, & Canonicae Eccleſiae Beati Martini obtulit. Quicquid etiam in eodem Tumulo a Boſone comparauerunt, ſicut per Notarium in Cartula annotatum habetur. Et etiam Curtem Sancta Petronilla nomine cum manentibus XXI. in Maſſa Macinaria, a placito, & diſtricto, omnibusque ad eandem Curtem pertinentibus, vna cum omnibus caſis & ſediminibus infra Vrbem Lucanam & extra, campis, terris, vineis, pratis &c. quae modo habent, vel in antea Deo adiuuante habituri ſunt, noſtro precepto predictis Canonicis eorumque Succeſſoribus confirmamus & corroboramus. Statuentes, & precipientes, vt nullus Epiſcoporum, nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, & nulla poteſtas Lucanae Ciuitatis, aut Conſules, qui modo ſunt, vel pro tempore erunt, nec aliqua ſub noſtri iuris dictione degens, magna vel parua perſona iam dictos Canonicos in Eccleſia Beati Martini, vel Clauſtro, Deo ſeruientes inquietare, vel moleſtare audeant, aut de predictis Curtibus, & placito, & diſtricto earum, aliiſque rebus & oblationibus diſueſtire, aut inuaſionem facere preſumat, aut de rebus eorum propriis, ſeu ex familiis ſe intromittere temptet. Si quis igitur huius noſtri precepti aliquo modo violator extiterit, ſciat ſe compoſiturum auri optimi libras centum, medietatem Camerae noſtrae, medietatem Canonicis, qui eo tempore fuerint. Quod vt verius credatur, manibus noſtris preſentem paginam roborantes, ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus ſigillari

✠ Signum manus Ducis *WELFONIS* Marchionis Tuſcie, Ducis Spoleti, Principis Sardinie, & Domini Domus Comitiſſe Mathildis.

Ego Otto, Prepoſitus Reitenbuchenſis Eccleſie ſſ.

Ego

Ego Hanricus Cancellarius Ducis recognoui & ſubſcripſi.
Anno Dominicae Incarnationis Milleſimo Centeſimo Sexageſimo, Indictione Octaua. Actum Fiſchecli III. Id. Aprilis.

pendet bulla cerea, ſed manca & litteris & effigie oblitteratis.

No. CXIV.

Welfus Dux Eccleſiae Luccenſi ſua bona confirmat. Anno 1161. Ex Muratorii Antiquit. Eſtenſib. Part. I. p. 298.

W. Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tuſcie, Princeps Sardinie, Dominus Domus Comitiſſe Mathildis, omnibus noſtris fidelibus in Marchia Tuſcie conſtitutis gratiam & bonam voluntatem. Ad hoc prouidentia diuini conſilii nos in ſublimi loco conſtituit, vt paci Eccleſiarum, & iuſtitie prouideamus. Quapropter vniuerſitati veſtre notum eſſe volumus, quod Eccleſiam ſancti Fridiani in Lucano ſuburbio conſtitutam, que pro ſua religione & honeſtate ab omnibus, & a nobis precipue, in magna eſt habenda deuotione, in noſtram tutelam, & protectionem ſuſcepimus. Statuimus itaque, vt nulla perſona, magna vel parua, prefatam Eccleſiam, aut eius poſſeſſiones, ſcilicet molendinos de Elſa cum ſuis pertinentiis, & poſſeſſiones Hoſpitalium de Cauana, & Ruchi, & Siluam de Cerbaria, ſicut decurrit fouea ab Agri folieto vſque ad Catri ingreſſum, & ab eodem loco vſque ad Collis Crucem, & ab eodem loco vſque ad Gorgoualli, & ſicut vadit palus inter nemus noſtrum, & nemus Oſpitalis Altipaſcii, & alias, quas nunc iure poſſident, vel in antea ſunt habituri, inuadere de cetero, aut moleſtare preſumat. Ratione quoque Fraternitatis, quam nobis ſua gratia conceſſerunt, iter per Arni fluuium ab omni Pedagio liberamus, eidem Eccleſiae ſpeciali beneficio indulgemus. Si quis vero contra hec venire temptauerit, pene centum librarum optimi argenti ſubiaceat, cuius medietas iam dicte Eccleſie, reliqua vero noſtro Fiſco debeat applicari.

No. CXV.

Welfus Dux inueſtit G. Rangonem de curte Gauaſſae, Anno 1166. Ex Muratorii Ant. Eſtenſ. P. I. p. 299.

Ego W. Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tuſciae, Princeps Sardiniae, ac totius ſubſtantiae Comitiſſae Matildis Dominus ſalutem. Notum ſit omnibus tam poſteris quam praeſentibus,

me Gerardum Rangonem propter plurima ſeruitia & meram fidem in conſilio meo ſemper in omnibus exhibitam, de omni iure ac poſſeſſione, quam Comitiſſa Matilda quondam habuit, & ego nunc per me, vel per alium habeo in Curte Gauaſſae, aut in eius pertinentiis, pro Feudo, conſilio meorum Vaſſallorum, & Curiae inueſtiſſe.

Actum eſt hoc apud Caſtrum Larianum praeſentibus his teſtibus, videlicet Hermano de Ramungen dicto de Rauenſpurch, Guuarnerio Maſſario, Wolferamino de Warſtalla, Huberto Guilielmo, Widoddo de Paiſe, & aliis quampluribus.

Ego Rambottus Ducis Notarius interfui, & hanc paginam precepto D. Ducis ſcripſi. Anno MCLXVI. ab Incarn. D. N. Ieſu Chriſti in Menſe Iulii haec peracta ſunt.

Ego Blaſius Imperialis Sac. Pal. Not. hoc exemplum ex Autentico bulla cerea munito exemplaui, & ſicut vidi & legi, ſic ſcripſi, nichil addens vel minuens preter litteras plus minuſue, ſcilicet litteram pro titulo, vel titulum pro littera, nam in Bulla erat Militis ſculptura ſupra equum.

Ego Petrus Domini Henrici Imp. Not. &c.

No. CXVI.

Welfi Dux Miniſterialis praedium Pabenrieth conſentinente Domino peruenit ad Eccleſiam

Wihenſteuen Friſingenſem. Anno 1167. Ex Meichelbeck Hiſtoria Friſing. T. I. Parte 2. quae continet diplomata & inſtrumenta. p. 556.

MEMORIALE ſit omnibus Chriſti fidelibus, quod pie memorie *Otto*, Friſingenſis venerabilis Epiſcopus, conparauit praedium apud Pabenrieth ſitum iuxta Mamendorf, a quodam Presbytero, nomine Vodalrico, de Miniſterialibus Domini *Welfonis*, eiusdem *Welfonis* permiſſione, quod & delegare fecit idem Presbyter fideiuſſorem ſuum Eberhardum de Frichendorf, in manu Heinrici de Lochchirchen, rogatu praedicti Epiſcopi tradendum ad elemoſinariam domum Wihenſteuen in ſuſtentationem & ſolatium pauperum pro remedio animae ſuae & parentum ſuorum & omnium fidelium defunctorum, ac perpetua & ſolita firmatione ſtabiliuit his teſtibus:

Chuonradus de Dachouue. Pernhart de Rute, Liutolt de Hagenowe, Vodalrich de Wicherhouen, Meginhart & frater eius de Meiſa, Vodalrich de Giebingen, Waltman & filius eius Waltman & frater eius Waltman de Paſtpergh, Adilbertus de Hage, Roudolf & Gerwich de

Pubenhuſin,

Pubenhusin, Hartuuihc de Richolfesdorf, Piligrim de Ecenhusin, Amelbertus, Heinricus de Otershusen, Engilmarus de Messinhusen.

No. CXVII.

Lis de terra Sortis, quam Welfus iunior Monasterio de Marola, pater autem Monasterio Canusino vendiderat, decisa per Legatum Apostolicum, vna cum examine testium. Anno 1169. Ex Murator. Antiq. Ital. T. 4. p. 203. sq.

NOTVM sit presentibus & futuris, quoniam nos Ildebrandus Dei gratia sancte Romane Ecclesie titulo Sanctorum duodecim Apostolorum Presbiter Cardinalis & Apostolice Sedis Legatus, Mandatum speciale & literas Domni Papae, Alexandri, cuius legatione in tota Lombardia fungimur, suscepimus, vt cognosceremus de Terra, que dicitur Sors de Fano, si *Dux GVELFO minor* concesserit Monasterio de Marola, & *Dux GVELFO Pater eius* post paruum tempus contulit Monasterio Canosino, vtroque facto per eundem Domnum Papam in irritum reuocato, predictam Terram Monasterio de Marola sub annua pensione concederemus, & Canosinum Abbatem ab eius infestatione omnimodo prohiberemus. Quod vt cunctis clarius fieret, ipsas Literas Domni Pape nostre scripture inseruimus:

Alexander Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto filio, Ildebrando, Basilice duodecim Apostolorum Presbytero Cardinali, Apostolice sedis Legato, salutem & Apostolicam benedictionem. Peruenit ad nos, quod *GVELFO*, *Filius* Nobilis Viri *Ducis GVELFONIS*, Monasterio de Marola Terram Sortis, sitam in Curia Bibianelli, recepta pecunia triginta Librarum concessit, & post modicum interuallum eamdem Canusino Abbati pariter sub definito precio contulit. Vnde quoniam predictus Dux non nisi tempore suo prescriptam Terram, quam a nobis tenebat, concedere potuit vel largiri; nos vtramque donationem cassamus, & irritam esse decernimus. Verum quia tam Abbas quam Fratres predicti Monasterii de Marola pluribus indigent, & maioris Religionis habentur, volumus & mandamus, vt si ita est, prout superius diximus, tum obtentu deuotionis, tum etiam intuitu Religionis sue, eis prenominatam Terram sub certa pensione auctoritate nostra concedas, & Abbati Canosino ex parte nostra & tua interdicas, ne ipsis eamdem Terram impedire vel disturbare presumat. Datum Beneuenti Nonis Iulii.

Vnde vtraque parte in nostra presentia propter hoc constituta, Instrumentum publicum ex parte Monasterii de Marola inductum vidimus &

legimus; in quo continebatur, quomodo *Dux minor* concesserat predictam terram Monasterio Marole, & ad maiorem fidem testes, qui nominabantur in Instrumento, Nobiles viros, presente vtraque parte iuratos accepimus, videlicet Guilielmum de Baise, Guidotum de Baise, & Albertum de Baise, & Rolandum de Canossa, & Enricum Notarium, qui composuit Instrumentum; nec pars Abbatis Canosini in aliquo testibus contradixit. Ex quibus omnibus manifeste cognouimus, quod ita erat, sicut Domnus Papa in suis literis scripserat. Mandatum ergo Domni Pape obseruantes, Monasterium de Marola a petitione Abbatis Canosini absoluimus, & predictam Sortem de Fano sub pensione quinque solidorum Lucensium annuatim Summo Pontifici soluenda iam dicto Monasterio de Marola concessimus. Nec non Abbati Canosino ex parte Domni Pape & nostra interdicimus, ne de cetero Fratribus de Marola predictam Terram impedire vel disturbare presumeret. Et vt verius credatur, & ab omnibus illese conseruetur, sigillo nostro proprio Cartam istam insigniri iussimus, & auctoritate nostra conscribi praecepimus. Quod factum est Anno Domini Millesimo Centesimo Sexagesimo Nono, V. die intrante Mense Madio, Indictione II. Bononie in Claustro Sancti Saluatoris.

Guilielmus de Baise iuratus dixit, quod numquam audiuit, quod Abbas Canosinus habuerit aliquod ius in ista terra, que dicitur Sors, vnde controuersia est, ante istum contractum. Et Abbas Canosinus erat in Curia *Ducis*, quando contractus fiebat, & mediante & presente me Guilielmo, dedit *Dux* totam & integram Sortem de Fano Monasterio de Marola, hoc modo, quo predictus Abbas de Marola daret ei trigintas Libras Imperiales, que sibi tunc erant necessarie pro eadem Terra recuperanda, & pro alio suo negotio, & quinque Solidos Imperiales annuatim solueret in Natiuitate Domini vel infra Octauam eius; quam pensionem & fructus eidem Ecclesie donauit, qui superessent a quinque Solidis pro remedio anime sue, suorumque predecessorum. Requisitus de Manso de Fano, quod continetur in Priuilegio Abbatis Canosini, respondit, quod Abbas Canosinus habet Mansum in Fano, quem credit Mansum illum, quod Abbas hodie tenet, & dicit quod eo presente *Dux* precepit Notario super his publicum Instrumentum facere Monasterio de Marola. Et dicit, quod *Dux* sibi reseruauit, quod si aliquando vellet predictam Terram recuperare, debebat triginta libras soluere, & hanc terram non debebat istis auferre, vt alii daret, sed sibi retinere. Addidit, quod dicebat *Dux*, siue recuperaret Terram illam, siue non, tamen volebat reddere istam pecuniam Monasterio. Tamen antequam contra-

ctus

ctus iste compleretur, dixit *Dux*, quod si Rolandus de Canossa vellet eam recuperare, solutis triginta Libris posset. Sed in completione contractus nihil dixit, secundum quod credit. Et dicit, quod *Dux* precepit Preposito de Castellarano & Guidoni de Mandra, vt essent cum Notario ad Cartam dictandam. Et *Dux* dedit Rolandum de Canossa, vt mitteret Monasterium in possessionem predicte Terre, & defenderet contra omnem hominem.

Guidotus de Baise iuratus dixit idem, quod Guilielmus, excepto de Manso, qui continetur in priuilegio, quod nihil scit. Et addidit, quod *Dux* dixit ei, vt portaret literas suas Abbati Canosino, in quibus continebatur, ne infestaret Abbatem de Marola de predicta Terra. Et ipse respondit: Ego sum Vassallus Abbatis Canosini, & ideo, si placet vobis, nolo deferre. Et *Dux* dedit eas Alberto, & ipse detulit.

Albertus de Baise iuratus dixit idem, quod Guidotus, & addidit, quod *Dux* post mortem *Filii* misit literas ad Abbatem Canosinum, quas ipsemet detulit, & dedit eas Nuncio *Ducis*, qui erat apud Bibianellum, reddendas Abbati Canosino. In quibus literis *Dux* mandabat eidem Abbati, nullam molestiam facere super Terram, que vocatur Sors, quam Filius eius dederat Abbati de Marola, vsque ad aduentum eius in partes has.

Rolandus de Canossa iuratus dixit idem, quod Guilielmus, excepto quod dixit, quod audiuit Abbatem Canosinum multo tempore ante contractum istum dixisse, quod, nisi esset timore Guidonis de Canossa, ipse daret operam ad istam Terram recuperandam; & audiuit, & credit literas missas a Duce, quas Albertinus detulit Abbati Canosino.

Enricus Notarius iuratus dixit, quod *Dux* precepit ei, vt Instrumentum publicum faceret, quomodo ipse concesserat totam Sortem de Fano Monasterio de Marola; & quia aliquantulum ipse Notarius erat infirmus, dedit ei in adiutorium Guidonem de Mandra & Prepositum de Castellarano. Ipse autem cum consilio & adiutorio istorum composuit Cartam istam, quam Abbas de Marola producit, secundum quod *Dux* precepit ei bona fide, & bene recognoscit, Cartam istam sua manu conscriptam.

Quae autem attestationes facte sunt ex iussione Donni Ildebrandi Presbiteri Cardinalis Basilice Sancti Petri duodecim Apostolorum, in presentia Magistri Petri de Sancto Gemini, & Domni Vbaldi de Pisis, & Egidii de Nouis, in Ciuitate Bononie, in claustro Sancti Saluatoris Anno Domini MCLXIX. quarto die intrante Mense Madio, Indictione II.

Ego Albertus, Imperatoris Frederici, nunc quoque Communis Bononie, Notarius interfui & scripsi.

No. CXVIII.

Breue recordationis eiusdem decisionis. Anno 1169. Indidem. p. 206.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen. Anno Dominice Incarnationis MCLXIX. tempore Alexandri Pape, Frederici Imperatoris, die V. intrante Mense Madii, Indictione II. Actum Bononie in claustro Sancti Saluatoris. Breue recordationis pro futuris temporibus ad memoriam retinendam, qualiter Domnus Ildebrandus, Dei munere sancte Romane Ecclesie Cardinalis, dum resideret in iudicio, de litigio cuiusdam possessionis, quod erat inter Domnum Ieronimum, Priorem Ecclesie de Marola, vice Abbatis sui Iohannis, & Domnum Manfredum, Abbatem Canosinum, visis hinc inde rationibus vtriusque partis & auditis, Domnus Ildeprandus Cardinalis, quia Dominus Papa Alexander ei per suas literas mandauit, auctoritate Domini Pape & sua, quia ex literis Domini Pape cognouit, concessit possessionem istam sitam in Curte Bibianelli, que Sors vocatur, de qua erat controuersia, Domno Priori Ieronimo vice Abbatis sui Iohannis. Et Domnus Ildeprandus Cardinalis ex parte Domini Pape & sua Abbati Canosino interdixit, ne Domno Abbati Ecclesie de Marola supradictam Terram sitam in Curte Bibianelli, que Sors vocatur, impedire vel disturbare presumat, & nullam violentiam ei inferat. Notitia & Nomina testium super haec, qui interfuerunt:

Donnus Guido Prior Sancte Marie de Reno.
Magister Petrus Sancti Gemini Romane Curie Subdiaconus.
Prepositus Ecclesie de Ferraria.
Petrus Prepositus Castellarani.
Conradus Cremonens. Capellanus Donni Ildeprandi Cardinalis.
Vgolinus seruiens Donni Abbatis de Fenonica.
Presbyter Guido Sancti Barbatiani.
Manfredus Camerarius Donni Cardinalis.
Et Ego Petrus diuina gratia Ficariolensis Notarius, iussu Donni Ildeprandi Cardinalis ibi presens, sicut audiui, scripsi & dedi.

No. CXIX.

Aliud examen testium in eadem caussa recrudescente. Anno 1170. Indidem p. 207.

DOMNVS Ardicius iuratus dicit, se fuisse coram Apostolico Adriano, & petisse ex parte Abbatis Canosse & Fratrum, quod

quod concederet Monasterio Terram, que dicitur Sors de Fano. Ipse interrogatus, si erat Curie pro se, respondit: Non. Et prece predicto Donno Ildeprando, vt poneret in Priuilegio hanc Terram, sicuti aliam, que in eodem continetur. Interrogauimus eum, si posset tenere. Respondit: Poterimus bene, & numquam vidi Ecclesiam Canosse tenere hanc Terram.

Tignosus iuratus idem dicit; sed de tenuta dicit, quod fuit ibi, vbi miserunt nuncium ad Imperatorem petendo hanc Terram. Et ipse dedit nuncium & eredem, qui deberet Abbatem mittere, & tenuit. Sed non fuit vbi daretur, & credit, quod iam data fuerit possessio *Comitisse Duci* ab Imperatore. Et ambo dicunt, quod priuilegium firmatum fuit ab Apostolico.

Rolandinus iuratus dicit, quod fuit, vbi Sigibotus ex parte *Ducis* misit Abbatem in possessionem huius Terre in vno loco prope Ecclesiam, & ibi pro tota, nec prius ea nec ante vidit tenere.

Lazarus iuratus dicit se fuisse, vbi Lodoicus *Massarius Ducis* misit Abbatem in tenuta huius terre a la Prugna pro tota alia; & vidit partem huius Terre pro Abbate arari, nec vidit Abbatem fructus huius terre. Interrogatus de tenuta a Sigiboto data, idem quod Rolandinus, & dicit, quod fuit, vbi *maior Dux* dedit hanc Terram Monasterio Canosse, & precepit Cartam, quam Abbas habet, fieri, & cum Lodoicus dabat possessionem Abbati, vidit boues Maraule arantes supra dictam terram, & fecit eos expellere. Nec antea, nec postea vidit Abbates aliter tenere.

Tholomeus iuratus dicit idem, quod Rolandius, quod vidit quemdam Nuncium, qui dicebat, se esse Nuncium Imperatoris, mittere Abbatem in tenutam huius terre in vno loco pro tota, & pro terra & arbore, nec ante nec postea vidit Monasterium aliter tenere.

Dominicus iuratus idem dicit, quod Tolomeus.

Presbyter Lanfrancus iuratus dicit, se fuisse, vbi Nuncius *Ducis* Lodoicus misit Abbatem in tenutam huius Terre in vno loco pro tota & partem esse, vbi dicitur la Prugna - - - - - fecit & iurauit; verum mihi presenti dixit, quod hoc faciebat parabolam *maioris Ducis & minoris* & cartam idem fieri fecit.

Donnus Iulianus iuratus idem dicit, quod Presbyter Lanfrancus, & - - - - - - dicit quod contradixerit Priori, & Donnus Iulianus Abbati & Conuentui - - - - - - Presbyter Lanfrancus - - - - - - sed - - - - - - fuerint a *minore Duce* Marolenses, sed credit, quod pecuniam nondum soluerint.

Actum

Actum presentia Prepositi Carpineti & - - - - - - de Mandra. MCLXX. de Mense Iunii, Indictione III.

No. CXX.

Monasterii Steingadensis fundationem ad exemplum Eugenii PP. III. confirmat Adrianus PP. IV. Anno 1156. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 244.

ADRIANUS Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis, *Anselmo*, Praeposito Ecclesiae sancti Ioannis Baptistae de *Staingaden*, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & praefatam Ecclesiam, ab illustri *Duce GUELPHONE* in proprio allodio fundatam, in qua diuino mancipati estis obsequio, ad exemplum praedecessoris nostri, felicis memoriae *Eugenii* Papae, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti priuilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, vt ordo Canonicus, qui secundum B. *Augustini* Regulam & institutionem *Praemonstratensium* in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Nec alicui fratrum, post factam inibi professionem, absque Praepositi licentia liceat ex eodem claustro discedere; discedentem vero nullus audeat tenere. Praeterea quascunque possessiones quaecunque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & *illibata* permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: in Episcopatu Augustensi Ecclesiam *Ingemrieth* cum decimis, & aliis ad eam pertinentibus, a venerabili fratre nostro *Conrado* Augustensi Episcopo canonice vobis concessam. Praedium, quod dicitur *Sibenaich*, plebem & decimas a memorato Episcopo legitime vobis concessas; partem quoque cuiusdam beneficii, id est, octo mansos in loco, qui dicitur *Marchtorf*, quam tu, dilecte fili, *Anselme* Praeposite, de manu Theoderici de Pounb. assensu & conuenientia tam venerabilis fratris nostri *Conradi* Augustensis Episcopi, quam Canonicorum & ministerialium ipsius ecclesiae

ecclesiae septuaginta talentis redemisse dignosceris, sicut in scripto eiusdem fratris nostri Episcopi continetur, vobis nihilominus confirmamus. Sane noualium vestrorum siue de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas praesumat exigere. Porro consecrationes altarium seu Ecclesiarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, a Dyocesano suscipietis Episcopo, si quidem catholicus fuerit, & ea gratis ac sine prauitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis catholicum, quem malueritis, adire antistitem, qui nimirum nostra fultus authoritate quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, vt eorum, qui se illic sepeliri deliberauerunt, deuotioni & extremae voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salua tamen iustitia matricis Ecclesiae. Adhaec adiicientes censemus, vt Ecclesia vestra nullum habeat Aduocatum. Obeunte vero te, nunc eiusdem loci Praeposito, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem Fratres communi assensu, vel Fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & B. Augustini regulam sibi prouiderint eligendum. Praeterea si generale interdictum in parochia fuerit promulgatum, nihilominus clausis ianuis, non pulsatis tintinnabulis, exclusis excommunicatis & interdictis, submissa voce diuina celebrandi officia facultatem liberam habeatis. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat supradictam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia & integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, vsibus omnimodis profutura, salua nimirum Apostolicae sedis auctoritate & Dyocesani Episcopi canonica iustitia. Ad indicium autem huius a sede Apostolica perceptae protectionis vnum *bizantium* aureum nobis nostrisque successoribus annis singulis persoluetis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica saecularisue persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentauerit, secundo tertioue commonita, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae vltioni subiaceat; cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inueniant, Amen.

Ego Hubaldus presbyter Cardinalis Ecclesiae S. Praxedis.

Ego Iulius presbyter Cardinalis Ecclesiae S. Marcelli.

Ego Bernhardus presbyter Cardinalis Ecclesiae diui Clementis.
Ego Octauianus presbyter Cardinalis Ecclesiae S. Caeciliae.
Ego Gerardus presbyter Cardinalis S. Stephani in Coelio monte.
Ego Ioannes presbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis, Vlrici & Ecclesiae Lamachaei.

Datum *Beneuenti* per manum Rolandi, S. Romanae Ecclesiae presbyteri Cardinalis & Cancellarii II. Calend. Iunii. Indict. IX. Anno incarnationis Dominicae M C LVI. Pontificatus vero Domini Adriani Papae quarti Anno secundo.

No. CXXI.

Welfus Dux pro anima filii in Italia amissi allodium suum in Amergau Monasterio Campidonensi donat. Anno 1167. Ex Hundii Metropol. Salisburg. T. III. p. 110.

In nomine Patris & Filii & Spritus Sancti, *Welfo* Dux. Si de prediis & beneficiis nostris eis, qui diuinis laudibus die ac nocte insistunt, temporalia beneficia impendimus, per hoc & peccatorum remissionem, & aeternae vitae remunerationem nos accepturos confidimus. Nouerit itaque omnium tam futurorum quam presentium sollers industria, quod nos *Allodium* nostrum in *Amergau* cum omnibus pertinentiis suis villa, hominibus, aquis, pratis, pascuis, cultis & incultis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, praesente & consentiente Friderico Imperatore, filio sororis nostrae, pariterque consentiente *Heinrico*, tunc Duce Saxonum, Monasterio, quod dicitur *Campidona*, tradimus, ac perpetuo habendum hac pactione transfundimus, vt singulis annis anniuersarius dilecti *filii* nostri, *Ducis WELFONIS* in eodem Monasterio agatur, & lumen, quod sine intermissione ibi ardeat, in ipso iam saepe dicto Monasterio habeatur. Vt autem haec firmius credantur, & omni tempore inconuulsa obseruentur, hanc actionem nostram Sigillo nostro roborari iussimus, & vbi, & in quorum praesentia factum sit, subscribi praecepimus.

Actum *Augustae* coram Friderico Imperatore & multis Episcopis, scilicet:

Hainrico Episcopo Augustensi.
Adalberto Frisingensi Episcopo.
Theobaldo Patauiensi Episcopo.
Egilolfo Aistetensi Episcopo, & aliis Principibus, in Dei nomine feliciter Amen.

No. CXXII.

image
not
available

in integrum restitutionis, constitutioni cuilibet seu consuetudini, literis quibuscunque a sede Apostolica vel aliunde impetratis seu impetrandis, omnique iuris beneficio, canonici ac ciuilis, quibus dictum venditionis contractum possemus in irritum reuocare, aut dictos Dominos in aliquo molestare, obligantes nos nihilominus praelibatis Dominis & Ecclesiae in *Raitenbuch* per solemnem stipulationem in veros gwarandos, quod vulgo dicitur *Gewer*, si, quod absit, aliqua extranea persona coram Ecclesiastico iudicio vel ciuili praenominatos Dominos in praefato iure patronatus aut curiis praelibatis, aut super iure aduocatico per nos remisso impetere, molestare, aut grauare quomodolibet moliretur, quod praenominatis Dominis in *Raitenbuech*, super hoc requisiti, omnia & singula damna ac interesse, quae ex hoc inciderint ac sustinuerint, tenemur integraliter resarcire: Cuius rei ac omnium praemissorum testes sunt:

Dominus Conradus de Hohentanne.
Dominus Vlricus, Decanus in *Pirgove.*
Petrus Aduocatus in Schongau.
Otto minister in *Buren.*
Conradus de Hausen.
Rudolph Monetarius.
Iohannes in foro, Ciues Campidonenses.
Bercholdus, Rapato.
Rudegerus, Han, dicti Linchirchar, Ciues in *Beurn.*

Richolph. Faber & Magister Cunradus Notarius noster, qui haec iussus a nobis conscripsit, pluresque alii fide digni. Vt autem omnia & singula supradicta debitae firmitatis sortiantur effectum, & inconuulsa penitus perseuerent, supradictis Dominis de *Raitenbuch* praesens instrumentum tradimus, Sigillorum nostrorum, nostri Abbatis videlicet, & Conuentus praenominati, munimine roboratum.

Datum & auctum in *Beurin*, (*) Anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimo quinto, secundo Nonas Iunii, Indictione octaua.

No. CXXIII.

Henrici Constantiensis Episcopi, qua dioecesani, consensus in istam alienationem. Anno 1295.

Ex Hundii metrop. Salisburg. T. III. p. 127.

HAINRICVS Dei gratia *Constantiensis* Episcopus, dilectis in Christo vniuersis Christi fidelibus, ad quos praesentes peruenerint, salutem & sinceram in Domino charitatem. Cum honorabiles

*) Est locus, vbi anno 1191. Henricus VI. Imp. funeri Welfi mitis Memminga Steingadam deferendo occurrit.

image
not
available

H. magister monetae ibidem.
Rud. Monetarius Campidonensis.
Magister Chunradus Notarius.
Magister Richoldus & plures alii fide digni.

In cuius rei testimonium praesentes scribi feci, & sigilli mei munimine roborari.

Datum in *Schongau*, Anno Domini Millesimo, ducentesimo, nonagesimo sexto, octauo Idus Iunii, Indictione nona &c.

No. CXXV.

Ecclesiam in Amergau Emicho Frisingensis Episcopus, qua Dioecesanus, Raitenbuchensi Conuentui vnit. Anno 1298. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 128.

Nos *Emicho* Dei gratia Ecclesiae Frisingensis Episcopus, notum facimus praesentium inspectoribus vniuersis, quod, cum viri honorabiles, Domini Abbas & Conuentus *Campidonensis* Monasterii, Constantiensis Dioecesis, dilecto nobis in Christo fratri, *Vlrico* Praeposito & Archidiacono ac Conuentui in *Raitenbuch*, nomine ipsius Raitenbuchensis Ecclesiae, duas curias sitas, in *Sewn*, (*) & vnam curiam sitam in *Saulgram* (**) cum suis pertinentiis, quarum curiarum vni ius patronatus Ecclesiae in *Amergau* iunctum esse dinoscitur, & fundus cum vniuersitate transeat, vendiderint, tradiderint pro certa summa pecuniae, ac pleno iure dominii transtulerint in eosdem; nos ad supplicem ac deuotam instantiam iam dicti Praepositi & Conuentus *Raitenbuchensis*, cuius prouidentiam in reformatione status eiusdem sui Monasterii in hac parte plene collegimus, praedicto Praeposito Raitenbuchensi suisque successoribus, vt per eos cultus diuinus inibi continuari valeat per amplius, in remedium nostrum perpetuum, de consensu & petitione virorum honorabilium, dilectorum nobis in Christo fratrum, Gerhardi Praepositi, Hainrici Decani, totiusque Capituli Ecclesiae nostrae Frisingensis, indulsimus, & praesentibus indulgemus, vt prouentus seu vsusfructus saepe dictae Ecclesiae in *Amergawe* ad vsus communes ipsius suae Ecclesiae Raitenbuchensis, & pro releuatione praebendarum fratrum ibidem Deo seruientium percipere valeant & colligere; saluis nobis per omnia, nostrisque successoribus, iuribus Episcopalibus, quae de ipsa Ecclesia *Amergau* nobis cedere poterunt vel debebunt; & nihilominus quod nobis vel nostris successoribus ad eandem Ecclesiam, cum vacauerit, perpetuus Vicarius prae-

*) *Soien* & Ambronem. **) Saulgrab ibid.

image
not
available

No. 2. Idem eidem gratulatur pronum ad pacem Imperatoris animum, accuſans ſimul Hardouicum Auguſtanum Epiſcopum, Clericos, a Catholicis h. e. Alexandro III. addictis Epiſcopis ordinatos, acerbe diuexantem.

Reverendo in Chriſto Domno & Patri A. diuina clementia vniuerſalis Eccleſiae ſummo Pontifici, W. Dux ſi quid eſt, deuotum ſeruitium. Sicut ex relatione virorum illuſtrium conpertum habemus, in diuinis ſcripturis ideo cor Regis in manu Dei eſſe deſcribitur, quia Regum & Imperatorum ea debet eſſe ſollertia, eligere, adprobare atque decernere, quod Deo placitum, quod legibus conſentaneum, quod ſaluti eſt congruum, & Chriſtianae religioni non eſt contrarium. Tunc ſiquidem terrenae poteſtatis dominatio debito vigore conſiſtit, cum ad nutum caeleſtis imperii ſe militare diſponit. Vnde, Reuerende Pater, laetiſſimo animo accepimus, quod Dominus Imperator, ad obedientiam Sedis Apoſtolicae inclinatus, Catholicae vnitatis gratiam & diligit & ſequitur. Gaudeamus nihilominus, quia ad euidentiam eiusdem rei futurum Concilium eſſe nuntiatur. Contriſtat autem, quia dilatione interpoſita tantum bonum a fidelibus elongatur, & veſtrae religioni derogatur, quaſi virtute miſerationis & clementiae careatis, quae olim populo Romano fuiſſe ſcribitur:

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Dicitur enim ſocietas Lombardiae, Rex Graeciae atque Siciliae tantam in diffinitione huius concordiae auctoritatem obtinere, quod, niſi ex eorum arbitrio deſcendat, veſtra Sanctitas opus pacis admittere perhorreſcat. Rurſus etiam nos, qui, ex quo primae Sedis culmen aſcendiſtis, in obedientia veſtra conſtanter ſtetimus, timemus tam longaeui erroris peſtem in hac diſcuſſione apud quosdam Epiſcopos remanere, qui vtique, ſi iudicium aequitatis eos non euaſerit, futurum eſt, eos maiori impietate contra nos inſurgere, & gratiam indulgentiae occaſionem nobis aduerſitatis generare. Auguſtenſis ſiquidem, ſicut iam multis vicibus ad aures veſtrae Sanctitatis perlatum eſt, mirabili impietate in nos exarſit, Clericos noſtros, qui a Catholicis ordinati ſunt, exſecutionem officii habere non permittit. Si adhuc diſcutiendus haec facere non veretur, quid putatis fieri, ſi homo, qui contra Catholicae veritatis vnitatem tanta obſtinatione obluctatus eſt, de hoc camino immunis exeat? Super his omnibus aduertendis nuntium vobis, ſatis diſcretum & noſtri cordis non ignarum, miſimus, quem etiam in exortu huius ſciſmatis a Spoleto vſque Anagniam vobis direximus, qui nunc per multos dies aduentum veſtrum

in

image
not
available

que debet Sanctitas veſtra, quod ab exortu huius erroris nobis in mandatis dederitis, vt quoslibet Clericos ſeu Laicos, veſtrae obedientiae & Catholicae vnitatis gratiam amplectentes, ſub noſtra iuriſdictione conſtitutos, ab impugnatione Sciſmaticorum inmunes redderemus; a Sciſmate vero reuertentes per R. (Reitenbuchenſem) Praepoſitum, quem a Spoleto vſque Anagniam ad vos miſimus, accepta poenitentia ad vnitatem redirent, & nihilominus defenſionis adiutorium obtinerent. Vnde veſtra nunc intereſt, contra huius tyrannidis ſaeuitiam ſic ſtatuere, ne malitia & iniquitas contra veritatem ſe glorietur triumphare. Vale.

No. 4. Idem Alexandro PP. III. Legatum mittit Ottonem Reitenbuchenſis Eccleſiae Praepoſitum.

REVERENDO in Chriſto Domino & Patri A. diuina clementia vniuerſalis Eccleſiae ſummo Pontifici, *W. Dux ſi quid eſt*, fidele ſeruitium, & debitam ſemper in Chriſto obedientiam. Iam antea cum litteris dilectum noſtrum, & fideliſſimum vobis R. Eccleſiae Praepoſitum ad vos direximus. Cum autem dilatio formandae pacis tanta interceſſiſſet, iterum poſt eum veſtrae Sanctitati porrigendas alias litteras miſimus, in quibus ſignificamus, deſiderium noſtrum in eo eſſe, ſi multis formidoloſum & ſuſpitioſum non eſſet, veſtram praeſentiam hac vice adire, & negotio Romanae Eccleſiae fideliter intereſſe. Sane quia multis ex cauſis, quod ardenter expetimus, implere non poſſumus, eundem chariſſimum noſtrum ideo veſtrae Celſitudini transmittimus, quoniam ex illo tempore, quo ipſe a Spoleto Anagniam miſſus, vinculo obedientiae & fidelitatis veſtrae Celſitudini nos cohaerere fecit, ab inimicis Romanae Eccleſiae multa iniqua, & horrenda ſuſtinuit, & niſi a nobis defenſus fuiſſet, etiam in hac afflictione mortem incurriſſet; is vtique, qui vna mecum vidit & aduertit, & a quibus maieſtas ſacro ſanctae Romanae Eccleſiae, & veſtri honoris reuerentia ſine cauſa & odio veritatis amplius laeſa eſt, referre poterit. Quicquid etiam in hac diffinitione conſilii praeſentes afferre poſſemus, ipſe, cui ſicut cordi noſtro confidimus, indicabit. Concordiam amamus, pacem fieri optamus. Hi qui Catholicae veritati obluctati ſunt, omnia ſua retro fluere videntes, quod oderunt, amplecti coguntur, & quia coelitus aduerſus eos vindicta conſurgit, negotium pacis ſic moderari, ſic ponderare debetis, ne vel nimium ſecura videatur, quo morbi duxere manum, vel etiam impunitas generet contemptum, & contemptus peccandi afferat auſum. Saepe numero vobis replicauimus, quanta impietate Auguſtenſis Epiſcopus Clericos noſtros & nos infeſtare praeſumit. Si ſic neceſſe eſt, & tenor negotio-

image
not
available

ſtrae celſitudinis gratiam humiliter imploramus, vt, ſi iudicium veritatis in tantum aberrabit, vt in eodem gradu remanere diffiniat, Clericos noſtros ab eius poteſtate, ipſo viuente, exuatis; nobis quoque pro munere concedatis, vt ordinationes Clericorum noſtrorum, & conſecrationes Baſilicarum, quae in noſtra iuriſdictione eriguntur a quolibet Epiſcopo, qui Catholicus fuerit, nobis obtinere liceat, & eo, qui nunc eſt, Auguſtenſi decedente, huius conſtitutionis licentia finem habeat. Tribus etiam Clericis noſtris, quorum nomina ſubter adnotauimus, H. presbytero, R. presbytero, M. ſubdiacono, Apoſtolicae tuitionis gratiam datis litteris impendatis, vt nec is, qui nunc pro tempore Epiſcopus eſt, quicquam in eos ſtatuendi poteſtatem habeat, nec qui futuris temporibus Epiſcopi fuerint, eosdem tres in ſuis rationibus temere perturbare aut infeſtare praeſumant. Quibus ideo a Sede Apoſtolica ampliorem fiduciam obtinere intendimus, quia idem Epiſcopus in publico Conuentu praeſtito iuramento nunquam ſe eis velle repropitiari, inuidia Sedis Apoſtolicae, & odio noſtri comminatus eſt. Et pro huius muneris gratia nos ipſos, & omnes noſtros, ad deuotionem & ſeruitium veſtrae Sanctitatis & Romanae Eccleſiae propenſius deſtinamus & offerimus.

No. 6. Otto Praepoſitus Reitenbuchenſis Duci Welfo ſignificat ſuum aduentum in Venetias, Conciliumque Rauennae habendum.

SERENISSIMO Principi W. Duci O. R. Eccleſiae miniſter deuotum cum omni fidelitate & deuotione ſeruitium. A vobis profectus, credens Concilium fieri, vſque in Venetiam proceſſi. Ibi rereperto Patriarcha, certitudinem totius negotii aſſecutus, quoad vſque ipſe iter arripiendum denunciaret, remanſi. Tranſactis autem paucis diebus, habita diffinitione & firmato conſilio, & ab Imperatore & Romano Pontifice Concilium apud Rauennam in conuerſione Sancti Pauli ſolemniter indictum eſt, quo Domnus Patriarcha etiam vocatus cum multa frequentia nobilium & religioſorum venturus eſt, & ego vna cum ipſo. Ipſe in his, quae mihi peragenda mandatis, omnibus modis aderit. In Natiuitate Domini ad vos reuerſus eſſem, ſi ea cauſa non detinuiſſet. Eccleſiam & fratres noſtros vobis adtentius committo, & vt in omnibus honeſte ſe gerant, eos admonete, & ne quiſquam eos iniuſtis vexationibus opprimere, aut perturbare praeſumat, diligenter procurate. Quicquid quaeſtionis inter eos natum fuerit, ſi ad vos perlatum fuerit, decidite, & eos in pace & concordia hortamini permanere.

No. 7.

image
not
available

ſtenſi Epiſcopo firmiter praecipiemus, ne Clericis in terra tua manentibus, qui a Catholicis Epiſcopis ordines ſuſceperunt, occaſione perceptorum ordinum per ſe vel per alios moleſtiam inferat vel grauamen, & quod ab eorum & Eccleſiarum ipſorum indebita moleſtatione penitus conquieſcat.

Datum Venetiae in Riuoalto, 7. Cal. Iunii.

No. 9. Welfus Dux Hyacintho Cardinali ſuam aperit ſententiam de Concilio indicto, cui vterque Papa interſit.

KARISSIMO Domno & Patri *Iacincto*, (*) Romanae Eccleſiae Cardinali, W. deuotum ſeruitium & debitam in Chriſto reuerentiam. Nuntiatur in partibus noſtris futurum eſſe Concilium, cui Imperator intereſſe debeat. Ad quod, ſicut ſonant litterae Imperatoris, vterque Papa veniet. Cuius dicti cauſam animus noſter admirans magno vtique nutat incerto. Si in Concilio libere decernere debet Eccleſia, moleſta & formidoloſa erit Imperatoris praeſentia. Quo titulo is, quem Papam finxerunt, in Concilio compareat, non videmus; vel ſi reſpectus ei in aliquo eſſe debet, quomodo hunc Romanus Pontifex patietur aſpicere, de quo tota pars contraria cogitur erubeſcere. Longo iam tempore, ope veſtra, induſtria atque prudentia, Apoſtolicae Sedis dignitas ſtetit inuicta. Nunc in hora diſcuſſionis virtus veſtra Eccleſiaſticae pacis negotium ita moderetur & ponderet, vt cuncti, qui odio veritatis Catholicae vnitati obluctati ſunt, de inpunitate non glorientur & gaudeant, & qui foeda & horrenda pro fidelitate & deuotione ſacroſanctae matris Romanae Eccleſiae perpeſſi ſunt, fructum emenſi laboris ſe inueniſſe recognoſcant.

No. 10. Welfus Dux amicum E. rogat, vt pace inter Imperatorem & Pontificem reſtituta coërceatur Auguſtanus Epiſcopus, ne ſibi, Praepoſito Reitenbuchenſi, aliisque ſuis Clericis incommodum afferre poſſit.

W. Dei gratia Dux E. ſpeciali & chariſſimo amico cum ſincera dilectione ſalutem. Quanta fide & conſtantia Domno & Patri noſtro A. Summo Pontifici in principio electionis ſuae mediante chariſſimo noſtro R. Eccleſiae praepoſito, adhaeſerimus, & vſque ad

*) Fuit ille poſtea Coeleſtinus PP. III. qui in coronatione Henrici VI. Imperatoris, cui adſtitit Dux Henricus, Henrici Leonis filius, eius ſe cognatum eſt profeſſus.

image not available

tionis nobis confoederati estis, a vobis potius protectionem nostris, quam oppressionem sperare ex iure debuissemus. Sed *Sifridus*, Clericus noster de S. (Staingaden) conquestus est nobis, quod Ecclesiam suam iniuste & absque omni iudicio ei abstulistis, & quod Ecclesia priuatum aduocatus suus B. & frater eius L. ad exemplum vestri etiam bonis suis priuauerunt. Ea propter rogamus excellentiam vestram, quatenus spe retributionis ab eo, qui omnibus secundum meritum vniuscuiusque retribuit, & intuitu nostrae dilectionis, ecclesiam ei restitui iubeatis, &, quae ab aduocato ablata sunt, reddi faciatis.

No. 13. Idem Ruperto Abbati Tegernseensi significat, ad actionem Domni Lantfridi, qui certum hominem eius Ecclesiae mancipauerat, suam auctoritatem accessisse.

R. Abbati de Tegrinse W. Dux promptum seruitium. Quoniam honorem & vtilitatem vestram ex toto corde diligimus, omnia, quae vobis prodesse possunt, fieri optamus, &, vt ad votum vestrum impleantur, intime desideramus. Inde est, quod vos scire volumus, actionem Domni *Lantfridi* de homine illo, quem seruitio vestro mancipare satagit, nostra voluntate & auctoritate munitam esse, &, vt super hac re omnibusque aliis causis vestris voluntatem nostram scire possetis, haec nos vobis scripsisse.

No. CXXVII.

Ottonis Reitenbuchensis Praepositi epistola ad Mathildem Sulzbacensem Comitem viduam, qua enixe rogat, vt apud Welfum fratrem, cuius gratia exciderit immeritus, intercedat. Anno 1179. Ex Pez. Cod. dipl. Part. II. p. 23.

SERENISSIMAE Dominae suae Mathildi Comitissae de Sulz - - - Otto, Raitenbuchensis Ecclesiae Minister, deuotas orationes & deuotum seruitium, cum omni fidelitate & subiectione. Dicitur in vulgari, magistros qui per impositam disciplinam leones domare, & mansuetos reddere consueuerunt, nouissime a leonibus, quos ipsi domuerunt, esse perimendos. Nostis, amantissima Domina, quam strenue, quam fideliter in seruitio *Fratris vestri* (Welfi Mitis) pluribus iam annis desudauerim; quomodo etiam saepe ab Imperatore criminationes grauissimas pro eius seruitio sustinuerim; multa etiam, quae ex gratia Imperii mihi collata fuissent, eius amore contempserim. Non ignoratis plane,

plane, in omni re difficili & ardua, qua *Domus* illa *nobilis* & *inclyta* siue ab Imperio seu ab aliis magnis Principibus pulsata est & attentata, omni genere seruitutis me indesinenter ei astitisse, & nunquam ab eius fidelitate cecidisse. Nunc laboribus & seruitio meo ista gratia rependitur, quod non solum *ipse* in ira graui contra me insurrexit, sed etiam subditos meos ad resultandum in tantum animauit, quod, dum ab Episcopo & viris Ecclesiasticis hoc geritur, vt pax & concordia inter nos reformetur, ipsi fauore & potentia eius in tantum praesumant, vt omnem sententiam, vt quicquid iure Ecclesiastico aequum constiterit, irreuerenter abiiciant atque contemnant, & nihil se vnquam facturos, nisi quod decuerit, patenter asserant. Quae omnia Reuerentiae vestrae ideo nude & aperte exponenda duximus, vt, missis litteris vel nuntiis, animum eius reuocetis: quia vos, qui de *domo illa* genus ducitis, & *de sanguine Catulorum* deriuastis, vt confidimus, *fratrem vestrum* arguere & obiurgare debetis, si a paterna virtute degenerat; si mihi, vel aliis fidelibus suis, pro fideli seruitio contumeliam irrogat, &, qui in seruitio eius iam consenui, abiectionem & contumeliam meam tam ardenter festinat. Quanta fraternae dilectionis concordia inter vos & ipsum semper fuerit; quam vnanimis & deuotus vobis semper extiterit; ego optime compertum habeo, & ideo, vt ab hac immanitate eum aliquatenus retrahatis, obnixe deposco, ne illud, quod vulgo de magistro Leonis dicitur, in me compleatur, si ego, qui ex longo tempore virtutem eius & sublimia & fortia, siue honesta, consilio & hortatu & fideli seruitio comitari non desino, nunc iram eius tam grauem in electione (*forte:* reiectione) mea experiri debeo.

No. CXXVIII.

Ottoni Praeposito Reitenbuchensi reditum ex Italia & gratiam Domini, Welfi Ducis, recuperatam gratulatur Welfi Sacellanus, adiungens petitionem pro ventre.

Anno 1179. Ex Pez. Cod. Dipl. Part. II. p. 23.

SPECIALI & intimo amico suo, Domino *Ottoni*, Raitenbuchensis Ecclesiae venerabili Praeposito, H - - - Dei gratia Ecclesiae Sancti A - - - - qualiscumque Minister cum assiduis orationibus deuoti seruitii stabiles affectus. Reuertentem vos de Illyricis & Lombardiae partibus cum sospitate & salute corporis & animae suscipiat Angelus Domini. Nam sicut nemo est, qui plus me glorietur de vestrae dilectionis prosperis successibus, ita nemo magis me turbaretur, si quid accideret, quod Deus auertat, vnde vester offenderetur animus. Indignatio-

gnationem *Domini mei*, quae vobis relata fuerat, ſtatim viſis litteris veſtris dimiſit, & delatores deteſtans priori amicitia vos dignum eſſe approbauit. Ego autem familiarius vobis locuturus, praeſentiam veſtram libenter, vbi vobis & mihi congrueret, viderem. Praeterire autem ſilentio non poſſum, quod mei caſei nondum mihi ſunt dati. Vnde veſtram exorans deuotionem, depoſco, quatenus virum ad vos vocatum diligenter perquiratis, quare debito & conſueto tempore caſeos mihi non transmiſerit? Etſi diſtrictius cum eo egeritis, ſpero, quod in futuro meae vtilitati, & veſtro proderit honori.

No. CXXIX.

Otto Reitenbuchenſis Praepoſitus murmurantibus ſuis de longa per legationes abſentia copiam facit eligendi alterius capitis. Anno 1176. Ex Pez. Cod. Dipl. Part. II. p. 22.

OTTO Dei gratia *Raitenbuchenſis* eccleſiae dictus Praepoſitus, dilectis fratribus, ibidem Deo militantibus, cum ſincera dilectione ſalutem. A vobis diſcedens, ſi Concilium quod litteris Imperatoris indictum fuit, abrogatum fuiſſet, propoſitum habebam in natiuitate Domini reuerti. Quia vero nunc Romani Pontificis auctoritate apud Rauennam in Conuerſione S. Pauli Concilium haberi decretum eſt, vna cum Domino Patriarcha illuc iter arripui. Sane quamuis in medio veſtrum poſitus in omni cura gerendae adminiſtrationis ſaepe vobis vileſcam, & inutilis appaream, fides tamen & dilectio, qua Deo auctore adſtringimur, non veſtri me obliuiſci patitur; ſed debita ſollicitudine animum ſemper ad vos demigrare inſtigat & hortatur. Prouidentiam & diſpoſitionem Domus in exterioribus veſtro arbitratu & conſilio commiſi dilecto Fratri R. Si ipſe ad nutum omnium veſtrum, & vt res poſtulat, *id* efficaciter exſequitur, Deo gratias ago: ſi quid minus, vt hoc cum diſcretione ſubportetis, rogo & moneo. Vetus quaeſtio inter vos vſque ad haec tempora durauit, quod deſidioſe & negligenter in diſpoſitione domus ſteterim: & hoc ipſum in me rocognoſco, quia, vbi neceſſitati multorum obſequendum eſt, vix haec obiectio cauetur. Si omnium veſtrum voluntas id efflagitat, & in mea deſtitutione haec quaeſtio finem habitura eſt, paratum me vobis in hac parte offero.

No. CXXX.

No. CXXX.

Otto Praepositus Domino suo Duci Welfo reconciliatus cum Reitenbuchensibus suis conciliari nequit. Anno 1179. Ex Pez. Cod. Dipl. Part. II. p. 28.

CHARISSIMO fratri *Ruperto*, venerabili Abbati de Monasterio S. Quirini, *Otto*, frater suus, fraterni amoris debitum in omnibus. Ad partes vestras & Ecclesiam meam me reuocatis. Sed quibus de causis inde recesserim, non ignoratis. Pudor mihi erat & verecundia grauis, quod etiam recuperata gratia *Principis*, cuius fauore mei mihi rebellabant, adhuc mihi reditus in Ecclesiam non patebat. Vnde discretionem vestram attentius moneo, vt statum ipsius Ecclesiae exploretis, si forte ibidem habitantibus longa destitutio & iugis vexatio adhuc intellectum dederit; si reditum meum ipse Princeps aequo animo ferre decreuerit, ne, dum venero, a vobis & aliis amicis meis noua ad aemulos meos, & ipsum *Principem* debeat esse supplicatio: quoniam res mea in eo statu est, nisi pura honestate & sine omni derogatione reditus mihi pateat, exilium meum patriam reputo, iuxta illud Ethnici: *Felix exilium cui locus ille fuit.* Huic consilio R. maiorem & minorem de *Waldecke* adhibete, & quicquid consiliis vos tres inuicem firmaueritis, per cursorem meum mihi certissime renunciate, & ego hoc ante Quadragesimam executioni mandabo, & si placuerit, vt redeam, R. minorem in occursu vsque Vschirichen mittite.

No. CXXXI.

Rupertus (*) Abbas Tegernseensis fratri germano, Ottoni Praeposito Reitenbuchensi in aula Pontificia degenti commendat negotia sua. Anno 1170. Ex Pez. Cod. Dipl. Part. II. p. 6.

OTTONI, dilecto germano suo, *Rupertus*, humilis minister S. Quirini, cum omni cognatione sibi credita, deuotum obsequium cum intimis orationibus. Vehementer admiramur, &, vltra quam credi potest, perturbamur, cum tam sincero dilectionis affectu simus vniti, nullas salutationis vestrae litteras tanto tempore suscepisse,

*) Rupertus ille fuit e Comitibus de Niuenburg & Valckenstein ad Oenum fluuium, qui Weiern condiderunt: Canonice electus praesente Henrico Comite de Wolfrateshausen, Aduocato, & sceptro inuestitus per Fridericum I. Imperatorem, ab Alexandro PP. III. post sopitum schisma agnitus est anno 1178. Obiit Cal. Iun. 1186. testante Catalogo ap. Hund. T. III. p. 271.

piſſe, vt de incolumitate & proſperitate ex debito conſolari potuiſſemus. Nos vero charitati veſtrae inſinuamus, quod cognatus noſter G. Friſingae publicauit, locum noſtrum Pontificali inſula, & minorum Ordinum collatione, Apoſtolica auctoritate ſublatum eſſe. Quae relatio quantum gloriae noſtrae detrimentum pariat, ſi ad effectum fuerit peruentum, diſcretio veſtra nouerit. Et ideo rogamus & nos & omnis congregatio noſtra, vt memor plenae fraternitatis & intimae ſocietatis vobis collatae, & cum omni deuotione viuo & defuncto exhibendae pro his laborem expendere curetis, & ne diuinum officium tam perſonae Abbatis, quam totius Monaſterii interdicatur, nobis confirmari & iuſtitiam parochialium eccleſiarum noſtrarum, per Dominum Papam Eugenium recognitam & confirmatam, nobis priuilegio reſtaurari, & nos & locum noſtrum ſpecialiter ſub Apoſtolica tuitione haberi obtineatis. Quaecunque vero in his expenderitis, nos cum omni congregatione noſtra vobis digne cum omni affectu, pro cordis veſtri deſiderio, aut beneficio aut pecunia plene rependere noueritis. Negotium pro praedio noſtro in loco Salinarum vobis notum eſſe, non dubitamus, quod iam ſeculari iudicio obtinuimus. Sed H. & C. & filii eorum nos in eodem praedio violenter depraedantur, & vt litteras excommunicationis eorum ad Praepoſitum eiusdem loci nobis obtineatis, obſecramus. Eccleſiam veſtram *Forſtariet* Dominus Epiſcopus Praepoſito de *Pollingen* poſt diſceſſum veſtrum in beneficium tradidit. De reliquiis vero Sanctorum apud Dominum Patriarcham etiam rogamus, ne obliuioni tradideritis.

No. CXXXII.

Idem eidem commendat Legatum ſuum.

Ibidem.

RVPERTVS Dei gratia Tegrinſeenſis Abbas, Ottoni Praepoſito dilecto cognato (germano) ſuo deuotum obſequium cum intimis orationibus. Legatum noſtrum, praeſentium latorem pro negotiis Eccleſiae noſtrae ad Dominum Apoſtolicum direximus, quae prouidentiae veſtrae diligentiſſime committimus, obnixe flagitantes in reſpectu conſanguinitatis, & obtentu ſeruitii noſtri cum Domino Patriarcha neceſſarium ei adiutorium in negotiis noſtris apud Dominum Apoſtolicum tum per vos, tum per familiares veſtros in Romana Curia impendatis, vt, dum deſiderium noſtrum ad effectum peruenerit, ſpecialis veſtri memoria per orationum frequentiam apud nos in perpetuum habeatur.

No. CXXXIII.

image
not
available

qua ſententiam interdicti ab Epiſcopo formidare deberet, niſi neceſſitas ex nouo emergeret, quae nouo remedio curanda eſſet. Sic melius viſum eſt, haec ad praeſens intermittere. Longa abſentia ſtatus & diſpoſitio domus fratris mei, morte eius deſtituta, periculoſe fluctuat, ſtudiis in contrarium inter vxorem eius, & familiam obortis. Quibus omnibus ordinatis, illico ad partes veſtras reuertar. Vale.

No. CXXXIV.

Idem Otto praeſcribit fratri Abbati modum medicinam faciendi pro ſaeculi captu haud inſulſum.

Anno 1170. Indid. Part. II. p. 25.

RVPERTO Dei gratia de Monaſterio S. Quirini religioſo Abbati, *Otto*, Raitenbuchenſis eccleſiae Miniſter deuotas orationes & fraternae dilectionis obſequium. Si caſeus, noxius erat, quare non abſtinuiſtis. Libuit melius cuncta explorare, quam noxia refutare, & ſalubres cibos edere. Neſcitis quod etiam ſalutaribus temperate vtendum eſt? Potiones acriores hoc tempore non ſumatis. Billulas, quas miſi, ſecure poteſtis accipere: Speciem, quam ego a Marchione accepi, amiſi: aliam ſpeciem, quam miſi, ſummo mane ieiunus ſumite. Aquam calidam omni mane bibite, & poſt bibitionem aliquantulum eundo laborate. Raſanum in ſpeciem denariorum comminuite, & ſiccum balneum intrate, & cum iam aqua lapidibus infundenda eſt, raſanum fortiſſime ſalitum ſumite & ſudate: mirifice proderit. Cognata noſtra Abbatiſſa ab Epiſcopo & W. inducias accepit vſque in vigilias Mathei Apoſtoli. Iterum eo conuenire decreuerat Abbatiſſa propter multa contraria, quae ei euenerunt. Intendit a loco recedere. Quid denique factura ſit, adhuc incerta, conſilium veſtrum exoptat. Iam autem apud *Bernrith* moratur, & ſummopere rogat, vt proxima Dominica die aliquos mittatis, qui eam vſque ad vos deferant, quod ſine cunctatione facere debetis. Ibi definito conſilio ad Monaſterium proprium reuerſura eſt. Oportet igitur, vt in hac neceſſitate ei conſilium praebeatis. Ego etiam ibi ero.

No. CXXXV.

Idem de obitu fratris & ſororis dolens, fratrem ſuperſtitem Rupertum ſollicitat pro munuſculo.

Anno 117 - - Indid. p. 25.

RVPERTO, kariſſimo fratri, & venerabili Abbati de Monaſterio S. Quirini, *Otto*, *Raitenbuchenſis* Eccleſiae Miniſter, deuotum cum oratione & ſincera dilectione ſeruitium. Obeuntibus amicis

cis & propinquis teneriori affectu superstites amplectimur. De morte *fratris* & charissimae *sororis* supra modum contristatus, quicquid in vtrisque gaudii absumptum est, vnius amici vita superstitis recompensat, & in vestra sospitate infiniti doloris remedium sumitur, & tanta destitutionis iactura decenter emendatur. Deinde cum ita necesse sit, & viuentes mortuos reddere, & amissae propinquitatis gratiam in viuentibus resurgere; ideo nunc amplius grauat tanta dilatione vestrae dilectionis fraudari praesentia, cuius vita & aspectu & defunctorum gratia redditur, & doloris iniuria mitigatur. Vnde vt ad reuertendum hilarior vobis animus subeat, illico accepto nuntio vestro T. Clericum nostrum ad vos misimus, qui & incolatus nostri in Longobardia & Venetia laborem & aerumnam integerrime referat, & studii nostri diligentiam pro diffinitione pacis Ecclesiasticae replicet & reuoluat. Ipsum itaque cum *Husone*, (*) quem a vobis expetimus, citissime remittite ad Praepositum de *Nrwenburc*, litteras nostras perlaturum secure dirigite in media Quadragesima, sicut cum nuntio vestro statui *Saltzburc* vobis occurrere.

No. CXXXVI.

Alexander PP. III. Praeposito Reitenbuchensi potestatem dat, schismaticos recipiendi in gremium Ecclesiae. Anno 1179. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 102.

ALEXANDER Episcopus, seruus seruorum Dei, dilecto filio, *Ottoni*, Praeposito Ecclesiae S. Mariae Raitenbuchensis salutem & Apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis facilem nos conuenit inpartire consensum, & vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu sunt prosequente complendae. Eapropter, dilecte in Domino filii, *Otto* Praeposite, deuotionem tuam, quam erga B. Petrum & nos ipsos habere dinosceris, attendentes, te in spiritualem sacrosanctae Romanae Ecclesiae filium, & praefatam *Raitenbuchensem* Ecclesiam, cui praees, cum omnibus ad eam pertinentibus, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes, vt, si aliqui Clerici de Regno Teutonico schismati abrenunciare voluerint, liceat tibi hac dissensione durante eos iuxta tuae discretionis arbitrium, exhibita condigna satisfactione, tempore vitae nostrae recipere, atque ad vnitatem matris ecclesiae, & ad nostram obedientiam reuocare. Nos vero tam te quam praefatam ecclesiam tuam & Clericos aliarum ecclesiarum tuarum ab omni Episcoporum, qui in parte

(*) Est genus piscis, quod *Hausen* vocatur.

parte ſchiſmatis ſucceſſerunt, obedientia & fidelitate, donec ad obedientiam noſtram & reuerentiam, & ad Catholicae Eccleſiae redeant vnitatem, duximus abſoluendos, Sacerdotibus quoque & Clericis villarum tuarum, qui in ſchiſmate duxerint permanere, decimas, ſeu quoslibet Eccleſiaſticos reditus ſubtrahendi, quouſque reſipiſcerint, liberam tibi concedimus facultatem. Decernimus ergo, vt nulli omnino Eccleſiaſticae vel ſaeculari perſonae fas ſit, perſonam tuam vel Eccleſiam tuam temere perturbare, ſeu quibuslibet fatigare moleſtiis. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum eius Petri & Pauli incurrat.

Datum Ferentini Idus Maii.

No. CXXXVII.

Welfus Dux Galliarum Regi pro praeſtitis Alexandro III. PP. beneficiis gratias agit. Ex Quercetani Scriptor. hiſtor. Francicae. Tom. IV. Epiſt. 374. pag. 702.

LVDOVICO glorioſiſſimo Regi Francorum ac dilecto conſanguineo ſuo, *WELFVS* Dei gratia Dux Spoleti, Marchio Tuſciae, Princeps Sardiniae ac Corſicae & Dominus totius Domus Comitiſſae Matildis, debitum ſeruitium cum dilectione perpetua. Regiae magnificentiae veſtrae vberrimas referimus grates pro exhibita Domino ac Patri noſtro Alexandro Papae reuerentia ac cura. Hoc quia diuina vobis inſpirauit affectio, ac propria induſtria, pro noſtro admonitus ſeruitio perficite, donec tranſeat iniquitas. Speramus autem Eccleſiae Dei pacem citius reformandam, & veſtri laboris in hoc ipſo deuotionem perpetuo a Deo remunerandam. Praeſentium latorem attentius dilectioni veſtrae commendamus.

No. CXXXVIII.

Alexander III. PP. Steingadenſes in tutelam ſuſcipit contra Hartwicum Auguſtenſem Epiſcopum. Anno 1177. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 245.

ALEXANDER Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Fratribus S. Iohannis Bapiſtae de Steingaden ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Significauit nobis dilectus filius noſter, nobilis vir *Dux GVELPHO*, quod Eccleſiam veſtram, quae eſt in ſuo fundo aedificata, & *apud quam filius eius tumulatus, & ipſe tumulari elegit*, Venerabilis frater noſter, Friſingenſis Epiſcopus, ad preces

ces praefati *Ducis* & veſtras conſecrauit, quia, licet Eccleſia ipſa ſit in confinio Auguſtenſis & Friſingenſis Epiſcopatuum, idem tamen Epiſcopus in priuilegio Eccleſiae ſuae reperit praeſcriptam Eccleſiam ad ſuam iurisdictionem ſpectare. Ne igitur Auguſtenſis Epiſcopus occaſione ipſius conſecrationis vos, vel Eccleſiam ipſam, indebita moleſtatione fatiget, eandem conſecrationem ratam habemus & firmam, prohibentes, ne praedictae conſecrationis obtentu Auguſtenſis Epiſcopus vobis vel Eccleſiae veſtrae moleſtiam ſeu grauamen irrogare praeſumat. Adhaec officii noſtri debito prouocati, & eiusdem Ducis precibus inclinati, quomodo memoratus Dux a principio noſtrae promotionis, nobis deuote adhaeſerit, & fideliter in deuotione noſtra & Eccleſiae perſtiterit, nihilominus ad memoriam reducentes, Eccleſiam veſtram cum omnibus bonis, quae inpraeſentiarum legitime poſſidet, aut in futurum iuſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus, ſtatuentes, vt non liceat Auguſtenſi Epiſcopo, vel alii, vobis vel Eccleſiae veſtrae ſuper praeſcripta conſecratione queſtionem mouere, aut nouas & indebitas conſuetudines imponere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Venetiae in Riuoalto. IV. Idus Iunii.

No. CXXXIX.

Friderici I. Imperatoris compoſitio inter Vaſallos Domus Comitiſſae Mathildis & Monachos Padolironenſes. Anno 1178. Ex Murat. Antiq. Ital. T. I. p. 603.

FRIDERICVS Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Noſtre Imperialis celſitudinis decet Maieſtatem, amicorum atque Fidelium noſtrorum preces admittere, atque in his, que cum honore noſtro poſſumus, clementer exaudire. Quapropter notum facimus vniuerſis noſtri Imperii fidelibus, tam futuris quam preſentibus, apud nos, cauſa Dei & interceſſione beati Benedicti, ad cuius honorem Monaſterium noſtrum ſancti Benedicti de Padolirone dedicatum eſt, nec non etiam precibus atque conſilio dilectiſſimi Principis noſtri, P. Mantuani Epiſcopi, atque Gerardi de Carpeneta, & Gerardi Rangoni, Guilielmi de Baëſe, Gerardi de Camino, & Gerardi de Cornazano, Guidonis Malerbe, Rodolfini de Panzano & aliorum multorum Fidelium noſtrorum *de Domo Comitiſſae Matildis*, tranſactione facta inter Monachos

ſancti Benedicti, & Homines de Pigognaga a prefato Epiſcopo, & Conrado de Bahalxare & Guilelmo de Baëſe, ſecundum quod continetur in publico Inſtrumento a Iohane Bono Notario facto, noſtra Imperiali auctoritate confirmamus, atque omnia firma & inuiolata ſemper ab vtraque parte teneri, ſecundum quod in predicto Inſtrumento continetur, ſub pena viginti Librarum auri precipimus, medietatem Camere noſtre, & medietatem parti, cui damnum euenerit. Ad maiorem autem huius rei firmitatem preſentem paginam noſtre maieſtatis Sigillo inſigniri iuſſimus.

Datum eſt hoc in Caſtro Caſalis ſancti Vaſii (Euaſii) Anno MCLXXVIII. Indictione XI. die Lune XV. intrante Madio.

No. CXL.

Welfi Ducis repetita Monaſterii Steingadenſis fundatio. Anno 1183. Ex Hundii Metrop. Salisburg. Tom. III. p. 245.

In nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *G WELPHO* Dei gratia Dux. Quia iuſtis ſemper precibus & maxime Religioſorum debent patere aures Principum; eapropter ego Dux *G WELPHO* vtilem & honeſtam petitionem *Conradi*, venerabilis Praepoſiti de *Staingaden* Fratrumque ipſius effectu dignam aeſtimaui. Donationes igitur praediorum, in quibus pro fundamento Staingadenſis Eccleſiae primum ieci lapidem, & quas poſtea per me, vel per meos legitime illuc contuli, ratas & inconuulſas permanere volens, huius ſcripti firmitudine, praedicto Praepoſito *Conrado*, & ſucceſſoribus eas impoſterum roboraui, vt cauſas inquietationis in futurum abſcinderem; traditione quippe legitima manuque poteſtatiua fundum ipſum, in quo Eccleſia *Staingadenſis* ſita eſt, ſancto Ioanni Baptiſtae, Deoque illic militantibus, cum conſenſu haeredum noſtrorum, dedimus; totamque terram clauſtro adiacentem, ab amne qui dicitur *Rotinbach*, vſque ad amnem, qui dicitur *Marckbach*, & a fluuio *Lico* vſque ad fluuium, qui dicitur *Hylabe*, cum viis & ſemitis, cum pratis & agris, cum aquis & aquarum curſibus, cum montibus & nemoribus, cum mancipiis & colonis, & omnibus pertinentiis ſuis, ex integro in vſum Fratrum praenominatae Eccleſiae donauimus. Praedium quoque *Dornowe*; praedium *Celle*; curiam *Schongowe*, *Germaringen*, *Ingenriet*, *Waltzinriedt*, *Franckinowe*, *Seon*, *Purinchowe*, *Ellchinbach*, *Muttursboua*, *Adillinderiedt*, *Erſtingen*, *Tegirnpach*, *Nobigowe*, *Erigiſrieth*, *Vrpach*, cum aliis quocunque iuſto titulo acquiſitis; praedium etiam in *Sybenaich*, & praedium in *Igilingen*; praedium in villa montana, quae dicitur *Ardis*, curiam

Horne

ptiſtae Staingadenſis, in qua diuino mancipati eſtis obſequio, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti priuilegio communiuimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt ordo canonicus, qui ſecundum beati *Auguſtini* regulam atque inſtitutionem Praemonſtratenſium Fratrum in eodem loco inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obſeruetur. Praeterea quaſcunque poſſeſſiones, quaecunque bona eadem Eccleſia inpraeſentiarum iuſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis praeſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis; locum ipſum, in quo praedicta Eccleſia ſita eſt, cum omnibus pertinentiis ſuis; praedium in *Wiedergeltingen* & Eccleſiam inibi conſtructam; *Sardis* Eccleſiam & caetera in Montanis conquiſita, vineam & agros; praedium in *Horne* cum piſcaturis & molendinis, alpibus & aliis ad id pertinentibus; fundum ipſum, in quo Eccleſia Staingadenſis ſita eſt ab amne, qui dicitur *Rottenbach*, vſque ad amnem, qui dicitur *Marbach*, & a flumine *Lico* vſque ad fluuium, qui dicitur *Hylache*, cum mancipiis & colonis & omnibus pertinentiis ſuis; & praedium quoque *Dornowe*, & capellam cum omni iure ſuo; praedium *Cellae*; curiam *Schongau*, *Germaringen*, *Ingenrieth*, & Eccleſiam cum plebe & decimis, *Wanzienriedt*, *Franckonowe*, *Seon*, *Buringowe*, *Morbarckhouen*, *Huſen*, *Frankenrieth*, *Erſtingen*, *Tegrinbach*, *Vogenhowe*, *Erichſriet* cum Eccleſia; praedium in *Sibenaich*, & praedium in *Igelingen*, praedium in *Stadel*, praedium in *Hohenfurch*, curiam *Enchienriedt*, curiam in *Bulzen*. Sane noualium veſtrorum, quae propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſiue de nutrimentis animalium veſtrorum, decimas a vobis nullus extorquere praeſumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e ſeculo fugientes liberos & abſolutos ad confeſſionem recipere, & eos ſine contradictione aliqua retinere. Prohibemus inſuper, vt nulli fratrum veſtrorum poſt factam in loco veſtro profeſſionem ſine Praepoſiti ſui licentia fas ſit de eodem diſcedere; diſcedentem vero abſque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu Baſilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promouendi, a Diocoeſano ſuſcipietis Epiſcopo, ſiquidem Catholicus fuerit, gratiam Apoſtolicae ſedis habuerit, & ea gratis & abſque prauitate vel exactione aliqua vobis voluerit exhibere. Alioquin ad quemcunque malueritis Antiſtitem recurratis, qui noſtra fultus authoritate, quae poſtulantur, indulgeat. Autoritate quoque apoſtolica nihilominus duximus prohibendum,

image
not
available

Datum Veronae per manum Alberti S. Romanae Ecclesiae presbyteri Cardinalis & Cancellarii XVI. Calend. Iulii, Indictione III. Incarnationis Dominicae Anno Millesimo Centesimo Octuagesimo quinto, Pontificatus vero Domini Lucii Papae tertii anno quarto.

No. CXLII.

Henrici VI. Imperatoris diploma pro Coenobio Steingadensi. Anno 1189. Ex Hundii Metrop. Salisburg. Tom. III. p. 247.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *HEINRICVS* dei gratia Imperator & semper Augustus. Imperatoriam decet Maiestatem iustis honestorum & maxime religiosorum petitionibus virorum beneuole assensum praebere, ac libenter eas ad effectum promouere. Vnde preces *auunculi* nostri *GWELPHONIS*, illustris viri, nec non *Conradi*, venerabilis Praepositi Fratrum in *Staingaden* aequas attendentes, Ecclesiam S. Ioannis Baptistae in praedicto loco fundatam, Deoque illic seruituros nostri firmitudine priuilegii communimus, & in posterum quietem habere volumus. Omnes igitur concessiones, omnes donationes, per illustrem virum, *GWELPHONEM*, vel per Ministeriales eius, seu per nostros vel quoslibet alios praenominato loco iam legitime factas, vel perficiendas, ratas & semper inconuulsas esse decernimus, & vt nullus quietem Fratrum Deo illic seruientium turbare, aut eos iniuriare, angariare vllo modo praesumat, interdicimus. Si qua & de nostris praediis, quae iure proprietatis iam illuc collata sunt, nomine beneficii seu feudi ab aliquibus detinentur, illis, qui ea detinent, decedentibus, in vsum Fratrum de cetero libera esse sancimus, nec quemquam Successorum ad alias ea personas transferre volumus. Indulgemus adhaec Fratribus ibidem degentibus, vt, quicunque hominum nostrorum fiscalinorum seu etiam Ministerialium se ac bona sua voluerit ad eos conferre, libere possit facere, & absque consensus nostri requisitione. Possessiones vero, quas idem Dux *GWELPHO* manu potestatiua praefatae contulit Ecclesiae, sicut viua voce coram nobis in praesentia Principum ac Curiae nostrae publice protestatus est, seu alii pro remedio animarum suarum eidem loco contulerunt, & quas inpraesentiarum possident, propriis duximus exprimendas vocabulis; fundum ipsum, in quo praedicta Ecclesia sita est, totamque terram claustro adiacentem, ab amne, qui dicitur *Rotenbach*, ad amnem, qui vocatur *Marbach*, & a fluuio *Lico* vsque ad flumen, quod dicitur *Ilache*, cum viis, semitis, pratis, agris, cultis & incultis, cum aquis aquarum-

que

que decurſibus, molendinis, piſcationibus, montibus & nemoribus, cum mancipiis, colonis, & omnibus pertinentiis ſuis, ex integro, praeter pauca in planicie, quae dicitur *Hylchgou*, a memorato Duce alienata & infeudata; praedium in *Widergeltingen*, & Eccleſiam inibi conſtructam cum decimis, a Domino *Vdalrico* Auguſtenſi Epiſcopo traditam; praedium in *Ingenrieth*, & Eccleſiam cum decimis a Domino *Conrado* loci Dioeceſano collatam, praedium *Sardis*, & Eccleſiam, ac cetera *in montanis* conquiſita, vineas & agros, culta & inculta; praedium in *Horne*, cum piſcaturis & molendinis, alpibus & *venis ferri*, quod vulgo *Bergrecht*, dicitur, ac aliis ad id pertinentibus; praedium in *Erichfrieth*, cum Eccleſia inibi conſtructa; praedia in *Schongaw*, *Celle*, *Germaringen*, *Franckenowe*, *Seon*, *Buringowe*, *Husen*, *Franckenriedt*, *Erſtingen*, *Tegrinbach*, *Vogengowe*, *Stadeln*, *Ingelingen*, *Hohenfurth*, *Emichenrieth*, *Bulzon*. Conſtitutiones & praerogatiuas libertatis, quas praefatus Dux, conſentiente & approbante piae recordationis diuo *Friderico* Imperatore, patre noſtro, praedictae contradidit Eccleſiae, ſolenniter innouantes confirmamus, videlicet, vt nullius Aduocatiae titulo grauetur, ſed a gubernatoribus regni ad petitionem Praepoſiti & Fratrum illic Deo militantium Aduocatus ſeu Procurator ordinetur, qui abſque omni exactione perſonas & bona tuendo ipſorum prouideat indemnitati. Ordinatus autem, ſi poſtmodum ipſis grauis extiterit, remoueatur, & alius ſubſtituatur, qui velit tantum diuinae remunerationis intuitu eos defenſare, & ingratitudinem regiae maieſtatis euitare. Praepoſiti etiam, qui pro temporis qualitate eidem praefuerint Eccleſiae, adminiſtrationem in temporalibus per ſe vel ſuos prouiſores exerceant, nec homines ipſorum pro exceſſibus, niſi eis, aliquo modo cogantur reſpondere. Quodſi forte profugi eorum in ciuitatem vel burgum Regni, vel alterius ſub Imperio conſtituti recepti fuerint, cum omni facultate ipſorum reddantur eisdem, nullorum locorum priuilegio libertatis obſtante. Ad indicium etiam libertatis praeſcriptae ſtatuit, vt eadem Eccleſia ſingulis annis aureum perſoluat Romanae Eccleſiae. Statuimus inſuper regio diſtricte praecipientes edicto, vt nulla deinceps perſona, cuiuſcunque ſit conditionis, hanc noſtram irritare audeat confirmationem, vel ſaepe dictos fratres in bonis ſuis aliquo inquietudinis modo grauare. Quod qui fecerint, centum libras auri puriſſimi componant; dimidium fiſco, reliquum paſſis iniuriam. Teſtes huius rei ſunt:

Cunradus Moguntinus Archiepiſcopus.
Rudolphus Comes Palatinus de Tuwingen.
Sigebertus Comes de Werde.

Fridericus

Fridericus Comes de Hohenberg.
Gerhardus de Kelbershowe.
Meingolt de Moguntia.
Cunradus Capellanus de Steffowe.
Rupertus, *Ioculator Regis.*

Acta sunt haec anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIX. Indictione VII. regnante Domino Heinrico sexto, Romanorum Rege glorioso.

Datum Spirae octauo die Septembris.

No. CXLIIII.

Fridericus, Friderici I. Imperatoris filius, confirmat Monasterio Steingadensi donationes Welphi Ducis. Anno 1189. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 252.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. *FRIDERICVS* Dux Sueuorum. Quia iustis semper precibus, maxime religiosorum, debent patere aures principum, propterea ego *FRIDERICVS, Dux Sueuorum* honestam petitionem *Conradi* venerabilis Prepositi de *Staingaden*, Fratrumque ipsius ad effectum perducere dignum duxi. Donationes igitur prediorum, in quibus ipsa Ecclesia S. Ioannis Baptiste in *Staingaden* fundata est, vel a posteris ditata, ratas & inconuulsas permanere volens, huius scripti firmitudine, predicto *Conrado*, & eius successoribus eas in posterum roboraui, vt tam in acquisitis, quam in acquirendis, nullas inquietationis caussas Deo ibi militantes impostérum sustineant. Iuxta formam ergo traditionis & scripte confirmationis, quam *magnus Auunculus meus, illustris vir, GVVELPHO*, predicto loco fecit, ego per omnia plenum adhibeo consensum, & quicquid in his ratum habuit, ratum habeo, & hoc inposterum scripti huius pagina confirmo. Preterea si quis Ministerialium meorum de rebus suis mobilibus vel immobilibus prefato loco aliqua contulerit, approbo & libens permitto; si vero aliqua de prediis, que iure proprietatis prenominate sunt ecclesie collata, nomine beneficii ab aliquibus detinentur, illis, qui ea detinent, decedentibus, in vsum Fratrum ea de cetero libera esse decerno, nec quemquam successorum (meorum) ad alias ea transferre personas volo. Possessiones etiam predicti loci nominatim expressas subscripsi: fundum Staingadensem, cum omnibus pertinentiis suis, qui sic extenditur, ab amne, qui dicitur *Rotenbach*, vsque ad amnem, qui vocatur *Marbach*, & a fluuio *Lico*, vsque ad fluuium *Ilach*; predium *Sybenaich, Widergeltingen, Ilingriet,*

Schon-

image
not
available

eius legatus fuerat, praesente *Duce WELFONE* cum testibus, quorum haec nomina sunt:

Friderich Palatinus Comes, & frater eius Otto iunior.

Comes Bertholdus.

Heinricus Ratisponensis vrbis Praefectus.

Eberhard de Frichendorff.

Liutolt de Hagenovve & filius eius Liutolt.

De Ministerialibus Ecclesiae:

Rudolf de Muspach, & filius eius Rudolf.

Egilwan. Engilmar & filius eius Engilmar.

Chunrat de Heidoluingen.

Dietpolt Fortlieb de Suanhiltdorf.

Vlrih de Chelheim, Vlrih de Holtzhusen, Ofrih, Sifrit, Witiliep, Berhtold, Grim, Heinrih, Hartmut, qui & supra, & praeter eos plures alii.

No. CXLV.

Welfi Ducis praediorum commutatio cum Abbate Rothensi ex huius annotatione. Anno 1181. Ex vetusto Chartulario MSCto.

ANNO Dominice Incarnationis MCLXXXI. anno decem nouali cycli IV. indictione XIV. concurrente in epactam III. factum est concambium Fratrum Rothensium cum quodam milite de Lopheim, nomine Berchtoldo, qui vnus exstitit de Ministerialibus Comitis *Ottonis* de Hochenberg, ipso etiam Comite annuente, & propria manu largiente, cum duobus filiis suis, quorum senior Eberhardus, iunior Otto nominabatur, quos tunc temporis educatos habebat, *Duci WELFONI* Ecclesiam Steinbach cum hominibus censualibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, & cetera predia ibidem ad predictum militem pertinentia, cum omni iure legitimo, & cum omnibus appendiciis suis, in conspectu Romani Imperatoris Friderici & Principum Romani Imperii, contradenda; quod & ita, vt prefatum est, peractum est. Qui mox predictus *Dux WELFO* in eodem loco a nobis, scilicet Abbate *Ottinone* fratrum Rothensium predium de villa, que dicitur *Harde*, quantumcunque ad nos pertinens, cum omni iure legitimo, & cum omnibus appendiciis ad se pertinentibus predicto Domino Comiti *Ottoni* & filiis suis superius prenominatis, sicut sua ab eis prius nobis tradenda, ita & nostrum predictum predium a nobis sibi tradendum suscepit, & sic vtrumque pactum firmauit. Insuper, quia minus valens in cambio nostrum predium fuit,

fuit, LXVII. talentis impleuimus. Igitur vt huius concambii & pacti deinceps imposterum actio sit firma, scripto notauimus quam plurimas personas nobiliores & inferiores, que huic actioni interfuere; quorum ex numero nobiliorum duo filii ipsius Imperatoris primo testes existunt, videlicet,

D. *Henricus*, bone tunc indolis imperialis regiminis, & frater eius, Dux *Fridericus*.

Secundo Princeps & *Dux WELFO*, qui huius concambii & pactionis author & confirmator extitit; cuius etiam *Sigillo* presentem paginam muniuimus.

Deinde Palatinus Comes Hugo de Tubingen & Filius eius, Comes Rudolphus.

Marchio & Comes Henricus de Romespergh.

Ipse etiam predictus Comes *Otto*, cum predictis filiis suis, & predicto Ministeriali, milite suo, Berchtoldo de Lopheim, qui incitatores & authores & consummatores cum predicto *Duce WELFONE* huius concambii & pactionis fuere:

Deinde Frater eius Comes Hartmannus de Baldelheim.

Comes Henricus de Veringen.

Comes Ludouicus de Helffenstein.

Comes Fridericus de Zollera.

D. Eberhardus & Frater eius D. Swiggerus de Lichheim.

D. Henricus de Stettin.

D. Vdalricus de Bachin.

De Ministerialibus autem D. Marquardus de Schwendin, qui etiam huius concambii diligens compaginator extitit.

D. Berchtoldus de Tanna.

D. Eberhardus & filius eius Berchtoldus & patruus ipsius.

D. Chonradus de Walchse.

Data autem & peracta sunt hec III. Nonas Maii in regali curia Vlme ciuitate.

No. CXLVI.

Welfi Ducis donatio Fratribus in Adelberg confirmata. Anno 1185. (*) Ex Crusii Annal. Sueu. P. II. Lib. XI. p. 488.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *WELPHO Dux* Canonicis sanctae Mariae & sancti Vlrici in Adelberg in perpetuam memoriam.

*) Eodem anno 1185. *Welfo* Dux praedium *Odenwalden* cum omnibus agris, pratis & reliquis pertinentiis *Adelbergam* contulit manu *Friderici* Imperatoris, ac vicissim alia quaedam accepit in *Achtertingen*.

riam. Quia relatione saepius docti sumus, omnipotentis Dei gratiam promereri per humana beneficia ipsius Ministris impensa; propter spei istiusmodi occasionem, ego *WELFO* Dux, simul & *VTHA*, *mea vxor*, ratum haberi decreuimus, si aliquis Ministerialium, vel quisquam familiae cuiuscunque nostri iuris dominio ascriptae, praedium, vel mobilem rem, vel venditionis contractu, aut pietatis intuitu, siue alia quacunque conuentione, donauerit Fratribus in Adelberg, Iesu Christo, & gloriosae matri suae Mariae semper Virgini, & sancto Vlrico Constantiensi, iugiter seruientibus. Ob quam rem nostra donatio illius praedii in *Velbach* nullorum potest calumnia cassari, quod resignatum nostrae personae a Sibotone, Nudungo & Cunrado, quorum iure proprietatis solummodo interfuit, ipsorum precibus, fratribus praedicti Monasterii cum consensu Coniugis meae, cum sui integritate contuli. Sed ne in posterum aut praefati, qui manu nostra donauerunt, aut quilibet alius, nomine heredis, huius nostri facti veritatem, vel ignorantiae temeritate, vel audacia calumpniae inquietando corrumpere attemptauerit, nostri Sigilli authoritate & memoria literarum ipsorum presumptionem amputamus.

No. CXLVII.

Hermannus Constantiensis Episcopus confirmat permutationem praediorum, inter Monasterium Adelbergense & Plebanum in Achtertingen cum consensu Aduocatorum vtriusque Ecclesiae, Welfi scilicet Ducis & Friderici Ducis Sueuiae factam. Anno 1187. Ex Crus. Annal. Sueu. Part. II. Libr. XI. p. 494.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Hermannus Constantiensis Episcopus secundus. De concambio Ecclesiae Waldu facto inter viros venerabiles, Vdalricum, Praepositum de Madilberg, & Plebanum Bertholdum de Achtirtingen, ad confirmationem facti paginam praesentem fecimus conscribi. Quia enim Praepositus Ecclesiam Waldu, ex contiguitate loci suae Ecclesiae commodam esse perspexit, canonicam cambitionem perficiens, Ecclesiae Achtirtingen duo praedia in Canistat & Lichtinwilare cum manu Aduocati sui, videlicet Friderici Ducis Sueuiae, tradidit, quae memoratus Bertholdus & Aduocatus suus, *Dominus WELPHO*, suscipientes Ecclesiae Achtirtingen, Ecclesiam Waldu cum omni iure suo & pertinentiis Monasterio Madilberg contulerunt legitime.

Atque

Atque ſic rationabilis cambicio inter duas Eccleſias facta eſt anno Dominicae incarnationis M. C.LXXXVII. Anno primo praeſulatus Domini Gregorii Papae. Anno Imperii glorioſiſſimi & victorioſiſſimi Imperatoris Friderici XXXIII. Regni vero eius anno XXXVI.

Teſtes, qui viderunt & audiuerunt, hi ſunt:

Donationem Domini *WELFONIS* & Plebani *Bertholdi* de Achtirtingen, factam apud Bergartritten, iſti viderunt.

Philippus Praepoſitus de Syndelphingen.

Manegoldus de Ottolfiſwane.

Ernſt de Hurelingen.

Ihero de Rauinsburc.

Henricus de Turngowe, *Marſcalcus Domini Welfonis.*

Albertus Aſmus.

Cunrat de Achtirtingen, & alii plures.

No. CXLVIII.

Fridericus, Friderici I. Imperatoris filius, Dux Sueuiae, in Placito Prouinciali, fauet Abbati in Salmansweiler, teſte Welfo Duce. Anno 1185. Ex Lunig Reichs-Archiv. Spicileg. Eccleſ. T. III. p. 509.

FRIDERICVS diuina fauente clementia *Dux Sueuorum* omnibus principibus & quibuscunque fidelibus *ſub ducatu noſtro degentibus*, preſentibus & futuris in perpetuum. Cum iuſtum ſit cauſas a maioribus inſtitutas & iuditiario ordine diffinitas a ſucceſſoribus non ſolum immutari non debere, nec caſſari, ſed magis inuiolabiliter conſeruari & confirmari; Notum facimus cunctis tam futuris quam preſentibus, nobis *in publico placito*, loco, qui dicitur *Kunigeſtuhl*, cum vniuerſis *principibus totius Sueuie* conſedentibus, N. Abbatem de Salem ſuper tali grauamine querelam depoſuiſſe, quod Conradus Comes de Sancto-Monte predium duorum liberorum hominum, Eberhardi & Vlrici, qui preſentes erant, & liberam Wehrſchafft coram omnibus Abbati fecerant, violenter abſtuliſſet, aſſerens, non eſſe poteſtatis eorum, vt ipſi vel aliquis *liberorum* in ſua *comitia* ſine conſenſu eius vlli Coenobio vel Eccleſie ſua conferre valeret. Vnde ſententia poſtulata, vniuerſaliter ab omnibus diiudicatum eſt, *liberis hominibus licere predia ſua quibuslibet eccleſiis, vel cui vellent, dare poſſe.* Nos itaque predicti Abbatis & fratrum ſuorum quieti contra tales calumnias impoſterum prouidentes, ad confirmatio-

nem omnium, quecunque prefato Coenobio in presentiarum, vel in futurum a quolibet homine libero collata fuerint, secundum formam date sententie, paginam istam sigilli nostri impressione roboratam venerabili Abbati aduersus quorumlibet iudicum temerariam in talibus presumptionem donamus. Et vt presentis charte continentia non solum propter antique institutionis authoritatem, sed & nostre confirmationis tenorem perpetuum apud posteros robur obtineant, premisse sententie executores subnotare dignum duximus.

WELFO Dux.
Otto, Hartmannus, & Rodolfus Comites de Chilichberg.
Otto Palatinus Comes de Witelispach.
Ludouicus Comes de Sigmaringen.
Henricus Marchio de Rumesberg.
Henricus Comes de Wartstein.
Manegoldus & Henricus Comites de Veringen.
Gebhardus, & Wolfradus frater eius, filii Comitis Manegoldi.
Albertus & Vlricus Comites de Chiburch.
Gotefridus, & Manegoldus filius eius, Comites de Rordorff.
Burchardus Comes de Hochenberc, & frater eius Comes Fridericus.
Berchtoldus & Fridericus Comites de Zolleren.
Egeno Comes de Vrach.
Bertoldus Comes de Berge.
Conradus Comes de Sancto-Monte.
Ernest de Stuzelingen.
Manegoldus de Otolfswang.
Berngerus de Schuzenriedt.
Gotefridus de Schweinhausen.
Conradus de Teggenhausen.
Burchardus, & Albertus frater eius, de Crichingen.
Hartmannus & Conradus de Mimmenhausen, & alii quam plures.

Acta sunt hec Dominice Incarnationis Anno Millesimo Centesimo octuagesimo quinto, Indictione tertia, imperante Friderico Rom. Imperatore Augusto. Anno autem Imperii eius tricesimo. *Anno vero Ducatus nostri primo.*

No. CXLIX.

image
not
available

No. CL.

Henrici VI. Imperatoris confirmatio donationis Henricianae Augiae minori facta. (*) Anno 1192. Ex Lunig l. c. pag. 748.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS* sextus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus. Notum sit omnibus tam presentis temporis, quam futuri Christi fidelibus, quod omnem traditionem, quam *pater noster* Fridericus Romanorum Imperator inuictissimus, & *frater noster* Fridericus Sueuorum Dux illustrissimus felicis memorie, & *Dux WELPHO & HEINRICVS, quondam Dux Saxonie*, Cenobio Sancti Petri in *Ouwe* fecerunt, in hominibus vtriusque sexus, mancipiis, agris, pascuis, terris, cultis & incultis, siluis, aquis, seu quibuscunque aliis rebus, nos quoque ratam & inconuulsam esse volumus, &, vt breuiter concludamus, omnem caritatem, permissionem, omne quoque ius, quod iam dicti Principes prefato Cenobio concesserunt, seu tradiderunt, nos quoque eidem Cenobio concedimus, stabilimus, & firmamus. Concedimus preterea fratribus ibidem Deo seruientibus, & eorum subditis, & ministris, vt per vniuersa fora nostra negotiationes suas exerceant, libere sine thelonei pensione, & vt liberam habeant potestatem succidendi siluas, & foresta nostra pro claustri necessitate. adhec, si quisquam Ministerialis noster, siue mercator, siue rusticus, seu cuiuscunque conditionis homo vel cuiuscunque sexus, se ipsum aut aliquid de bonis suis, mobilibus vel immobilibus, eidem Cenobio conferre voluerit, sciat hoc cum nostra esse licentia & voluntate. Hoc quoque vniuersitatem fidelium latere nolumus, predictum claustrum libertate priuilegiatum, sicut & alia claustra sancte Romane & Apostolice sedi pertinentia, nec nos, nec quempiam alium quidquam iuris, aut potestatis in eo habere, preterquam, quod nos illud intuitu Dei in tuitionem nostram recepimus, & ei pro iustitia adesse volumus & preesse. Vnde si quis violentiam ei intulerit, aut illud vlla in parte leserit, sciat nos lesisse & gratie nostre offensam incurrisse. Et ne hec a succedentium memoria possint elabi, presentem super his paginam fecimus conscribi, & sigilli nostri iussimus impressione communiri.

Datum apud Wizzenburc anno domini MCXCII. Indict. X. IX. Kal. April.

*) Simili tenore confirmauit hanc donationem Conradus Sueuorum Dux anno 1192.

No. CLI.

No. CLI.

Philippi Regis & coniugis Irenes donatio Augiae minori facta, qua simul confirmat donationem Henricianam. Anno 1197. Ex Lunig. l. c. pag. 749.

PHILIPPVS Dei gratia *Sueuorum Dux*. Ad eterni regis premium promerendum spectare dinoscitur, summeque beatitudinis gaudiis se non modicum acconciliare videtur, imo vtriusque vite prosperos euentus indubitanter sibi adoptat, qui ecclesias Dei & sacra loca, & personas Deo dicatas, quibus gladio materiali vti non licet, nec pugnare datum est, sublimare, manutenere, & clypeo fortitudinis defensare studuerit, presertim eas, quas sacra religio admodum commendat, & fulgidas reddit, & vbi famulantium Deo corda in amore Christi iugiter ardescunt, & ad illam coelestem patriam totis viribus, omnique desiderio dulciter ac vehementer anhelant. Huius rei intuitu, & omnibus vigilanti animo perspectis & consideratis, animo munificentie nostre subiit, vt nos, vna cum nobilissima *consorte nostra* ERINA, Capellam Sancte Christine, in apice montis *Rauenspurg* sitam, cum omnibus appenditiis suis, & cum omni iure contraderemus coenobio Sancti Petri, Principis Apostolorum in *Owe*, eique, sicut ius expostulat, confirmaremus. Adhec predicto Coenobio indulgemus, & confirmamus omnem traditionem, quam *pater noster*, Fridericus Romanorum Imperator inuictissimus, & Dominus ac *frater noster* Heinricus, eadem gratia Imperator, & *frater noster* Fridericus Sueuie Dux illustrissimus felicis memorie, *frater* quoque *noster* Cunradus, Sueuie Dux, cuius anima requiescat in pace, & *Dux WELPHO*, & *HEINRICVS* quondam *Dux Saxonie*, fecerunt, in hominibus vtriusque sexus, mancipiis, agris, pascuis, terris, cultis & incultis, siluis, aquis, seu quibuscunque aliis rebus, vtque breuiter omnia concludantur, omnem charitatem & permissionem, omne quoque ius, quod pretaxati principes presato cenobio concesserunt seu tradiderunt, fratres inibi Deo famulantes libere possideant, & in quieta possessione habere volumus. Vt autem hec traditio nostra, & dulcissime *Consortis nostre ERINE Ducisse* rata permaneat & inconuulsa perseueret, sigilli nostri impressione cummuniri iussimus, statuentes, & firmiter precipientes, ne aliqua persona, alta vel humilis, Ecclesiastica vel secularis nostre ditioni subiecta infringere, vel violare presumat. Quod qui fecerit, sciat se indubitanter nostre indignationis offensam incurrisse, nec dubium habemus, quin eius incidat anathemati & excommunicationi, qui vicem

Petri gerens ius ligandi habet, atque soluendi. Hec quoque adiicientes vniuersitati vestre significamus, predictum claustrum omni libertate priuilegiatum esse, sicut alia quoque Coenobia sancte romane ecclesie attinentia. Nec nos, nec quempiam alium aliquid iuris, seu potestatis in eo habere, preter quod illud cum omnibus pertinentiis suis in tuitionem nostram recepimus, & sub ala protectionis nostre gaudere statuimus, ita vt per nostrum patrocinium sepe dicta ecclesia libera permaneat, & secura deseruiat.

Huius rei testes sunt:

Comes Bot de Veinger. *forte:* Veringen vel Vahingen.
Vlricus, Marscalcus de Rechberg, & filius suus Hildeb.
Heinricus, Dapifer de Waldpurg.
Eberhardus Pincerna de Tanne.
Heinricus de Smalenekke.
Wernherus de Range.
Heinricus de Berge, *Ducis Capellanus.*
Bertoldus, Hatto, & alii quam plures.
Acta sunt hec Dominice Incarnationis Anno MCXCVII. Indictione XV. Data per manum Helfrici Notarii apud *Suenhusen*, III. Kal. Aug. *Anno Ducatus nostri primo*, Amen.

No. CLII.

Reitenbuchensi Collegio ius patronatus Ecclesiae in Muhlhausen per Ducem Welfum Mitem coram Episcopo Augustano euictum confirmat Lucius PP. III.

Anno 1144. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 102.

LVCIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilectis filiis, Praeposito & fratribus de *Raitenbuch*, salutem & Apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis facilem nos conuenit praebere consensum, & vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, ius *patronatus* Parochialis Ecclesiae de *Mulhausen*, quam cum Aduocato vestro, *Nobili viro, Duce WELFONE*, coram venerabili fratre nostro, *Augustensi* Episcopo, ordine iudiciario rationabiliter euicistis, iuxta tenorem sententiae, quae inde legitime lata est, vobis & per vos iam dictae Ecclesiae vestrae auctoritate Apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes, vt nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae

noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Anagnie, quarto Calendis Nouembris.

No. CLIII.

Reitenbuchenſibus Otto II. Friſingenſis Epiſcopus donat eccleſiam in Greſſolfingen. Anno 1206.

Ex Meichelbecc. hiſtor. Friſing. T. I. p. 388.

In nomine Domini & indiuidue ſancte Trinitatis feliciter Amen. Otto Dei gratia Friſingenſis Epiſcopus. Quam ſit fiduciale, quamque meritorium locis Religioſis ſubuenire, vbi deuota Deo iugiter impenduntur obſequia, nemo, qui Sacre Scripture nouit teſtimonia, poterit ignorare. Omnis enim, qui ex caritate hoc fecerit, centuplum accipiet, & vitam aeternam poſſidebit. Nos igitur, deſiderio & ſpe tante remunerationis & intuitu diuine pietatis, Eccleſie beate Marie in *Raytenbuch*, & hominibus ibidem Deo ſeruientibus, in tantillo ſubuenimus, quod eis Eccleſiam in *Greſſolfingen* cum omnibus ſibi attinentibus pleno iure tradidimus poſſidendam, & ad prebendam eiusdem Conuentus, quantum exinde fieri poteſt, meliorandam. Ita tamen, vt presbyter ibidem a Prepoſito Raytenbuchenſi inſtitutus a nobis inueſtiatur, & lege Dioceſiana nobis & Archipresbytero per omnia teneatur: & inueſtitus non remoueatur, niſi pro rationabili cauſa, coram nobis vel Archipresbytero noſtro propoſita & probata.

Facta eſt autem hec traditio anno ab Incarnatione Domini MCCVI. IIII. decima Kal. Mart.

Vt autem hec traditio noſtra in perpetuum firma permaneat, impreſſione ſigilli noſtri & Chori noſtri procurauimus inſigniri.

Huius rei Teſtes ſunt:

Ex Clericis: Eggebertus, Epiſcopus Pabenbergenſis filius Ducis Meraniae.

Hainricus Praepoſitus de Schlechdorf.

Ortwinus Decanus Friſingenſis.

Conradus Praepoſitus Moſpurgenſis.

Chunradus Cuſtos.

Hainricus Maior Plebanus.

Hainricus Scholaſticus.

Arnoldus de Gilli, Archipresbyter.
Hermannus Canonicus S. Andreae.
Vlricus Canonicus S. Viti & ceteri.

Ex Laicis vero teſtes ſunt:

Otto de Grienenperg.
Hainricus de Granberch.
Pernhardus de Wilhaim.
Otto de Richolſesdorf.
Hainricus de Paſingen.
Albanus de Ellebach.
Alber Thomech.
Chunradus Camerarius Epiſcopi.
Fridericus de Schwabingen, & alii quam plures.

No. CLIV.

Fridericus II. Imperator confirmat Praepoſituram Reitenbuchenſem, ſaluo iure ſuo & ſalua Aduocatia ſibi & filio, Henrico Regi. Anno 1222. Ex Hundii Metropoli Salisburg. T. III. p. 110.

FRIDERICVS ſecundus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus & Rex Siciliae. Per praeſens ſcriptum notum fieri volumus vniuerſis Imperii fidelibus, tam praeſentibus, quam futuris, quod nos, attendentes fidem puram, deuotionem ſinceram, nec non & laudabilem & honeſtam conuerſationem dilecti fidelis noſtri, *Witigau*, Praepoſiti in *Raitenbuech*, ipſum & Eccleſiam ſuam cum omnibus bonis ſuis, mobilibus & immobilibus, agris, paſcuis, piſcaturis, nemoribus & montanis, in noſtram ſpecialem & Imperii recepimus protectionem, ſtatuentes & auctore praeſentis ſcripti confirmantes, vt nulla omnino perſona, cuiuſcunque fuerit conditionis, alta vel humilis, Eccleſiaſtica vel ſecularis, ante dictum *Witigau* Praepoſitum, dilectum fidelem noſtrum, vel aliquem ſucceſſorum ſuorum, in bonis Eccleſiae ſuae praeſumat perturbare, nec eis damnum aliquod irrogare. Quod qui praeſumſerit, in ſuae temeritatis vindictam, indignationem noſtri culminis ſe nouerit grauiter incurſurum. Damus praeterea vniuerſis Praepoſitis & officiatis noſtris, circa poſſeſſiones praememoratae Eccleſiae in *Raitenbuech* commorantibus, firmiter in mandatum, vt quicunque ſaepe fatum Praepoſitum, dilectum fidelem noſtrum, in bonis Eccleſiae ſuae indebite & contra iuſtitiam offendere praeſumpſerit, ſibi conſilium & efficax auxilium ad defenſionem & tuitionem Eccleſiae ſuae impendere

impendere nullo modo contradicant, & eam manu tenere atque defendere non obmittant, Quia totiens dictam Ecclesiam in suo iure & libertate atque honore eius permanere volumus, sicut tempore Imperatoris *Heinrici, patris* nostri inclitae recordationis, dinoscitur permansisse; saluo quoque omni iure, quod nos & haeredes nostri ibidem habere debemus. Volumus etiam & districte prohibemus, vt nullum alium, praeterquam nos & charissimum filium nostrum *Hainricum*, Romanorum Regem, super possessiones suas, vel qui insignia Imperialia tenuerint, habeant Aduocatum.

Datum apud *Venafram* quinto Kal. Maii Anno Domini Millesimo Ducentesimo vicesimo secundo, Anno Imperii nostri secundo, Indictione X.

No. CLV.

Conradinus, seu Conradus minor, Sueuiae Dux, qua Aduocatiae heres, Reitenbuchensibus confirmat & auget priuilegia fundatorum, maiorum suorum. Anno 1263.

Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 110.

In nomine Domini Amen. *Conradus* secundus Dei fauente clementia Hierusalem & Siciliae Rex, Dux Sueuiae, omnibus in perpetuum. Per praesens scriptum notum fieri volumus tam praesentis quam futurae aetatis Christi fidelibus vniuersis, quod nos, fidem puram, deuotionem sinceram, nec non honestam & religiosam conuersationem dilecti fidelis nostri, Domini *Conradi*, venerabilis Praepositi de *Raitenbuech*, attendentes, suorum fratrum ibidem Deo militantium, ipsum, quasi Capellanum nostrum, & Ecclesiam suam cum omnibus suis hominibus, maioribus & minoribus, bonis mobilibus & immobilibus, agris, pascuis, piscaturis, viis & inuiis, siluis, nemoribus & montanis, in nostram specialem recipimus gratiam & defensionem, statuentes atque auctoritate praesentium confirmantes, vt nulla omnino persona, cuiuscunque sit conditionis, alta vel humilis, Ecclesiastica siue secularis, memoratum Dominum Praepositum, vel aliquem suorum successorum, in bonis Ecclesiae suae praesumat aliquatenus perturbare, nec eis damnum aliquod irrogare. Quod qui praesumpserit, in suae temeritatis vindictam indignationem nostram se nouerit incursurum. Et quia praefatam Ecclesiam in omni iure, libertate, atque honore eius permanere volumus, sicut tempore Imperatoris *Hainrici, proaui* nostri inclitae recordationis, & omnium progenitorum nostrorum dinoscitur permansisse, sub obtentu

 gratiae

gratiae nostrae firmiter praecipimus, ne quis iudex, vel persona quaelibet in Curia *Raitenbuech* exerceat aliquod iudicium: sed extra Curiam promoueant sua iudicia. Adhaec volumus & statuimus, vt, si homines saepe fati Monasterii rixando inter se, sicut saepius solet euenire, se laeserint qualicumque modo, & si laesura non est letalis, per Praepositum & Praelatum Monasterii praelibati eadem causa solito more finaliter diiudicetur. Ministeriales etiam nostri, & aliae nostrae personae honestae, ad nostram spectantes dominationem, si quid de suis propriis possessionibus seu feudis a nobis habitis spe centesimae remunerationis eidem Monasterio contulerint & tradiderint, prout a progenitoribus nostris auctoritatem liberam habuerunt conferendi, sic a nobis plenam potestatem habeant praedicto Monasterio donandi libere & absolute. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram infringere, aut ei ausu temerario contraire. Quod si quis praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatae Virginis Mariae, in cuius honore Ecclesia saepius memorata a nostris progenitoribus est fundata, & nostram se nouerit acriter incursurum. Ad maioris itaque roboris firmitatem praesentem schedulam inde conscriptam cum testium subscriptione sigilli nostri charactere fecimus insigniri.

Testes autem sunt hi:

Volckmarus & Marquardus filius eius de Kemnat.
Hermanus de Haigneberch.
Swicherus de Mindelberch.
Conradus dictus Spannagl.
Conradus de Mazanziesn.
Conradus de Schongau.
Bartholomaeus de Wal.
Conradus de Lechsperg.
Praepositus Hermanus de Schongau.[1]
Hainricus frater suus, Aduocatus, & alii quam plures.

Datum apud Raitenbuch Anno Domini Millesimo ducentesimo tertio, & vndecimo Kal. Maii, sexta indictione.

No. CLVI.

Collegio Reitenbuchensi Rudolfus I. Rex conseruatorem constituit. Anno 1274. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 111.

RVDOLPHVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus Officiato suo de *Byren*, dilecto fideli suo, gratiam suam & omne bonum

bonum. Suscepti cura Regiminis & sollicitudo, qua salutem, pacem & tranquillitatem generaliter omnium procurare intendimus, mentem nostram pulsat crebrius, & ad ea nos facit intentos specialius, quae commoditatem Ecclesiarum respiciunt, & ad reformationem earundem. Cum igitur nobis innotuerit, quod Monasterium de *Raitenbuch* ante aliquot annos rerum floruerit vbertate, nunc autem propter malitiam hominum, bona sua ipsi Monasterio diripientium, ad extremam peruenerit egestatem; Nos eidem Monasterio benignitate Regia cupientes succurrere, & ad bonum statum reducere, vt personae ibidem Domino famulantes vitae necessariis non fraudentur, & a suis ruinis nostrae protectionis remedio releuentur, ipsius Monasterii personarum, nec non omnium eidem Monasterio attinentium curam gerere cupimus specialem, confidelitati tuae mandantes firmiter ac districte, quatenus dicti Monasterii, Praepositi & Conuentus eiusdem nostrae maiestatis nomine curam habeas diligentem, non permittens bona eorum distrahi, vel eosdem a quoquam indebite molestari: in hac commissione, quae ex effectu Serenitatis procedit regiae, taliter te tenendo, quod tua fidelitas nostrae Maiestati te faciat gratiorem.

Datum Vlmae decimo septimo Kal. Maii, Regni nostri Anno primo.

No. CLVII.

Collegio Reitenbuchensi Ludouicus Bauarus confirmat priuilegium Conradinum. Anno 1326.

Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 112.

NOS *LVDOVICVS* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Ad supplicationem honorabilis viri *Haimrici* praepositi & Archidiaconi in *Raitenbuch*, Frisingensis Diocoesis, & vtilitatem Ecclesiae suae praedictae, quibus fauorem in Domino gerimus gratiosum, vt Deo obsequium, & nobis remedium faciamus, priuilegium felicis recordationis *Conradi* secundi, Hierusalem & Siciliae Regis, Ducis Sueuiae, *de cuius cognatione processimus*, eiusdem concessu sic vidimus & cognouimus innouandum, declarandum & confirmandum duximus, ex certa scientia de gratia speciali, in tota sua continentia, quae est talis. In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis Amen. Conradus secundus Dei fauente clementia Hierusalem & Siciliae Rex &c. *vt supra*. p. 637. *sq*. Praemissum ergo priuilegium in tota sua forma, vt praemittitur, ex certa sciencia confirmantes & innouantes, Clausulam illam *adhaec volumus & statuimus, vt si homines &c.* taliter declaramus, quod lesurae nomine non letalis

contineri

contineri volumus quamcunque offensam, verbis, iurgiis, blasphemiis, colaphis, alapis, & qualitercunque aliter illatam, dicto & facto, ex qua mors non fuerit subsecuta. Et sic ab omnibus nostris officiatis sub obtentu gratiae nostrae perpetuae intelligi volumus & serua ri. In testimonium praemissorum Sigillum nostrae Maiestatis praesentibus appendentes.

Datum & actum in Monaco, Anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimo sexto, in vigilia beati Thomae Apostoli, Regni vero nostri anno tertio decimo.

No. CLVIII.

Philippus, Friderici I. Imperatoris filius, Possessor Terrae Comitissae Mathildis, bona & iura confirmat Monasterio Sancti Benedicti de Padolyrone. Anno 1195.

Ex Bullar. Casinens. T. II. Constitut. 218. p. 225. sq.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. *PHILIPPVS* Dei gratia *Dux Tusciae* & *Dominus totius Poderis Comitissae MATHILDIS*, Alberto, Dei gratia venerabili Abbati Monasterii Sancti Benedicti super Padum, eiusque successoribus regulariter in perpetuum substituendis. Si circa seruos Dei eiusque sanctas ecclesias opera pietatis exercere, & tam ipsas, quam earum bona, praeconcessa nobis ab eo potentia defensare & ampliare studuerimus; Dominum procul dubio, peccatis nostris propitium, pacis bellique tempore protectorem habere merebimur; & inimicus erit inimicis nostris, & impugnantes nos expugnabit. Quapropter omnibus Christianis, nostris fidelibus, notum esse volumus, quod nos, Omnipotentis Dei causa, & ob animae nostrae, nostrorumque Parentum salutem, interuentu quoque praefati Abbatis, omniumque Monachorum suorum precibus, quorum apud Dominum nos posse credimus adiuuari, personam ipsius Abbatis, & omnes Monachos, Clericos, & Conuersos, villanos, ac habitatores suos, nec non ipsum Monasterium sancti Benedicti, situm super Padum, & Monasterium de Gonzaga, Ecclesiam de Lecto Paludano, Monasterium sancti Caesarei, cum tota eius Curte Wilzaccharae, suis cum finibus terminata, sicut continetur in carta *Comitissae MATILDIS.* Insuper Monasterium Sancti Pontiani, & Monasterium Sancti Bartholomaei de Luca, & Monasterium Sextense, & Monasterium Sancti Martini in Colle, cum omnibus eorum bonis, mobilibus & immobilibus, tam personarum, quam rerum, & omnium suorum habitatorum, ac eorum familiam, & omnia mobilia & immobilia, tam praefati Monasterii Sancti Benedicti, quam omnium Ecclesia-

clesiarum suarum bonorumque suorum, vbicumque sint in nostro districtu, quae nunc habent, & in antea habebunt, in tutela nostrae defensionis, & protectionis suscipimus, & ea omnia praedicta ab omni nostra exactione, & Iurisdictione, cuiuscumque potestatis, Ciuitatis, vel Communis, & omnium Nunciorum ac Ministrorum Nostrorum, praesentium & futurorum, ab omnibus similiter Albergariis, Artimannariis, Angariis, & Parangariis, Fodris, Collectis, Bannis, & Vadimoniis, exempta omnino, libera & absoluta esse volumus, & firmiter praecipimus, pro animae nostrae remedio, ac Parentum nostrorum. Quae omnia praetaxata in integrum saepe dicto Monasterio Sancti Benedicti, cui Albertus Abbas nunc praeesse videtur, in perpetuum donamus, concedimus, & confirmamus, & lege semper valitura corroboramus, sine omni nostra nostrorumque haeredum & successorum contradictione & molestatione. Specialiter autem omnia bona mobilia & immobilia, quae ab *HEINRICO* tertio & quarto, *LOTHARIO*, & *CONRADO*, & Magnifico *FRIDERICO* Patre nostro, Romanorum Imperatoribus; & quaecumque Christianissimus Frater noster *HEINRICVS* Imperator, in idem Monasterium contulit, videlicet: quatuor Mansos in Lecto Paludano: & octo ab inclito Rege, *CONRADO*, bonae memoriae, datos, & a Patre nostro confirmatos, in eodem Lecto sitos; Braidam quoque adiacentem Monasterio Gonzagae, ab eodem Rege *CVNRADO* ad mensam Monachorum memorati Monasterii sancti Benedicti super Padum perpetuo permansura, data, & confirmata. Et quaecumque a *Comitissa MATILDA*, & eius *Patre BONIFACIO* ac eius *Auo TEVDALDO*, & *ALBERTO* Marchionibus, & Duce *WELFONE* & aliis viris nobilibus, Capitaneis, Valuassoribus, & aliis Vassalis nostris, cuiuscumque seruitii, & praecipue vniuersas possessiones Terrarum, aquarum, paludum, piscationum, nemorum, & siluarum, venationum, & alterius cuiuscumque vsus; Insuper totam terram illam in Runco Bonaldi, quae est vnius Mansi, & plus, a quocumque datam, & oblatam, cum omnibus suis pertinentiis, & appendiciis, & omnia alia, de quibus iam dictum Monasterium & eius Ecclesiae priuilegia, & Cartam autenticam habere, ad omnium praedictorum firmitatem, & corroborationem data, collata, concessa sunt, de bonis *nostri Ducatus* & districtus, & confirmata & maxime quicquid praedictus *LOTHARIVS* Imperator contulit, & donauit Heinrico venerabili Abbati pro ipso Monasterio per nuncios suos, videlicet Temum pro Portu & Rogerio de Dura, in Curte Picognagae, scilicet omnes Boscarias, & Siluas, Carpenetam, Spinetam, Saccam de Petra, & Saccam de Razeta, & Secchettam, & omnes Polisinos, & Remoram

de praedicta Curte, tam vltra, quam citra Padum. Et quidquid *Vgucio* habuit in pignore ibidem a iam dicto *LOTHARIO* Imperatore, & quod ipse Imperator, ibi habebat, id est, Vasallos omnes, & omnia alia post Capitaneos & venationes de Picognaga, sicut continetur in cartula Ioannis Notarii; & saepe dictus *Frater* noster *HEINRICVS* Imperator, & eius Antecessores Reges, & Imperatores praefato Monasterio & Ecclesiis dederunt, donauerunt, concesserunt, & suis Priuilegiis confirmauerunt. Et nos, pro habilitate & augmento nostri honoris, pro remedio animae nostrae, nostrorumque parentum, similiter damus, donamus, concedimus in perpetuum & confirmamus. Praeterea Inuasiones terrarum omnium, & Intermissiones, & Sassinamenta, tempore Patris, & Fratris nostri Romanorum Imperatorum facta, & postmodum reddita, & restituta, eidem Monasterio, eiusque Ecclesiis omnibus; super quibus, & aliis omnibus, quae dictis mobilibus, & immobilibus idem Frater noster Heinricus Imperator iuris quaestionem penitus infirmauit, & cassauit, quae vllo tempore moueri potuisset esse idem Monasterium, & eius Ecclesias, & homines, vel in antea poterit; vt in eius Priuilegiis continetur; Nos similiter, de mera liberalitate nostra, omnia supra scripta damus, donamus, & omnia reddita & restituta concedimus, & confirmamus, & lege semper valitura corroboramus, sine nostra nostrorumque haeredum contradictione, seu Legatorum, vel nunciorum nostrorum molestatione. Ad indicium insuper maioris gratiae ac deuotionis, quam habemus in idem Monasteriem, & ipsius Ecclesias, ad imitationemque Domini Imperatoris *HEINRICI*, Fratris nostri, & Dominae *Comitissae MATILDIS*, ac eius Progenitorum & aliorum nobilium, sicut in eorum instrumentis apparet, omnibus Vasallis nostris de beneficio, quod a nobis tenent in *Podere* possessionum, quae olim fuerunt *Comitisse MATILDIS*, iam dicto Monasterio, eiusque Ecclesiis plenam licentiam, & auctoritatem pro animabus suis dandi, largiendi, donandi & offerendi pro remedio animae nostrae, nostrorumque Parentum omnino tribuimus, & omnia, quaecumque ipsi eidem Monasterio suisque Ecclesiis, pro animabus suis contulerunt, & donauerunt, nos damus, concedimus, & confirmamus, & in perpetuum corroboramus; Ita tamen, quod maior pars beneficii eis remaneat, vnde seruitium facere nostrum possint, & valeant; quod sine fraude esse praecipimus. Statuentes & districte sub debito fidelitatis nostrae praecipientes, vt nullus Comes, vel Vicecomes, nullus Gastaldio, nec aliquis Minister vel Nuncius noster, nulla denique persona, iam dicti Monasterii sancti Benedicti super Padum, omniumque Ecclesiarum sibi subiectarum, bona mobilia, & immobilia, quae nunc aliquo

aliquo modo habet, aut in antea, Deo volente, habebit, laedere, aut perturbare, vel molestare, seu impedire, & inuadere, per quoduis ingenium nullus audeat, nec huic nostrae largitioni, concessioni, confirmationi, restitutioni, contradicere praesumat; Sed idem Monasterium, & omnes eius Ecclesias, in districtu nostro sitas, cum omnibus suis bonis, mobilibus, & immobilibus, & suorum hominum, volumus esse liberas, & penitus ab omni nostra, omniumque hominum exactione exemptas. Si quis igitur contra hanc nostram constitutionem confirmationem & concessionem venire praesumpserit; in vltionem suae temeritatis poenam centum Marcharum puri argenti componat, quarum medietatem camerae nostrae, reliquam Monasterio praefato persolui iubemus. Ad cuius rei certam imposterum euidentiam, praesentem cartam inde conscribere iussimus & autoritatis nostrae sigillo communiri.

Huius rei testes sunt: Comes Ildiprandinus de Tuscia.
Bernardinus de Curuiago.
Comes Ziliolus de Marcha Regia.
Conradus de Stophylo.
Rainerus de Sartirano.
Sicehardus & Mainerius, eius nepos, de Sacca,
& alii quam plures.

Acta sunt haec Anno Dominicae Incarnationis Millesimo centesimo nonagesimo quinto, Indictione tertiadecima.

Data apud sanctum Benedictum super Padum, per manum Domini Elfrici, Protonotarii Domini Ducis, secundo Kalendas Augusti. Anno Ducatus nostri primo.

No. CLIX.

Instrumentum Honorii PP. III. super recuperatione castrorum terrae Mathildis, praesertim in Marchia Spoletana & Anconitana. Anno 1221. Ex Murator. Antiq. Ital. T. I. p. 175.

HONORIVS &c. Ne rerum gestarum memoria cum tempore labente labatur, & in obliuionem veritas veniens vagetur incerta, si ei fuerit fides ademta; inuentum est authenticarum remedium scripturarum, quae factorum perpetuantes memoriam, indubitatam fidem faciant veritati, quae sua luce clarescens, non patitur iustitiam falsis calumniis obumbrari. Vnde ad vniuersorum notitiam volumus

lumus peruenire, quod, quum magna pars *Comitatus Comitissae MATHILDIS*, qui *totaliter* ad Romanam Ecclesiam pertinet pleno iure, & a multis & variis personis detineretur indebite occupata, & tam ciues *Spoletani*, quam fere totus *Ducatus Spoletanus* nobis nullatenus responderint, nos, in illo spe nostra totaliter posita, qui adest in veritate inuocantibus nomen eius, quamquam infinitis & arduis essemus negotiis ineuitabiliter occupati, ad recuperanda iura Ecclesiae solicite intendentes, venerabili fratri nostro, Ostiensi Episcopo, tunc Legationis fungenti officio in partibus *Lombardiae*, direximus scripta nostra, vt duo Castra, videlicet *Medicinam* & *Argellatam*, quae Bononienses tunc temporis detinebant, ad *demanium* Sedis Apostolicae reuocaret. Qui iuxta mandatum nostrum illa recipiens, dilecto filio, Henrico de Paragnano, Subdiacono nostro, quamdiu nobis placeret, commisit fiducialiter gubernanda; & homines Castrorum ipsorum, eidem nomine nostro fidelitatis iuramenta praestantes, ei de rationibus nostris responderunt integre ac respondent. Deinde quum, inter Spoletanos, Narnienses, Cocoronenses, & adiutores eorum ex parte vna, & Interamnenses, Tudertinos, Fulginates, & adiutores eorum ex altera, graui guerra suborta, ita quod praeter stragem virorum & multimoda rerum damna, &, quod est grauius, animarum pericula, quae vtraque pars incurrerat, multi detinerentur hinc inde captiui: nos, eis paterno compatientes affectu, licet quidam ex illis viderentur filialem obedientiam abiecisse, dilectum filium, Pandulphum, Subdiaconum & Notarium nostrum, illuc curauimus destinare, vt omnes ad pacis foedera inienda, tam spirituali quam temporali districtione compellens, captiuos vtriumque faceret liberari. Qui mandatum nostrum diligenter adimplens, studuit in manu forti corripere inquietos & pusillanimes consolari, & quorundam rebellium pertinacia congrue castigata, & captiuis redditis libertati, potestatibus ciuitatum & castrorum fere omnium de Ducatu, quos apud Beuaniam ad suam praesentiam euocarat, sub debito fidelitatis, & poena mille librarum iniunxit, vt in octauis Apostolorum Petri & Pauli quaelibet Potestas cum tribus vel quatuor de ciuitate sua, vicem omnium habentibus, se apud Vrbem veterem nostro conspectui praesentaret. Quibus in praefixo termino in nostra praesentia constitutis, post tractatum diutinum, tam super pace inter ipsos plenius reformanda, quam super *Ducatu* ad manus Ecclesiae retinendo, quod & cum praedicto Subdiacono tractauerant diligenter; tamdem *Perusini*, *Assisinates*, *Fulginates*, *Nucerini* & *Interamnenses*, iuxta mandatum nostrum, munitiones, Castra & Regalia, sicut ea vmquam habuit aliquo tempore clarae memoriae *Dux CONRADVS*, in

in manibus nostris libere resignarunt. Et licet *Spoletani* super iis, quae de Ducatus *Demanio* detinebant, exhibuerint se difficiles, asserentes, quod si praedictus *Dux* ea possedit aliquando, possessor fuerit violentus, tamdem tamen super iis nostris paruerunt beneplacitis & mandatis. Et sic *toto Ducatu* ad manus Sedis Apostolicae reuocato, tam Ducatui, quam Assisii & Nuceriae Comitatibus dilectum filium nostrum, R. sanctae Mariae in Cosmedin Diaconum Cardinalem, praefecimus in *Rectorem*. Qui omnia, quae in iis ad Romanam Ecclesiam pertinent, obtinens pacifice ac quiete, cuncta pro voluntate sua disposuit & disponit, iuramentis fidelitatis ab hominibus Ducatus & Comitatuum sine difficultate receptis.

Ad haec quum quidam *Theotonicus* Marescalcus Castrum *Precense* detinuisset diutius occupatum; nos, missis illuc Nuntiis nostris, amoto exinde Marescalco praedicto, recuperauimus Castrum ipsum, vniuersis habitatoribus eius dilecto filio, S. Camerario nostro ad hoc a nostro latere destinato, & ab eis honorifice & deuote recepto, nomine nostro fidelitatis exhibentibus iuramenta. Vnde nos tam idem Castrum, quam *Radicofanum* & *Aquam pendentem* dilecto filio, Muscae, Potestati Viterbiensi, fideli nostro, commisimus, quamdiu nobis placuerit, gubernanda. Praeterea quum carissimus in Christo filius noster *Fridericus* Romanorum Imperator, tunc Rex, veniens, suscepturus de manibus nostris Imperii diadema, venerabilem fratrem nostrum Metensem Episcopum, Imperialis Aulae Cancellarium, in Italiam praemisisset; misimus ad eum dilectum filium, Reynaldum Monaldi, Subdiaconum & Capellanum nostrum, vt ei, vice nostra, *Comitatum Comitissae Mathildis* libere resignaret, sicut a Rege ipso fuerat sibi iussum. Et licet Cancellarius ipse petitionem eiusdem Subdiaconi vsque ad aduentum Regis circa partes *Bononiae* distulisset; tamdem tamen idem Rex tam de Castro *Gonzagae*, quam de aliis Castris, scilicet *Pepugnano*, *Bondeno Veteri*, & *Bondeno Nouo*, nec non de toto Comitatu & *Podere*, ac Terris Comitissae praedictae, Magistrum Alatrinum, Subdiaconum & Capellanum nostrum, qui erat cum eo, & eundem Raynaldum, Ecclesiae Romanae nomine, inuestiuit, & eos constituit possessores, mandans ipsos per venerabilem fratrem nostrum, Episcopum Taurinensem, Vicarium suum, in corporalem possessionem induci; & praecipiens tam omnibus Militibus, & habitatoribus Castrorum ipsorum, quam aliis Vasallis de ipso Comitatu seu Terris & *Poderis*, vt omnes ab omni iuramento, quo ipsi tenebantur ratione Terrarum ipsarum, penitus absoluti, eisdem Capellanis vel eorum alteri, seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso, fidelitatis iuramenta praestarent & abiurarent ab iis contraria iuramenta. Quod si non

facerent, scirent se ex tunc omnibus bonis Comitatus siue *Poderis* seu Terrarum ab ipsis possessis Regia sententia perpetuo esse priuatos. Praeterea iniunxit firmiter & mandauit Potestatibus, Consulibus & Rectoribus Ciuitatum, sub poena mille Marcarum, vt omnes, possessiones Comitatus praedicti detentas ab ipsis, sine difficultate ac molestia qualibet restituerent, & absoluerent omnes de Comitatu & Terris praedictis ab omni iuramento, districtu, & obligationibus, quibus ratione alicuius iurisdictionis, quam in eis hactenus exercuerant, tenerentur eisdem. Et remouerent Consules & Rectores, Baiulos, & si quos Officiales ipsis praefecerant: & extraherent quoscumque posuerant de Terris ipsis, & de cetero memoratis Capellanis vel eorum alteri, seu cuilibet alii a Sede Apostolica destinato ad retinendam possessionem, quam habent, & recuperandam, quam non habent, praestarent consilium, auxilium & fauorem. Et sic factum est, quod multi Barones, Milites, & alii Terrarum ipsarum eisdem Capellanis nomine nostro fidelitatis iuramenta praestantes, recognouerunt, se omnia, quae de Comitatu praedicto tenebant, pro Romana Ecclesia possidere. Verum quia Nobiles viri, filii Comitum Alberti & Neresii, (qui) Castrum *Gonzagae* cum pertinentiis suis detinebant inuasum, praedictus Cancellarius eis sub poena mille Marcarum iniunxit, vt Castrum ipsum sine difficultate qualibet resignarent: quia id efficere renuerunt, nec voluerunt in Regis praesentia comparere, idem Rex de consilio suorum Principum Bannum ipsius Cancellarii confirmauit, & personas eorum sub perpetuo Imperii banno ponens, bona ipsorum, vbicumque inuenta forent, confiscari praecepit, nisi vsque ad diem Dominicum proxime tunc venturum resignarent in manibus Capellanorum ipsorum, vel eorum alterius Castrum ipsum. Praecepit quoque *Cremonensibus*, *Parmensibus*, *Reginis*, *Mutinensibus*, *Bononiensibus*, & generaliter vniuersis fidelibus suis, vt praedictis Nobilibus, adiutoribus, & fautoribus, vel aliis detentoribus Castri praedicti facerent viuam guerram. Inhibuit etiam *Mantuanis*, *Veronensibus*, *Ferrariensibus*, *Brixiensibus*, & aliis fidelibus suis, sub obtentu fidelitatis & certa poena, ne ipsis impenderent consilium, auxilium vel fauorem sicut in literis Regio sigillo munitis prospeximus plenius contineri. Et quia Castrum *Bondeni Veteris* dirutum erat, nuper reaedificatum est, & ab Ecclesiae Romanae fidelibus pacifice habitatur. Dilectus quoque filius Albertus, Comes *Pratensis*, fidelitatis nobis praestito iuramento, Terram Vallesi, Roccam Gonfienti, Monticellum, Arigazzam, Bargam, Pidierlam, Casale, Roccam de Vico, Castreolum, Limognum, Graecum, Mugonum, Pillianum, Monticellum, Fossatum, Torrem, Batum & Sauignanum cum pertinentiis suis

ſuis recepit a nobis in *feudum*; vnum Aſturem & duos Braccos pro eisdem Caſtris Eccleſiae Romanae annis ſingulis redditurus: quos etiam nobis pro vno anno perſoluit. Praeterea licet Marchiam *Anconitanam* ad manus ſuas Eccleſia Romana pro maiori parte teneret; nihilominus tamen praedictus Imperator eam nobis omnino quietans, & refutationem faciens, prout in ipſius literis plenius continetur, praecepit omnibus de Marchia, vt nobis, tamquam Domino ſuo, de cetero plenarie reſponderent. Quumque nos poſtmodum dilecto filio, Nobili viro *AZONI*, Marchioni Eſtenſi, eam, in feudum duxerimus concedendam, praeſente Imperatore inueſtientes eumdem de ipſa *Marchia* per *Vexillum*; nos praenominatum Pandulphum Subdiaconum & Notarium noſtrum, & Imperator venerabilem fratrem noſtrum . . . . . . Patriarcham Aquileienſem illuc curauimus deſtinare, vt eum in poſſeſſione Marchiae inducentes, ei facerent de omnibus rationibus ſuis integre reſponderi: Ciuitate tamen Anconitana, quamdiu nobis placuerit, in noſtris manibus reſeruata & vniuerſo Patrimonio beati Petri a Ponte Ceperani vſque Radicoſanum poſſeſſo & diſpoſito pacifice ac quiete pro noſtrae beneplacito voluntatis.

Datum Laterani, XII. Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

No. CLX.

Literae, quibus Honorius PP. III. Azonem Eſtenſem Marchionem vocat Romam, ad inueſtituram

Marchiae Anconitanae. Anno 1225. Ex Murator. antiq. Ital. T. I. p. 333.

HONORIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Nobili viro A. *Anconitano & Eſtenſi Marchioni*, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Benigne recepimus, & diligenter intelleximus litteras, quas ſuper negotio *Marchiae Anconitanae* tua nobilis diſcretio deſtinauit. Noueris igitur, quod nunquam fuit noſtri propoſiti, te Marchia ipſa priuare, cum nec ignoremus, illam tibi eſſe in Feudum ab Apoſtolica Sede conceſſam, nec ad tuam, vel cuiuſquam alterius iniuriam aſpiremus. Verum quia Tiſius de Campo ſancti Petri, quem illi praefeceras, Marchianos exactionibus importunis ita grauauerat, quod in odium eius ſe nobis & tibi ſubtraxerant, & Imperii iugo ſubmiſerant colla ſua; Nos, attendentes puerilem aetatem, in qua tunc temporis eras, & penſantes, quantum diſpendium fuiſſet, ſi hoc diſſimularemus, tibi & etiam Apoſtolicae Sedi ex diſſimulatione huiusmodi euenire, Marchiam multo diſpendio & labore recuperauimus ante dictam ad Eccleſiae

Romanae

Romanae & tuum commodum & honorem. Tu ergo ad nos venire non differas, cum fuerit opportunum, Marchiam ipsam, tamquam tuum Feudum, libere recepturus.

Datum Tibure...... Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno nono.

Ego Daniel Notarius de Redigio has Litteras Papae iussu Domini Andreae de Maxerata &...... Vicecomite Rodigii pro Domino Obizone Estensi Marchione exemplaui & scripsi, nihil addens vel minuens, quod sensum vel sententiam mutet, nisi forte litteras vel pontum vel sillabam in compositione, Anno Domini 1292. Indictione V. die XIV. intrante Aprili.

Ego Iacobus de Montixiis Iudex communis Ferrariae, qui supra scriptum exemplum vidi, legi, & auscultaui..... Honorii Papae, in quo nihil inueni additum vel dimminutum, quod sensum vel sententiam mutet, ideo nomen meum subscribo, & auctoritatem meam, qua pro communi Ferrariae fungor, interpono & decretum, vt vim & robur obtineat autentici Instrumenti; in MCCCVIII. Indictione VI. Ferrariae die VIII. mensis Iunii.

No. CLXI.

Henrico V. Imperatori Alpersbachense Monasterium confirmanti testes sunt Gottefridus Comes

Palatinus de Calewo & Adelbertus Comes de Löwenstein, fratruelis eiusdem Palatini. Anno 1123. Ex Crus. annal. Sueu. Part. II. Libr. IX. p. 331. sq.

In nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Henricus diuina fauente clementia quartus Romanorum Imperator Augustus. Cuncta conspicientes, aequale meritum credimus fore dantis & corroborantis. Credimus etiam, ad Regalem nostram maiestatem pertinere, totius Regni curas, praecipueque omnium Ecclesiarum commoda considerare, & omnia eis aduersantia sub omni festinatione abolere. Bonorum igitur ac religiosorum virorum, Ruotmanni scilicet de Husin, Adelberti Zolro, & Alewici Comitis de Sulzo, deuotionem perpendentes, & piis eorum desideriis benigne assentientes, beati Benedicti Monasterium quod in suo praedio fundauerunt, in loco scilicet haereditatis propriae, qui vocatur *Alpirspach*, Regia auctoritate nostra munimus, nostro Imperiali banno statuentes, vt locus ipse, cum omnibus adiacentibus vel appendiciis, siue ad eundem locum pertinentibus villis, terminis, siluis, praediis, mancipiis & quaecunque in futurum Christi fideles ad idem coenobium de suo iure obtulerint, firma & illibata permaneant. Decernimus etiam,

vt

vt nulli mortalium, idem coenobium temere perturbare, aut eius possessiones iniuste auferre, vel aliquo modo imminuere, praesumant. Abbas sane cum fratribus Aduocatum sibi, quem vtiliorem praeuiderint, constituat. Qui si postmodum grauis & inutilis fratribus fuerit, remoto eo, alium sibi praeficiant. Nec alius Aduocatiae bannum a Rege siue Imperatore suscipiat, nisi qui Abbate eligente, & fratribus petentibus, ad tantum officium dignus & idoneus videatur. Vt autem hoc praeceptum nostrum stabile & inconuulsum permaneat, hanc inde chartam scribi, & sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Si quis, quod absit, huius praecepti nostri violator exstiterit, auri purissimi centum libras componat, & scriniis Imperatoris persoluat. Praesentibus & petentibus Principibus fidelibus nostris hoc fecimus. Quorum ista sunt nomina:

Bertoldus, Episcopus Ecclesiae Basiliensis.
Conradus, Dux de Zeringen.
Gottefridus, Comes Palatinus de Calewo.
Adelbertus, Comes de Lewinstein, fratruelis eiusdem Gottefridi Palatini.
Hugo, Comes de Tagesburc.
Wilhelmus, Comes de Lucelenburc.
Adelbero, Comes de Areburc, & frater eius Hermannus, & ipse Comes.
Conradus de Horeburc.
Hainricus de Antirspach.
Rudolphus de Windeste.
Bernde Houewile.
Chono de Chunringen.
Conradus de Ahenstain.
Roin de Ascha.
Fridericus, Comes de Saraburc.
Eberhardus de Hilrispach.
Mereboto de Grifinstein.
Berchtoldus de Tannecko.
Conradus de Franconeburc.
Wecil, & frater eius Ludewicus de Ascha.
Sigefridus Burcrautus.
Gelfradus Telonearius.

Signum Henrici quarti, Romanorum Imperatoris inuictissimi.

Philippus Cancellarius recognoui vice Adelberti Moguntini Archicancellarii.

Data Argentinae, anno Dominicae incarnationis M.C.XXIII. Indictione I. X. Kalend. Februarii.

No. CLXII.

Fridericus Imperator Conrado Epiſcopo Patauienſi, Patruo ſuo, Villam Maerding reſtituit. (*)

Anno 1147. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. I. p. 206.

IMPERATOR *FRIDERICVS* I. huic Conrado, Patruo ſuo, Meerding villam, quam Conradus Rom. Rex *Duci WELPHONI* conceſſerat, in Conuentu celebri Babenbergae,in praeſentia *WELPHONIS auunculi ſui* reſtituit: Teſtes Epiſcopi, Eberhardus Babenbergenſis, Gebhardus Wirtzburgenſ. Hartwicus Ratiſponenſ. Conradus Aichſtetenſis, Daniel Pragenſ. Waderlaus Dux Bohemiae, & frater eius Diopoldus, Heinricus Dux Auſtriae, Fridericus Dux filius Conradi Regis, Berchtoldus Comes de Andeſſe, Eckibertus Comes de Butone, Heinricus Praefectus Ratiſponenſis, Rapoto Comes Abenbergae, Cunradus Dux & Comes de Dachau, Marchwardus de Grunbach, & filius Marchquardus, Babo de Zolling, Adalramus de Kambe. Reinaldus Cancellarius vice Arnoldi Mogunt. Archiepiſcopi & Archicancellarii recog. Babenbergae, quarto nonas Iulii, Anno 1147. Regni ſeptimo, Imperii tertio.

No. CLXIII.

Welfus Dux Monaſterio Campidunenſi donat Allodium ſuum in Amergaw. Ex Hundii

Metrop. Salisburgenſi. T. III. p. 110.

Vide ſupra No CXXI. p. 594.

No. CLXIV.

Henrici Regis, Friderici II. Imp. Filii, Steingadenſis Monaſterii confirmatio, qua Henricum

Leonem adhuc Saxoniae Ducem vocat. Anno 1228.

Ex Hundii Metropoli Salisburg. T. III. p. 248.

IN nomine ſanĉte & indiuidue Trinitatis. *HEINRICVS* Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Regiam decet excellentiam iuſtis petitionibus facilem aſſenſum prebere, ac diligenter eas ad debitum

*) Pleniorem rei huius notitiam ſupra dedimus *No.* 109. *p.* 578. ſq.


image
not
available

remunerationis & aequitatis intuitu Ecclesiis, a *progenitoribus* nostris fundatis, non solum tradita beneficia conseruare tenemur; verum etiam de concessis nobis a Deo aliqua eis feliciter erogare, & circa tranquillitatem ipsarum & augmentum operam efficacem & curam adhibere diligentem. Eapropter omnibus Christi fidelibus, tam posteris quam modernis, notum esse volumus, quod nos, animaduertentes diuinae religionis cultum, & honestam, Fratrum conuersationem Monasterii *Staingadensis*, quod fundauit praedilectus *Auunculus* noster, inclytus Dux *WELPHO* & propriis curauit praediis ditare, quodque ibi *pro eo* & omnibus *eius posteris* preces sine intermissione fundantur ad Dominum, ipsum Monasterium, cum omnibus sibi attinentibus, in plenitudinem gratiae nostrae & sub specialem maiestatis nostrae suscipimus protectionem, ad honorem Dei & sancti Iohannis Baptistae; Fratribus vero illic militantibus ex innata nobis benignitate confirmantes, quicquid ante dictus *Auunculus* noster & charissimi *fratres* nostri, *Hainricus* gloriosus Romanorum Imperator, & *Conradus* Illustris Sueuorum Dux, pro remedio animarum suarum Monasterio eorum contulerunt & confirmauerunt, & quae nos ipsi vel alius quispiam eis donauit, quaeue inposterum iusto acquisitionis titulo, procurante Domino, poterunt adipisci. Possessiones vero, quas in praesentiarum obtinent, propriis duximus exprimendas vocabulis; fundum primo, in quo ipsum Monasterium situm est, totamque terram claustro adiacentem ab amne, qui dicitur *Rotinbach*, vsque ad amnem, qui vocatur *Marpach*, & a fluuio *Lyco*, vsque ad fluuium, qui dicitur *Hylache*, cum viis, semitis, pratis, agris, & cultis & incultis, cum aquis, aquarumue decursibus, molendinis, piscationibus, montibus & nemoribus, cum mancipiis & colonis, & cum omnibus pertinentiis suis ex integro: Insuper praedium *Dornowe;* praedium *Cella*, praedium *Schongo;* praedium *Hochinfurche;* praedium *Germaring;* praedium *Inginried*, *Sewm*, *Burenchoue*, *Emichinried*, *Franckinoue*, *Wathinried*, *Franckinried*, *Husen*, *Buren;* praedium *Mouthardishouen*, *Adilinried*, *Ersingen*, *Terinbache*, *Vochegowe*, *Vrbache*, *Christilingen*, *Vrtingen;* praedium in *Sibeneiche;* praedium in *Iglingen;* decimam apud *Sibeneiche*, quam dedit Hermannus de Mazzinsiesis; curiam *Widergeltingen* cum Ecclesia & omni iure; curiam *Stadlen;* curiam *Bittingaw* cum pertinentiis suis; Ecclesiam *Gebreine*, *Tullansperg*, *Titinhusen;* curiam *Horne*, cum piscationibus & omnibus appendiciis eius; in montanis curiam *Schardis;* curiam *Loning;* curiam *Hagnache;* bona *Vmiste;* curiam *Vmindingen;* praeterea nouale vnum, quod vocatur *Vronrute*, & praedium *Langemoss*,

gemoſs, tradita a fratribus noſtris, *Friderico* & *Conrado*, Sueuorum Ducibus. Indulgemus adhaec Fratribus memoratis, vt quicunque hominum noſtrorum Fiſcaliniorum, ſiue etiam Miniſterialium, offerre ſe & bona ſua ad eos volunt, libere facere poſſint, & abſque conſenſus noſtri requiſitione, ſtatuentes, & regio diſtricte praecipientes edicto, vt nulla vnquam deinceps perſona, cuiuſcunque ſit conditionis, hanc noſtram irritare audeat confirmationem, vel ſaepe dictos Fratres in bonis ſuis aliquo inquietudinis modo grauare: quod qui fecerit, centum libras auri puriſſimi componat; dimidium fiſco noſtro, reliquum paſſis iniuriam.

Teſtes huius rei ſunt:

Wolſgerus Batauienſis Epiſcopus.
Bertholdus Dux Meraniae.
Schwigerus de Mindilb. & alii quam plures.

Signum Domini Philippi Regis  ſecundi, Romanorum inuictiſſimi.

Ego Conradus Herbipolenſis Epiſcopus & Imperialis aulae Cancellarius recognoui.

Acta ſunt haec anno ab incarnatione Domini MCCI. Indict. V. (lege: XIV.) regnante Domino Philippo ſecundo, Romanorum Rege glorioſo, anno regni eius quarto.

Datum apud Norinberg. XII. Calend. Octobris.

No. CLXVI.

Fridericus II. Imperator Monaſterium Steingaden in tutelam ſuſcipit. Anno 1220. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 250.

IN nomine ſanctae & indiuiduae Trinitatis. *Fridericus* Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Rex Siciliae &c. Diuinae remunerationis intuitu & aequitatis Eccleſiis, a progenitoribus noſtris fundatis, non ſolum tradita beneficia conſeruare tenemur, verum etiam de conceſſis nobis a Deo aliqua eis feliciter erogare, & circa tranquillitatem ipſarum & augmentum operam efficacem & curam adhibere diligentem. Eapropter omnibus Chriſti fidelibus, tam poſteris quam


modernis, notum esse volumus, quod nos, animaduertentes diuinae religionis cultum & honestam fratrum conuersationem Monasterii *Staingadensis*, quod fundauit praedilectus *consanguineus* noster, inclitus *Dux GWELPHO*, & propriis curauit praediis ditare, quodque ibi pro eo & omnibus posteris eius preces sine intermissione fundantur ad Dominum, ipsum Monasterium, cum omnibus sibi attinentibus in plenitudine gratiae nostrae, & sub specialem Maiestatis nostrae suscipimus protectionem ad honorem Dei & S. Ioannis Baptistae, Fratribus ex innata nobis benignitate confirmantes, quicquid ante dictus *consanguineus* noster & gloriosus *pater noster*, inuictissimus Imperator *Heinricus*, & charissimus *patruus* noster, *Conradus*, illustris Sweuorum Dux, pro remedio animarum suarum Monasterio eorum contulerunt, confirmauerunt, & quae nos ipsi vel alius quisquam eis donauit, quaeue inposterum iusto acquisitionis titulo, praestante Deo, poterunt adipisci. Possessiones vero, quas in praesentiarum obtinent, propriis duximus exprimendas vocabulis, fundum videlicet, in quo ipsum Monasterium situm est, totamque terram claustro adiacentem, ab amne, qui dicitur *Rotenbach* vsque ad amnem qui vocatur *Marbach*, & a fluuio *Lico*, vsque ad fluuium qui dicitur *Hylabe*, cum viis, semitis, pratis, agris, cultis & incultis, cum aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, montibus & nemoribus, cum mancipiis & colonis, & cum omnibus pertinentiis suis ex integro. Insuper praedium *Dornowe*; praedium *Celle*; praedium *Schongowe*; praedium *Hohinfurth*; praedium *Germaringen*; praedium *Ingenriedt*, *Sewon*, *Burenhowe*, *Emicheinriet*, *Franckenhowe*, *Waterlintrieth*, *Franckenriet*, *Husen*, *Beurn*; praedium *Modardisthouen*, *Adillinriet*, *Erstingen*, *Tegrinbach*, *Vohegowe*, *Vrbach*, *Chistilingen*, *Vrsingen*; praedium in *Sybenach*; praedium in *Iglingen*; decimam apud Sybenach, quam dedit Hermannus de Mallinfietzen; curiam *Widergeltingen*, cum Ecclesia & omni iure; curiam *Stadeln*; curiam *Beytingen* & Ecclesiam cum omni iure; Ecclesiam *Brehm*, *Lullansperck*, *Dietenhausen*; curiam *Home*, cum piscationibus, & omnibus appendiciis eius; in montanis curiam *Scardis*; curiam *Lomun*; curiam *Hathnach*; Bona *Vmste*; curiam *Omindingen*. Praeterea nouale vnum, quod vocatur *Vronrute*, & praedium quod vocatur *Langemos*, tradita a patruis nostris *Friderico* & *Conrado*, Sueuorum Ducibus. Indulgemus ad haec Fratribus memoratis, vt, si quisquam hominum nostrorum Fiscalinorum, siue etiam Ministerialium offerre se & bona sua ad eos voluerit, libere facere possit, & absque consensus nostri requisitione. Statuentes & Regio districte praecipientes

tes

tes edicto, vt nulla deinceps persona, cuiuscunque sit conditionis, hanc nostram irritare audeat confirmationem, vel saepe dictos Fratres in bonis suis aliquo inquietudinis modo grauare; quod qui fecerit, centum libras auri purissimi componat; dimidium fisco nostro, reliquum passis iniuriam. Testes huius rei sunt:

Sifridus Episcopus.
Chuno Elwangensis & Fuldensis Abbas.
Bertoldus de Tanneberg.
Swigerus de Mindelberch.
Engelscalcus & Hermannus de Heginiberc.
Vlricus Praepositus de Moringen & alii quam plures.

Signum Domini Friderici Regis Rom. inuictissimi, Regis Siciliae.



Ego Conradus Spirensis & Mentensis Episcopus & Imperialis Aulae Cancellarius recognoui.

Acta sunt haec anno ab incarnatione Domini MCCXX. Indictione VII. Regnante Domino Friderico Romanorum Rege glorioso, anno regni eius VIII.

Datum apud Augustam XVI. Cal. Septembr.

No. CLXVII.

Fridericus II. Imperator litem de aduocatia in Sibenaich decidit secundum Steingadenses.

Anno 1220. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 250.

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliae. Cum ex debito Regiae maiestatis omnia, quae vel querimoniose aut aliquorum lite ad nostram deferuntur praesentiam ad tranquillitatem pacis reformare teneamur, maxime tamen Ecclesiarum Dei grauamina & iniurias prae ceteris extirpare, & contra futuros impetus malignorum hominibus sacrae religioni dicatis munimen protectionis nostrae porrigere & volumus & debemus. Notum igitur esse cupimus praesentibus & futuris, quod, cum quodam tempore de Sibenaich aduocatiam bonorum Ecclesiae de Staingaden, ibidem in villa sitorum, sibi vendicaret Heinricus de Sibenaich, quae soli protectioni nostrae & haeredum nostrorum sine omni exactione sunt subiicienda, & a nobis nunquam ali-

alienanda, aut a nostris progenitis, ipse *Heinricus* iam dictus & *Gebero*, (*) venerabilis praedictae Ecclesiae Praepositus, super hoc apud Augustam ad nostram conuenerit praesentiam, vbi saepe dictus Heinricus, recognoscens se in ante dicta aduocatia, praedictam Ecclesiam indebite & contra iustitiam grauare, & omne ius & actionem in Aduocatia bonorum supra dictorum scilicet villae totius Schenaich, ab inclito *Duce GVELPHONE*, seu Manegoldo, aut quocunque alio Staingadensi Ecclesiae illic collatorum, in manibus nostris penitus dimittendo resignauit, in agris, in pratis, in pascuis, in piscinis & nemoribus, & in omnibus pertinentiis villae, vt nec ipse, nec aliquis ab ipso genitus, aut dolo, aut ingenio aliquis subintro ductus, ab eo postmodum praedictos fratres in aduocatia turbaret. Hinc in amputandam radicem totius futurae malignitatis praesens scriptum sigillo nostro communitum praedicto Praeposito *Geberoni* & confratribus eius contulimus, & libertatem eiusdem Aduocatiae, secundum quod Magnificus *progenitor* noster *Dux GVELPHO* & Imperatores Auus & pater noster ipsis vsque ad tempora nostrae exaltationis conseruauerunt & sigillis & priuilegiis confirmauerunt, & nos perpetuo ipsis confirmamus & stabilimus. Testes quoque fideles nostros & Imperii in praesentia nostra eo tempore constitutos, in huius rei testimonium vocauimus.

Augustensis Ecclesiae Episcopum, &
Heinricum de Nifen.
Berchtoldum de Tanneberch.
Eberhardum Dapicrum de Tanne.
Suuigerum de Mindelberch.
Vlricum Praepositum de Moringen, & alios quam plures.

Acta sunt haec anno Dominicae Incarnationis MCCXX.
Datum apud Augustam III. Calendas Augusti, Indictione octaua.

No. CLXVIII.

Fridericus Dux Sueuorum donationes Monasterio Steingadensi factas confirmat. Anno 1170.

Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 252.

Vide supra No. CXLIII. 624.

No. CLXIX.

*) Gebeso II. sed is demum anno 1223. Praeposituram iniit. p. 253.

No. CLXIX.

Coeleſtinus PP. III. Monaſterio Steingadenſi confirmat omnia bona, a bonae memoriae Welfo Duce collata. Anno 1194. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 248.

CELESTINVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis, Praepoſito & Fratribus Monaſterii de *Staingaden* ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Iuſtis petentium deſideriis dignum eſt facilem praebere conſenſum, & vota, quae a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris iuſtis poſtulationibus annuentes, Monaſterium & perſonas veſtras cum omnibus, quae in praeſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis, Deo propitio, poteritis adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus; ſpecialiter autem ea, quae *bonae memoriae GWELPHO quondam Dux* in Monaſterium, quod ipſe conſtruxiſſe dignoſcitur, & dotaſſe pluribus bonis, ex pia deuotione conceſſit & tradidit, vobis, & per vos ipſi Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae protectionis & confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli ſe nouerit incurſurum.

Datum Lateranis V. Calend. Februarii. Pontificatus noſtri anno III.

No. CLXX.

Innocentii PP. III. Confirmatio. Anno 1200. Indidem. p. 249.

INNOCENTIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Abbati Staingadenſi Praemonſtrat. ordinis; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iuſtum & honeſtum, tam vigor aequitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecte in Domino fili, tuis iuſtis poſtulationibus inclinati, vtiles conſtitutiones a bonae memoriae *GVELPHONE*, tui Monaſterii fundatore prouide factas, & rationabiles

consuetudines ibidem obseruatas, hactenus approbantes, illas auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communiuimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Lateran. III. Cal. Martii. Pontificatus nostri anno II.

No. CLXXI.

Honorius PP.III. Steingadensem Praepositum dehortatur ab omni innouatione. Anno 1219.

Indidem.

HONORIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio, Abbati Staingadensi (*) salutem & Apostolicam benedictionem. Charissimus in Christo filius noster F. Siciliae Rex illustris in Romanorum Imperatorem electus, nobis insinuare curauit, quod cum clarae memoriae *Dux GWELPHO*, praedecessor ipsius, Ecclesiam beati Ioannis Baptistae de Staingaden, Praemonstratensis ordinis, pia deuotione construxerit & dotauerit, illam quibusdam libertatibus & immunitatibus muniendo, tu, licet praedecessores tui eam in sua libertate hactenus conseruauerunt, statum eiusdem Nobilis super libertatibus & immunitatibus ipsis coepisti pro tuae voluntatis arbitrio violare. Volentes igitur, vt, quod super hoc pie ac prouide factum est a Duce praedicto, debitam obtineat firmitatem, discretionem tuam monendam duximus & hortandam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus Ecclesiam ipsam in ea libertate conserues, in qua praedecessores tui eandem noscuntur vsque ad tua tempora conseruasse.

Datum Laterani III. Idus Aprilis Pontificatus nostri anno III.

No. CLXXII.

Philippus Imperator confirmat Monasterio Steingadensi bona sua. Anno 1201. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 243. & 249.

Vide supra No. CLXV. p. 651.

No. CLXXIII.

*) Bertholdo, qui coepit. 1208. †. 1223.

No. CLXXIII.

Fridericus II. Imperator Monaſterio Steingadenſi bona ſua & poſſeſſiones confirmat. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 250.

Vide ſupra No. CLXVI. p. 653.

No. CLXXIV.

Fridericus II. Imperator bona Monaſterii Steingadenſis ſub Imperii Aduocatia eſſe pronunciat. Ex Hundii Metrop. Salisb. T. III. p. 250. ſq.

Vide ſupra No. CLXVII. p. 654.

No. CLXXV.

Henricus VI. Imperator ad preces Ducis Welfi ſui proauunculi Monaſterium Steingadenſe in protectionem ſuam ſuſcipit. ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 248.

Vide ſupra No CLXIV. p. 650.

No. CLXXVI.

Conradus IV. in tutelam ſuſcipit Monaſterium Steingadenſe. Anno 1251. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 251.

CONRADUS diui Auguſti Imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in Regem electus ſemper Auguſtus & heres Regni Iheruſalem, tenore preſentium notum eſſe volumus vniuerſis fidelibus noſtris & Imperii tam preſentibus quam futuris, quod nos piis ac deuotis ſupplicationibus Eberhardi venerabilis Prepoſiti Monaſterii de

Staingaden, & fratrum Monachorum eiusdem pium & beneuolum prestantes assensum, Monasterium ipsum cum personis Deo ibidem famulantibus ac omnibus bonis suis sub protectione nostra & Imperii recepimus speciali, rata ex nunc & in perpetuum habere volentes omnia priuilegia, indulta ipsi Monasterio a quondam *Duce GVELPHONE* cunctisque aliis foelicis memorie progenitoribus nostris, cum omnibus libertatibus, qui in ipsis priuilegiis ad vsum & vtilitatem ipsius Monasterii contineri noscuntur. Quare mandamus ex parte Imperiali & nostra, & firmiter inhibemus, quatenus nulli persone Ecclesiastice vel mundane liceat prefatum Monasterium contra tenorem predictorum priuilegiorum impetere aliquatenus, vel aliquibus offensionibus perturbare. Nam si quis contra presentis scripti nostri tenorem venire presumpserit, indignationem Imperialem & iracundiam se nouerit incursurum. Pro cuius rei memoria & robur imposterum valiturum presens scriptum fieri & sigillo nostre celsitudinis iussimus communiri.

Datum apud *Augustam* anno dominice incarnationis MCCLI. Mense Februarii, nona indictione.

No. CLXXVII.

Conradinus Monasterium Steingadense in tutelam suscipit. Anno 1263. Ex Hundii Metropol. Salisburg. T. III. p. 251.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ego *CONRADVS* Dei gratia Iherusalem & Sicilie Rex ac Dux Sueuie. Tenore presentium notum esse volumus vniuersis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris, quod nos piis & deuotis supplicationibus Bertholdi, venerabilis Prepositi Monasterii de Staingaden, & fratrum eiusdem, pium & beneuolum prestantes assensum, Monasterium ipsum, cum personis Deo ibidem famulantibus ac omnibus bonis suis, sub protectione nostra recepimus speciali, rata ex nunc & in perpetuum habere volentes omnia priuilegia, indulta ipsi Monasterio, a quondam *Duce GVELPHONE*, cunctisque aliis felicis memorie progenitoribus nostris, cum omnibus libertatibus, que in ipsis priuilegiis, ad vsum & vtilitatem ipsius Monasterii contineri noscuntur. Quare mandamus, & ex parte Dominationis nostre firmiter inhibemus, quatenus nulli persone Ecclesiastice vel mundane liceat prefatum Monasterium, contra tenorem predictorum priuilegiorum

giorum impetere aliquatenus, vel aliquibus offenſionibus perturbare. Nam ſi quis contra preſentis ſcripti noſtri tenorem venire preſumpſerit, indignationem noſtram ſe nouerit incurſurum. Pro cuius rei memoria & robur impoſterum valiturum preſens ſcriptum fieri & ſigillo noſtre celſitudinis iuſſimus communiri.

Teſtes huius rei ſunt:

Volcmarus de Kaminatu, & filius eius Marquardus.
Hermannus de Haiginberch.
Cunradus de Schwanegau.
Bartholomeus de Waal.
Hermannus de Dachſeberch.
Cunradus de Balwide
Bartholomeus de Schwanegau.
Cunradus de Lechsberch. & alii quam plures.

Datum apud Staingaden. Anno Dominice incarnationis MCCLXIIII. XVIII. Cal. Maii Indictione VI.

No. CLXXVIIII.

Ludouici Bauari confirmatio veterum priuilegiorum Steingadenſium, ſpeciatim autem praediorum recens acquiſitorum. Anno 1322. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. III. p. 254.

LVDOVICVS Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Vniuerſis ſacri Romanorum Imperii fidelibus praeſentes literas inſpecturis, gratiam ſuam & omne bonum. Ex parte religioſorum virorum Praepoſiti & Conuentus in *Staingaden* clementiae Regiae fuit humiliter ſupplicatum, quatenus literas diuae memoriae quondam Dominorum *Heinrici* & *Alberti* Romanorum Regum, praedeceſſorum noſtrorum Illuſtrium, ſub eiusdem Domini *Alberti* vero & pendenti ſigillo conſcriptas, & dicto Monaſterio conceſſas, cum quibusdam bonis ipſi Monaſterio conquiſitis, & infra expreſſis, confirmare auctoritate Regia dignaremur: Quarum quidem literarum tenor per omnia dignoſcitur eſſe talis: Albertus Dei gratia Rom. Rex &c. Nos igitur religionis fauore, & vt factae donationes dicto Monaſterio certius innouentur, ſingula in praemiſſis literis *Heinrici* eidem Monaſterio donata & conceſſa, & per dictum *Albertum* poſtmodum confirmata, cum bonis poſtmodum ipſius

Monaſterii de nouo conquiſitis, videlicet poſſeſſiones in *Holzhauſen* cum Eccleſia ibidem; poſſeſſiones in *Huſen* prope *Waal*, cum Eccleſia ibidem; poſſeſſiones in *Vrſingen* ſuperiori & inferiori cum Eccleſia ibidem; Villam in *Laiſerhouen* cum Eccleſia ibidem; poſſeſſiones in *Trangou* cum Eccleſia ibidem; praedia in *Kinberg;* praedia in *With*, praedia in *Rammingen;* praedia in *Ringolriet* & in *Huſen* prope *Mindelhaim;* curiam in *Latmotingen;* curiam in *Erringen;* decimam in *Vtingen;* praedia in *Mur* & in *Emmingen;* oppidum in *Birkberg*, & duo praedia in *Wil;* praedia in *Niederhouen* cum Eccleſia ibidem, ſicut ea rite & legitime poſſidet, poteſtate regia ſimiliter approbamus, innouamus, confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. In cuius rei teſtimonium praeſentes literas conſcribi & noſtrae Maieſtatis ſigillo iuſſimus communiri.

Datum *Auguſtae* Nonis Decembris Anno Domini MCCCXXII. Regni vero noſtri anno nono.

No. CLXXVIIII.

Ioannes Bohemiae Rex conſentit Ludouico IV. Imp. Monaſterio Etal collaturo Aduocatiam in Steingaden & vallem Ambergaw. &c. Anno 1330. Ex Hundii Metrop. Salisburg. T. II. p. 206.

IOHANNES Dei gratia Bohemiae & Poloniae Rex, ac Lucemburgenſ. Comes. Profitemur publice per praeſentes, quod nos, ad requiſitionem Sereniſſimi Domini noſtri, Domini *Ludouici* Romanorum Imperatoris, noſtrum aſſenſum praeſtitimus liberum, tribuimus & conſenſum, cum in talibus Principum Electorum conſenſus donationibus debeat rationabiliter interuenire, vt Dominus noſter Imperator *aduocatiam* Monaſterii *Stayngadem* (*) & diſtrictum ſeu *vallem Ambergaw* quorum proprietas Imperio debebatur, titulo veri dominii cum vniuerſis ſuis iuribus hominibus & pertinentiis quibuſcunque, donare & tribuere valeat Monaſterio dicto *Etal*, quod idem Dominus Imperator ibidem, ob perpetuam rei memoriam & laudem Dei duxit diuinitus conſtruendum. In cuius rei teſtimonium praeſentes conſcribi & ſigillo noſtro iuſſimus communiri.

Datum in Noua ciuitate. Anno Domini Milleſimo trecenteſimo triceſimo, feria quinta poſt diem Pentecoſtes.

*) Forte & in Raitenbuch.

No. CLXXX.

No. CLXXX.

Mathildis Guelfica, ſoror Henrici Superbi, nunc Gerhardi Comitis Sulzbacenſis vidua, repetit ab Ruperto Abbate Tegernſeenſi, cuius ſe cognatam vocat, Plenarium ſuum. Anno 1179. vel circiter. Ex Pezii Cod. Dipl. Part. II. p. 14.

RVPERTO venerabili Abbati Tegrinſenſis Eccleſiae *Mathildis*, cognata ipſius, quondam moritura Comitiſſa, quod debet quod valet vtriuſque hominis affectus. Si licitum foret, dilectiſſime cognate, vt quis cognato vel amico iraſceretur, vobis iraſci deberem, quod me in aerumnis plurimis poſitam, atque omni ſolatio deſtitutam, nunquam vidiſtis, nec aliquod praeſidium impendere curauiſtis. Sic quia nunc pauperem vitam gerimus, nec veſtram magnitudinem nos miſerae ferre poſſumus, & quod hactenus haud contigit, quomodo deinceps id fieri, Kariſſime, poterit? Sed quid multa? Ecce *plenarium* noſtrum, quod vobis tansmiſimus, ſine omni dilatione per praeſentium latorem nunc dirigere curate: Et ſi nondum opere digno comparatum ſit, non ſit vobis curae, quoniam bonum artificem leui pretio conduximus, & id ipſum praeſtolatur opus perfecturus: & pondus auri atque argenti qualibuſcunque litteris annotate, ne aliqua minima poſſit legare fraude. De reliquis etiam atque etiam nolite obliuiſci, quae largiſſime ſpoponderatis, & quicquid miſeratis, veſtrae accurationi conſtat prouidendum, ne quid indecens contingat.

FINIS TOMI SECVNDI.